8
3 F
12

Digitized by Google

2/105

X 17014

119


DISSERTATIO NAZARIANA.
Ad Em.mum & Reuerendiſ.m D.
Cardinalem Principem
THEODORVM TRIVVLTIVM
Mediolani Gubernatorem.
Franciſcus Paynus Delin
Iacobus Cotta Sculp

Digitized by Google

De SS. Martyribus,
NAZARIO ET CELSO, AC PROTASIO ET GERVASIO,
Mediolani ſub Nerone cæſis:
DEQVE BASILICIS,
in quibus eorum Corpora quieſcunt:
HISTORICA DISSERTATIO:
Rerum etiam Vrbanarum notitiæ perutilis:
quam breuitatis gratia
NAZARIANAM
nuncupari placeat.

AVCTORE IOANNE PETRO PVRICELLO,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE,
LAVRENTIANÆ ARCHIPRESBYTERO.

Mediolani, Anno Domini MDC LVI.

Per Iulium Cæſarem Malateſtam, Regium & eiuſdem Inclytæ Ciuitatis Typographum.

Ad A. R. D. Zochium, Parochum S. Ambroſini, vt videat, & referat.

Fr. Petrus Hyacinthus Donnellius, Inquiſitor Mediolani.

Opus, quod inſcriptum eſt *De SS. Martyribus Nazario & Celſo &c. Hiſtorica Diſſertatio*, Auctore Periluſtri ac Admodum Reu. D. Ioanne Petro Puricello, Sacræ Theologiæ Doctore celeberrimo, ac Laurentianæ Baſilicæ Archipresbytero meritiſsimo, necnon Hiſtoriarum Scriptore fideliſſimo, Ego P. Cæſar Zocchus, Sacræ Theologiæ Doctor, de mandato Reuerendiſſimi Inquiſitoris perlegi, illudquè typis ſummè dignum exiſtimaui ad perpetuam rei memoriam. In quorum fidem &c. Ita eſt: P. Cæſar Zocchus, qui de mandato vt ſupra &c.

Imprimatur.

Fr. Petrus Hyacinthus Donnellius à Bononia, Magiſter & Inquiſitor Generalis Mediolani.

Carolus Ghioldus, Theologus S. Nazarij, pro Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. D. Archiepiſcopo.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

Eminentiſsimo ac Reuerendiſsimo D. D.

Cardinali Principi,

THEODORO TRIVVLTIO.

Mediolani Gubernatori

Meritiſsimo,

PERPETVAM FELICITATEM.

VBI nunc Celſiana eminet Mediolani Baſilica & Monaſterium, quibus Abbas Commendatarius meritiſsimè Tu præſides, EMINENTISSIME CARDINALIS ET PRINCEPS, peramplus olim erat hortus: cuius cuſtodibus à parentibus traditum fuerat *non diſcedere de loco illo per omnem generationem & progeniem ſuorum*; EO QVOD THESAVRI MAGNI IN EODEM LOCO POSITI ESSENT. Ibi nimirùm Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi Martyrum ſepulta deliteſcebant: ET VERE MAGNI THESAVRI: *quos non ærugo neque tinea exterminat, neque fures effodiunt & furantur; quia cuſtos eorum Chriſtus eſt, & locus eorum Aula cæleſtis; quibus viuere Chriſtus fuit & mori lucrum*. Sic enim è Paulino, Sanctiſsimi Ambroſij noſtri amanuenſe fideliſsimo, didicimus in eiuſdem Ambroſij Vita.

Eiuſmodi poſtea theſauros, eodem illic teſte Paulino, Diuinus ipſe Ambroſius diuino monitu inuenit effoditquè; ſed non inde am-

bos

bos abſtulit. Solo enim contentus Nazario, quem publica ſolemniquè pompa in oculis vniuerſæ Vrbis ad Baſilicam tranſtulit Apoſtolorum; ex altera parte Celſum in eodem repoſuit loco, in quo eum inuenerat; ibiquè ipſum deinceps publicè ſanctequè coli iuſsit.

Certè autem plurimos poſtea per annos, immò verò per annorum centurias, ibidem cultus fuerat; cùm ecce fama exijt, multorumquè animos ea peruaſit opinio, vt re vera Celſi Corpus non ibi quieſceret, ſed pariter vnà cum Nazarij Corpore olim fuiſſet ad Baſilicam tranſlatum Apoſtolorum; perinde fermè ac ſi, dormientibus omnibus, à clandeſtino aliquo fure illuc fuiſſet illatum; eaquè ſtatim fama & opinio fidem apud pleroſque inueniſſet.

Mirabile verò interim hoc etiam erat; quòd ab æditui Baſilicæ Apoſtolorum Sacerdotibus inter alia ſua Sanctorum Corpora non agnoſcebatur neque computabatur Celſi Corpus, aut aliquæ ipſius Reliquiæ; atqui ne apertè quidem illud reſpuebatur; ne tantum theſaurum, communi iam opinione ſibi adiudicatum, recuſare viderentur, temerè prodigi.

Talem igitur ac tantum errorem agnoſci profectò iam tandem oportebat, & ab eius Sectatoribus ingenuè deponi. VERVM CERTE EST (vt verisſimè Sanctiſsimus ipſe noſter Ambroſius, ad Valentinianum ſcribens Imperatorem, profitebatur Epiſtola 31.) QVIA NVLLA ÆTAS AD PERDISCENDVM SERA EST. Quamobrem huc etiam præſertim Diſſertatio hæc noſtra ſpectauit. Cætera enim omnia, de quibus alioqui hoc Opere diſſerimus, quæquè Viris etiam doctis non iniucunda fore ſperamus, ei præſertim vni occaſioni debentur.

Quamuis autem ſperandum etiam erat, fore, vt rerum veritas, cui nos quidem vni adlaborare ſtuduimus, ſemetipſam tueri ſatis poſſet; nihilominùs patrocinium quoque tuum, EMINENTISSIME ANTISTES, multas ob cauſas implorandum fuit. Ego ſiquidem in primis aliquam interim expleo debiti mei (ſanè quidem maximi) partem, dum ad beneficentiſsimum mihi Dominum confugio, eiquè aliquem offero laborum meorum fructum, velut indicem animi ſaltem non ingrati, & ad obſequia viciſsim paratiſsimi. Sed & Abbatiæ inſuper tuæ cauſa propriè hic agitur: cui theſaurum tam pretioſum, & omni auro præſtabiliorem, omni virium contentione conſeruari iuſtiſsimum eſt. Denique verò ſuas

etiam

etiam partes hîc habet nobiliſsima hæc Mediolani Ciuitas, Patria tua dilectiſsima; cuius multa & inſignia monimenta ex antiquitatis tenebris nouam in lucem vindicantur.

Pro ipſius incolumitate aduersùs hoſtium irruptiones Tu ipſe conſilio ſemper & ope omni tempeſtiuus præſtò fuiſti: neque tantùm cùm hic adeſſes, verùm etiam cùm Aragoniæ primùm dein Siciliæ ac tandem Sardiniæ Regnis nomine ac vice Catholici Regis noſtri præeſſes, regioque illo & interrito animo tuo inter tot ac tantos coniurationum æſtus ea prudentiſsimè adminiſtrares; vt propterea Theodori quoque illius Triuultij, hoc nomine Primi, & è familia tua Herois apud Hiſtoricos celeberrimi, atque Picelconis etiam Marchionatu perinſignis, quinetiam Regiogallici Regioneapolitani ac Veneti Exercituum Imperatoris fortiſsimi, non æquaſſe modò, ſed etiam longo interuallo ſuperaſſe gloriam & virtutem meritiſsimè prædiceris. Pro eiuſdem igitur Patriæ monimentis hiſce noſtris, apud poſteros conſeruandis, ne dubium quidem mihi eſt, quin ea, qua vales valebiſquè, potentia & fauore beneuolus adſpires.

Quanta porrò benignitate Catholicus ipſe Te Monarcha, profectum in Hiſpanias, excepit? quot & quantis honoribus auxit? quàm euidenti ſignificatione tuam erga ſe fidem operamquè, inter maiora diſcrimina ſemper maiorem, comprobauit, eiuſquè in Romana quoque Curia exercendæ occaſionem ac materiam præbuit? quo nimirùm ex tempore tractandam Tibi ac ſuſtinendam illic grauiſsimorum Monarchiæ ſuæ negotiorum molem vniuerſam concredidit. Quid, quòd etiam Te poſtea, felicioribus auſpicijs in Patriam regreſſum, & vt hoſtes ab obſtinata & periculoſiſsima Vrbis Papiæ obſidione fugarentur mirabiliter cooperatum, vniuerſæ tandem huic Prouinciæ Mediolanenſi Gubernatorem, omnibus bonis applaudentibus, præfecit, & hoc iam tempore diuinitùs etiam Te nobis donatum re ipſa experimur?

Videlicet Tu viciſsim etiam ipſe dignam Te ſemper Maioribus tuis oſtendiſti ſobolem, ac nominatim Glorioſiſsimis etiam Mantuæ Ducibus, è quibus præſtantiſsimam illam Viraginem Catherinam ſortitus es genitricem. Quocirca etiam iure merito dignam pariter Temetipſo iuſtis olim e nuptijs, cum Ioanna Monœci Principis ſorore contractis, genuiſti prolem, Sæculis omnibus inuidendam: Principem videlicet hunc, & Aurei quoque Velleris Equitem,

tem, atque Prouincialium Ditionis huius Mediolanenſis Legionum Præfectum Generalem pariter ac Generoſiſsimum, Herculem, vnaquè Tecum nomine ac re vera Theodorum: quo (Dei nempe munere tam ſingulari) Ciuitas noſtra ſummopere gloriatur: quemquè tandem Auſtriaca Maria-Anna, Imperatoris Ferdinandi filia, Regi noſtro Potentiſsimo deſponſata, cùm ad Hiſpanicam tendens Aulam profecta huc fuiſſet, præ cæteris omnibus Oratorem ſibi aptiſsimum & omni ex parte digniſsimum delegit ad Sanctiſsimum Pontificem Romanum, Innocentium Decimum: à quo viciſsim ad ipſam miſſus iam officij gratia Legatus à Latere huc fuerat Eminentiſsimus Cardinalis Ludouiſius, Bononienſis Archiepiſcopus.

Sed hæc & alia generis eiuſdem multa & propemodùm innùmerabilia, virtutis ac ſplendoris tui teſtimonia per me quidem dignioribus horum temporum Scriptoribus explicanda, & immortalitati pro meritis in perpetuum conſecranda, reſeruantur.

Quod ergo nunc reliquum eſt: EMINENTIAM TVAM ſupplex oro & obteſtor, vt hoc meum qualecumque munus, non ex mea tenuitate, ſed ex ipſius argumento ac dignitate metiaris; eiuſquè gratia mihi etiam fauere per ſummam benignitatem clementiamquè tuam perſeueres.

Mediolani, è Laurentiana Baſilica, Calendis Aprilis, Anno Domini M DCLVI.

EMINENTISSIMÆ AC REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS TVÆ

Seruus in perpetuum deditiſsimus,

Io. Petrus Puricellus, Archipresbyter.

INDEX

INDEX CAPITVM.

Quæ Diſſertatione hac Nazariana explicantur.

Caput I. *Diſſertationis huius occaſio & ſcopus.* Pag. 1

II. *Sanctus Barnabas Chriſtianam Fidem primus concionatur Mediolanenſibus, eorumquè multis perſuadet. Hoc autem ille opus aggreditur circiter Annum Chriſti ad minus Quinquageſimum-primum.* 4

III. *De Sancti Nazarij patria, & natalibus, & educatione vſque ad nouennium: quo primùm tempore Sanctus Petrus Apoſtolorum Princeps, Romam promulgator Euangelij perrexit, eiuſquè Matrem baptizauit. Gentiliſnè verè fuerit ipſius Genitor, an Iudæus.* 15

IV. *De Nazarij progreſſu in litteris: & quemadmodùm à Patre ſolicitatus ad Iudaiſmum, nihilominùs Baptiſmum ſibi Chriſtianum præoptarit, eumquè à Sancto Lino, Petri adiutore, obtinuerit.* 19

V. *Nazarius, Baptiſmo initiatus, Chriſtianum ſe publicè profitetur, & Idolorum cultui detrahit. Hinc exaſperatis eorum Sacerdotibus, à ſuis Genitoribus exoratur, vt per diſceſſum ab Vrbe ſeſe periculis ſubtrahat imminentibus. Accepta igitur hæreditatis ſuæ parte, diſcedit, & per varias Italiæ Vrbes eam pauperibus elargitur, ac multos ad Chriſtum conuertit.* 22

VI. *Anno Chriſti Quinquageſimo-ſexto moritur Claudius Imperator, eiquè Nero ſuccedit. Sanctus Vitalis Anno ſubſequenti iam erat Rauennæ, iamquè Chriſtianus, & per Baptiſmum, antehac Mediolani ſuſceptum vnà cum Valeria coniuge, ac filijs Protaſio & Geruaſio.* 23

VII. *De Philippi Libello, per Sanctum Ambroſium inuento: exindequè de Sancto Vrſicino Medico, per Sanctum Vitalem ad martyrium animato.* 26

VIII. *Anno Domini Quinquageſimo-octauo Sancti Vitalis & Valeriæ martyrio coronantur.* 29

IX. *Sancti Protaſius & Geruaſius, Vitali & Valeria genitoribus orbati, ſeſe monitu ac ſuaſu Sancti Pauli Apoſtoli totos*

tradunt ſtudio vitæ ſanctioris, atque propterea cœnaculo ſeſe ad decennium includunt. Vbinam & illud & eorum domus extiterit. 32

X. Sanctus Nazarius, poſt ſuum ab Vrbe Roma diſceſſum Anno vndecimo, Chriſti autem circiter Sexageſimo-quarto, Mediolanum venit: & hic Protaſium ac Geruaſium inuiſit; at non in carcere, ſed in cœnaculo, cui ſe ſponte incluſerant. Ob Chriſtianæ tamen Fidei confeſſionem ac prædicationem non multò pòſt fuſtibus verberatus hinc pellitur. 43

XI. Nazarius, à Sancta Perpetua matre ſua per viſum admonitus, Mediolano in Galliam proficiſcitur: ibiquè, in Vrbe Cimello, alumnum & ſocium ſibi accipit Celſum puerum, natione verè Gallum, non Genuenſem. 44

XII. Galliarum Præſes Nazarium & Celſum conijci iubet in carcerem; ſed eos tamen monitu ſuæ vxoris liberos dimittit cum mandato, ne Chriſtum ibi prædicent. 52

XIII. Nazarius cum puero Celſo Treuerim pergit, multoſquè ibi ad Fidem Chriſti conuertit, & Oratorium ædificat. Cornelius Vicarius eum propterea Neroni denunciat: iſquè protinùs eum iubet ad ſe adduci. Cùm Celſo igitur adductus, cùm in Fide conſtanter ambo perſiſterent, in mare deijciuntur; ſed indè diuinitùs liberati, Genuam ſe recipiunt. 53

XIV. Nazarius, cum Celſo Genuam profectus, multos ibi, ac deinde in alijs Vicis & Ciuitatibus innumeros, ad Fidem Chriſti conuertit. 62

XV. Nazarius Mediolanum reuertitur; ſed hinc, relicto apud Matronam quandam Celſo, redire cogitur in exilium. Nero tamen interim, de ipſorum aduentu admonitus, eoſdem capite damnat. 62

XVI. Nazarius, Romam profectus, Patrem ſuum inuenit monitu Sancti Petri iam baptizatum. Ibidem verò Chriſtum palam prædicans, flagellatus diſpellitur. 64

XVII. Sancti Petrus & Paulus, Apoſtolorum Principes, martyrio in Vrbe Roma coronantur Anno Domini Sexageſimonono, die vigeſima-nona Iunij: Sanctuſquè interim Caius, Archiepiſcopus noſter, Romam proficiſcens, hac de re diuinitùs

admonetur

admonetur; neque tamen à ſuſcepto itinere deſiſtit. 65

XVIII. *Reuerſus Mediolanum Nazarius, martyrij palmam unà cum Celſo hic aſſequitur eodem Anno Domini Sexageſimo-nono, die vigeſima-octaua Iulij.* 68

XIX. *Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi, ſtatim à Fidelibus clàm ſepulta, rursùs eorum monitu, nec ſine miraculo, ſepeliuntur alibi: nec ſine ſcripto, quo eorum Paſſio continebatur.* 73

XX. *Sanctus Syrus, Eccleſiæ Papienſis Primus Epiſcopus, audito Sanctorum Nazarij & Celſi martyrio, Sanctum Iuuentium, adiutorem ſuum, ad Vrbem noſtram protinùs mittit pro funere illorum curando. Iam curatum nactus, Papiam redit: cumquè Nazarij ſanguinem, linteo collectum, hic accepiſſet; plurima per eum miracula patrantur. Sancti Protaſius ac Geruaſius etiamnùm in carcere viuebant, ſed martyrium de die in diem expectantes. In id ergo tempus, quo illud ſubierint, Syrus amanter præmonet, quid agendum: & aliquid precatur ex eorum Reliquijs. Simul autem hic agitur etiam de tempore, quo Syrus Papiam, & Sanctus Euangeliſta Marcus Aquileiam primò ac deinde Alexandriam miſſus fuerit: quo item Sanctus Hermagoras regimen Aquileienſis Eccleſiæ acceperit, ac martyrio conſummarit: qua demùm ex cauſa Syrus hanc ſibi erga Mediolanenſes curam ſuſceperit.* 74

XXI. *Anolinus Italiæ Præſes, alijquè Sanctorum Nazarij & Celſi perſecutores, dum ipſorum Corpora curioſiùs, vt in ea ſæuiant, perquirunt, immatura omnes morte à Deo puniuntur.* 88

XXII. *Sancti Protaſius & Geruaſius, Aſtaſij Comitis iuſſu, martyrium patiuntur Anno Domini Septuageſimo, die vigeſima-quinta Martij.* 89

XXIII. *Vbinam fuerit carcer Sanctorum Nazarij & Celſi, ac Protaſij & Geruaſij. Et hic aliqua etiam de Mediolanenſi Monialium Monaſterio Maiori.* 93

XXIV. *Vbinam cæſus caput fuerit Sanctus Protaſius.* 97

XXV. *A quibus & vbinam ſepulti fuerint, Sancti Protaſius & Geruaſius.* 103

XXVI. *Quid vocabula* colobium *&* biothanatos *ſignificent.* 107

XXVII. An Protaſius & Geruaſius poſt Nazarij & Celſi necem dimiſsi fuerint è carcere; ſed poſtea rursùs capti iuſſu Comitis Aſtaſij. 110

XXVIII. De Comite Aſtaſio: & an hoc honoris & poteſtatis nomen in vſu eſſet tempore Neronis. 111

XXIX. An bellum aliquod, viuente Nerone, à Marcomannis excitatum. 118

XXX. An pluralis Auguſtorum appellatio vni Neroni congruere potuerit. 125

XXXI. Sanctus Syrus, Papienſis Epiſcopus, donata ſibi Reliquiarum Sancti Protaſij & Geruaſij particula, per eam multa operatur miracula: primamquè Papiæ Eccleſiam iiſdem Sanctis conſtruit ac dedicat: in qua etiam mortuus tandem ſepelitur. 127

XXXII. Sanctus quoque Iuuentius, antequàm Epiſcopus fiat Papienſis, Eccleſiam Sancto Nazario in Vrbe Papiâ ædificat. 129

XXXIII. Quàm beneficus Eccleſiæ Mediolanenſi fuerit Sanctus Iuuentius, Papienſis Epiſcopus. Quàm beneuoli viciſsim ei fuerint Sancti Syrus, Nazarius, & Celſus, ac Protaſius & Geruaſius. Ei quippe triduò ante, quàm moreretur, oranti apparent, mortemquè ac beatam in cælis vitam prænunciant. Moritur ergo ille, atque in ſua Sancti Nazarij Eccleſia ſepelitur. 131

XXXIV. Quàm difficulter Philippi Libello accommodari poſsit bellum Marcomannicum Anni à Chriſto nato Centeſimi ſeptuageſimi primi, vel Ducenteſimi ſeptuageſimi-ſecundi. 133

XXXV. Sancta Soteris, Virgo nobiliſsima, & Sancti Antiſtitis ac Patroni noſtri Ambroſij conſanguinea, martyrio coronatur circiter Annum Domini Trecenteſimum-quartum. 140

XXXVI. De Mediolanenſi Sanctorum Nazarij & Celſi Oratorio, in quo Sanctus Archiepiſcopus noſter Mirocles Sacerdotem conſecrauit Sanctum Emigdium, de noſtra Eccleſia benemeritum, & poſtea primum Aſculanorum Epiſcopum ac Martyrem. 145

XXXVII. Sanctus Ambroſius, Mediolani Archiepiſcopus, Sanctis Apoſtolis Baſilicam ædificat circiter Annum Domini Trecenteſimum octuageſimum-ſecundum, qua poſtea Nazariana cognomentum obtinuit. Et hic multa ſcitu digna de

illius

illius ſitu, dequè Brolio, & propinquo Arcu Romano. 155

XXXVIII. *Sancti Matroniani Eremitæ Corpus à Sancto Ambroſio in Apoſtolorum Baſilicam translatum. Quis ille fuerit, & vndenam translatus. De Monaſterio item Sancti Ambroſij Ad Nemus: & vtrùm alumnus eius fuerit Iouinianus Hæreſiarcha cum primoribus aſſeclis ſuis.* 172

XXXIX. *Sanctus Ambroſius Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo, cùm grauiter ab Arianis vexaretur, diuinitus admonetur, vbinam iaceant Corpora Sanctorum Protaſij ac Geruaſij Martyrum, & vt Baſilicam illis ædificet. Hanc ergo protinùs ædificare aggreditur: quæ deinde cognomentum Ambroſianæ obtinuit. Simul autem hic agitur etiam de Baptiſmo & Conuerſione Sancti Auguſtini: de alterno Pſalmorum & Hymnorum cantu in Eccleſia, per Sanctum Ambroſium inſtituto: de Auctore Hymni* TE DEVM LAVDAMVS: *de Mediolanenſi Chronico Datij: dequè Theodori Speculo Matutinalis Officij Ambroſiani.* 182

XL. *Sanctus Ambroſius conuocatis ad ſe Vrbium vicinarum Epiſcopis communicat reuelationem Sacrorum Corporum ſibi factam: vnaquè omnes ea inquirere aggreſsi, re ipſa quoque inueniunt.* 201

XLI. *Sanctus Ambroſius inuenta Martyrum Protaſij & Geruaſij Corpora è Baſilica Philippi transfert ad Baſilicam Fauſtæ, ibiquè nocturnas peragit vigilias: poſteraquè die ad Baſilicam ea transfert Ambroſianam.* 202

XLII. *Sanctus Ambroſius, depoſitis in Ambroſiana Baſilica Corporibus Martyrum, eaquè ipſis ritè dedicata, Pſalmiſquè decantatis, Sermonem ad Populum habet. Ipſa verò Corpora mox tumulo conditurus, Populi rogatu in craſtinum differt.* 205

XLIII. *Poſtera die, quæ Iunij menſis fuit decima-nona, Sanctus Ambroſius ad Populum rurſus habet Sermonem, quo præſertim Arianorum mendacia & calumnias refellit. Denique verò Sanctorum Protaſij & Geruaſij Corpora ſuo in tumulo ſub Altari recondit.* 213

XLIV. *De miraculo ſanguinis, qui palam & vbertim è Sanctorum Protaſij ac Geruaſij Corporibus in Ambroſiana Baſilica effluxit: dequè Reliquijs ipſorum, per varias Orbis Chriſtiani partes diſtributis.* 217

XLV. Qualem

XLV. *Qualem quotannis feſtiuitatem Sanctus Ambroſius in honorem Sanctorum Protaſij & Geruaſij Martyrum inſtituerit.* 221

XLVI. *Sanctus Satyrus, Anno Chriſti Trecenteſimo ſexageſimo-ſecundo diuinitùs è naufragio liberatus, ac denique Mediolanum Anno poſtea octuageſimo-ſeptimo reuerſus, hic menſe moritur Septembri: & ad Baſilicam defertur Ambroſianam priùs, quàm in tumulo Sancti Victoris Martyris ad ipſius ſiniſtrum lätus ſepeliatur.* 227

XLVII. *Theodoſius Imperator Anno Chriſti nonageſimo-quarto ſupra Trecenteſimum Mediolano concedit Priuilegium, ne quis Imperatorum deinceps illud ingrediatur. Itaque pro ipſis Palatium extruitur foris, & iuxta Baſilicam Ambroſianam. De veteri eorum Palatio, dequè San-Georgiana propè ipſum Eccleſia. Quando hæc & à quo ædificata, & qualibus in fronte inſcriptionibus inſignita.* 242

XLVIII. *Poſt obitum Theodoſij Senioris Sanctus Ambroſius, diuina edoctus reuelatione, inuenit Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi: relictoquè ibidem Celſi Corpore, Corpus Nazarij ſolemniter, nec ſine miraculo, ad Baſilicam transfert Apoſtolorum.* 250

XLIX. *Sacrarum Nazarii & Celſi Reliquiarum participes Ambroſius facit varias Orbis Chriſtiani Eccleſias. An Sanctus Antiſtes noſter Simplicianus re vera ſcripſerit Vitam Sancti Zenobii, Florentinorum Epiſcopi.* 264

L. *Sanctus Ambroſius Concionem ad Populum habet Mediolanenſem in die natali Sanctorum Nazarij & Celſi. An ipſis quoque illum cecinerit Hymnum, quo iamdudùm Eccleſia Mediolanenſis in eorum celebritate vti ſolet.* 276

LI. *De annua Cleri Mediolanenſis Proceſsione ad Eccleſias, in quibus condita ſunt Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi: dequè Cleri eiuſdem maieſtate.* 283

LII. *Sanctus Ambroſius Baſilicam ſuam ſacris picturis ac verſibus exornat.* 284

LIII. *Diuturno confectus morbo Sanctus Ambroſius moritur Anno Domini Trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo, & ex Epiſcopio ſtatim delatus in propinquam Eccleſiam Maiorem, ad Baſilicam deinde Ambroſianam tumulandus defertur: ibiquè medius inter Sanctos Protaſium ac Geruaſium ſepelitur.*

Cur

Cur eius Depoſitio coniecta fuerit ab Eccleſia Romana in quartum Aprilis diem, ab Ambroſiana verò in quintum. 287

LIV. *An Sanctus Ambroſius armata Catholicorum manu cruentiſquè certaminibus Arianos aliquando perſecutus fuerit.* 304

LV. *Sanctus Simplicianus, in Eccleſiæ Mediolanenſis regimine ſubſtitutus Sancto Ambroſio, pro impenſiori eius Corporis & Baſilicæ cultu per Synodum Prouincialem decernit, Comprouinciales Epiſcopos hebdomadatim per vices hic adeſſe oportere. Simile quiddam factum alibi etiam, nec Rauennæ ſolùm, ſed etiam Romæ.* 317

LVI. *Sancta Marcellina, Sanctorum Satyri & Ambroſij ſoror, Mediolani moritur, & à Sancto Simpliciano ad Ambroſianam Baſilicam ſepelitur.* 321

LVII. *Sanctus Baſsianus, Laudenſis Epiſcopus, Mediolanum venit, ad venerandas Sancti Ambroſij Reliquias, eiuſquè opem implorandam: viſoquè ſibi diuinitùs oſtenſo libripendem doloſum reuocat ad frugem.* 329

LVIII. *Stiliconis Comitis vxor, Serena, Baſilicæ Nazarianæ pauimentum è Libyco marmore conſtruit.* 330

LIX. *Sanctus Venerius Archiepiſcopus noſter, in Baſilica Nazariana ſepelitur.* 332

LX. *Sancti Caſtus & Polemius, Sancti Ambroſij Diacones, propè Ambroſianam Baſilicam ſepeliuntur in Eccleſia Sancti Satyri.* 336

LXI. *Sanctus item Marolus, Archiepiſcopus noſter, & Sancti Venerij ſucceſſor, vita functus, in Baſilica pariter Nazariana ſepelitur.* 337

LXII. *De quodam fure, Mediolani ad Baſilicam Sanctorum, & fortè Ambroſianam, diuinitùs compulſo fateri furtum, & ablata reddere. De Sancti quoquè Germani, Autiſiodorenſis Epiſcopi, mirabilibus apud noſtros Mediolanenſes geſtis.* 337

LXIII. *Sanctus item Glycerius, Archiepiſcopus, in Apoſtolorum & Nazarij Baſilica ſepelitur.* 343

LXIV. *In eadem Apoſtolorum & Nazarij Baſilica Sanctus ſepelitur Archiepiſcopus Lazarus. An ille Triduanas apud nos inſtituerit Litanias. Ex his ambitum nos metimur*

interioris

interioris muri, quo tunc Ciuitas noſtra cingebatur. Quærimus verò etiam, vtrùm eiſdem Litanijs adiecta tunc fuerit obligatio ieiunandi. 344

LXV. Nonnullæ Sanctorum Protaſij & Geruaſij Reliquiæ, rogatu Sancti Seuerini Abbatis, ad Noricos mittuntur. 372

LXVI. Sanctus Ennodius, Ticinenſis Epiſcopus, Sanctos Nazarium Martyrem, Archiepiſcopos item noſtros, Ambroſium, Venerium, Marolum, Glycerium, & Lazarum, Carminibus celebrat. 374

LXVII. An Baſilica Nazariana hoc tempore paſſa fuerit incendium atrox; è quo tamen protinùs reſtaurata fuerit, ab Archiepiſcopo noſtro Laurentio. 379

LXVIII. An Sanctus Ennodius, vel potiùs Sanctus Symmachus Papa Primus, aliquid è Sancti Nazarij noſtri Reliquijs ad Africanos miſerit Epiſcopos. 380

LXIX. Sanctorum Nazarij & Celſi ac Protaſij & Geruaſij Reliquiæ, ex Hiſpania in Galliam deportatæ, Pariſiis perhonorificè collocantur in Sancti Vincentij Martyris Eccleſia, recenter à Childeberto Rege conſtructa. 381

LXX. Sanctorum Protaſij & Geruaſij dies anniuerſarius ob pacem, Romanos inter & Longobardos conciliatam, perpetuæ inter ſacra Myſteria memoriæ a Sancto Gregorio Papa Primo conſecratur. 382

LXXI. Sanctus Aquilinus, Herbipolenſis, cùm Mediolanum, ad venerandas Sancti Ambroſij Reliquias, veniſſet, Fidemquè Catholicam tutaretur; ab Arianis occiditur, & martyrij laurea inſignis ad Laurentianam Baſilicam ſepelitur. 383

LXXII. Sancti Manſuetus & Benedictus, Archiepiſcopi Mediolanenſes, in Ambroſiana Baſilica ſepeliuntur. 387

LXXIII. De Sanctis Nazario & Celſo, ac Protaſio & Geruaſio, teſtimonium Venerabilis Bedæ. 392

LXXIV. Archiepiſcopi Mediolanenſes, Ariſredus in Baſilica Nazariana, Stabilius & Lætus in Ambroſiana, ſepulti. 393

LXXV. De Sancti Martyris Nazarij Corpore, ſiue Reliquiis, ex Vrbe Roma in Galliam per hæc tempora tranſlatis. Vtrùm eæ fuerint Nazarii noſtri; an alterius, illic paſſi. 394

LXXVI. De Baſilicæ Ambroſianæ per hæc tempora Cuſtode, ſiue Rectore, itemquè Reuerendiſſimo. 399

LXXVII. De

LXXVII. *De Petro Archiepiſcopo, apud Adrianum Papam & Carolum Magnum perquàm gratioſo, Monaſterij Ambroſiani Fundatore, Malleo Hæreticorum, ac Beato Abbati Flacco Albino ſiue Alchuino dilectiſsimo, necnon etiam in Ambroſiana Baſilica ſepulto.* 400

LXXVIII. *De tribus alijs Archiepiſcopis, continuata temporum ſerie in Ambroſiana Baſilica ſepultis: hoc eſt, Oldeperto, Anſelmo, & Dono: & vtrùm Litanias Triduanas primus inſtituerit Oldepertus.* 407

LXXIX. *De quodam legato pio, circiter hæc tempora per Laurentianæ Baſilicæ Cimiliarcham pro Monachis Ambroſianis inſtituto.* 408

LXXX. *De Angilberto Puſterla, Archiepiſcopo, cuius liberalitate aureum Altare in Ambroſiana Baſilica conſtructum fuit, quiquè tandem in Nazariana ſepultus eſt.* 409

LXXXI. *De Simeone Metaphraſte: dequè ordine, quo Græca Eccleſia quatuor iſtos Martyres noſtros venerari conſueuit: ac de reſtauratione Baſilicæ Conſtantinopolitanæ, quæ ipſis olim erecta dedicataquè fuit. Quali præterea Officio illi colerentur.* 409

LXXXII. *De Thadone Archiepiſcopo Mediolanenſi, & in Ambroſiana Baſilica ſepulto. An primus apud nos fuerit auctor, vt quotannis celebraretur Officium Exaltationis Sanctæ Crucis. An etiam ille fuerit è Grimalda Gente.* 419

LXXXIII. *De Anſperto, Anſelmo, Landulfo, Andrea, & Achone, Mediolani Archiepiſcopis, in Ambroſiana Baſilica, vno poſt alium, ſepultis.* 422

LXXXIV. *Ardericus Archiepiſcopus in Baſilica Nazariana conſtruit Sancto Lino Papæ Sacellum, in quo tandem ſcpelitur, ac miraculis coruſcat.* 425

LXXXV. *De Sancto Vldarico, ſeu Oldrico, vel Olderico, vel Henrico, miraculis claro, cuius Corpus in Baſilica Nazariana quieſcit.* 432

LXXXVI. *Landulfus Archiepiſcopus, cognomento Carcanus, Monaſterium adſtruit Celſianæ Baſilicæ. Baſilicam quoque ipſam reſtaurat: &, accitis Comprouincialibus Epiſcopis, Corpus Sancti Celſi ſolemniter transfert. Anniuerſarium etiam pro ſalute animæ ſuæ quotannis in ea celebrandum inſti-*

tuit: ac tandem in ea ſepelitur. 435

LXXXVII.Gximbertus de Iſola, Archiepiſcopi Arnulfi hoc nomine Secundi Camerarius, Anno Domini 1021. mortuale ſibi Anniuerſarium inſtituit, in Celſiana Baſilica quotannis celebrandum. 441

LXXXVIII.Petribertus, Officialis Eccleſiæ Sancti Ioannis Itolani, Anno Chriſti 1052. bona quædam legat Sanctorum Nazarij, Celſi, & Ambroſij Baſilicis, in quarum ſingulis ſingula eorum Corpora quieſcunt. 443

LXXXIX.Beati Petri Damiani teſtimonium pro Sanctis Nazario & Celſo ac Protaſio & Geruaſio Martyribus: eoſdem Anno Chriſti 1059 teſtantis fuiſſe diſcipulos Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum. 445

LXXXX.Baſilica Celſianæ Abbatiam Simoniacus quidam occupat, ſed inde per Sanctos Arialdum & Herlembaldum diſpellitur. Translatio Sancti Nazarij ſolemniter interim celebrata. 446

LXXXXI.Sanctus Martyr Arialdus Anno Chriſti 1067. ex Ambroſiana Baſilica defertur ad Celſianam, in qua Sancti Celſi venerabile Corpus adoratur: ibiquè inter ipſam & Eccleſiam Sancti Nazarij IN CAMPO *ſepelitur.* 447

LXXXXII.Guido Archiepiſcopus, in Celſianum Monaſterium coniectus, cuſtodiæ commendatur. 449

LXXXXIII.Nazariana Baſilica & alia multa atrox incendium paſſa Anno Chriſti 1075. 450

LXXXXIV.Anſelmus Archiepiſcopus, huius nominis Tertius, ex intruſo legitimus, ac de Sede Apoſtolica Romana quàm optimè meritus, in Baſilica Nazariana ſepelitur. 451

LXXXXV.De immunitate, conceſſa venientibus ad anniuerſariam feſtiuitatem Sanctorum Protaſij ac Geruaſij. 452

LXXXXVI.De Iordano Archiepiſcopo, in Ambroſiana Baſilica ſepulto. Non hic, ſed Olricus, eius Succeſſor, annuam Fidelium Defunctorum Commemorationem inſtituit. 456

LXXXXVII.De Beroldo, Scriptore noſtrate. Quale miniſterium in Baſilica Metropolitana exercuerit; quando ſcripſerit, & quales lucubrationes. 460

LXXXXVIII.Variæ celebritates & conſuetudines, ad ſplendorem Baſilicæ præſertim & Monaſterij Ambroſiani pertinentes, quæ Beroldi

roldi tempore vigebant. 468
LXXXXIX. Curioſa digreſſio ad Inuentionem Sanctæ Crucis, per hæc Beroldi tempora Mediolani celebratam. 488
C. De Arca & Idæa, ad quas ſolemniter geſtandas quotannis conuenirent etiam Decumani Officiales Baſilicarum Ambroſianæ ac Nazarianæ. 489
CI. Quatuor Epiſtolæ Pauli & Gebehardi, Ratiſponenſium, ad Martinum, Baſilicæ Ambroſianæ Cimiliarcham: viciſſimquè vna huius ad illos. Pertinent autem partim ad Officium Ambroſianum, partim ad Lotharium & Conradum, inter ſe de Regno Italiæ ac de Imperio contendentes: atque adeò pertinent ad Archiepiſcopum etiam noſtrum Anſelmum, Conradi fautorem, proptereaquè à Pontifice Romano excommunicatum. 496
CII. De Beata Aleyde, Sancti Bernardi Clarauallenſis Abbatis genitrice. Quàm piè ac religiosè, quantaquè cum mercede, Sanctum Ambroſium illa noſtrum coluerit. 503
CIII. Orderici Vitalis, Monachi Vticenſis, teſtimonium de quatuor Sanctis Martyribus noſtris, quos Neronianæ perſecutioni accenſuit. 505
CIV. De Scripto, cuius atteſtatione Briſacenſes ſibi vendicant Corpora Sanctorum Protaſij & Geruaſij, quodquè fide non ſatis dignum nobis videtur. 506
CV. Baſilica Nazariana recentis Vrbis amplificata mœnibus includitur. 518
CVI. Sanctus Galdinus, Archiepiſcopus, varias componit lites inter Sancti Celſi & Morimundi Abbates. Cur ille tamen interim non inſcribatur Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Quando item obierit: & quando conſtructum ab initio fuerit Morimundi Monaſterium. Aliquid etiam obiter hic habetur de Corpore Sancti Nazarij, dequè Monaſterio Gratoſolij. 520
CVII. De Puſterla Vrbana, cognomentum Sancti Ambroſij ſortita. 537
CVIII. De Vrbana Sancta Euphemiæ Puſterla. 543
CIX. Sanctus Dominicus Mediolani ab initio in Canonica Nazariana hoſpitatus. Et hic aliquid etiam de Baſilica Euſtorgiana, eius Ordini tradita: dequè tempore, quo ille,

 depoſito

depoſito Canonicorum Regularium habitu, proprium ſuimet Ordinis aſſumpſit, à Deipara nempe traditum. 544

CX. Confeſſio ſiue Scurolum Ambroſianæ Baſilicæ conſtruitur. Simul autem hic agimus etiam de patera, è qua Sanctus Ambroſius bibebat, & è qua bibentes ægroti & energumeni ſæpenumero curantur, quæque nobis in prouerbio eſt. 562

CXI. Vincentij Burgundi, Bellouacenſis Epiſcopi, teſtimonium pro Sanctis Martyribus hiſce noſtris. 565

CXII. De Canonicorum Ambroſianæ Baſilicæ prærogatiua, qua, Sacros Subdiaconatus & Diaconatus Ordines ſuſcepturi, Albam & Dalmaticam geſtabant. Qualia per id tempus eſſent huiuſmodi indumenta. Quemadmodùm etiam interim crederetur, Sanctorum Ambroſij ac Protaſij Geruaſijque Corpora in eadem Baſilica conquieſcere. Quemadmodùm item Prætor huius Vrbis primæ regiminis ſui die certam ibi faceret oblationem. Quarumnam denique Eccleſiarum Beneficiales fuerint illi, qui Septuaginta-duobus connumerabantur, quique Centenis. 566

CXIII. Iacobi à Voragine, Genuenſis Archiepiſcopi, teſtimonium pro Sanctis Nazario & Celſo, ac Protaſio & Geruaſio. 573

CXIV. Gualuanei Flammæ teſtimonium pro eiſdem Sanctis. 576

CXV. De Sanctis Baſilide, Cyrino, & Nabore, in Baſilica Celſiana quieſcentibus. 577

CXVI. Tam ſolemnitas annua Dominici Corporis, quam Proceſſio ſolemnis, inſtituitur Mediolani: & ad Baſilicam Ambroſianam proceditur. 578

CXVII. Petri de Natalibus, Equilini Epiſcopi, teſtimonium. 587

CXVIII. Sanctorum Ambroſij, Protaſij, & Geruaſij Corpora in Ambroſiana Baſilica conquieſcere, Capitularibus eiuſdem Baſilicæ Statutis confirmatur. 592

CXIX. Teſtimonium Calendarij Ambroſiani, Anno Domini 1381. conſcripti. 593

CXX. Georgij Stellæ, Chronologi Ianuenſis, teſtimonium. 593

CXXI. Ad eam pilam, quæ iuſſu Sancti Ambroſij constructa & Deiparæ Virginis imagine picta fuerat in horto ſuburbano, alias Sanctorum Nazarij & Celſi ſepulchreto, quamplura diuinitùs miracula fiunt. Quocirca Philippus Maria,

Mediolani

Mediolani Dux, Cappellam ibi à fundamentis extruit, & aliquot in ea Cappellanias inſtituit. 597

CXXII. *Ambroſiani Sanctorum Lectionarij, manuſcripti, teſtimonium.* 598

CXXIII. *Sancti Antonini, Florentinorum Archiepiſcopi, teſtimonium.* 600

CXXIV. *Carolus Foroliuienſis, è Celſiani Monaſterij Abbate Archiepiſcopus Mediolanenſis, in eiuſdem Sancti Celſi Baſilica ſepelitur.* 600

CXXV. *Calendarij Ambroſiani, per hæc tempora manuſcripti, teſtimonium.* 602

CXXVI. *A noſtris Mediolani Ducibus mandatur, vt feſtus ac ſolemnis celebretur dies Sanctorum Protaſij ac Geruaſij, Martyrum, ſub primario Baſilicæ Ambroſianæ Altari quieſcentium.* 603

CXXVII. *Teſtimonium alterius Codicis, Anno* 1481. *manuſcripti.* 605

CXXVIII. *Deipara Virgo in ſua propè Sanctum Celſum Eccleſia viſibiliter apparet Anno Domini* 1485. 606

CXXIX. *Donati Boſſij teſtimonium pro Martyribus hiſce noſtris.* 617

CXXX. *Ludouicus Maria, Mediolani Dux, vt expeditius & commodius iter ex Vrbe pateat ad Marianam & ad Celſianam Baſilicas, Anno Domini* 1496. *nobilem aperit Portam, è ſuo nomine Ludouicam.* 618

CXXXI. *Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Abbatia, ſatagente proximo eius Commendatario, Aſcanio Maria Sfortia Vicecomite, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Anno Domini* 1497. *ab Alexandro Papa Sexto vnitur Ordini Ciſtertienſi: eiquè mox Anno poſtero nobiliſsimi fundamenta Monaſterij iaciuntur ab eiuſdem Cardinalis fratre, Ludouico Maria, Mediolani Duce.* 621

CXXXII. *Bernardini Corij teſtimonium, nobis in præſenti cauſa conſentiens.* 627

CXXXIII. *Baſilicæ Ambroſianæ Monachi ſimul & Canonici Anno tandem* 1507. *cum ſuis Abbate ac Præpoſito deliberant de Odæo transferendo è veteri ante Altare primarium ſitu ad poſteriorem. Quocirca etiam impetrare à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege, tunc temporis Mediolani Duce, tentant, vt illic domum Canonicalem conſtruere liceat, vbi nunc*

etiam

etiam extra Baſilicæ atrium ſeparatim ſub aperto cælo erecta manet vetus è candido marmore Columna. Quid ad eam Columnam olim ageret Imperator, Italici Regni Coronam ſuſcepturus: quid item Mediolani Prætor etiamnum ageret, quo primum die Præturam inibat. 629

CXXXIV. Triſtani Chalci teſtimonium, ex parte nobis aduerſum, ſed ne ſibi quidem ſatis conſtans. 634

CXXXV. Teſtimonium Libri, Anno 1515. editi, De Indulgentijs & Sanctorum Corporibus in Ciuitate ac Diœceſi Mediolanenſi. 638

CXXXVI. Sancti Celſi Corpus, Anno Domini 1521. ſub primario Eccleſiæ ſuæ Altari repertum, ſolemniter in eo ipſo collocatur. 639

CXXXVII. Teſtimonium Breuiarij Ambroſiani, typis impreſſi Anno Domini 1539. & hoc pro Sancta item Perpetua, Sancti Nazarij matre. 643

CXXXVIII. Teſtimonium Breuiarij Ambroſiani, aliquantùm reformati, ac typis impreſſi Anno 1549. 645

CXXXIX. Andreæ Alciati teſtimonium, nobis aduerſum, viciſſimquè à nobis confutatum. 647

CXL. Aloyſij Lippomani & Laurentij Surij teſtimonium pro præſenti cauſa. 652

CXLI. Franciſci Maurolyci, Abbatis Meſſanenſis, teſtimonium. 654

CXLII. Alani Copi, ſiue potiùs Nicolai Harpesfeldi, Anglorum, teſtimonium. 655

CXLIII. Breuiarij Romani, Anno 1568. reſtituti editiquè, teſtimonium. 657

CXLIV. Ioannis Coſterij teſtimonium. 659

CXLV. Gaſparis Bugati teſtimonium. 660

CXLVI. Hieronymi Rubei teſtimonium. 661

CXLVII. Caroli Sigonij teſtimonium. 662

CXLVIII. Alphonſi Vigliegæ teſtimonium. 663

CXLIX. Petri Galeſinij teſtimonium. 665

CL. Sancti Nazarij Corpus aliæquè Sanctorum Reliquiæ à Sancto Carolo, Cardinali Archiepiſcopo, ſolemniter transferuntur Anno 1579. 667

CLI. Corpora Sanctorum Martyrum, Baſilidis, Cyrini, & Naboris, Anno 1581. in Baſilica Celſiana inter effodien-

dum

dum inueniuntur, & à Sancto Carolo, Cardinali Archiepiſcopo, recognoſcuntur. 672
CLII. Breuiarij Ambroſiani, per Sanctum Cardinalem Archiepiſcopumquè Carolum reformati, & Anno 1582. typis editi, teſtimonium pro Sanctis Nazario & Celſo, ac Protaſio & Geruaſio. 674
CLIII. Ioannes Antonius Homacinus, de Baſilica Celſiana benemeritus, in eadem ſepelitur Anno 1583. 680
CLIV. Cæſaris Baronij teſtimonium, Anno 1583. de Sanctis Martyribus hiſce noſtris pronunciatum. 681
CLV. Alfonſus Gueuara, Celſianæ Baſilicæ beneficus, in eadem ſepelitur Anno 1584. 682
CLVI. Martyrologij Romani, ac rursùm Cæſaris Baronij, teſtimonium Anno 1586. de Sanctis Martyribus hiſce noſtris. 683
CLVII. Caroli à Baſilica-Petri, Nouarienſis Epiſcopi, teſtimonium, ex parte tandem nobis aduerſum. 687
CLVIII. Annibal Fontana, Sculptor præſtantiſſimus, ac de Mariana propè Sanctum Celſum Eccleſia quàm optimè meritus, in eadem ſepelitur, ac nobiliſſimo Epitaphio, per Ciuem ingenioſiſſimum Iacobum Reſtam expolito, commendatur. 692
CLVIX. Multipiices controuerſiæ, antehac inter Canonicos Sancti Saluatoris Celſianæ Baſilicæ Aedituos, & Marianæ Baſilicæ Fabricerios obortæ, iam tandem amicè componuntur, earumquè Compoſitio à Gregorio Papa Decimo-quarto confirmatur Anno Domini 1591. 697
CLX. Gregorij Papæ Decimi-quarti Diploma, quo Tranſactio & Concordia pro Beatiſsimæ Virginis propè Sanctum Celſum Eccleſia confirmatur. 699
CLXI. Pauli Morigiæ teſtimonium de Sanctis Martyribus hiſce noſtris. 728
CLXII. Ioannis Petri Gluſsiani teſtimonium. 735
CLXIII. Ioannis Franciſci Beſutij teſtimonium. 736
CLXIV. Sancti Vldrici ope ad Baſilicam Nazarianam multa patrantur mirabilia. 737
CLXV. Breuiarij Romani, Clementis Papæ Octaui iuſſu recogniti, & Anno 1602. euulgati, teſtimonium de Sanctis Martyribus hiſce noſtris, nonnihil ab anteriori Breuiario diuerſum. 738

Leuitæ

CLXVI. *Leuitæ Riferræ à Nauero, Monachi Caſsinenſis, teſtimonium.* 741

CLXVII. *Corpora Sanctorum Martyrum Baſilidis Cyrini & Naboris honorificè Anno 1608. collocantur in Cappella, eis à Cæſare Marino exornata.* 745

CLXVIII. *Philippi Ferrarij teſtimonium.* 746

CLXIX. *Ioſephi Ripamontij teſtimonium.* 752

CLXX. *Breuiarij Ambroſiani, Anno 1625. recuſi, teſtimonium, aliquatenùs à ſuperiori diuerſum, ſed reuera nihilominùs nobis conſentiens.* 758

CLXXI. *Ioannis Baptiſtæ Villæ teſtimonium.* 760

CLXXII. *Franciſci Biuarij & Lucij Flauij Dextri teſtimonium.* 762

CLXXIII. *Martyrologij Romani, typis Anno 1632. impreſſi, teſtimonium de Sancto Caio Archiepiſcopo noſtro, deque Sanctis Martyribus Geruaſio & Protaſio, aliquatenus ab editionum proximè ſuperiorum Martyrologijs diuerſum.* 769

CLXXIV. *Celſianum Monaſterium eiuſquè Abbatia Theodoro Principi Triuultio, Sancti Cæſarei Diacono Cardinali, commendatur ab Vrbano Papa Octauo. Quantus ille Cardinalis, & Princeps.* 770

CLXXV. *Innocentij Eccleſiæ teſtimonium de Martyribus hiſce noſtris.* 776

CLXXVI. *Andreæ Sauſſaij teſtimonium.* 781

CLXXVII *Pauli Briti, Albenſis Epiſcopi, teſtimonium.* 783

CLXXVIII *Petri Mariæ Campi teſtimonium.* 784

CLXXIX. *Columna, indicando Protaſiani Martyrij loco aliàs erecta, in alterum transfertur ſitum.* 786

CLXXX. *Sancti Matroniani Cappella nobiliore ſimul & ampliore ſtructura in Baſilica Nazariana renouatur.* 787

DISSERTATIO

DISSERTATIO NAZARIANA,

SIVE

de SS. Martyribus

NAZARIO ET CELSO, AC PROTASIO ET GERVASIO

Mediolani cæſis:

DEQVE BASILICIS,

in quibus eorum Corpora quieſcunt.

CAPVT I.

Diſſertationis huius occaſio, & ſcopus.

I. TYpographicæ denuò impreſſioni Breuiarium Ambroſianum, Eminentiſsimi Cardinalis & Archiepiſcopi noſtri (quem dolemus tàm immatura nobis præreptum eſſe morte) D.D. Cæſaris Montij iuſſu, Anno ſuperiore, quadrageſimoſeptimo ſupra Milleſimum ſexcenteſimum, aptabatur; cùm inter alia nonnulla in dubium ego vocaui tria, quæ de Sanctis Nazario & Celſo Martyribus inter Horas Canonicas recitabamus. Die ſiquidem Iulij menſis vigeſimo-octauo matutina de ipſis Lectio ſic ad extremum ſe habebat: EORVM CORPORA; *extra Portam Romanam in ſepulturam illata; diù cùm latuiſſent; demùm Dei admonitu ab Sancto Ambroſio inuenta;* IN VRBEM TRANS-

 LATA,

LATA, PIE HONORIFICEQVE IN BASILICA APOSTOLORVM RECONDITA SVNT. Quòd enim ea Corpora dicebantur IN VRBEM TRANSLATA: quòd item ambo IN BASILICA APOSTOLORVM RECONDITA; vtrumque id profectò mihi viſum eſt à rei veritate alienum. Solum quippe Nazarij Corpus ego arbitrabar in ea reconditum Baſilica. Sic etiam Baſilica illa, non intra Vrbem, ſed in ſuburbijs tantùm erat Ambroſij tempore: pariterquè tunc etiam in ſuburbijs citra dubium erat locus ipſe, vbi Corpora diu antea latuerant. Quocirca ne ipſum quidem Nazarij Corpus mihi videbatur aptè dici poſſe IN VRBEM translatum. His etiam illud accedebat, quòd nos in Sancti Nazarij Translatione, die Maij decima, tamquàm ex Ambroſij Vita per Paulinum conſcripta, in matutina Lectione recitabamus: THEODOSIO IMPERATORE, *Sancti Nazarij Martyris Corpus &c. Sanctus Ambroſius tranſtulit*. Quocirca illud Ambroſius tranſtuliſſe indicabatur, cùm Theodoſius adhuc viueret: quod quidem tam rei veritati quàm Paulino ipſi apertè contrarium videtur. Talis igitur prima fuit Diſſertationis huius occaſio: ac de Sanctis quidem Nazario & Celſo Martyribus. A B

II. Quoniam verò interim operæ pretium erat nonnihil obſeruare tempus, quo illi martyrium paſſi fuerint, nempe ſub Nerone Imperatore; inde placuit quæſtionem ad Sanctos etiam Martyres noſtros Protaſium & Geruaſium traduci: quos quidem Breuiarium noſtrum ſub Nerone itidem paſſos affirmat; ſed alij nonnulli, & magni nominis Scriptores, inficiantur. C

III. De ijs ergo quatuor Martyribus Hiſtorica nobis erit hæc Diſſertatio. Sed eadem ſecum etiam multa trahet memoranda ſcituquè digna, quæ ad eas pertinent Baſilicas, in quibus eorum Corpora quieſcunt. Hic itaque nobis ex inſtituto ſimul agendum erit de Nazariana & Celſiana Baſilicis; cùm in illa Nazarius, in hac Celſus conquieſcat. Quinetiam ne muti quidem hic erimus de Ambroſiana; in qua Protaſius & Geruaſius. Quamquàm enim copioſè de ipſa diſſeruimus in eiuſdem Baſilicæ Monumentis, per nos Anno Sæculi huius quadrageſimoquinto iam euulgatis; nonnulla tamen hic etiam in promptu nobis erunt, quæ illic prætermiſimus; ſiue ſponte ac breuitatis ſtudio, cùm ad alia feſtinanter anhelaremus; ſiue quia nondùm ea nobis innotuiſſent. Nec enim Amici mei vltra patiuntur hæc in aliud differri tempus, quo Monumenta illa recudantur. Sed hinc ad tres illas dubitationes, à me propoſitas, redeamus. D

IV. Nihil interim è poſtrema Breuiarij noſtri editione, vigeſimoquinto Sæculi huius Anno elaborata, mutari licebat, niſi quod Sacerdotum in id electorum Congregatio, atque adeò Sapientiſſimus ipſe Congregationis Inſtitutor & Præſes, Archiepiſcopus noſter, mutandum cenſuiſſet. Erant autem Viri profectò (ſi me tamen vnum excipiam) litteratura, conſilio, prudentia, eruditione Eccleſiaſtica perinſignes: idq; abundè vel etiam nuda ipſorum nomina, quæ ſubdo, atteſtantur; ſicut etiam

A ſingulares & proprias cuiuſque dotes inſinuant; quas vtique mihi nimis operoſum ac longum eſſet, non dicam ſermone proſequi, ſed etiam ſolummodò curſim velut intento digito innuere. Hi enim erant: A

Franciſcus Turrius, Archiepiſcopalis Vicarius Generalis:

E Baſilica Metropolitana:
- Antonius Ruſca, Præpoſitus:
- Antonius Buſſola, Pœnitentiarius Maior:
- Gabriel Pionnius &
- Franciſcus Dardanonus, Canonici Ordinarij:
- Ioſeph Raſius, Magiſter Cæremoniarum:
- Io. Baptiſta Cornius, Primicerius Lectorum, & Magiſter Chori:
- Io. Paulus Mazuchellus, è quatuor Parochis vnus: B

Ex Ambroſiana Gaſpar Gattus, Canonicus:
E Nazariana Carolus Ghioldus, Canonicus Theologus:
E Laurentiana Io. Petrus Puricellus, Archipresbyter:
E Congregatione Oblatorum Sancti Sepulchri Io. Petrus Quadrius, aliàs eiuſdem Congregationis Præpoſitus.

Acta verò Congregationis eiuſmodi ſuas in tabulas redigebat Iò. Baptiſta Drochus, Archiepiſcopalis Procancellarius. Quatuor tamen ex ipſis iam obierunt: Turrius nimirùm, Ruſca, Pionnius, & Gattus: & hic quidem poſteaquàm euectus eſſet ad Sanctæ Mariæ Pedonis Præpoſituram; in quam deinde illi Quadrius ſucceſsit.

V. Me quoque igitur talibus connumerare Viris dignatus fuerat Eminentiſsimus Cardinalis Archiepiſcopus: quinetiam ipſe mihi præſertim hanc demandauerat prouinciam, vt, ſicut pro Miſſali olim feceram, ſic etiam nunc in commune proponerem, aut etiam pro rerum grauitate præmiſſo per ſingulorum manus ſcripto præmonerem, ſi qua mutatio facienda pro emendatiori editione videretur mihi, vel etiam cæteris in id ſelectis: qui proinde illam mihi cum ad finem denunciare in tempore deberent. C

VI. Ego itaque, quod in mandatis acceperam, diligentiſsimè peragere conatus ſum. Cùmquè per interualla temporum duodecies ad hoc opus omnes conueniſſemus; nihil profectò ex editione ſuperiori decretum eſt mutari, quod accuratiſsimè priùs examinatum non fuerit, & vtplurimùm è Codicibus illic in medium allatis; quodquè tandem Præſes ipſe Archiepiſcopus mutandum non cenſuerit. D

VII. Quod nominatim attinet ad tria illa, quæ de Sanctis Nazario & Celſo in controuerſiam vocaueram: plurimis argumentis cauſam equidem meam ſic egi, vt communi Congregationis conſenſu ſtatutum fuerit, priorem illam Lectionem ita concinnari: EORVM CORPORA, *extra Portam Romanam in ſepulturam illata, diu cùm latuiſſent; demùm Dei admonitu ab Sancto Ambroſio inuenta ſunt*; ET SANCTI NAZARII CORPVS PIE HONORIFICEQ; IN BASILICA APOSTOLORVM RECONDITVM EST: poſteriorem verò Lectionem ita: THEODO-

SIO IMPERATORE MORTVO, *Sancti Nazarij Martyris corpus &c.* A
Qualia verò quantiquè ponderis fuerint eiuſmodi argumenta: hoc præſertum ego præſenti complectar Diſſertatione.

CAPVT II.

Sanctus Barnabas Chriſtianam Fidem primus concionatur Mediolanenſibus, eorumq; multis perſuadet. Hoc autem ille opus aggreditur circiter Annum Chriſti ad minus Quinquageſimum-primum.

I. SAnctus Barnabas, è Septuaginta-duobus Chriſti Domini Diſcipulis vnus, abſque controuerſia & dubio primus fuit Eccleſiæ Mediolanenſis inſtitutor & Apoſtolus, & aliquandiu ante, quàm Sanctus Nazarius huc veniret. Illud autem ſatis controuerſum & ambiguum eſt, quandonàm Barnabas huc venerit, in hoc miniſterij genus. Plerique Rerum Mediolanenſium Scriptores ita cenſuerunt, vt ille venerit huc priùs, quàm Sanctus Petrus, Apoſtolorum Anteſignanus, Romam: quinetiam, vt ille priùs, quàm Petrus, Euangelicam Doctrinam Romæ promulgarit. Primarios autem pro ſua eiuſmodi opinione Teſtes ac Patronos proferebant Sanctum Clementem Romanum, & Dorothæum Tyrium. B

II. Michael Pizolpaſſus Anno Domini 1438. cùm varia legiſſet Opuſcula *in veternoſis* (vt ipſe ſcribebat) *Codicibus, qui apud Bibliothecam Illuſtriſsimi Pontificis Ambroſij*, (hæc vtiq; Bibliotheca tunc penes Ambroſianam Baſilicam erat, & perinſignis) *puluerulenti & tineati iacebant*; id conſilij cepit (quod à Ripamontio noſtro non benè obſeruatum fuit Decadis Primæ Libro Primo) vt ex ijs Codicem curaret vnum eleganter exſcribendum, quem Franciſco Pizolpaſſo, tunc temporis Archiepiſcopo noſtro, cuius erat nepos, grati animi ergo nuncuparet. Hic ipſe Codex nunc extat in Ambroſiana Bibliotheca, quam noſtra ætate magnanimus ille Federicus Cardinalis & Archiepiſcopus Borromæus, æternùm propterea etiam celebrandus, à fundamentis erexit, multiplicique librorum copia ad ſtuporem locupletauit. Sed vnus etiam ibidem nunc aſſeruatur ex ijs Codicibus veternoſis: cuius in principio ſex priorum Antiſtitum noſtrorum Vitæ (nimirùm Barnabæ, Anatalonis, Gaij, Caſtritiani, Calimerij, ac Monæ) luculenter & graui ſtylo contextæ, typiſquè re vera dignæ (præſertim verò, ſi neceſſariæ aliquot adnotationes ipſis accedant) continentur: quoſque Michael ipſe in Epiſtola Nuncupatoria liberè diſerteque affirmauit à Seuero Sulpitio elaboratas: ego dicerem, à Scriptore ſaltem medio inter Sancti Hieronymi & Anaſtaſij Bibliothecarij ætatem; ſed hoc fortaſsè aliàs ex inſtituto diſcutiam. Tales igitur ipſe Vitas inde curauit exſcribendas, & in ſui pariter Codicis illius initio collocandas. Perutilis autem profectò cura eius & ſolicitudo hanc etiam C D

ob cauſam poſteris fuit, quòd ipſius beneficio legere nunc etiam poſſumus illius Hiſtoriæ Prologum (è quo, quantam dicebamus, eius Auctoris antiquitatem ſatis apertè dignoſcimus) ac præterea primum Caput, quod eſt *De ædificatione Mediolani*: quæ nunc alioqui vetuſto illi alteri & carioſo Codici deſunt. A

III. Ea Vitarum Hiſtoria ſic eſt inſcripta: *Incipit Hiſtoria de ſitu & vocabulo Vrbis Mediolanenſis: ſeu Beatiſsimi Apoſtoli Barnabæ viſitatione, ad eandem diuinitùs directa: necnon et Venerabili Viro Anatalon, eius Coapoſtolo atq; coætaneo, ab eodem Epiſcopali benedictione inibi conſecrato: vel quibuſdam eius ſucceſſoribus.* Tertio deinde loco ſubſequitur Titulus *De aduentu Barnabæ & Anatalon, & prædicatione verbi Dei ad Populum.* Hic ergo inter alia, litteris ab eo veteri Scriptore conſignata, ſic etiam de Sancto Barnaba legimus. B
Poſteaquàm enim de ipſius digreſsione à Sancto Paulo, deq; ipſius reditu ad Inſulam Cyprum, & ibi prædicatione diuini verbi narratum eſſet; hæc ſubdebantur: *Non poſt multum denique temporis aſcendens nauim cum alijs, quos ipſe inſtituerat, Chriſtianæ Fidei Cultoribus, Vrbem adijt Romam, velut totius Orbis Dominam inuiſere cupiens;* CVM ESSET ANNVS A CONSTITVTIONE EIVS SEPTINGENTESIMVS NONAGESIMVSQVINTVS, *hoc eſt*, ANNVS CLAVDII PRIMVS, POST VERO DOMINI ASCENSIONEM OCTAVVS. *Stanſquè in loco Vrbis celeberrimo, vbi Romani Populi crebrior concurſus habebatur,* PRIMVS EX APOSTOLIS *liberè proteſtans inopinatum Filij Dei viui ac veri aduentum Romano cœtui proclamauit. Quo audito, quidam aſtantium ridere* C
& ſubſannare hominis ruſticani verba impolita: quidam libenter his, quæ ipſe fatebatur, annuere, & per ſingula ſolicitè intendere: in tantum, vt nonnulli ex primatibus, quorum erat mens ſanior, Chriſti iugo ſua colla inflectere, & illius nuncij obſequijs deuotiſsimè inſiſtere non cunctarentur: INTER QVOS CLEMENS, QVI POSTEA ROMANAM SEDEM TERTIVS A BEATO PETRO NAVITER GVBERNAVIT: QVIQVE EIVS REI, QVAM NARRO, IN SVA DE SEMETIPSO EPISTOLA MEMINIT. *Quo in tempore idem Chriſti Miniſter Beatiſsimus, nugacium inſidias & malignantium callidieates declinans, totas cœpit circumcirca perluſtrare Prouincias, cæleſtis Regni gaudia credentibus pollicendo: aſſertioneſquè ſuas, non argumentorum fucis, ſed dulcium prædicamentorum ſimplicitate non ficta* D
muniendo. Et quoniam poſt Romanam Arcem famoſiſsima iam tunc habebatur Ciuitas ſæpedicta, MEDIOLANVM: *quippeque pari ditione ſublimis, ſecunda poſt ipſam, vt præfatus ſum, auguſtales Occidui Imperij inſulas retentabat; ad eamdem, aſſumptis in prædicationis exequendæ miniſterium ſodalibus, maximèq;* ANATELON QVODAM, *genere Graio, ſed morum probitate & Fidei vigore præcipuo, curſus ſui tramitem deſtinauit. Interea ſupratazatæ Vrbis mœnibus introgreſſus,* ET ALIQVOT IN EADEM MORATVS DIEBVS, *adtendie ibidem, vt ipſe poſtea profitebatur, quoſdam ex plebe,* DVM VERITATIS SERMONEM EDICERET, *libentiùs audientes, quoſdam autem ingenti primùm ſtupore perculſos, & incredibilia ſibi, quæ narrabantur,*

bantur, videri alterutris innuentes; tum ille, vt erat viſcerum miſericordiæ plenus, compaſſus vtriſque, in lachrymas reſolutus eſt. Iſtos enim, quos tetra caligo infidelitatis excæcauerat, ad lucem reuocare cupiebat; illos verò, qui ad haurienda verbi Dei pocula ſitibundas fauces adtulerant, fonte perenni deſiderabat implere. Hortatur ergo Socios, vt diuinum ſupplices adeſſe implorarent auxilium: & apud quem eſt fons vitæ; & in cuius lumine videtur lumen, illius freti iuuamine opportunè & importunè vias vitæ moribundis pandere non deſiſterent: proteſtans eis diuinæ voluntatis indicium: & quòd non abſq; maximo emolumenti cumulo cæleſtia eſſent talenta largituri, euidenter inſinuans. Igitur, dum ipſe ibidem verbo Dei operam daret, haud mora complurimi, eo purè ac ſinceriter de pœnitentiæ remedijs & vitæ ſæculi futuri diſputante, ad Fidem Chriſti conuolarunt. Proſequitur ſubinde Auctor, quemadmodum Barnabas Anatalonem miſerit ad prædicandum in Vrbe Brixia Euangelium: & quemadmodum ille, peracta feliciter eiuſmodi legatione, ad ipſum redierit; ipſeque propterea illum deinceps tam Mediolanenſi quàm Brixienſi Eccleſiæ præeſſe Epiſcopum voluerit. *Orans ergo & imponens illi manus* (verba ſunt eiuſdem Auctoris) *Epiſcopalem deinceps curam commiſſarum ſibi à Chriſto Ouium vigilanter exercere iuſsit inter Mediolanenſes ac Brixienſes accolas, doctrinæ magiſterio & Fidei Chriſtianæ inſtitutis delegatum. Hinc factum eſt, vt, ſecundùm quod præceperat, impleretur: ſcilicet, vt omni tempore, quo adiuueret, vtriuſq; Eccleſiæ Plebibus pari tenore Paſtoralem curam impenderet; præter quòd ſanxit,* VT MEDIOLANENSIS, QVAM IPSE FVNDAVERAT, PRINCIPALIS ECCLESIASTICI CVLMINIS SEDES, ALIARVMQVE IN EA PROVINCIA ECCLESIARVM METROPOLIS PERPETVALITER HABEATVR. *His ita decurſis, Beatiſsimus Chriſti Apoſtolus Barnabas ſuam cœpit accelerare profectionem &c.* Itaque poſt Paſchalem Feſtiuitatem Mediolani celebratam, non aliàs rediturus, hinc diſceſsit. *Protinùſq; ad Romanum regrediens portum, ingreſſus nauim, ad Palæſtinæ gremium repedauit.* Hæc vtique ſunt veteris eiuſdem Auctoris. Quo pariter teſte, Anatalon poſtea Mediolanenſem ſimul ac Brixienſem Eccleſiam rexit *annis tredecim, ab Anno ſeptimo Claudij vſque ad octauum Neronis*: itemquè Gaius poſtea ſolam Mediolanenſem, ſibi ab eodem Anatalone priùs, quàm moreretur, traditam, rexit *annis duobus & viginti, vſque ad quintum Domitiani Cæſaris Annum*. Lubentiſsimus enim hoc ego vtor Auctore propter maiorem veritatis ſpem, quæ propter antiquitatem in ipſo potiùs collocanda eſſet.

IV. Quòd ipſe tamen in ſuperioribus teſtem ſibi viciſsim aſciſcebat Clementem Papam, & à Sancto Petro Tertium, in ſua de ſemetipſo Epiſtola: quænam ſit hæc Epiſtola, non ſatis ego adhuc intelligentia aſſequor; niſi fortè primus illa ſit eiuſdem Recognitionum Liber. In eo ſiquidem Libro Clemens, non procul ab initio, talia prorsùs narrat de Barnabæ aduentu ad Vrbem Romam, dequè illius ibi Concione, atque etiam de ſuametipſius per illum conuerſione ad Chriſtianam Fidem: quæ quidem rursùm paulò breuiùs indicantur etiam in eiuſdem Clementis Epiſtola

quinta,

quinta, quæ inſcripta eſt *De Rebus geſtis, peregrinationibus, ac prædicationibus Sancti Petri*. Sin autem nomine illius Epiſtolæ Librum illum intelligimus; equidem hoc inſuper non video, quomodò ea Clementis narratio Auctori huic noſtro adſtipuletur. Etenim ſecundùm ipſam Barnabas iuiſſe Romam videtur, non Imperium regente Claudio, ſed Tiberio, qui quatuor fermè annis ante Imperium Claudij obierat: & ita Robertus etiam Cardinalis Bellarminus, quem paulò poſt producam, intellexit. Sed eſto: iuerit ſanè Romam Barnabas primo Claudij Anno. Atqui Clemens ibi diſertiſsimè affirmat, cum poſt illam Concionem irritam fructu, quem ſperauerat, ex Vrbe Roma paucos intra dies in Iudæam rectà diſceſsiſſe: quinetiam ſemetipſum, cùm paucis poſt diebus ſubſecutus eſſet Barnabam, illi occurriſſe Cæſarea in Vrbe Palæſtinæ, vbi cum Principe Apoſtolorum Petro iam morabatur. Teſte igitur illic Clemente; Barnabas tunc ex Vrbe Roma non venit Mediolanum, ac multò minus in his regionibus ea peregit, quæ noſter hic Auctor eiuſdem Clementis teſtimonio ſubtexebat. A B

V. Venio nunc ad Dorothei Tyrij teſtimonium: cui pariter, tamquàm præcipuo ſuæ opinionis firmamento & præſidio, noſtrates inniti Scriptores aſſerebant. Ille verò in Synopſi, de Septuaginta Diſcipulis agens, hæc in Barnaba ſcribebat: *Barnabas, cum Paulo verbi Miniſter conſtitutus*, PRIMVS ROMÆ CHRISTVM PRÆDICAVIT, ET POSTEA MEDIOLANENSIVM EPISCOPVS FACTVS EST. Hanc autem Synopſim Petrus etiam Galeſinius, ſuis illuſtratam Notationibus, Anno 1569. Romanis typis imprimendam vnà cum aliquot alijs Veterum lucubrationibus curauit: volumenq; illud vniuerſum Sancto Cardinali & Archiepiſcopo noſtro Carolo Borromæo nuncupauit. Quocirca etiam poſtea benè memor eumdem Dorotheum & Clementis & multis alijs pro Mediolanenſi Barnabæ Epiſcopatu teſtibus connumerauit Anno 1578. in ſuo Martyrologio, ſiue ſuis in illud Notationibus, ad vndecimum Iunij diem. Quibus ego teſtibus in præſenti ſuperaddam Iacobi de Voragine Legendam Sanctorum quæ Lombardica nominatur Hiſtoria Cap. 76. & præterea ſubſequentes Codices, adhuc manuſcriptos: Archiepiſcoporum nempè noſtrorum Catalogum, qui ad calcem Manualis Ambroſiani, à Beroldo collecti, aſſeruatur in Capituli Metropolitani Bibliotheca: Chronicum Maius Gualuanei Flammæ, Capite 70. ſecundùm exemplar Clariſsimi Viri, Aloyſij ab Eccleſia, Vrbani Secretarij, ac de me quidem meritiſsimi, & ſummo cum dolore meo defuncti; ſecundùm alterum verò Bibliothecæ Ambroſianæ Capite 220. ſic etiam eiuſdem Gualuanei Manipulum Florum (qui perperàm, vt ego propè finem Capitis huius oſtendam, Ioanni de Monte à quibuſdam tribuitur) Cap. 28. præterea verò etiam eiuſdem Secretarij Chronicum anonymum, inſcriptum *Flos Florum*, & Anno Domini 1399. elaboratum, folio 64. pag. 2. & ſeqq. C D

VI. Cæterùm eoſdem Clementem ac Dorotheum tacitus inſinuaſſe videtur (vt

(vt ego quidem arbitror) ille item Auctor, qui Barnabæ Vitam, qua- A
lis à Bonino Mombritio recitatur, conſcripſit. Ibi enim ſic legimus:
*Hucuſque Beati Barnabæ glorioſum agonem & veneranda magnalia declaran-
tes, ex authentica authoritate Lucæ Euangeliſtæ, vt prædictum eſt, breuiter de-
florare curauimus. Sed quia idem, ſequendo Beatum Paulum Apoſtolum,
Sancti Barnabæ Apoſtoli finem cernere non potuit; cætera, quæ ſequuntur,* IN
ALIIS EIVS ACTIBVS AVTHENTICIS REPERIVNTVR; *de qui-
bus aliqua breuiter hic inſerenda duximus. In diebus Apoſtolatus ſui Beatus
Barnabas Apoſtolus, comitantibus ſecum fratribus,* ROMAM VENIT,
CVM NONDVM PETRVS ET PAVLVS IBI FVISSENT: ET
IBIDEM PRIMVS CHRISTI EVANEGLIVM PER DIES ALI-
QVOT PRÆDICAVIT. *Cumquè, ipſo illic exiſtente, de pleriſque locis* B
*& Ciuitatibus mentio haberetur; audiuit, inter alias nominari Imperialem &
celebratam Ciuitatem Mediolani. Atque illuc proficiſcens feſtinare diſpoſuit, aſ-
ſumpto ſecum Sancto Dei Viro, Anathalone, comite fideliſſimo, cum alijs qui-
buſdam æquè ſocijs in miniſterium Euangelij. Cum igitur Mediolani Beatus
Barnabas Chriſti Euangelium prædicaret: & inſiſtens prædicationi operam da-
ret; cooperante Domino, magnam illorum Ciuium multitudinem in breui conuer-
tit, & ad fidem veritatis adduxit.*

VII. Hactenùs pro Clementis ac Dorothei teſtimonijs, iam ſupra productis,
perinde ac ſi authentica ſaltem illa forent, atqui dubitatam mererentur
fidem. Atqui non ita viſum denique fuit grauiſſimis æui noſtri Scrip-
toribus, ac nominatim Cardinalibus Bellarmino & Baronio, ſapientia C
pariter ac dignitate citra dubium Eminentiſſimis. Bellarminus enim
Libro & Capite 2. *De Romano Pontifice* contra Vdelricum quendam,
cognomine Velenum, perfidia Lutheranum, & mendaciſſimum, & no-
centiſſimum ſanæ doctrinæ venenum, probare aggreſſus, *Quòd Sanctus
Petrus Romæ fuerit*; ſic etiam diſſerebat: *Secundò probatur hoc idem ex
Actorum vltimo, & ex Epiſtola ad Romanos. Conſtat enim ex his locis; Romæ
multos fuiſſe Chriſtianos, immò Eccleſiam amplam & florentem, antequàm
Paulus eò veniret. Peto igitur, quis hos Chriſtianos fecerit, ſi Petrus non fuit
Romæ? Nam quòd Petrus primus omnium prædicauerit Romanis, & Eccleſiam
fundauerit, antequàm Paulus eò veniret, multi Veterum ſcribunt. Quòd autem
aliquis alius id fecerit, non poteſt vllo firmo argumento demonſtrari.* In hanc D
igitur pro Petro ſententiam Bellarminus multa recitat Veterum Scrip-
torum pronunciata: videlicet, Irenæi Libro & Capite 3. Euſebij Lib. 2.
Hiſt. cap. 14. Arnobij Libro 2. contra Gentes, Epiphanij Hæreſi 27.
Chryſoſtomi in Pſalmum 48. Pauli Oroſij Lib. 2. Hiſt. Cap. 6. Leonis
Papæ Primi Sermone primo *De Natali Apoſtolorum*, Theodoreti in Caput
1. ad Romanos, Theodoſij Imperatoris C. *De Summa Trinitate, & Fide
Catholica*, L. *Cunctos populos*: denique verò Sybillæ producit etiam Eri-
thrææ vaticinium. Velenus interim iam reſponderat, cœpiſſe Chriſtia-
nos eſſe Romæ ſtatim poſt Paſſionem Chriſti, cùm Tiberius adhuc im-
peraret. Hac ergo Bellarminus ad refutandum propoſita reſponſione,

mox

mox illam è ſuo fidenter ac liberaliter confirmat. *Addamus* (inquit) *in* A
gratiam Veleni teſtimonium Clementis Libro 1. *Recognitionum: vbi legimus,*
Barnabam tempore Tiberij Romæ prædicaſſe. Quem ſequutus Dorotheus Tyrenſis
in Synopſi, dicit, Barnabam eſſe primum, qui Romæ prædicarit. Sed quid
poſtea Bellarminus ad hoc? Hæc vtique ſunt ipſius verba: *Ad illud de*
Barnaba reſpondeo, non eſſe veriſimile, Barnabam prædicaſſe Romanis tempore
Tiberij. Conſtat enim, nullum fuiſſe auſum prædicare Gentilibus, antequàm
Petrus cœleſti viſione admoneretur, Actorum 10. & 11. *Ab illo autem tempo-*
re ſemper fuit Barnabas cum Paulo coniunctus vſque ad peractum Concilium
Ieroſolymitanum, vt patet Actorum 11. 12. 13. 14. & 15. & *cùm Paulus toto*
illo tempore non iuerit Romam; conſtat, nec Barnabam iuiſſe. Celebratum au-
tem eſt Concilium Ieroſolymitanum Anno decimo-octauo poſt Paſsionem Domini, B
vt colligitur ex Paulo ad Galatas 1. & 2. *qui erat Annus Decimus-tertius à*
morte Tiberij. Non igitur Tiberij temporibus Barnabas Romam venit. Adde
huc, Libros Recognitionum apocryphos cenſeri. Porrò Synopſim, quæ Dorotheo
Tyrenſi falsò adſcribitur, plenam eſſe narrationibus confictis atque mendacibus.
Nam (vt alia prætermittam) qua ratione Auctor ille defendi poteſt, cùm inter
Septuagintaduos Diſcipulos numeret Eunuchum Reginæ Æthiopum; quem à Phi-
lippo conuerſum conſtat poſt Aſcenſionem Domini? & Iuniam Epiſcopum faciat;
quam tamen certum eſt fœminam quandam fuiſſe? & Cæſarem, cuius meminit
Paulus ad Philippenſes, Diſcipulum Chriſti & Epiſcopum fuiſſe dicat; cùm
perſpicuum ſit, de Nerone Cæſare Paulum eſſe loquutum? Adde vltimò, quòd,
ſi reciperemus Recognitionum Libros, & Dorothei Synopſim, adhuc parum aut C
nihil Velenus lucraretur. Idem enim Clemens, quem Dorotheus ſequutus eſt,
ibidem refert, Barnabam nil profeciſſe Romæ: & ſtatim poſt primam Concio-
nem, ſine fructu habitam, in Iudæam rediſſe. Talia illic Bellarminus.
Et hæc luculenter in eundem illum Librum & caput defendit etiam
poſtea contra Sectarios doctiſsimus Iacobus Gretſerus in Defenſione
Tomi Primi Controuerſiarum eiuſdem Bellarmini. Cuius quidem Gret-
ſeri hæc ibi concluſio mihi maximè placet: *Auctor, qui aliqua vana, vel*
aliquid vani, complectitur, poteſt allegari; ſed quà verus, vel probabilis;
non quà vanus, & fide indignus. Quocirca etiam Bellarminus ipſe Libro
5. *De gratia, & libero arbitrio*, Cap. 25. teſtimonia proferens Græcorum
Patrum pro eodem libero arbitrio in moralibus, ita ſcriptum reliquit: D
Tertius ſit Beatus Clemens Romanus: quem inter Græcos numeramus, quòd
Græcè ſcriptus ſit Liber, qui nomini eius adſcribitur. Is igitur in Libro tertio
Recognitionum inducit Apoſtolum Petrum cum Simone Mago pro libero arbitrio
ſic diſſerentem: Dic, quomodo Deus iudicat ſecundùm veritatem vnumquem-
que pro actibus ſuis; ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? Hoc ſi teneatur;
conuulſa ſunt omnia. Fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora. Sed & Iudices
fruſtra legibus præſunt, & puniunt eos, qui malè agunt. Non enim in ſua po-
teſtate habuerunt, vt non peccarent. Ad hunc locum prompta reſponſio eſt,
Librum eſſe ſuppoſititium. Nam alioqui liberi arbitrij tam eſt aperta confeſsio,
vt nihil contra fingi poſsit. At nos fatemur, Librum eſſe corruptum ac de-

prauatum ab Hæreticis ; ſed tamen vel eſſe Clementis Romani, vel alterius æquè docti atq; antiqui. Siquidem Euſebius Libro tertio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Capite 38. ſcribit, hos Libros & eſſe Clementis, & ab Hæreticis deprauatos. Idem ſcribunt Epiphanius Hæreſi 30. & Ruffinus in Apologia pro Origene. Meminit etiam horum Librorum Sanctus Hieronymus in Libro 2. aduersùs Ruffinum. At ſi corrupti ſunt hi Libri, ac propterea inter apocryphos recenſentur; quorsùm citantur à nobis? Quoniam manifeſtè conſtat, non eſſe corruptos in ijs locis, vbi defenditur libertas arbitrij. Nam ante Ruffini ætatem, qui hos Libros Latinos fecit, nulli fuerunt Hæretici, qui libero arbitrio nimis multum tribuerent, quod poſtea fecerunt Pelagiani: multi autem Hæretici fuerant, qui negauerant liberum arbitrium, vt Simon Magus, Manichæus, & alij. Itaq; ſi in his Libris negaretur liberum arbitrium; ſuſpicari poſſemus, inſertam fuiſſe eam doctrinam à Manichæis, vel alijs eiuſmodi Hæreticis: at liberi arbitrij confeſſionem non poſſumus vlli Hæretico illius temporis adſcribere. Deinde, veteres Patres, qui dicunt, hos Libros corruptos eſſe ab Hæreticis, non tacent, in quibus articulis corrupti ſint. Scribunt enim, in articulis de diuinitate Filij alijſquè ſimilibus eſſe corruptos. Corruptelam autem in articulo de libertate arbitrij nullus Veterum vnquàm notauit. Adde poſtremò, quòd, quæ dicuntur in his Libris de libero arbitrio, eadem repetuntur paſsim ab alijs Patribus; vt neceſse ſit, omnes omnium Patrum Libros eſse deprauatos; ſi Libri iſti Recognitionum in hoc articulo deprauati cenſendi ſunt. Sed hinc ad Baronium procedamus. A B

VIII. Baronius autem tam de Libris Recognitionum Clementis, quàm de Dorothei Synopſi, dequè præmatura illa Barnabæ ad Vrbem Romam profectione: ſic etiam de Petri ad eam aduentu, dequè Sede ibi collocata: de his quidem omnibus nihil prorsùs à Bellarmino diſſenſit: legiquè poſſunt ipſius Annales, Anno Chriſti 44. Art. 10. & 26. Anno 51. Art. 13. Anno 58. Art. 22. Anno 102. Art. 8. Anno 283. Art. 3. Quandonam verò Barnabas Mediolanum venerit, ſic etiam conſentaneus Bellarmino explicuit eodem illo Anno 51. quo celebratum iam recenſuerat Concilium Ieroſolymitanum, Art. 13. *Cæterùm* (hæc ſunt Baronij verba) *poſt hæc tempora cùm Barnabas vnà cum Marco in Cyprum profectus eſt, viſitatis quæ ibi erant Eccleſijs, in Italiam nauigaſſe non negarim. Nam & in Liguria prædicaſſe Euangelium*, NOBILISSIMAMQVE MEDIOLANENSIVM ECCLESIAM EREXISSE, *ac longè latequè Chriſti Fidem feliciter propagaſſe, firmæ traditiones, eiuſdemquè Eccleſiæ Monumenta, complurium Scriptorum teſtimonijs confirmata, fidem indubitatam faciunt.* Et huc profectò illud etiam verè aptequè congruit, quod Bellarminus Libro pariter 2. De Romano Pontifice, Cap. 5. pro Sancto Petro, *quòd Romæ ſederit, mortuuſquè ſit*, reſpondebat: *Diſcordia Scriptorum argumentum eſt falſitatis, quantùm ad id, in quo diſcordant; quia neceſſariò aliqui ex diſcordantibus falluntur. Sed, ſicut diſcordia eſt ſignum falſitatis; ita concordia ſumma ſignum eſt veritatis.* Licet igitur de tempore, quo Barnabas Mediolanum venerit, dequè multis alijs circumſtantijs inter ſe varient C D

Rerum

Rerum Scriptores; in id tamen communi conſenſu conueniunt, vt A
Eccleſiam ille Mediolanenſem primus omnium prædicatione ſua inſtituerit.

IX. Hæc autem cùm ita ſe habeant; Chriſtianæ igitur apud Maiores noſtros Fidei, per Barnabam promulgari cœptæ, ſupputationem nos quidem (quando nihil iam repugnat) exordiemur ab hoc ipſo Dominicæ Natiuitatis Anno Quinquageſimo-primo, Claudij autem Imperatoris Nono, Petri Pontificis Romani Septimo; tantùm ab eo abſumus, vt hac in re ſupputationi acquieſcamus, quam ſuperior ille noſter vetuſtus & anonymus Auctor, ante omnia teſtimonio Clementis abuſus, contexebat. Non igitur nos Barnabæ adiudicamus ſeptem Mediolanenſis Epiſcopatus annos; ſicut multi ex noſtris fecerunt, atque etiam fortaſsè B innuebat vetuſtus idem ille Auctor. Non primum Anatalonis Annum à Septimo Claudij Anno auſpicamur: non eius poſtremum conijcimus in Octauum Neronis. Ne Caij quidem Quintum incidiſſe credimus in eum, quo Sancti Petrus & Paulus cæſi ſunt: ſatiſquè nobis eſt, ſi ante illorum martyrium Caius iam ſucceſſerat in Epiſcopalem Anatalonis Sedem, quem ſupponimus octauo Calendas Octobris defunctum; vt proinde creatus iam Epiſcopus, & in hanc Sedem Anataloni defuncto ſuffectus, Romam pro ſui muneris ratione tunc pergeret, quando illi è medio ſublati ſunt. Sic etiam non in Quintum Domitiani Annum, qui Chriſti fuit octauus & Octuageſimus, nos reijcimus Caij obitum: eoq; minùs hunc in illum reijcere poſſumus, attento die, quo Auctor ille C Caium ſcripſit ex hac mortali vita deceſsiſſe. *Tranſijt verò* (inquiebat) *pridie Kalendarum Ianuariarum, cùm aurora noctis terminum, & diei Dominico initium redderet*. Non enim eo Anno (ſicut ex eius Littera Dominicali conſtat) poſtremus Decembris dies fuit Dominicus. Præterea etiam verè Caius obijt, non pridie Calendas Ianuarias, ſed ſexto (vt nonnulli Codices habent) aut potiùs quinto Calendas Octobris; vt plerique tradunt Scriptores; & vt ipſa Mediolanenſis Eccleſia celebritate anniuerſaria commeminit; vtquè Martyrologia per Galeſinum & Baronium edita conſentiunt. Quòd ſi tandem, velut exempli gratia, in tanta rerum eiuſmodi obſcuritate Anatalonem ſupponamus Anno Domini Sexageſimo-octauo defunctum eſſe, poſtquàm per annos tredecim hanc D Eccleſiam Epiſcopus adminiſtraſſet, vt communiùs affirmatur; tum profectò quatuor circiter anni Mediolanenſis Epiſcopatus adſcribi Barnabæ poterunt; cùm alioqui ne tam multos quidem ipſi fortaſsè adſcribi ſecundùm rei veritatem oporteat.

X. Quemadmodùm autem Numero 5. ſuperiore pollicebar; ſic etiam ex inſtituto nunc tandem oſtendere aggredior, Chronici eius Mediolanenſis, quod *Manipulus Florum* inſcriptum eſt, & è quo teſtimonia ſæpè mihi deinceps depromenda erunt, Auctorem re vera, non Ioannem de Monte, ſed Gualuaneum fuiſſe Flammam. Id autem conſtat in primis ex eiuſdem Manipuli Capite 340. ad Annum Domini 1299. Cùm enim

Auctor ibi loqueretur de Beatrice, Azonis Marchionis Eſtenſis filia, A
Galeatio Vicecomiti, Matthæi Magni filio, deſponſata, & ab ipſo Me-
diolanum deducta; ſic ſcribebat: *Iſta Beatrix dum Mediolanum ingrede-
retur, tanta fuit ſolemnitas, quòd nunquàm dici poſſet. Sed quia ego Frater
Gualuagnus, ſcribens, præſens erám (nam in Ordine Prædicatorum*, ſiue in
Euſtorgiano eiuſdem Ordinis Conuentu, *eram, habens annum vnum cum
dimidio*, vitæ ſcilicet ibi religioſæ) *quod oculis vidi, fideliter enarrabo*. Id
ipſum præterea patebit etiam; ſi ſtylus & contextus Manipuli huius
conferatur cum Maiori eiuſdem Gualuanei Chronico. Quid, quod
etiam, ſi ſententiam ſpectemus, idem prorsùs eſt Manipuli huius & eius
Chronici Prologus? Sic autem ille vtrobique incipit: *Si autem* (aliter *ſi
aut*) *fiſcellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem; nullus morde-* B
ret; nullus detraheret. Compoſitus verò eſt ad imitationem Sancti Hie-
ronymi, cùm eam Libro Iob præmitteret Præfationem, quæ inter eius
Epiſtolas numeratur 114. quæque pariter hunc in modum incipit:
*Si aut fiſcellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, aut in ſudore
vultus mei comederem panem, & ventris opus ſolicita mente pertractarem;
nullus morderet; nemo reprehenderet.*

XI. Cur autem pleriſque Ioannes de Monte viſus fuerit eius Manipuli Auc-
tor, hæc ſine dubio cauſa fuit; quia in aliquot exemplaribus (quo ex
genere tria ego vidi: duo Secretarij olim Vrbani Aloyſij ab Eccleſia,
eiuſq; filiorum: tertium nobiliſsimi Eraſmi Caymi Apoſtolici Regijquè
in vniuerſa Ditione Mediolanenſi Oeconomi, vtriuſque itidem Signaturæ C
Referendarij, & Scalenſis Eccleſiæ Præpoſiti meritiſsimi, necnon etiam
erga me pariter humaniſsimi) ita denique concluſum legatur: *Chronica
de Principibus Mediolanenſibus & geſtis eorum explicit, per me Presbyterum
Ioannem de Munti: qui iuſſu Magnifici & præſtantiſsimi Militis, Domini Ver-
cellini Vicecomitis, ac Ducalis Commiſſarij, Tritijquè Caſtellani, ſcripſi die 9.
Iulij 1483. Ad laudem Omnipotentis Dei &c.* Sed hinc ego ſanè Ioanni
eidem ſolam amanuenſis operam in exſcribendo Gualuanei Opere ad-
ſcribo; niſi fortè aliqua etiam ille aliunde ſuperaddidit ijs, quæ Gual-
uaneus iam narraſſet. Hoc enim Opus, ab ipſomet Ioanne ita con-
ſcriptum, pertingit vſque ad Annum Chriſti 1371. ad quem vſque An-
num Gualuaneus non aliam Scriptionem abſque omni dubio ſuam D
(quam ego legerim) ac fortaſsè ne vitam quidem ſuam protraxit; quip-
pequi Anno 1299. ſecundum vitæ religioſæ annum in Euſtorgiano
Conuentu iam, ſicut vidimus, agebat. Eum quidem infra Capite 109.
Num. 18. videbimus Acta quoque Anni 1344. enarrantem; ſed nuſ-
quàm ego eum legi progreſſum ad Ioannis Archiepiſcopi Vicecomitis
obitum, quem conſtat incidiſſe in Annum Domini 1354.

XII. Ceterùm in duobus è prædictis huius Manipuli exemplaribus ſequitur
etiam huius argumenti Epigramma: *Platinus de Puteo Arcis Tritianæ,
condito à Magnifico Equite Aurato, Domino Vercellino Vicecomite, tum eiuſdem
Præfecto:*

Arx

Digitized by Google

Arx olim Tritij puteo præclara carebat: A
Quem bibit illa, ſuus non erat ante latex.
Vercellinus Eques, qui præfuit Anguigeræ Arci,
Viſcera telluris fodit, & hauſit aquam.
Ille Vir Egregius lymphas à Manibus emit,
Et puteum grandi condidit ære ſuo.

De qua quidem Tritij Arce aliquid iam ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis ſcripſi Num. 423. & 489. legique præterea poteſt Paulus Iouius in Vita Barnabæ Vicecomitis, Mediolani Principis.

XIII. Vercellini porrò nomen in nobiliſsima Vicecomitum Mediolanenſium familia velut hæreditarium videtur, & ex eo deductum filio Vberti, de quo Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro 21. inter ſua Reſidua, B per me typis Anno 1644. euulgata, ſic tradebat: *Sequitur Annus decimus-quintus ſupra Mille & trecentum: quo Vbertus Vicecomes, Matthæi frater, magno eius mærore atque incommodo deceſsit. Elatus honorifice fuit nono Kalendas Maias in Ædes Euſtorgianas. Quatuor autem eum ſuſcepiſſe filios lego: mares tres, Othorinum, Ioannem, & qui ab Vrbe, in qua vel ortus ſit, vel pater Magiſtratus erat, Vercellinus nuncupatus: fœminæ Margaritæ nomen fuit: quæ nupta Franciſcolo Puſterulæ, ditiſsimo Mediolanenſi, parùm felix matrimonium ſortita eſt.* Et hic ipſe quidem Vercellinus mihi vnus idemquè videtur cum eo, quem infra Capite 116. Num. 13. videbimus circiter Annum Chriſti 1322. à Mediolanenſibus legatum ad Summum Pontificem Ioannem, nominis huius Vigeſimum-ſecundum.

XIV. Sed quis item Platinus ille, ſuperioris Epigrammatis Auctor? Libenter C enim Lectori meo, tam hic, quàm deinceps, quantùm potero, præripiam hæſitandi ſolicitudinem, inquirendiquè laborem. Hæc vtique res vna eſt ex ijs, & ſanè quidem quampluribus, quæ mihi per alterum eiuſdem familiæ ac nominis Equitem nobiliſsimum, ſed Arte non minùs inclytum quàm Marte, innotuerunt. Marchionem videlicet intelligo Vercellinum Mariam Vicecomitem, non antiqua minùs Auorum nobilitate, quàm proprijs, Patriſquè Ioannis Baptiſtæ Regij Senatoris, virtutibus Illuſtriſsimum. Qui ductum à Ioanne, Vberti filio, Vercellini fratre, Matthæiquè Magni nepote, clariſsimum ſtemma, non erudita tantùm lauro ſed militari etiam adorea intexens, acceptam à Maioribus gloriam mirificè auxit, à Potentiſsimo Rege noſtro in Secretius D Conſilium cooptatus, & Militaribus Munitionibus, vulgò Fortificationibus, præeſſe iuſſus, dignitate ſimul ac ſtipendio Summo Tormentorum Bellicorum Præfecto æquatus. Cuius ingenium atque ſolertiam, & in tractandis maximi momenti rebus dexteritatem, cùm ſæpè aliàs, tum ſuperiore præſertim Anno 1652. mirati ſumus, cùm Mantuæ Ducem ad conſilia atque arma cum Rege noſtro iungenda permouit, vt fortiſsimo Caracenæ Marchioni ad expugnandam Caſalenſem Arcem ſterneretur acceſſus, huiuſquè Prouinciæ (cuius erat Gubernator vigilantiſsimus, ac ſolertiſsimus, & in omne æuum gloriandus) ſecuritas pararetur.

pararetur. Tantus igitur hic Eques, & Vercellini, quem Platinus A
Epigrammate illo celebrabat, ex Ioanne Antonio fratre abnepos (hæc
autem mihi conſtant ex ipſius Genealogia, publicis Documentis teſtata)
licet grauibus belli paciſquè curis implicitus, infinitæ nihilominùs lec-
tionis eſt: &, vt in legendo atque intelligendo velociſsimus & perſpi-
caciſsimus, idemquè memoria promptiſsimus ac tenaciſsimus, necnon
etiam in inueſtigando acerrimus, in iudicando prudentiſsimus; ſic etiam
eruditionis eſt immenſæ, omnigenæquè. Quocirca etiam mihi, quoties
eum alloquor, abundè datur experiri, quàm verè Sanctus Gregorius
Pontifex ille Magnus, Eulogio ſcribens, Epiſcopo Alexandrino (Libro
7. Epiſt. 29.) pronunciauerit: *Vtilis ſemper eſt docti Viri allocutio; quia*
aut diſcit audiens, quod neſcire ſe nouerat; aut cognoſcit, quod eſt amplius, id, B
quod ſe & neſciſſe neſciebat. Cùm igitur ego penitùs ignorarem, quis
ille fuerit Platinus; eundem conſului Marchionem; ipſequè me proti-
nùs edocuit; binoſquè quinetiam eius codices, typis Mediolanenſibus
impreſſos, at nunc inuentu difficiles, ſuppeditauit, è quibus Auctorem
hunc penitiùs dignoſcere poſſem. Vnus duos continet Libros, & eorum
quidem primum ſic inſcriptum: *Ad Sereniſsimum & Chriſtianiſsimum*
Francorum Regem Carolum inuictiſsimum (quippè tunc in hac ille Prouincia
dominabatur) *Platini Plati, Patricij Mediolanenſis, reſtituti* (videlicet è
tolerato per ſeptennium exilio) *Epigrammaton Elegiarumquè Liber Primus.*
Primoquè pariter hoc Libro continetur Epigramma item illud, quod ego
ſupra recitabam, excepto quòd ibi ſecundum eius carmen ita ſe habet: C
Quem bibit, ille ſuus non erat ante latex. Secundus verò Liber ab hoc
incipit titulo: *Platini Plati, Patricij Mediolanenſis, profugi, Liber Secun-*
dus; cùm tamen tempore præcedat; ſed eo Secundus, quia ſit ille Sereniſsimis
Carolo, deinde Ludouico, Francorum Regibus Chriſtianiſsimis, inſcriptus.
Denique verò ſic etiam deſinit: *Mediolani apud Alexandrum* (nempè Mi-
nutianum, cuius etiam paucis ante folijs perhonorifica legitur ad ipſum
Epiſtola) *pridie Kalendas Septembres, Anno à Chriſtiano Natali Milleſimo quin-*
genteſimo ſecundo, Ludouico, Francorum Rege Potentiſsimo, Mediolanenſium
Duce. Codicum verò illorum alter typis impreſſus fuit per Gothardum
Ponticum Anno Sæculi eiuſdem octauo, quarto-decimo Kalendas Maij.
Sic etiam eſt in fronte inſcriptus: *Ad Chriſtianiſsimum Galliæ Regem, Lu-* D
douicum, & inuictiſsimum Mediolani Ducem, Platini Plati, Patricij Mediola-
nenſis, Regij Seruuli, Liber Epigrammaton Elegiarumquè, Palæonios à nouis
incipiens. Sicut autem in extremo Codicis eius affirmatum eſt, eumdem
curauit imprimendum Presbyter Andreas Cannobigena: cuius etiam
teſtimonio Auctor ipſe appellatur eruditiſsimus & elegantiſsimus Poeta:
cuius diuinum ingenium, & dicendi genus latiniſsimum ſimul & magnificum,
plurima, per eum elucubrata & in lucem edita, Volumina teſtantur. E quibus
tamen voluminibus bina tantùm ego illa videre adhuc potui, quæ
proximè indicabam.

XV. E poſteriori autem illo (cuius exemplar in Ambroſiana quoque Biblio-
theca

theca poſtmodùm inueni) placet hoc etiam eiuſdem Platini Diſtichon A
depromere, *Ad Marcum Antonium Vicecomitem, nomine Vercellini Vicecomitis, Equitis Aurati*. Ad hunc enim tranſmiſſum fuit, & ita ſe habet:

Accipe chare Nepos Anthæa prementis in auro
Herculis effigiem: quemq; ſequare Deum.

Hic ipſe verò Marcus Antonius Vercellini eius erat nepos ex eiuſdem filio, Ioanne Andrea. Fortaſse verò effigies etiam illa Herculis, vatum illum Gigantem prementis, ſeu in palæſtra pectori ſuo aſtrictum expirare cogentis, in aureo expreſſa affabrè erat vel annulo, vel potiùs vaſe, quod Vercellinus ei Nepoti ſuo largiebatur in id, vt eum ad Herculeæ fortitudinis imitationem animaret.

B

CAPVT III.

De Sancti Nazarij patria, & natalibus, & educatione vſque ad nouennium: quo primùm tempore Sanctus Petrus, Apoſtolorum Princeps, Romam promulgator Euangelij perrexit, eiuſquè Matrem baptizauit. Gentilíſne verè fuerit ipſius Genitor, an Iudæus.

I. E Vetuſtioribus Scriptoribus, qui Sanctorum Nazarij & Celſi Vitam litteris conſignarint, duos adhuc in promptu habemus: Græcum vnum, alterum Latinum. Græcus ea recenſuit, quæ apud Surium Tomo Tertio, die 19. Iunij Latinè reddita recitantur è Simeone Metaphraſte (niſi fortè Auctor eorum hic ipſe fuit) & ſub hoc titulo continentur: *Vita & decertatio Sanctorum & Glorioſorum Chriſti Martyrum, Nazarij, Geruaſij, Protaſij, & Celſij*. Latinus ea ſcripſit, quæ apud Boninum Mombritium extant Tomo 2. & inſcriptionem hanc præferunt: *Sanctorum Nazarij & Celſi Martyrum Paſsio*. Nos quidem vtriuſque horum Scriptorum labore operaquè per obuias quaſque occaſiones identidem fruemur; ſed huius Latini præſertim. Horum enim Sanctorum Vita, per ipſum elaborata, longè mihi videtur & vberior & veritati propinquior; præterquamquòd poſteriores etiam Latini Scriptores, qui Sanctorum Vitas D
preſsiùs collegerunt, ei præſertim vni adhæſiſſe videntur; quo ex genere ſunt Vincentius Bellouacenſis in Speculo Hiſtoriali, Libro Nono, ab extremo Capitis 49. vſque ad 54. Iacobus de Voragine in Hiſtoria Lombardica, ſiue Vitis Sanctorum, Capite 97. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum Libro 6. Capite 150. Sanctus Antoninus, Chronicorum Parte Prima, Titulo 6. Capite 27. aliiquè paſsim recentiores. Eandem verò ipſorum Vitam, ſic ad verbum manu deſcriptam, legi ego in eo etiam veteri & carioſo Ambroſianæ tam veteris quàm nouæ Bibliothecæ Codice, cuius mentionem ſuperiori Capite faciebam; vt proinde

proinde illa multò ante Mombritij ætatem (hic Anno Domini 1470. florebat) contexta eſſet, atque vſitata. Nonnulla tamen ipſi etiam inſunt, quæ mihi vera non videntur, nec vllo pacto probari poſſunt: ſiue primus Auctor ab initio ita ſcripſerit; ſiue quiſpiam poſtea ſciolus temerè illa & malè cautus è ſuo ſuperaddiderit. Hæc igitur non ſine ſua etiam cenſura præteribo. Sed in præſenti, quod molimur, Nazarij natales, & alia, quæ præſens Caput præfert, ex eadem apud Mombritium Vita depromamus. A

II. *Virtutum laudes* (ſic enim Auctor ab initio præfatur) *& belli glorioſa certamina, quæ per Martyrum celebrantur triumphos, ſicut gloriæ dignum eſt ea, ſeruata veritate, credentibus intimare; ita etiam ignauiæ eſſe decernitur, infructuoſo ſilentio tegere prætermiſſa. Horum igitur Virorum fortium pugna, & de Hoſte proſtrato victoria, Dei Eccleſia tantùm quotidie lætatur ſublimis, quantùm & eorum prouocata exemplis contra humani generis Inimicum potenti brachio victricia ludit in arma. Hinc eſt, quòd ad cumulum ſalutis fidelium ſtabilitur fides, anima roboratur, ac vera in filijs Mater, Chriſti Sponſa, gloriatur Eccleſia, & noſtræ Aduerſarius vitæ, ſpe confunditur, fiducia impetitur, virtute proſtratur. Verùm, quantùm ad meritum beatæ vitæ pertinere probatur, talibus fulcimur ſuffragijs, talibuſquè redundamur ſtipendijs, quatenùs, ne deſint aliquando nobis tantorum Martyrum pia iuuamina, nec dubitet quis petere, quod procul dubio ab eis fixum tenet impleri. Diſcat ergo fidelis anima diuinis inhærere præceptis: diſcat huius vitæ calcare aculeos, quando videt, Beatos Martyres multa per ſupplicia Mundum calcaſſe, & inextimabili Conditoris dulcedinis nunc luce ſatiari. Quæ nos eorum adipiſci merito, ſi tamen munda cum manibus ad Deum corda leuamus, fide credimus, & exemplis aſtruimus. Noſtri itaque prærogatiua Patroni, quem peculiaritatis gratia, & continui beneficij munere propagatorem amplectimur, ſi verbis cuncta debuiſſent componi; lingua, vt arbitror, ſufficere non poſſet. Ceſſent ergo verborum ſtamina, vbi ſuccedit paratæ deuotionis effectus. Nempè quia ad glorioſam eius Paſſionis properamus Hiſtoriam, libet explicare,* QVOD NOSTER CELEBERRIMVS MARTYR POST IPSA STATIM APOSTOLORVM CERTAMINA GLORIOSI SANGVINIS SVI EFFVSIONE ILLVSTRAVIT ECCLESIAM. *Vnde non ſolum inter alios egregius prædicator, verùm etiam ſignis & miraculis coruſcans, inter primos primus habetur. Recenſeamus ergo ſacri certaminis ſummam: vbi reor, non eſſe congruum, ſi & generis nobilitatem, & iuuentutis eius quod fuerit ſtudium, inſeramus.* B C D

III. *Nazarius, genitus à patre, nomine Africano, genere & patria Afro: matre verò, nomine Perpetua, nobili exorta proſapia, Ciue Romana,* BAPTIZATA PER MANVS PETRI APOSTOLI APVD VRBEM ROMAM, SIMONE IAM DEVICTO. Petrus autem primò Romam, promulgaturus Euangelium, perrexit Anno Secundo Claudij Imperatoris, Chriſti autem Quadrageſimo-quarto, vt inter innumeros alios accuratè Baronius obſeruauit ad eum ipſum Annum, Articulo 10. & 27. in

præſenti

præſenti autem Diſſertatione vtplurimùm ſequar eius Annalium Epi- A
tomem, ab Henrico Spondano ſumma cum laude collectam. Hinc verò
Sanctus etiam Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum
ſic ſcribebat Num. 1. *Simon Petrus, filius Ioannis, Prouinciæ Vico Bethſai-
da, frater Andreæ Apoſtoli, & Princeps Apoſtolorum,* POST EPISCOPA-
TVM ANTIOCHENSIS ECCLESIÆ, *& prædicationem diſperſionis
eorum, qui de Circumciſione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia,
Aſia, & Bithynia,* SECVNDO CLAVDII ANNO, AD EXPV-
GNANDVM SIMONEM MAGVM ROMAM PERGIT, IBIQVE
VIGINTI-QVINQVE ANNIS CATHEDRAM SACERDOTALEM
TENVIT. Sicut autem Petrus Romam in eum finem perrexerat, vt
fallaciſsimum illum Magum, & Chriſtiani nominis hoſtem infenſiſsi- B
mum, expugnaret; ſic etiam nemini Chriſtiano dubium eſſe poteſt,
quin & tunc temporis, & per omnes deinde occaſiones oblatas, felici-
ter illum expugnarit.

IV. Sequitur Auctor Vitæ apud Mombritium: CVMQVE ESSET AN-
NORVM NOVEM BEATVS NAZARIVS: *& erudiretur à Matre
fideli diuinæ obſeruantia legis; videns Patrem ſuum non in ea Religione per-
ſiſtere, vitaq; præcepta ſeruare, Deum tamen Omnipotentem ſe colere aſſerere;
dicebat in ſemetipſo: Quæ eſt Religio Patris mei, aut quod Baptiſmum Matris
meæ? Factumquè eſt, vt ſummo ſtudio certatim feſtinaret addiſcere, vtrùm,
prædicante Petro, Baptiſmi vnda purificaretur, an* IN OBSERVANTIAM
SABBATORVM PATREM SEQVI DEBVISSET. *Cæpit namque* C
*exinde mentis oculos ad cælum dirigere: &, quæcumque eſſent recta & vtilia,
vt ſibi manifeſtarentur, Excelſum ſupplicare. Annuit autem Deus orationi
Nazarij: & Spiritus-Sanctus adhæſit ei: & anima Matris eius exultabat ſu-
per eum: eratquè in illo quietis ſolatium, & omnium laborum ſolamen.* Sed
hoc poſtea vberiùs explicabitur Capite ſequenti.

V. Cæterùm tàm è proximis huius Auctoris verbis iam conſtat, quàm è
ſubſequentibus conſtabit, Nazarij Patrem illius opinione Iudæum &
Sabbati cultorem fuiſſe: quod fortaſse non ita verum videri poteſt.
Auctor illius de Sanctis Nazario & Celſo Sermonis, quem infra ego
ſuo tempore ac loco (nimirùm Capite 50.) recitabo, & Sancto Am-
broſio noſtro adiudicandum eſſe contendam, oppoſitum videtur per D
hæc de Sancto Nazario verba indicaſſe: *Cùm* TEMPORE GENTILI-
TATIS *non ignobilibus Parentibus oriundus exiſteret;* SACRILEGI AD-
HVC PVER GENITORIS MILITIAM SIMVL ET DOCTRI-
NAM DETESTARI EX IMPROVISO COEPIT; *atque ab innocente
Matre, quæ iam Chriſtianæ Fidei titulis inſignita Chriſto ſedulè inſiſtebat, ſa-
croſancta regenerationis fluenta, fidelis iam ſpiritu & fide, inſtituta præue-
niens, demonſtrari ſibi flagitabat.* Idipſum verò indubitanter ex eo Ser-
mone, quem alioqui Sancto Maximo Taurinenſi adſcribebat, elicuit
Carolus à Baſilica Petri, cùm de Sancto Caio, Mediolanenſium Epiſ-
copo Tertio, ſcriberet in Hiſtoria Mediolanenſi, quam vſque ad Sanctum

Ambroſium, non tamen illum includens, protraxit. Ibi ſiquidem ſic A
ſcribebat: *Huius Sancti Epiſcopi temporibus Nazarius, Ciuis Romanus, clariſsimus, adoleſcens adſcribitur. Cuius pietas in eo clara extitit; quòd, cùm ſubitò diuina ope adiutus militiam doctrinamquè ſæcularem contempſiſſet,* LICET PATRE ADHVC GENTILI, *Matre tantùm iam ab Apoſtolo Petro baptizata, veræ ſapientiæ Magiſtra, Patriam reliquit; multaſquè Italiæ & Galliæ Regiones peragrans, Chriſtianæ doctrinæ ſemina ſimul & facultates ſuas vbique ſparſit &c.*

VI. Nimirùm Carolus opinionem hanc ſuam traxiſſe mihi quidem videtur ex eius Sermonis verbis, TEMPORE GENTILITATIS: & mox è præſentibus, SACRILEGI ADHVC PVER GENITORIS MILITIAM SIMVL ET DOCTRINAM DETESTARI EX IMPROVISO COEPIT. B Quaſi verò Nazarius antehac Gentilitiam infidelitatem accepiſſet à Patre ſuo, ſed eam poſtea ex improuiſo deteſtari incœpiſſet: quaſi præterea tunc temporis nulla foret Gentilitas, quin etiam ſimul eſſet infidelitatis ſpecies; qualem videlicet ſpeciem Sanctus Thomas Aquinas Secunda Secundæ, Quæſt. 10. Art. 5. & 6. cæteriquè cum eo Theologi Iudaiſmo & Hæreſi connumerant. Numquid etiam fortaſsè Iudaiſmus nobis connumerandus erit inter ſpecies infidelitatis per illud etiam tempus, quo Lex Moyſis ante Chriſti aduentum vigebat, & ad ſalutem conſequendam neceſſaria Iudæis erat? Abſit hoc à nobis, vt ille tunc ita connumeretur. Sic igitur ne omnis quidem Gentilitas fuit ſpecies infidelitatis: multiquè etiam in Gentilitate placuerunt Deo (cui tamen, C vt notiſsimum eſt, nemo ſine fide placere poteſt) atque ſalutem fuerunt æternam conſecuti. Quocirca Gentilium Apoſtolus, Sanctus Paulus, in Epiſtola ad Romanos Cap. 2. (hanc autem, Baronio teſte Art. 19. ſcripſit Anno Chriſti 58.) ſic etiam ſcribebat: *Cùm enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis ſunt, faciunt; eiuſmodi Legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum &c.* Cuius teſtimonij luculentam pro inſtituto noſtro interpretationem, communiter etiam Patribus acceptam, videre licet apud Cornelium à Lapide, quo in Volumine complexus eſt Commentaria in omnes eiuſdem Pauli Epiſtolas.

Ego igitur ſuperiora illa Sermonis eius verba ſic interpretor, vt Naza- D rius tempore Gentilitatis, nempe ſuæ (hoc enim vltrò concedam, neque ſermonem hic eſſe contendam de ſola in vniuerſum Gentilitate, quæ tunc communitùs in Orbe, ac nominatim Romæ, graſſabatur & prævalebat) tempore, inquam, Gentilitatis ſuæ, quo ipſe ſecundùm naturæ legem viuebat, nec interim Religionis alicuius, aut veræ aut falſæ, ac nominatim neque Chriſtianæ neque Iudeæ, delectum fecerat, repentè cœperit ex improuiſo deteſtari ſacrilegi Genitoris ſui militiam ſimul & doctrinam. Quæ quidem verba, poſt Legem Moyſis Euangelica prædicatione abrogatam & abolitam, rectè congruunt in eius Patrem, poſito quòd ille adhuc pertinaciter Iudaiſmo adhæreret; ſicut Auctor

Digitized by Google

Vitæ Sanctorum Nazarij & Celſi narrabat, vtquè paulò rurſum planiùs A
mox narrando proſequetur. Non igitur huius Auctoris teſtimonio
(quod alioqui vnanimes ſecuti ſunt ij etiam, quos ad extremum Capi- III
tis ſuperioris nominabam) vel Ambroſius vel Maximus aduerſatur; itaq;
illi ego quoque conſtanter adhuc adhæreo.

CAPVT IV.

De Nazarij progreſſu in litteris: & quemadmodùm à Patre ſollicitatus ad Iudaiſmum, nihilominùs Baptiſmum ſibi Chriſtianum præoptarit, eumquè à Sancto Lino, Petri adiutore, obtinuerit. B

I. PRopoſitum nobis Auctorem, continuata cum ſuperioribus ſerie, hic etiam comitamur, ex eius ore calamoquè pendentes. Sic ergo ille ſcribendo proſequitur: *Beatus verò Nazarius ibat quotidie ad ſtudia diſciplinæ Romanæ. Cumquè proceſſu temporis ætate ſermone & ſapientia proficeret; Pater eius tacitus hoc ſecum voluebat. Hic puer poterit in Vrbe Roma implere myſterium Religionis meæ. Itaque cùm Mater eius quotidie ad adorandum Dominum Ieſum Chriſtum in eo, quo baptizata fuerat, loco, & orationum vota ſoluenda properaret; accidit, vt & Pater* DIE SABBATI *in obſeruatione ſuæ Legis abiret. Factumquè eſt, cùm rediſſet Africanus, & vidiſſet, ſuum filium in* C *exercitijs litterarum præ alijs Romanæ Vrbis iuuenibus proficere; gauiſus eſt valde, & dixit ad eum: Nazari, tibi dabo myſterium Religionis meæ: & ſeruabis illud in ſæcula: & nominaberis filius Africani, glorioſus docere Religionem meam apud Vrbem Romam. Et conuerſus ad eam dixit: Deus totius* Reli*gionis aſpiciat ſuper te, & confirmet animam tuam in præcordijs tuis; vt in omni ſapientia diſcernas iudicium, & cognoſcas ingredi ad Principatus & Poteſtates in viam iuſtitiæ.*

II. *Poſt paucos itaque dies recordatus Beatus Nazarius verbi Patris ſui, quod dixerat ei, Tibi dabo myſterium Religionis meæ, & eris glorioſus in conſpectu Principum Vrbis Romæ; abijt ad Matrem ſuam, dicens: Neſcis Mater, quòd fuerit Patris mei promiſſio, vt mihi Religionis ſuæ cultum oſtenderet, & Le-* D *gem ſuam vſque ad perfectum doceret, dicens, Tu docebis* R*eligionem meam apud Vrbem Romam: & nunc, immemor tanti boni factus, ſuæ promiſſionis fecit me* (ſic enim fortè ipſe aliunde ſuſpicatus fuerat) *eſſe exortem? Admirata Mater eius ſuper iſta, quæ ab eo dicebantur, dixit ad eum: Oſtendat tibi Deus Omnipotens veritatis ſuæ myſterium; vt merearis illuminari Baptiſmo Petri, in quo baptizata ſum ego, in nomine incorrupti & inuiſibilis Dei. Reſpondit Nazarius, & ait: Rex eſt, in quo baptizata es tu Mater? Et ait illa: Etiam, fili, Rex Regum, Dominus & Creator cæli & terræ ac totius creaturæ: qui vniuerſa proprio diſpenſat arbitrio: cuius ſapientia cuncta viui-*

ficantur, & omnia moderantur: cuius nutu Principes regnant, tempora mutantur temporibus, generationes generationibus cedunt. A

III. *Audiens hæc Beatus Nazarius, cœpit iam quaſi ſapiens architectus intra pectus ſuum ædificio ſemper manſuro æterna conſtruere fundamenta, ad ædificationem veræ Fidei, veluti quadri lapidis; Chriſtum Ieſum, quadriformem Euangeliorum ſpeciem, immobile iacere fundamentum. Pater eius gratulabatur ſuper filium ſuum: & putans, eum futurum cultorem ſuæ Religionis, dicebat in corde ſuo: Educam filium meum, & docebo eum colere omnem cultum Religionis meæ. Interea tranſactis paucis diebus, ait Vxori ſuæ: Da mihi Filium tuum, vt doceam eum ritum colere Deum: & oſtendam ei legem ſacrificiorum. Cui ait Perpetua: Dominus Deus Cæli, qui dedit illum nobis, ipſe ei oſtendat in viam ſuam ingredi, & ambulare in ſemitis mandatorum ſuorum. Tunc ait ad filium ſuum: Nazari, iam nunc incipe ſapientia tua diuinæ Religionis dilucidare culturam, & natalium tuorum ſacri Ritus decorare ſeruitio. Ille autem paratus, & vt certiùs Patris Cultum agnoſceret; inde iam lætus effectus ait: Eamus, Pater: oſtende mihi Culturam Religionis tuæ.* B

IV. *Euntibus autem illis, cœpit Beatus Nazarius in medio itinere, quaſi fatigatus, lento gradu pergere, & paulò longiùs à Patre deſiſtere, meditans animo* (en initia repentinæ atque improuiſæ illius deteſtationis, quam paulò ante vel Ambroſius vel Maximus innuebat) NE FORTE GENITORIS FALLERETVR ANTIQVÆ FAMA LEGIS, ET MATRIS PLENAM DESERERET VERITATIS DOCTRINAM. *Quod cernens Africanus, vehementer perterritus ait: Ecce peccaui in filium meum. Fortè verbum Matris eius præualuit; & non dedit eum mihi Deus ad Cultum Religionis meæ.* C

V. *Exiſtimante autem eo, quòd vellet immolare Dijs, adprehendens manum pueri dixit ei: Dic mihi Fili: Quæ voluntas eſt tua, aut quibus Dijs ceruicem flectere cupis? Omnia faciam: tantùm valeas. Sunt Dij, quos colunt Nationes vniuerſæ terræ, quibus Cæſar Romæ & Senatores immolant, & ceruices ſubmittunt;* EXCEPTIS IIS, QVOS DOCVIT PETRVS. *Hi colunt Solem & Lunam, ſupputant Stellarum ordinem, dierum ac noctium curſum ad Solis ordinem referunt: ſolſtitia & æquinoctia, & annorum genera, aſſidua ſupputatione decernunt: Lunæ denique incrementa, ſiue detrimenta, ortus & occaſus, & tempus apparitionis tenui indagatione cognoſcunt: ſyderum diſcutientes curſus, & per annorum circulum varia ſignorum ridiculoſa figmenta ad ſtellarum ordinem reputantes, in his, quæ ſcire cupiunt, futura prætendunt. Sunt & Templa Romæ: in quibus diuerſæ, ſi dici fas eſt, Deorum Statuæ conſiſtunt, quibus à Principibus Vrbis Romæ non ſolùm immolantur hoſtiæ, ſed &, quæ deſiderant, ab his ſe credunt impetrare. Quorum ſacrilegæ leges inter cætera ſacrilegia* INNOCENTEM SANGVINEM FVNDERE *prohibere nequeunt. Quo audito, Beatus Nazarius hilari facie, & in ipſo tyrocinij tempore, quaſi quandam occaſionem ex reſponſis Patris inueniens, ſecretum ſuæ mentis aperiens, ita prorupit: Vera ſunt, quæ proſequeris Pater. Sed ſi audieris me, & meæ petitioni effectum præbueris; iam ego te meum Patrem agnoſcam; & tu* D

me

me filium nunquàm amittes. Deum enim colens, debes omninò ſapiens eſſe. A
Qui enim creauit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt: cuius
voluntate ſol oritur, cuiuſquè prudentia ſtellarum ordo diſtinguitur: quæ vtique
ſi facta pro noſtra vtilitate non eſſent; nequaquàm ſui curſus explebile perage-
rent opus. Cùm ergo conſtet, quia omnia cœperunt ex tempore, & ei, à quo
facta ſunt, proprio famulantur obſequio; debemus nempè ad ſublime oculum
mentis noſtræ erigere, & per diſtinctionem tanti operis viſibilium & inuiſibi-
lium Creatorem ſummo venerari affectu: & non, ad iniuriam Summi Dei,
honorem, qui Creatori debetur, exhibere creaturis. Vnde ergo, ſi mei, quaſi
filij, curam geris: &, vt aſſeris, Cultor exiſtis; CONCEDE MIHI AC-
CIPERE BAPTISMVM BEATI PETRI APOSTOLI, IN QVO
BAPTIZATA EST MATER MEA. B

VI. *Tunc Africanus, nimio terrore correptus, cum triſtitia dixit ei: Fili Nazari, in*
omni dignitate Religionis meæ contendo vt viuas mihi annis multis, & ſecun-
dùm modum meæ obſeruantiæ ac cultum Deum colas: atque exſuſcites mihi ſe-
men de vxore, quam ego dabo tibi cum coronis, & choris, & gaudio totius
Romæ. Nam neceſſe eſt, te ab huiuſmodi culturæ ritu abſcedere; VT VITÆ
TVÆ POSSIT ESSE CONSVLTVM. CONSTAT DENIQVE
HVIVS CHRISTIANÆ DOCTRINÆ BAPTISMVM, QVOD
PRÆDICANTE PETRO, SICVT ASSERIS, ANTE PAVCOS
DIES IN HAC VRBE EXORTVM EST, ET A SENATV NON
RECIPI: ET INVENTVS QVISQVIS IN HAC RELIGIONE,
IVBENTE CÆSARE, DIVERSA PER SVPPLICIA SPIRITVM C
EXALARE. *Vnde dignum eſt, vt monitis meis mentem accommodes: & ad*
laudem natalium tuorum à Principis latere non diſcedas; ne alienus ab eo fac-
tus, iuuentutis tuæ florem amittas.

VII. *Cùm his & huiuſcemodi ſuaſionibus Pater ageret, & eius in nullo animum*
flectere potuiſſet; CONSENSIT EI, QVATENVS SECVNDVM VO-
LVNTATEM SVAM REGENERATIONIS VNDA PVRIFICA-
RETVR. *Tunc gaudio magno repletus, omnia, quæ geſta fuerant, Matri*
retulit domi. Eodem tempore, reſidente ſuper Cathedra Romanæ Eccleſiæ
(quantùm ſcilicet Coadiutoris conditio ferebat) *Sanctiſſimo Lino Epiſ-*
copo, qui Beato Petro Apoſtolo prima religione ſuccedens, ad diſponenda guber-
nacula Eccleſiæ perfulgebat: accedens ad eum Beatus Nazarius dixit ei: DA D
MIHI IN DOMINO SIGNACVLVM, SACRAQVE REGENE-
RATIONIS VNDA PVRIFICA; *vt, oſtenſo veritatis lumine, Chriſ-*
tum Ieſum verum Dei Filium corpore & corde credere, & lingua liberiùs va-
leam prædicare. AVDIENS HÆC BEATVS LINVS EPISCOPVS
BAPTIZAVIT EVM IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPI-
RITVS SANCTI: *& confirmauit eum in omni veritate & diſciplina.*

VIII. Per hæc autem, quæ de Nazarij Patre hactenùs legimus, ille quidem
mihi videtur, non modò Iudaicæ Sectator fuiſſe Religionis, verùm
etiam publicus ex officio Magiſter & Interpres: qui propterea Naza-
rium ſibi deſtinaret in eodem officio ac miniſterio ſucceſſorem.

IX. Ex

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IX. Ex enarratis autem de ipſomet Nazario, atque deinceps etiam enarrandis, A
ſic eius ætatem coniectura metiri poſſe mihi videor, vt Baptiſmi tempore annum ageret circiter decimum-octauum. Ipſius verò decimus-octauus annus erat nonus ex eo tempore, quo Sanctus Petrus Romam fuerat profectus, & Perpetuam eius Matrem baptizauerat; ſic etiam erat à Chriſti Natiuitate Quinquageſimus-tertius; ab Imperio autem Claudij, etiamnùm imperantis, Decimus. Quocirca etiam eodem circiter Annò Nazarius videtur ab Vrbe deinde Roma diſceſsiſse, vt mox videbimus

CAPVT V.

Nazarius, Baptiſmo initiatus, Chriſtianum ſe publicè profitetur, & B
Idolorum cultui detrahit. Hinc exaſperatis eorum Sacerdotibus, à ſuis Genitoribus exoratur, vt per diſceſſum ab Vrbe ſe ſe periculis ſubtrahat imminentibus. Accepta igitur hæreditatis ſuæ parte, diſcedit, & per varias Italiæ Vrbes eam pauperibus elargitur, ac multos ad Chriſtum conuertit.

I. HÆC omnia ex ordine proſequitur idem ille noſter apud Mombritium Auctor, & his proſequitur verbis: *Suſcepto ſigno Fidei, Sancto iam Spiritu comitante, alacrior inde factus, Idola reſpuere, & Chriſtum Dei Filium verum Deum eſſe, libe-* C
ra cœpit lingua confiteri: aſſerens, omnia ſimulachra vana eſſe, & nihil ſe petentibus poſſe præſtare; ſed colentes ea cum his, quorum vanæ imagines venerantur, perpetuo damnari incendio. His dum & alijs multis conuicijs Templa deſereret, & Dominum Ieſum Chriſtum fiducialiter prædicaret; beati huius rumoris circumquaque ferebatur opinio; ITA VT PALAM A MVLTIS ACCVSARETVR DESTRVCTOR ESSE TEMPLORVM, ET DEORVM INIMICVS. *Fama Romæ incumbente de eo,* CVM A SACERDOTIBVS CAPITOLII, DECRETVM ESSET CÆSARI INTIMARE; *audientes Parentes eius valde timuerunt,* NE PRO TALI CONFESSIONE TORMENTIS INTERROGATVS
DEFICERET. *Nazarius verò gaudens auditis, quæ de eo dicebantur, ſed* D
Parentum tribulationibus compatiens, tandem vt diſcederet coactus, adquieuit, dicens eis: Date mihi ex hæreditate bonorum veſtrorum partem aliquam: & egrediar de Ciuitate hac, NE ME INTERFICIANT, ET VOS CONTRIBVLEMINI. *Gauiſi ſunt itaque Parentes eius ſuper hoc verbo: & ex bonis ſuis dederunt ei ſeptem onera animalium, cum auri & argenti pondere magno.*

II. *Egreſſus Beatus Nazarius ab Vrbe Roma faciebat eleemoſynas multas, quoaduſque expenſis opibus, ab onere ſæculari liber expeditusquè Chriſtum Dominum abſque impedimento ſequeretur. Iter agens* PER SINGVLAS CIVITATES ITALIÆ *docebat omnem Populum baptizari: approbans, non eſſe, quos colerent,*

colerent, Deos, ſed opera manuum hominum : in quibus ſunt oculi ſine viſu, aures ſine auditu, os ſine ſermone, manus ſine tactu, pedes ſine greſſu : quatenùs, dum nec tenuis ſpiraminis flatum habere probantur, diſtare à mortuis nihil videantur, Hæc eo prædicante , MVLTI CREDEBANT IN IESVM, *& baptizabantur in nomine Patris , & Filij, & Spiritus Sancti: agentes gratias Domino Ieſu Chriſto, qui eos à tenebris ad agnitionem veri luminis reuocare dignatus eſt .* A

III. Talia verò Nazarij exercitamenta poſt profectionem ab Vrbe Roma perenniter ad decennium vſque perdurarunt : & , ſecundùm noſtram ſupputationem , vſque ad Annum ætatis ſuæ vigeſimum octauum , à Chriſti autem Natiuitate Sexageſimum-tertium ; ſicut ex eiuſdem Auctoris teſtimonio nos infra oſtendemus. Nunc enim proximum eſt , vt ad alia diuertamus , quæ ante illum Annum geſta ſunt , eique omninò præmitti neceſſe eſt , vt Hiſtoriæ nobis propoſitæ veritas meliùs agnoſcatur. B

CAPVT VI.

Anno Chriſti Quinquageſimo-ſexto moritur Claudius Imperator , eique Nero ſuccedit . Sanctus Vitalis Anno ſubſequenti iam erat Rauennæ , iamquè Chriſtianus, & per Baptiſmum antehac Mediolani ſuſceptum vnà cum Valeria coniuge , ac filijs Protaſio & Geruaſio. C

I. QVemadmodùm Anno Domini Quinquageſimo-ſexto Claudius Imperator tertio Idus Octobris occubuerit, eiquè poſtea Nero ſucceſſerit : hac de re nobis omnem præripuit laborem Baronius ad eumdem Annum Art. 13. Per nos ergo idem ipſe conſulatur.

II. Quæ de Anno illo ſubſequenti, quæquè de Sanctis Vitali & Valeria , eorumquè filijs dicebamus : ea ſanè probationem à nobis congruam depoſcunt. Hanc igitur ante omnia proferemus : & ex illo Philippi prælibatam libello, quem Sanctus Ambroſius in tumulo tandem Protaſij & Geruaſij ad ipſorum Capita inuenit , quemquè nos Capite ſequenti recitare incipiemus . In eo enim Libello hæc ex ordine animaduertenda ſe offerunt: primò , Vrſicini Medici Liguris martyrium , Anno conſummatum ſuperiore, quàm Vitalis etiam ipſe martyrium ſuſtineret : ſecundò , nonnihil interualli è Vitalis martyrio ad illud vſque tempus, quo Protaſius & Geruaſius Chriſtianæ perfectionis ſtudio ſeſe ſolitariæ in cœnaculo vitæ tradiderunt : tertiò , decennium , quo ſolitariam eiuſmodi vitam ibi ſine intermiſſione tranſegerunt : quartò , annus vndecimus , intra quem ipſi quoque martyrio tandem coronati ſunt . Sicut igitur ipſorum fratrum martyrio nos Annum Chriſti adſcribimus Septuageſimum ; D

tuageſimum; ſic etiam, calculatione hinc ad primum illud deducta, A
tali eorum ſeceſsioni Annum Chriſti tribuimus Quinquageſimum-nonum; ei autem interuallo tempus illud, quod Anno Quinquageſimo-octauo, ex Aprilis die vigeſimo-octauo (eo enim Anno dieque necatum computamus Vitalem) effluxit vſque ad primum illius ſeceſsionis diem; denique verò Vrſicini martyrio, Vitaliſque moræ, quam tunc faceret in Vrbe Rauenna, Quinquageſimum-ſeptimum adiudicamus Annum. Quæ quidem omnia planiùs etiam & diſtinctiùs in Operis huius progreſſu conſtabunt. Interim verò ex ijs etiam, quæ Capite 4. Num. 6. & Capite 5. Num. 1. recitabamus, apertè iam conſtat, non defuiſſe Chriſtianis hoſtes, à quibus ad necem peterentur, per ea quoque tempora, quibus Neroniana perſecutio nondùm eruperat in aper- B
tum: id quod etiam ſcitè Baronius obſeruauit in ſuis ad Martyrologium Romanum Annotationibus, ſiue ad Calendas Ianuarij, cùm de Sanctæ Martinæ Virginis ageret martyrio, ſub Alexandro Imperatore conſummato. His ergo breuiter præindicatis, ad Rauennatem Vitalis moram, pro indubitata nunc ſuppoſitam, nos recipiamus: eumquè iam tum fuiſſe Chriſtianæ Religionis profeſſorem oſtendamus, & per Baptiſmum antehac ſuſceptum Mediolani ſimul cum vxore ac filijs.

III. Hieronymus Rubeus, Hiſtoriarum Rauennatum diligentiſsimus ac diſertiſsimus Scriptor, Libro primo ad Annum Chriſti Quadrageſimum-quartum narrabat, quemadmodùm Sanctus Petrus eo Anno Romam peruenisſet, Chriſtianam ibi Religionem diuino iuſſu propagaturus: C
atque non multò pòſt inde Sanctum Apollinarem, à ſe conſecratum Epiſcopum, miſerit Rauennam, vt Chriſtum & eius Euangelium eadem in Vrbe diuulgaret. Subinde verò deſcribebat hanc eius expeditionem, variaquè illic miracula diuinitùs patrata: & inter hæc ſanatam Hirenei Tribuni coniugem, nomine Theclam, de cuius ſalute Medici tandem omnes deſperauerant; quo miraculo non ipſa modò Thecla, ſed etiam Maritus, eorumquè familia omnis, ad Apollinarem accurrentes, ab eo poſtulauerint, vt Chriſtianam ſibi explicaret Religionem: idquè protinùs ille præſtiterit luculenta concione, quam idem Rubeus ibidem proſequitur. Sed quid exinde præterea? *Hæc autem* (concludebat Rubeus) *aliaquè complura Apollinari explicante, cùm omnes præ gaudio* D
lachrymarent, ſuppliciterquè ſe Chriſtianos fieri peterent; ſacra Baptiſmatis vnda ab Apollinari abluti ſunt. Inter eos tunc, ad medicinam huic Mulieri faciendam accitus, VRSICINVS LIGVR MEDICVS ADERAT: *qui, cùm omnia ſumma & maxima Artis remedia inani labore expertus, omninò deſperatam indicaſſet; hoc ductus miraculo, Chriſti Dei Legem amplexus eſt, & ſacra vnda ablutus. Sunt etiam qui arbitrentur,* VITALEM MEDIOLANENSEM, *huius Commilitonem Tribuni, tanto impulſum miraculo,* CVM VALERIA CONIVGE, GERVASIOQVE ET PROTASIO FILIIS, CHRISTIANVM FACTVM. Hæc Rubeus.

IV. Sed ab his, qui de Sancto Vitale ipſiuſquè familia ſic arbitrarentur,

omninò diſſenſerunt Rerum Scriptores Mediolanenſium. Vetuſti tantùm illius Auctoris, cuius mentionem Capite 2. faciebam, recitabo verba, prout in vtroque illo Bibliothecæ Ambroſianæ Codice pergameno deſcripta continentur, in Sancti videlicet Gai, Epiſcopi Tertij, Vita. *Sæua licet* (inquiebat) *& perquàm truculenta Paganorum aduersùm Chriſti Fideles querela magis magiſquè inſurgeret; nihilominùs tamen quotidiana Hoſtis inuidi damna, & Chriſti Ieſu ex idololatriæ clientibus lucra fiebant. Et iam non quilibet, ſed ipſi etiam Conſules, & quos Mundi gloria reddiderat clariores, ad Chriſti properanter obſequium feſtinabant. Superioribus enim diebus* SANCTVS VITALIS, *inſigni quidem carnis origine nobilis, ſed mentis culmine nobilior, Ciuium Mediolanenſium maximus, & inter ſuos non mediocriter honoratus,* VNA CVM RELIGIOSISSIMA CONIVGE ET FILIIS ATQVE OMNI FAMILIA DOMVS, CHRISTI FIDEI SOCIATVS EST: *& cum eo pariter quamplurimi maiorum natu Ciuium:* IN QVIBVS ET PHILIPPVS CVM SVIS, *Vir apud Sæculum & apud Deum illuſtriſsimus.* In eadem verò ſententia ſunt etiam reliqui Rerum noſtrarum Scriptores: ac nominatim Gualuaneus Flamma in Chronico Maiori Cap. 83. & in Manipulo Florum Cap. 31. Auctor Chronici *Flos Florum* fol. 68. pag. 1. Donatus Boſsius in Chronico, ad Annum Chriſti 68. Bernardinus Corius pariter in Chronico: Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro 1. Tabula noſtrorum Archiepiſcoporum, Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſita: Catalogus itidem inſcriptus *Succeſſores Sancti Barnabæ in Eccleſia Mediolanenſi:* Petrus Galeſinius in Martyrologio, die 27. Septembris: Ioannes Franciſcus Beſutius in Hiſtoria Pontificali: noſtrorum Archiepiſcoporum Catalogi omnes manuſcripti, & paulò fuſiùs explicati, quos ego in hanc diem legerim. A B C

V. Secundùm Scriptores igitur noſtros Caius Archiepiſcopus noſter, ordine Tertius, Vitalem atque ipſius familiam baptizauit. Sed hoc tamen pro rei veritate intelligendum eſt ita, vt eos baptizauerit; non eo tempore, quo Archiepiſcopus iam ſucceſſerat in Anatalonis locum; ſed eo, quo ipſius Anatalonis, in Archiepiſcopali hac Sede adhuc viuentis, adminiſter antea fuerat & adiutor. Quamobrem admitti nobis nullo pacto debet, quod Galeſinius, proximè productus, aſſeruit de tempore, quo Caius Protaſium ac Geruaſium baptizarit. *Mediolani* (aiebat) *Sancti Cai Epiſcopi. Qui Beati Barnabæ Apoſtoli diſcipulus, apoſtolicæquè virtutis imitator præclarus, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli deſiderio flagrans, iter ad Vrbem Romam ſuſcepit. In via dum eſſet, diuina præſenſione vidit, eos Neronis iuſſu martyrium obijſſe. Romam vbi venit, quod præſenſerat, re ipſa factum eſſe cognouit. Cum Beato autem Clemente & cæteris Apoſtolorum diſcipulis aliquandiu fuit: quibuſcum Euangelij prædicationem communicauit.* MEDIOLANVM REVERSVS, GERVASIVM ET PROTASIVM, *paulò poſt præclaro martyrio nobilitatos,* CHRISTIANA FIDE INSTRVXIT, AC BAPTIZAVIT. Atqui re vera ipſi decennio ſaltem ante Apoſtolorum martyrium iam fuerant baptizati; vt nos paulò antè indicauimus; vtquè deinceps vberiori explicatione proſequemur. D

Digitized by Google

CAPVT VII. A

De Philippi Libello, per Sanctum Ambroſium inuento: exindequè de Sancto Vrſicino Medico, per Sanctum Vitalem ad martyrium animato.

I. QVem nuper videbamus Philippum, à Sancto Caio baptizatum, ille profectò ipſe eſt, cuius Libellum præſenti recitare Capite incipiemus. Hunc autem diuino monitu Sanctus Ambroſius noſter ad capita Sanctorum Protaſij & Geruaſij, eorum in tumulo reperit Anno poſtea Chriſti Trecenteſimo octuageſimoſeptimo, vt ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis aſſerui Num. 2. idquè B
ad eumdem illum Annum pluribus in præſenti Diſſertatione commonſtrabo. Quoniam verò tunc eumdem protinùs Libellum cunctis per Italiam Epiſcopis euulgauit per ſuam ipſius Epiſtolam, cui nunc etiam legitur velut in vnum corpus adiectus; iccircò etiam hoc ipſo loco ab eius Epiſtola ego exordiar: quippequæ maximam illi fidem conciliat.

II. Laurentius quidem Surius Tomo Tertio, die 19. Iunij, recitaturus eiuſmodi Epiſtolam & Libellum, eis hunc titulum præmiſit: *De Sanctis Geruaſio & Protaſio Martyribus*, AVTHORE SANCTO AMBROSIO EPISCOPO, VT TESTANTVR VETVSTI MANVSCRIPTI CODICES, ET VIRI DOCTISSIMI APPROBANT. *Habet hinc quædam ad verbum Petrus Damianus in Sermone, quem Lector in Secundo Tomo, 28. Aprilis offendet.* C
Illic autem Sermonem pariter hunc recitaturus, hæc iam præmiſerat: *De Sancto Vitali Martyre reperiet Lector quædam ſcitu digna Tomo Tertio, die 19. Iunij, in Epiſtola, quam Sanctus Ambroſius ſcripſit Fratribus per omnem Italiam. Ex qua etiam Petrus Damianus quædam ad verbum deſcripſit in Sermone, qui iam ſequitur.* Eſt autem Sermo *de Sanctis Vitale & Valeria, eius coniuge.*

III. Eadem verò Epiſtola ſimul & Libellus habetur etiam in Romana & emendatiori Operum Sancti Ambroſij editione: quam Sixtus Papa Quintus commendauit, à ſemetipſo iam tum elaboratam, cum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis eſſet, ac Anno Domini 1580. abſolutam; vt ego rursùs infra commemorabo Capite 37. Num. 15. & Cap. 50. Num. 3. itemquè Cap. 157. Num. 1. & 6. Eademquè illic Epiſtola & Libellus D
computatur Epiſtola 53. Cæterùm ibidem non adſunt ea, quæ de martyrio Sanctorum Vrſicini, Vitalis, & Valeriæ habentur apud Surium, & alibi multis in Codicibus, & manuſcriptis, & impreſsis. Quæ quidem illic intermiſſa ego dixerim; non quia non crederentur legitimæ illius Libelli partes ac germanæ; ſed quia eius editionis Auctor fortè fortuna inciderit in eius Epiſtolæ ac Libelli exemplar, ab aliquo exſcriptum Amanuenſi, qui, de ſolo Protaſij & Geruaſij martyrio ſolicitus, reliqua illa prætermiſerit: qualia profectò ſolent eſſe Libelli eiuſdem exemplaria illa, quibus etiam hodie quotannis vtitur & Ambroſiana Baſilica, & aliæ Vrbis ac Diœceſis huius Eccleſiæ, Sanctis Protaſio ac Geruaſio dicatæ, quando videlicet anniuerſariam eorum feſtiuitatem vndeuigeſima

Iunij

Iunij die concelebrant. Quamquàm igitur illa non exiſtant in hac editione, cæteroqui tam emendata & comprobata; non ego tamen ab iiſdem tam ex Surio quàm aliunde recenſendis abſtinebo. Ea igitur Epiſtola & Libellus apud Surium nominatim ſic ſe habent ad verbum: A

IV. *Ambroſius, Seruus Chriſti, Fratribus per omnem Italiam; æternam in Domino Salutem. In diuinis voluminibus reus ſcribitur, qui non ſtuduerit dare gratis, quod ipſe gratis acceperit. Quicquid enim Domini Eccleſiæ præſulatum erat, ſubtraxiſſe arguitur, cùm noluerit tradere omnibus, quod ipſe non celandum accepit. Vnde & Pſalmographus Vates canit: Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non celaui miſericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo. Et pro hoc opere quaſi viciſsitudinem à Deo poſtulans, adiecit: Tu autem Domine ne elonges miſericordiam tuam à me. Quaſi Deo diceret: Sicut ego feci, alios miſericordiam inuenire; ita & ipſe non patiaris, longè fieri miſericordias tuas à me. Aperiamus ergo, cur iſta præmiſimus: & veſtros animos, qui piè de Deo ſentitis & creditis, de inuentione Sanctorum Corporum ad lætitiam inuitemus.* B

V. *In diebus tranſactæ nuper Quadrageſimæ, cùm Dominus mihi donaſſet, vt ieiunantium & orantium me faceret eſſe participem; in oratione poſito ita mihi ſomnus obrepſit, vt, nec vigilans apertè, nec dormiens integrè, viderem apertis oculis mecum duos iuuenes ephebos, veſtibus candidiſsimis, id eſt, collobio & pallio indutos, caligulis calceatos, manibus extenſis orantes. Nullam quidem grauedinem patiens, loqui cum eis non poteram; ſed, vt dixi, pars in me ſomni incumbebat, qui me ad eorum interrogationem verbum proferre non ſineret; plenè autem euigilanti viſio eorum ab oculis elapſa eſt. Vnde factum eſt, vt rogarem Domini miſericordiam: vt, ſi ludificatio Dæmonum eſſet, abſcederet: ſi verò veritas eſſet, plenius appareret. Ad impetrandum verò, quod poſcebam à Domino, augmentaui ieiunium: ſimiliquè modo,* CANENTE GALLO, *orantes mecum iuuenes apparuerunt. Tertia verò nocte, defecto ieiunijs corpore, non dormienti, ſed ſtupenti, cum quadam mihi tertia apparuere perſona,* QVÆ SIMILIS ESSET BEATO PAVLO, CVIVS VVLTVM ME PICTVRA DOCVERAT, *vt tantùm ipſe mecum, illis tacentibus, loqueretur, dicens:* ISTI SVNT, QVI PROPTER MONITA MEA, RESPVENTES PRÆDIA ET DIVITIAS, SECVTI SVNT DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VESTIGIA, NIHIL TERRENVM NIHILQVE CARNALE CONCVPISCENTES, IN MEDIA HAC MEDIOLANENSI VRBE PER DECEM ANNOS IN DEI SERVITIO PERDVRANTES, AD HOC PERTINGERE MERVERVNT, VT CHRISTI MARTYRES FIERENT: *quorum Corpora in eo loco inuenies, in quo ſtas & oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam arcam inuenies: quam arcam ſuperius exaltabis,* ET IN NOMINE EORVM ECCLESIAM FABRICABIS. *Cùmquè eorum nomina ab eo requirerem; dixit mihi:* AD CAPVT EORVM LIBELLVM SCRIPTVM INVENIES, *in quo ortus eorum & finis ſcriptus eſt. Conuocans itaque omnes per circuitum Fratres & Coepiſcopos Vrbium vicinarum,* C D

referens vniuerſa quæ videram & audiueram, ipſis coram poſitis primus ego terræ foſſor acceſſi: cæteri Epiſcopi proſecuti ſunt. Fodientes peruenimus ad arcam, quam Sanctus promiſerat Paulus. Quam aperientes, inuenimus quaſi ipſa hora poſitos Sanctos, miro odore fragrantes. AD QVORVM CAPVT ILLVM LIBELLVM INVENIMVS; *in quo erant hæc per ordinem vniuerſa conſcripta:* A

VI. EGO SERVVS CHRISTI PHILIPPVS *intra domum meam Sanctorum Corpora cum filio meo rapui, & ſepeliui:* QVORVM MATER VALERIA, ET PATER VITALIS DICTI SVNT: *quos vno ortu geminos genuerunt:* ET VNVM PROTASIVM, ALIVM GERVASIVM VOCAVERVNT. *Quorum pater Vitalis erat militans conſularis. Hic cùm fuiſſet* CVM PAVLINO IVDICE SVO *Rauennam ingreſſus: & videret in conſpectu Iudicis ſui* CHRISTIANVM, NOMINE VRSICINVM, *Arte Medicum, natione Ligurem, poſt nimia tormenta capitalem accepiſſe ſententiam.* LOCVS AVTEM, VBI DECOLLABANTVR CHRISTIANI, *hoc habebat vocabulum, vt diceretur* AD PALMAM; *eo quòd arbores antiquæ palmæ illic eſſent. Igitur cùm, vt diximus, poſt nimia tormenta decollandus veniret ad* PALMAM; *expauit; & dum vellet malè euadere, exclamauit Vitalis, dicens: Noli, noli, Vrſicine Medice. Qui alios curare conſueuiſti, te ipſum æternæ mortis iaculo vulnerare vis? Qui per paſſiones nimias veniſti ad* PALMAM, *coronam perdere noli, tibi à Domino præparatam. Audiens hæc Vrſicinus, genu poſuit: & ſpiculatorem, vt feriret, hortatus eſt: & agens pœnitentiam, quòd expauiſſet, Chriſti Martyrem ſe fecit. Statimquè ipſe Vitalis, Corpus Martyris rapiens, intra Rauennatium Vrbem ſepeliuit; & cum omni honore Martyri debita explens obſequia, ad Iudicem vltra venire contempſit.* Hactenùs è Philippi Libello, tam luculenta Sancti Ambroſij Epiſtola comitato, commendato. Quæ tamen in poſtrema Operum Sancti Ambroſij editione Romana, vt Numero tertio præmonebam, intermiſſa fuerunt. Illic enim Libellus hic Philippi ſic incipit: *Ego Seruus Chriſti Philippus intra domum meam Sanctorum Corpora, quæ cum filio meo rapui, & ſepeliui. Quorum mater Valeria & pater Vitalis ſunt dicti. Quos vno ortu geminos genuere: & vnum Protaſium, alium Geruaſium vocauerunt. Cumquè ab inteſtato Geruaſius & Protaſius, hoc eſt, patre Sancto Vitale Martyre & matre ſanctæ memoriæ Valeria defunctis, vtrique patrimonio ſucceſſiſſent; domum propriam, in qua nati fuerant, & res vniuerſas parentum, & caſellulas venundantes, omne pretium pauperibus erogauerunt & familiolæ ſuæ, quam ingenuam fecerunt &c.* B C D

VII. Videamus nunc, obſecro, quanti fecerit hunc Libellum Beatus Petrus Damiani eo in Sermone *De Sanctis Vitale & Valeria*, quem paulò ante indicabam. *Perpendite* (inquit ille) *Fratres mei, hic inuictiſſimus Miles Chriſti* (Vitalis) *quàm forte quàm robuſtum pectus habuerit: qui de ſui periculo omnimodò ſecurus, de alieno ſolicitus, vno verbi telo & inimicum perculit, & claudicantem iam inflicto vulnere ſocium ad agendum fortiter excitauit. Docta manus ad prælium vibrauit haſtam: ſocium, vt ſurgeret, tetigit: & vincenti*

iam

iam aduerſario lethale vulnus inflixit. VT ENIM IN VERACISSIMA GESTORVM ILLIVS NARRATVR HISTORIA (& hanc in margine adnotatum eſt haberi Tomo Surij Tertio, die 19. Iunij) *cum poſt nimia tormenta Vrſicinus capitalem ſententiam voluiſſet euadere; exclamauit Beatus Vitalis, dicens: Noli, noli, Vrſicine Medice, qui alios curare conſueuiſti, teipſum æternæ mortis iaculo vulnerare.* A

VIII. Sed ne prætereundus quidem hoc loco mihi eſt Hieronymus Rubeus in eodem illo Rauennatum Hiſtoriarum Libro Primo, è quo nonnulla in ſuperioribus exſcribebam. Sic enim aliquantò pòſt ille adiecit: *Iamquè Chriſtianam Religionem multi fuerant amplexi* (prædicante nimirùm Apollinare) *in quibus Vrſicinus maximè fuit, natione Ligur, Medicus egregius, vti ſupra docuimus, qui Medicinam Rauennæ faciebat. Hic ad Suetonium Paulinum, Virum Conſularem, multis Taciti & Plinij laudibus celebrem, qui Saturnino tunc primùm erat ſuffectus*, NERONIS, QVI CLAVDIO IN IMPERIVM SVCCESSERAT, VICARIVM; *quòd Chriſtianus eſſet, delatus, cùm inter pœnas ac tormenta Chriſtianum nomen integrum ſeruaſſet, pœna tandem capitali damnatus, cùm ad mortem duceretur, nonnihil commoueri animumquè demittere viſus eſt*, VT DIVVS AMBROSIVS EX LIBELLO PHILIPPI EST AVCTOR *&c.* Quòd autem Rubeus Vrſicinum aſſerebat à Sancto Apollinare ad Chriſtianam Fidem conuerſum: quòd item Neronis Imperatoris Vicarium fuiſſe Paulinum: in hæc ipſa conſenſit etiam Petrus Galeſinius in Martyrologio, die 19. Iunij. B

IX. Hoc enim die Vrſicinus, capite truncatus, in cælum euolauit; vt affirmat idem Rubeus, & adſtipulatur Martyrologium Romanum, necnon etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij (vt in eiuſdem Martyrologij Notis Baronius obſeruauit) quibus ego quoque aſſentior. *Aliquorum eſt etiam ſententia* (hoc item Rubeus non multò pòſt addebat) *Vrſicinum hunc quinto Calendas Maij capite abſciſſum, diemquè decimam-tertiam Calendas Quintiles eum eſſe, quo è Diui Vitalis Templo, vbi diu iacuerat, ad Diui Ioannis Baptiſtæ multos poſt annos translatus eſt.* C

CAPVT VIII.

Anno Domini Quinquageſimo-octauo Sancti Vitalis & Valeria martyrio coronantur. D

I. PHilippei Libelli contextus ipſe, quem mox recitando proſequemur, nos admonet, Sanctum Vitalem martyrio necatum non fuiſſe poſtridie ſtatim eius diei, quo necatus fuerat Vrſicinus. Siue igitur hunc credamus necatum die vndeuigeſima Iunij, ſiue vigeſima-ſeptima Aprilis; Vitalem nihilominùs non eodé Anno Chriſti Quinquageſimo-ſeptimo, quo fuerat Vrſicinus, ſed Quinquageſimo-octauo necatum arbitramur; die nimirùm Aprilis vigeſima octaua; qualem

qualem illi diem adſcripſerunt etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij, cum quibus Martyrologia etiam Franciſci Maurolyci, Galeſinij, Baronij conſentiunt. Non multis verò pòſt eiuſdem Anni menſiſquè diebus, certum eſt, Valeriam quoque occubuiſſe. A

II. Philippum ipſum audiamus, de Vitali narrare perſeuerantem his verbis: *Quem Paulinus Conſularis Iudex ideò teneri maximè mandauit; non tantùm quia contempſit ad eum redire; quantùm quòd ita Chriſtianus eſſe detectus eſt; vt etiam volentem Vrſicinum ſacrificare, ne periret, ita inſtituit, vt rediret ad coronam martyrij, & Deo redderet margaritam pretioſam, quam Diabolus rapere ſtudebat. Paulinus igitur iuſſit, eum leuari in equuleo; vt per tormenta poſſet eius ſenſum ad ſacrificandum Idolis conuertere. Cui Vitalis ait: Infinita tibi dominatur ſtultitia, vt putes me ipum decipere, qui alios à periculo deceptionis liberare ſtudui.* B *Tunc Paulinus Conſularis dixit ad Officium ſuum: Ducite eum ad* PALMAM: *&, ſi ſacrificare contempſerit; nolite eum decollare; ſed facite foueam in terra; quoadusque perueniatis ad aquam; & ibi eum ſupinum deponite, & terra atque lapidibus obruentes dimittite. Quod cùm factum fuiſſet; Deus ſibi Vitalem ita Martyrem conſecrauit. Sacerdos autem Apollinis, qui hoc conſilium Paulino dederat, à Diabolo repletus eſt; itaut per ſeptem dies energumenus ibi clamaret, vbi obrutus erat Sanctus Vitalis, dicens: Incendis me Sancte Vitalis, Martyr Chriſti: & crucias me. Poſt ſeptem autem dies, præcipitatus à Diabolo, in flumine expirauit. Sanctus autem Vitalis, glorioſus Martyr Chriſti, ſepultus eſt iuxta Ciuitatem Rauennatium, præſtans orationibus ſuis multa beneficia omnibus hominibus credentibus in Dominum, vſque in hodiernum diem.* C

III. Poſt hæc autem Philippus ſic etiam de Sancta Valeria proſequitur: VALERIA AVTEM, *coniunx eius, cùm vellet Corpus Sancti Vitalis auferre; à Chriſtianis prohibita eſt; & ab ipſo in viſionibus ſæpè admonita, ne ſanctum Corpus, à malo homine benè poſitum, violaret. Ipſa autem cùm reuerteretur ad Vrbem Mediolanenſium; Idololatras Syluano ſacrificantes incurrit: qui, eam deponentes de ſaumario, hortabantur ſecum epulari. At illa dicebat: Chriſtiana ſum: non licet mihi de Syluani veſtri ſacrificijs manducare. Illi verò, hæc audientes, tanta eam cæde mactauerunt, vt vix ſeminecem eam ſui homines ad Mediolanenſem Vrbem perducerent; itaut intra triduum migraret ad Chriſtum.* Hucuſque Philippus.

IV. Quoniam verò ipſe nobis in ambiguo reliquit, vtrùm Rauennæ an potiùs Mediolani Valeria tunc eſſet, quando Vitalis ex hoc mundo ſublatus eſt; hoc ipſum diſcutiat Petrus Damiani, nobilis Rauennas, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Anno Domini 1072. defunctus, & ſanctitatis laude perinſignis. In eo ſiquidem Sermone, quem paulò ante dicebam, ſic ille de Sancta Valeria ſermocinabatur: *Illa enim, audita morte Vitalis, Beatiſſimi Coniugis, non auidos peruaſores ſuis poſſeſſionibus timuit, non potentioris cuiuslibet patrocinium quæſiuit, non more viduarum diſperſas vbicumque res ſuas in tuto loco colligere ſtuduit: ſed, caſtiſſimi coniugij fidem ſeruans, ad impendendum funeris obſequium* DE- D

MEDIO-

MEDIOLANENSI VRBE VSQVE RAVENNAM MIRABILI FER- A
VORE PERVENIT. *Non illam deterruit tam longi difficultas itineris, non
retinere potuit metus amittendæ poſſeſsionis, non eam propinquorum ſiue conci-
uium amor in Mediolanenſi Vrbe deuinxit, non eam conſularis immaniſsimus
furor à Rauenna finibus exturbauit. Illuc quippe erectus eius ſpiritus medulli-
tùs intendebat, quò Beatiſsimum Virum, calcata iam morte, præceſsiſſe cogno-
uerat; vbi enim erat theſaurus eius, ibi erat & cor eius.* Et paulo pòſt:
*Quapropter cùm à Chriſtianis, qui tunc erant Rauennæ, eſſet prohibita, ne
ſanctum Corpus auferret: &, hac intentione depoſita, ad propria remearet;
incurrit in homines Idololatras, Syluano ſacrificantes: qui, deponentes eam de
ſagmario, hortabantur, vt cum ipſis epularetur de his, quæ erant Syluano im-
molata. Sed quid tu, Beata Valeria? Numquid poteris veſtigia Viri tui re- B
linquere, & erectum iam in cæleſtibus animum diabolicis ſuggeſtionibus inclina-
re? Numquid poteris, educata in Fide Catholica, quod in tranquillitate didi-
ciſti, carnificum terrore poſtponere, & poſitam ſupra firmam petram Fidei fun-
damentum quolibet trepidationis turbine violare? Age age Beata Valeria: eia
nobilis Matrona, nunc Viri tui documenta viriliter recole: &, quid tibi tanti
Doctoris magiſterium præſtiterit, declara. Ait enim: Chriſtiana ſum: & non
licet mihi de ſacrificijs Syluani veſtri manducare. At illi, hæc audientes, ſic
eam cæde mactauerunt, vt vix illam ſeminecem ſui homines ad Mediolanen-
ſem Vrbem perducerent; ſicquè intra triduum Beata Valeria migraret ad
Dominum.*

V. Sed ne hoc item loco inutile vel iniucundum fuerit recolere, quemadmo- C
dùm Hieronymus Rubeus nominato iam Libro Primo hanc Valeriæ
profectionem ac denique mortem recenſuerit. Rubei vtique verba ſunt
hæc: *Valeria, Vitalis vxor, quam tunc temporis plerique Mediolani cum
Geruaſio & Protaſio filijs fuiſſe, Rauennamquè veniſſe ſcribunt: alij Rauennæ
habitauiſſe affirmant, ibidemquè Geruaſium ac Protaſium filios enixam: cùm è
foſſa detrahere Viri Corpus intenderet; ab ipſo monita per quietem, ne à faci-
noroſo viro optimè poſitum loco dimoueret, Mediolanum contendit. Vrbem au-
tem ſibi ingredienti cum multi, Syluano Deo ſacrificantes, occurriſſent: iuberent-
què, vti ſecum appoſitis Deo carnibus, more gentium impiarum, veſceretur:
& ipſa renueret, ac ipſorum potiùs ſtultitiam accerrimè increparet; adeò illam
verberibus impij malè affecerunt, vt in ædes importata, cum vtero gereret,* D
VI. GEMINOS ADHVC IMMATVROS IN LVCEM EDIDERIT VI-
VOS: QVOS CAIVS, MEDIOLANENSIS EPISCOPVS, SACRO
BAPTISMATE EXPIAVIT, ET ALTERVM DIOGENIVM, AV-
RELIVM ALTERVM VOCAVIT, *ad cæleſtem mox gloriam priùs Mar-
tyres, quàm nati, abeuntes. Huius erat rei teſtis peruetuſta in Diui Vitalis
Templo pictura: in qua, cùm Diuæ Valeriæ ducitur funus, duo ſecum eodem
feretro infantes faſcijs inuoluti efferuntur: ipſique Monachi; tradita ſibi conti-
nenti à ſuperioribus Monachis diſciplina, qui Ordinis ſui habitum in hoc Cœ-
nobio induunt, eos pleroſque Diogenij & Aurelij hac de cauſa nominibus appel-
lant. Tertio pòſt die Valeria mater ſanctam animam exhalauit.* Horum au-
tem

Digitized by Google

tem filiorum, quos Valeria demùm immaturo partu ediderit, multi A
etiam è noſtris Scriptoribus mentionem fecerunt: præ quibus enumerare
lubet Gualuaneum Flammam in Chronico Maiori, Cap. 84. ſecundùm
Codicem Aloyſij ab Eccleſia, Vrbani quondàm Secretarij; Capite autem
231. ſecundùm alterum Bibliothecæ Ambroſianæ.

VI. Quidni verò ad Vrbis noſtræ documentum, religioſæ fiduciæ plenum,
ego tandem hic commemorem inſigne illud Sancti Vitalis miraculum,
quod ibidem paulò ante à Rubeo narrabatur? Hunc autem narrabatur
in modum: *Hunc feliciſsimum Martyrem Montis Sancti Sabini incolæ (quod
eſt Oppidum in Tuſcia, haud procul Aretio) Tutelarem ſibi & apud Deum Pa-
tronum adiunxerunt: inde moti, quòd nocte, quæ Diui Vitalis diem feſtum pro-
ximè antecedit, cùm eorum hoſtes, improuiſò Oppidum adorti, illud acriter op-* B
*pugnarent, & ſcalas ad muros admouiſſent; ſtatim toto Oppido ingens ſacri æris
campani, nullo mouente, ſonitus, armorumque in aere ſtrepitus & Ciues ſomno
exciuit, & hoſtes ab incœpto deterruit, quòd maximam in armis multitudinem
eſſe putarent. Itaque Oppido Ciues ſtatim egreſsi, irruptione in hoſtes facta eos
nullo penè negotio fuderunt, & in fugam egerunt. Hinc poſtridie mane, ſuppli-
catione habita, & ſummas Deo gratias egerunt habueruntquè, & communi con-
ſenſu decreuerunt, ad Diuos Sabinum atque Egidium, Patronos ſuos, vt Diuus
Vitalis tertius adiungeretur, eiuſquè ageretur dies feſtus, anniuerſaria celebri-
tate perpetuò ſolemnis.* Et hæc de Sanctis Vitali & Valeria ſufficiant in
præſenti. Ad Philippi Libellum reuertamur.

CAPVT IX. C

Sancti Protaſius & Geruaſius, Vitali & Valeria genitoribus orbati, ſe ſe monitu ac ſuaſu Sancti Pauli Apoſtoli totos tradunt ſtudio vitæ ſanctioris, atque propterea Cœnaculo ſe ſe ad decennium includunt. Vbinam & illud & eorum domus extiterit.

I. CVmquè ab inteſtato (hæc item ſunt è Philippi contextu) *Geruaſius & Protaſius Parentibus ſucceſsiſſent; domum propriam
& res Parentum & caſellulas venundantes, dederunt pretium
omne pauperibus, & familiolæ ſuæ, quam etiam ingenuam fece-* D
runt. IPSI VERO IN VNO COENACVLO SE CON-
CLVSERVNT, ET PER DECEM ANNOS LECTIONI ET ORATIONI ET IEIVNIIS VACANTES, HOC ORDINE IN ANNO CONVERSIONIS SVÆ (videlicet huius tam ſingularis) VNDECIMO AD PALMAM MARTYRII PERVENERVNT. Protaſius igitur & Geruaſius tale illud ſanctioris vitæ conſilium non ante ſuſceperunt, quàm eorum Genitores obijſſent. Vitalis autem, vt ſupra dicebamus, obierat Anno Domini Quinquageſimo-octauo, dieque Aprilis vigeſima-octaua. Valeria verò poſt aliquot inde dies obierat; eoquè plures,

plures, ſi eam ſupponamus Mediolani tunc fuiſſe, quando Vitalis ne- A
catus fuit. Eo enim ſuppoſito, poſt viginti ſaltem dies illa quoque oc-
cubuit.

II. Numquid verò ſtatim poſt Valeriæ obitum Protaſius & Geruaſius Sanctum Paulum allocuti ſunt, & illud ab eo conſilium acceperunt? Incertum quidem hoc eſt, mihiquè penitùs ignoratum. Atqui ne diuturnum quidem interceſſiſſe tempus mihi videtur. Etenim poſt decennium, in ea Cœnaculi ſolitudine tranſactum, cœptus iam erat vndecimus annus, quando tandem fuerunt in carcerem coniecti. Certè autem in eum coniecti iam erant per aliquot dies ante, quàm Nazarius & Celſus necarentur. Si ergo hi necati fuerunt Anno Domini Sexageſimo-nono, die vigeſima-octaua Iulij, vt infra oſtendemus; certè ſequitur, vt de- B
cennium illud iam eſſet inceptum aliquot diebus ante diem Iulij vigeſimam-octauam; quæ ſuperiore Domini Anno Quinquageſimo-nono excurrerat. Sic itaque ſpatium illud temporis, quod à Valeriæ obitu ad ſeceſsionem illam & ſolitudinem Protaſij & Geruaſij effluxit, & intra quod hi Sancti Fratres Sanctiſsimum allocuti Paulum fuerunt, computari vtcumque non improbabiliter poſſe videtur è vigeſima circiter die Maij ſimul & Anni Quinquageſimi-octaui vſque ad ineuntem circiter Iulium menſem Anni Quinquageſimi-noni; itaut ineunte pariter poſtea Iulio menſe Anni Sexageſimi-noni, tum verò completum inueniamus illud ſolitariæ in Cœnaculo vitæ decennium. Sed hæc fortè videri poſſunt minutiora, quàm præſentis requirat inſtituti neceſsitas. Paulum C
potiùs Apoſtolum nos ipſi animo ſaltem ac mente conueniamus.

III. Hunc in Capitis huius inſcriptione ac titulo dicebamus Protaſio & Geruaſio monitorem ac ſuaſorem fuiſſe, vt perfectius illud Chriſtianæ vitæ genus ſibi aſſumerent. Quis autem hac de re dubitare poſſit? Ipſummet quippe Paulum habemus teſtem, quo nullus luculentior. In ſuperiore namque Ambroſij Epiſtola Paulus ipſe ſic Ambroſium ipſum alloquebatur: ISTI SVNT, QVI PROPTER MONITA MEA RESPVENTES PRÆDIA ET DIVITIAS SECVTI SVNT DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VESTIGIA, NIHIL TERRENVM NIHILQVE CARNALE CONCVPISCENTES, IN MEDIA HAC MEDIOLANENSI VRBE PER DECEM ANNOS IN DEI SER- D
VITIO PERDVRANTES, AD HOC PERTINGERE MERVERVNT, VT CHRISTI MARTYRES FIERENT. Quibus quidem apud Surium verbis quàm optimè conſentit eiuſdem Ambroſij Epiſtola prout in editione illa Romana & emendatiore continetur. Sic enim ea ibi recitat eadem Sancti Pauli verba: ISTI SVNT, QVI, MONITIS MEIS OBTEMPERANTES, PRÆDIA ET DIVITIAS RESPVENTES, SECVTI SVNT DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VESTIGIA &c. Quocirca etiam Petrus Damiani in Opuſculo quinto, & inſcripto *Actus Mediolani, De Priuilegio Romanæ Eccleſiæ*, Clerum Mediolanenſem ſic è ſuggeſtu veriſsimè alloquebatur, eam indicans Am-

broſij Epiſtolam, & in ea Pauli Apoſtoli effatum: SANCTI MARTY- A
RES PROTASIVS ATQVE GERVASIVS BEATVM PAVLVM APOSTOLVM MAGISTRVM AC PRÆCEPTOREM HABVISSE NOSCVNTVR; SICVT BEATO AMBROSIO ET IPSE TESTATVR. ISTI SVNT (*inquit*) QVI, MONITA MEA SECVTI, RESPVENTES PRÆDIA ET DIVITIAS, SECVTI SVNT DOMINI NOSTRI VESTIGIA. Paulus igitur eiuſmodi fratribus, & quidem opulentis, conſilium illud perſuaſit, quod olim Chriſtus Dominus adoleſcenti diuiti propoſuerat in Euangelio Matthæi, Cap. 19. *Si vis perfectus eſſe; vade; vende, quæ habes; & da pauperibus; & habebis theſaurum in Cælo.*

IV. Sed vbinam, obſecro, Paulus eiuſmodi magiſterio functus eſt? An fortè B
Mediolani? Gualuaneus profectò Flamma in Chronico Maiori hoc credidit. Quamobrem in Codice Secretarij, quem ſæpè iam nominauimus, Vrbani Cap. 84. ſic ſcribebat: *Secundùm Magiſtrum in Hiſtorijs vltimo Capitulo Beatus Paulus, poſtquàm fuerat in Roma aliquibus annis detentus, poſtea per annos decem fuit ſub libera cuſtodia, ad partes Occidentis prædicauit. Et dicunt quædam Scripturæ, quòd ſpecialiter Sedem Beati Barnabæ, ſocij ſui, id eſt, Ciuitatem Mediolanenſem: vbi habuit duos diſcipulos ſpecialiter, ſcilicet Geruaſium & Protaſium. Vnde in ipſorum Legenda habetur, quòd Beatus Paulus, cum iſtis duobus fratribus apparens Beato Ambroſio, ait: Iſti ſunt, qui ſemper mea monita ſeruauerunt.* In Codice autem Bibliothecæ Ambroſianæ his eadem verbis repetijt Cap. 232. *Iſto tempore erant in Ci-* C
uitate Mediolanenſi duo iuuenes gigantei, filij ſupradictorum Sanctorum Vitalis & Valeriæ, ſcilicet Geruaſius & Protaſius, viri Chriſtianiſſimi. Tunc, ſicut habetur in Hiſtorijs Capitulo vltimo, Beatus Paulus, qui aliquo tempore fuerat Romæ detentus, poſtea per annos decem ſub libera cuſtodia poſitus, partes Occidentis prædicauit. Tunc, vt dicunt quædam Chronicæ, ipſe Beatus Paulus Ciuitatem Mediolanenſem viſitauit, quam ſciebat fuiſſe Sedem ſocij ſui, Beati Barnabæ: & habuit in ſpeciales filios Geruaſium & Protaſium. Et hoc apparet manifeſtè per illa, quæ habentur in Legenda ſuæ Translationis: vbi dicitur, quòd Beatus Paulus cum iſtis duobus fratribus apparuit Beato Ambroſio, & dixit: Iſti ſunt, qui ſemper mea monita ſeruauerunt. Et paulò pòſt: *In Legenda ſua* (hoc eſt, Beati Pauli) *dicitur, quòd Beatus Paulus à Ieroſoly-* D
mis vſque Illyricum Italiam & Hiſpanias prædicauit. Sed Italia eſt Lombardia. Ergo Beatus Paulus prædicauit Lombardiam, cuius caput eſt Mediolanum. Certè autem Sanctum Paulum Euangelica prædicatione Italiam (ſiue, vt multi loquuntur, Italias) peragraſſe, ac eo nominatim ex tempore, quo liber è carcere Romano euaſerat: hoc vtique multi etiam veterum affirmarunt Patrum: quos, in teſtimonium productos, videre licet apud Alfonſum Salmeronem Tomo 12. Tractatu 59. & apud alios multos recentioris æui Scriptores, qui pro eiuſdem Apoſtoli aduentu in Hiſpanias diſſeruerunt.

V. Gualuaneanæ igitur opinionis fundamentum in eo totum conſiſtit, quòd

Sanctus

Sanctus Paulus aliquando Mediolani moratus fuit, poſteaquàm fuiſſet à Romano dimiſſus carcere, quo fuerat aliquandiu detentus, cùm à Portio Feſto ad Neronem Imperatorem prouocaſſet. Quid ſi verò nondùm fuerat è carcere dimiſſus eo tempore, de quo nos in præſenti quærimus, quodquè ab obitu Sanctorum Vitalis & Valeriæ vſque ad ſingularem illam Sanctorum Protaſij & Geruaſij conuerſionem atque in Cœnaculum ſeceſsionem interceſsit? Scitè profectò Baronius Anno Domini 58. Art. 62. Paulum narrat eo Anno in Vrbe Cæſarea prouocaſſe à Porcio Feſto, Iudææ Præſide, ad Imperatorem, tunc Neronem: proptereaquè mox Centurioni traditum, à quo Romam deduceretur. Sic etiam eundem Paulum Anno 59. Art. 1. probat hoc ipſo Anno deductum reipſa fuiſſe Romam: quinimmò certum etiam deſignat anni tempus, quo illuc peruenerit. *Dies autem* (inquit) *qua in Vrbem ingreſſus eſt, tam apud Bedam quàm Vſuardum* (in Martyrologio) *conſignata habetur ſexta Iulij. Verùm ſi tempus, quo ex Melita Inſula ſoluit, ac dies in nauigatione inſumpti conſiderentur; haud tam ſerò Romam potuit perueniſſe. Certè quidem veris tempore eam eſſe nauigationem inſtitutam, Arator Diaconus, qui heroico carmine cecinit Acta Apoſtolorum, teſtatur.* Et rursùs Art. 2. quomodo Paulus illic habitus fuerit, his perſtringit verbis: *Cùm autem eò aduenisſet; permiſſus eſt manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite; ſicquè Iudæis primùm, poſtea etiam Gentibus, Fidem Chriſti liberè prædicans, biennio toto manſit in ſuo conducto. Hæc Lucas* (Actorum 28.) *res plurimas paucis verbis comprehendens.* Per biennium igitur Paulus tunc in carcere perſeuerauit. Quocirca Baronius itidem Anno 61. Art. 1. in hunc Annum conijcit eius liberam dimiſsionem: cumquè poſtea non diffitetur & Hiſpanias & alias Occidentales Prouincias prædicando peragraſſe. Itaque per me quidem nihil etiam vetat, quominùs ex eo dimiſsionis tempore noſtram quoque Vrbem prædicatione luſtrauerit, quinetiam Protaſium & Geruaſium, Cœnaculo ſponte iam incluſos, peramanter inuiſerit, & in prioribus monitis ac documentis confirmarit. Vniuerſa igitur nobis remanet difficultas de tempore, quo Paulus illos erudierit, antequàm illud ſanctioris vitæ inſtitutum ſuſciperent, ac ſeſe Cœnaculo includerent: quinetiam quo, vt & illud ſuſciperent, & illic ſe includerent, auctor illis extiterit. Ego igitur ad extremum ſic exiſtimo, vt Anno 59. illos ita erudierit Romæ non multò pòſt, quàm illuc perueniſſet; ſi tamen illuc eo Anno peruenit ante ſextam Iulij diem, vt Baronius concludebat: vel in Inſula Melita, ad quam priùs fuerat naufragio appulſus, & in qua tribus menſibus hyemauerat: vel omninò alibi, quàm Mediolani, quò interim veniſſe non poterat. Quòd ſi Paulus eos Romæ potiùs (vt ego quidem opinor) ita erudijt; hinc profectò dignoſci poterit aliquantò diſtinctiùs, quandonam illos ita erudierit; noſquè propterea tunc vel Aprilem vel Maium Anni Quinquageſimi-noni fuiſſe coniectabimus. Certè quidem Petrus Damiani eo in Opuſculo, quod paulò ante indicabam, non obſcurè ſignificauit, hanc ſibi eſſe opinionem, vt Paulus

E 2 alibi,

alibi, quàm Mediolani, Protaſium & Geruaſium erudierit, ac eruditos inde Mediolanum dimiſerit. Sic itaque concludebat: *Sicut ergo Saluator noſter binos ante faciem ſuam Diſcipulos miſit; ita quodammodò vterque Sanctus Apoſtolus* (Petrus & Paulus) *ex magiſterio ſuo* IN HANC VRBEM (Mediolanum) PRÆDICATORES SANCTÆ FIDEI GEMINOS (Petrus Nazarium & Celſum, Paulus Protaſium ac Geruaſium) DESTINAVIT. A

VI. Quærendum nunc ſupereſt, quæſituquè profectò dignum eſt, vbinam eſſet Cœnaculum illud, cui ſe Sancti Fratres, ſolitudinis amantes, incluſerunt, quodquè media in Vrbe noſtra fuiſſe Sanctus Paulus Antiſtiti noſtro Ambroſio ſignificauit. Illud autem ſenes etiam nunc noſtri è maiorum traditione immemorabili affirmant illic fuiſſe, vbi nunc, non longè à Foro Mercatorio, Parochialis Eccleſia extat, quæ communiùs SANCTI PROTASII AD MONACHOS, & nonnunquàm SANCTI PROTASII AD QVERCVM (quippe olim procera ibi quercus in propinquo ſtabat) vocitatur. Diceret fortaſsè aliquis, eam iccircò AD MONACHOS vocitatam; quia Protaſius ibi & Geruaſius Monachorum vitam exercuerint. Sic enim loquebatur Auctor illius Tractatus *De conflictu Vitiorum & Virtutum*, qui decimus eſt nonus in Appendice Tomi Noni Operum Sancti Auguſtini, quiquè nonnunquàm eidem Auguſtino adſcriptus fuit, ſed immeritò; quippe cùm in eo tandem fiat mentio Regulæ Sancti Benedicti, ante cuius ætatem Auguſtinus tot iam annos occubuerat. Sic igitur Auctor ille propè finem loquebatur: *Ecce, vt ad vicinos noſtros veniamus, Protaſius & Geruaſius, in propria hac Mediolanenſi Ciuitate propriaquè domo manentes*, ac PER ANNOS DECEM MONACHORVM VITAM EXERCENTES, *ita perfecti ſunt, vt Martyres fierent*. Sed veriùs ego fortaſsè crediderim, eam Eccleſiam ita nuncupatam; quia Cœnaculum illud primò conuerſum fuerit in Eccleſiam, pro cuius cultu poſtea (& conuenientiſsimè) ſuperadditum re vera fuerit Cœnobium Monachorum ex Ordine Sancti Benedicti. Tales enim Monachi antiquitùs habitabant ibi; ſed aucti poſtea numero maiori, quàm loci eius anguſtia pateretur, plerique inde, non ſine Archiepiſcopi noſtri conſenſu, tranſierunt ad Eccleſiam Sancti Simpliciani, nouumquè ibi ac magis amplum ſibi Monaſterium conſtruxerunt. B C D

VII. Quandonam verò illud ibi conſtruxerint, me quidem ingenuè fateor adhuc neſcire; tametſi vetera ipſius Monaſterij Documenta curioſè fuerim ac diligenter ſcrutatus. Hæc enim humaniſsimè, animoquè illo ſuo ad fauendum bonis artibus earumquè ſtudioſis paratiſsimo, iamdudùm ſuppeditauit mihi meritiſsimus eiuſdem Monaſterij tunc Abbas, Ioannes, cognomento Reſta (de cuius etiam Genitore dicendum mihi in hac ipſa Diſſertatione aliàs erit, hoc eſt Capite 158.) Vrbe tota foriſquè (nedùm inter Ordinis ſui Monachos) celeberrimus, multiſquè Viris Principibus propter egregiam ſuam indolem atque integritatem, necnon

etiam

etiam in tractandis grauioribus negotijs dexteritatem, magno habitus A
in pretio & honore: dixerim etiam grati animi cauſa, ſemperquè prædicauerim, de me multos iam annos quàm optimè meritus. Quoniam tamen ſimul etiam hic agitur de tam inclyto Sanctorum noſtrorum Protaſii ac Geruaſij domicilio; propterea dari nunc mihi opto precorquè hanc veniam, vt ea ſaltem recenſeam, quæ adhuc inuenire potuerim; vtquè nominatim ad verbum recitem ac poſteritati largiar (ne fortè interim caſu aliquo pereat) publicum Documentum, ſatis quidem prolixum, ſed rei præſenti peropportunum; cuius recitandi non alia fortaſsè occaſio mihi vnquàm obtinget; quodquè nonnihil operam mentemquè meam exercuit pro inueſtigatione temporis, quo illud verè conditum fuerit. Etenim verè, ſicut ego oſtendam, conditum fuit Anno B
Domini Milleſimo nonageſimo-nono; & tamen tamquàm ex archetypo recitatur conditum Anno Milleſimo decimo-nono; quinetiam, ita ſeſe in archetypo habuiſſe, tres ad extremum Notarij, de more ſubſcribentes, teſtabantur in eo ipſo exemplari pergameno, quod ego vnicum & authenticum inſpexi.

VIII. Eiuſmodi autem Documento continetur Sententia, per Archiepiſcopum noſtrum Anſelmum, nominis huius Quartum, ritè pronunciata, & his concepta verbis: *Quoniam gratia Sancti Spiritus ſpeculatum Domui Iſrael excelſam turrim Sion Montis conſcendimus; omnibus commiſsis prouidenter inuigilemus; non dantes ſomnum oculis; ſed toto corpore noſtro in circuitu oculatos habeamus aſpectus, ſimiles ſuccenſis carbonibus; oſtendentes vultum ignitæ* C
flammæ lampadum, ad modum animalium, bis binis diuerſæ formæ vultibus ſuper rotas coruſcantium; vt tota Ciuitas in tranquillitate conquieſcat, cùm ſupra Gregem ſuam virgam vigilantem videat; vnde, ſi quem clanculò ſubripientem ab ipſa ſpecula videbimus, vel palàm irruentem ad Domus Dei publicam infeſtationem, nos illis aduerſantes non dubitemus poni pro muro Domus Iſrael, ad pugnandum in prælio. Nunc ergo quia quoſdam ſuperſtitioſa religione videmus in Domo Dei contendere, ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes conſtituere; oportet nos paſtorali cura ſuperintendere; & diſcordes ac contentioſos, qui ſunt in Eccleſia, per arma iuſtitiæ ſub Eccleſiaſticis ſtatutis ad pacem & vnanimitatem reducere. Audiuimus enim, nouiter ſciſſuras eſſe factas in Eccleſia Dei ſub noſtro regimine, Vicinis Sancti Protaſij ſub nomine religionis D
decertantibus pro quadam Eccleſia cum Abbate Sancti Simpliciani. Cur autem hoc ſcandalum exortatur, noſter ex ordine ſtylus proſequatur; vt cunctis clariùs innoteſcat, quid ex auctoritate Sanctorum Canonum à nobis inde cenſeri conueniat. Sed quia ordo & ratio poſtulat; in primis Vicinorum cauſantium poſtulatio clareſcat. Dicunt enim Vicini, ECCLESIAM SANCTI PROTASII OLIM FVISSE MONASTERIVM ABBATIS ET MONACHORVM; BASILICAM VERO SANCTI SIMPLICIANI EX LONGO TEMPORE FVISSE CANONICORVM. *Sed Abbate & Monachis, ad habendam ſolitariam vitam, euitare volentibus Populorum frequentiam: Canonicis verò, velut conſtitutis in agro, non recuſantibus eſſe in Populo;*
talis

talis inter vtroſque facta eſt Commutatio ; vt Abbas & Monachi , cum omnibus rebus ad Monaſterium pertinentibus , ad Eccleſiam proceſſerint Sancti Simpliciani ; item Canonici , cum omnibus ſuis rebus , ad Eccleſiam Sancti deuenerint Protaſij ; vt illi eſſent in ſolitario , iſti in Populo. His rationibus Vicini confidentes , nulloſquè Monachos vlterius ibi ſtare volentes , elegerunt Gualdonem , futurum Præpoſitum Sancti Protaſij Officialium , Abbate , quia in illum turpiter murmurauerant , eius electioni inuito conſentiente , ac omnibus proclamante : Ne fortè tumultus fiat in Populo ; huic electioni quodammodò conſentio ; ſalua tamen noſtri Monaſterij dignitate , noſtroquè priuilegio. Audita Vicinorum ratione , conſequens eſt cauſati Abbatis contradictionem in medium deducere. Dicit enim Abbas , MONASTERIVM MONACHORVM DVDVM FVISSE CONSTITVTVM APVD SANCTVM PROTASIVM. *Cum autem in omnibus Monaſterium abundanter ſuccreſceret , vt copia Monachorum , cum pluribus alijs adhærentibus ad ſocietatem vel famulatum eorum , intolerabilem ferret incommoditatem , propter anguſtiam loci , & ciuilem tumultuationem ;* TRANSMVTATA EST ABBATIA FORIS AD SANCTI SIMPLICIANI BASILICAM , AB IPSO ABBATE OLIM IN PROPRIETATEM ADQVISITAM EX DECRETO ARCHIPRÆSVLIS, QVI ERAT TVNC TEMPORIS ; QVIBVSDAM TAMEN IBIDEM REMANENTIBVS MONACHIS , CVM SVIS MONASTERIALIBVS INSTRVMENTIS , IN MONASTERIO SANCTI PROTASII. *Omnibuſquè patet , ab ipſo die in Eccleſia Sancti Protaſij Monachos ſemper manſiſſe , cum Capellanis , in Eccleſiaſtico officio adminiſtrantibus Populo , in omnibus ſubmiſsis Abbati , ſibiquè ſubmiſſæ Congregationi. His talibus contentionibus Abbas & Vicini tam grauiter diſſentientes , vt Dei Eccleſia vacillanter inquietaretur , omniſquè Ciuitas perturbaretur ; emolliti tandem noſtris crebris ammonitionibus , omnem cauſam noſtro noſtriquè Cleri iudicio terminari ſtatuerunt. Quapropter cum noſtris Clericis & Abbatibus in Secretarium conuenimus ; vt eorum conſilio huius litigij canonicè ventilata enuclearetur ratio. Vbi , lucerna ſapientiæ ſuper candelabrum poſita , vt luceret his , qui in domo ſunt , cùm ex hac cauſa rationem ponerem cum noſtris conſeruis ; non eſt inuentus aliquis , qui commiſſum talentum ſuffodiendo abſconderet ; ſed , apertis theſauris , multipliciter ſuperlucrata nobis poſtulantibus protulerunt talenta. Quibus oſtentatis , expulſa ex ignorantia : introductaquè veritate per legalem dilucidationem ſapientiæ , alterutrum amplexati ſumus brachijs concordiæ. Poſt cuius complexus concorditer cum electis Clericis ibidem ſtatuimus iuſtitiam , ſupradictis contentionibus hactenùs conculcatam , nunc ab ipſo thalamo palàm eductam per Legis peritiam , in craſtinum oris noſtri gladio legaliter ſpondere Populo . . Mane autem vtramque contradictionem . . . . Populo , noſtrum præſtolantibus audire iudicium ; cum eiſdem Clericis & Abbatibus Sanctæ Mariæ conſcendimus pulpitum. Tunc , facto priùs ſilentio , hoc lectum capitulum eſt Ore . . . . pluribus capitulis diligenter à nobis ac noſtro Clero in Secretario conſideratis , inſpectaquè antiqua inſtitutione Monaſterij , & Sancti Simpliciani , & Eccleſiæ Sancti Protaſij . . . . vt*

deinceps

A · B · C · D

deinceps ad Eccleſiam Sancti Protaſij permanſiſſent Clauſtrales Monachi per conſtitutionem Abbatis Sancti Simpliciani; laudantes quoque firmamus eandem Eccleſiam, eiuſquè Eccleſiæ Monaſterium, cum omnibus rebus ad vtraque Cœnobia pertinentibus, amodò manere ſub poteſtate & ordinatione eiuſdem Abbatis. Deinde lectum eſt Capitulum Anacleti Papæ: quo explanato, diximus ad Populum. Præterea conſtituimus, vt omninò pro infecto habeatur, quòd Gualdonem, noſtrum Capellanum, vobis eligentibus dedimus, vt Præsbyterorum & Clericorum Eccleſiæ Sancti Protaſij eſſet Præpoſitus; cùm Abbas Sancti Simpliciani nunc dicat, ac iureiurando aſſerere, ſi volumus, promittat, ſe non voluntariè, ſed per metum eius electionem conſenſiſſe; dicens quoque, ſuam, & nullius alterius, ab antiquo tempore ſemper fuiſſe electionem Capellanorum Eccleſiæ Sancti Protaſij. Quapropter, ſicut noſtra iura noſtraſquè dignitates ſemper ab impugnatoribus debemus defendere legaliter; ſic aliena non debemus cum fratribus . . . . auferre; ſtatuimus etiam, vt ab hac hora & deinceps Abbas Sancti Simpliciani eligat Capellanos Officiales Sancti Protaſij, qui ſuæ poteſtati ſuæquè obedientiæ ſubiaceant, nec alium Præpoſitum habeant, niſi ipſum Abbatem: qui eos regat & cuſtodiat: &, ſi inter ſeipſos vel in alios peccauerint; eos in virga rectitudinis corrigat; eoſquè ad eandem Eccleſiam viuere faciat; vel regulariter in Clauſtro cum ſupradictis Monachis, ſi ipſimet Capellani hanc vitam magis elegerint; vel Canonicè in domibus alijs. Hoc, Fratres, canonicè ſanciuimus: hoc vnà cum noſtro Clero laudauimus: idemquè à vobis omnibus firmiter laudari volumus; vt Vicini & Abbas, vt nunc ſtatuimus, inuiolabiliter teneant. Et dixit omnis Populus: Fiat, fiat.

EGO ANSELMVS, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPVS, A ME FACTO SVBSCRIPSI.

Hoc actum & dictatum eſt ab Ariprando Cancellario Anno Dominicæ Incarnationis MXIX. quarto Nonas Februarij, Indictione ſeptima.

Ego Armannus, Brixienſis Epiſcopus, interfui, & ſubſcripſi.

Ego Guillielmus, Sancti Ambroſij Abbas, interfui, & ſubſcripſi.

Ego Bonus-Senior, Regienſis Epiſcopus, interfui, & ſubſcripſi.

Ego Arialdus, Sancti Dionyſij indignus Abbas, ſubſcripſi.

Ego Bellotus, filius quondam Ambroſij Gambarelli, Notarius Sacri Palatij, authenticum huius exempli vidi, & legi: in quo continebatur, ſicut in iſto legitur exemplo, præter litteras pluſuè minùs.

Ego Niger, filius quondam Girami de la Fragia, de Burgo Portæ Cumanæ, Notarius Domini Henrici Imperatoris, hoc exemplum ab authentico exemplato vidi, & legi: & ſic in eo continebatur, vt in iſto legitur exemplo, extra litteras plus minuſuè.

Ego Martinus, filius Nigronis de la Fragia, de Burgo Portæ Cumanæ, Notarius & Miſſus Domini Ottonis Imperatoris (nempè Quarti) *hoc exemplum ab authentico ſigillato exemplaui: in quo continebatur, ſicut in iſto legitur exemplo, præter litteras plus minuſuè.*

IX. Sic igitur ad verbum ſe habet ſuperior Anſelmi Archiepiſcopi noſtri Sententia in eo exemplari, quòd, ex Archiuo Monaſterij Sancti Simpliciani depromptum,

depromptum, ego legi, ſummaquè cum fide exſcripſi, exſcriptumquè recognoui. Sed in eo tamen, vt ſuprà dicebam, & vt argumentis mox euincam, erratus eſt Annus Dominicæ Incarnationis: atque pro Milleſimo decimo-nono legendus eſt Milleſimus nonageſimus-nonus. Cur autem ita fuerit erratum; ego quidem diuinare inſuper auſim; & coniectura ex eo deducta, quod mihi quoque aliquando contigit, vetera Monaſterij hac in Vrbe Ambroſiani Documenta lectitanti: quodquè me vel errare, vel in ſuſpenſo ſaltem hærere coegiſſet, niſi alterum exemplar archetypum & in ea parte integrum & illæſum nactus eſſem. Sicut igitur per ea tempora ſeries Annorum indicari notis numeralibus ſolebat; ita Sententiæ illius Annus certus ac definitus credi poteſt hunc in modum indicatus, MLXXXXIX. Fortè autem poſtea notæ omnes illæ, inter primam & tres poſtremas collocatæ interciderunt; ſiue quia ibi propter complicationem aliamuè cauſam corroſa eſſet charta; ſiue quia notæ ipſæ caſu aliquo forent aliter obliteratæ. Quocirca hæ tandem ſolæ Notarijs illis apparuerunt M. XIX. ijdemquè propterea exſcripto etiam Anno MXIX. ſubſcripſerunt in eum, quem videbamus, modum.

X. Quòd ſi fortè coniectura hæc non ſatis placet; placeant ſaltem argumenta, quibus error ipſe conuictus tenetur, qualicumque proceſſerit ex cauſa. Ea verò deſumenda erunt è noſtris Baſilicæ Ambroſianæ ac Monaſterij Monumentis, Anno 1645. in publicum typographico prælo iam euulgatis. Anno quippe Milleſimo nonageſimo-nono Anſelmus erat Archiepiſcopus noſter, hoc nimirùm nomine Quartus; tunc Ariprandus erat Archiepiſcopi noſtri Cancellarius; tunc Armannus erat Epiſcopus Brixienſis, Bonus-Senior autem Regienſis; tunc Guillielmus erat Sancti Ambroſij Abbas, Arialdus verò Sancti Dionyſij; tunc etiam verè ſeptima erat Indictio: & hæc omnia ibi conſtant è Numeris 284. 289. 312. & 323. Contra verò recolantur ibidem quæ narrabamus Num. 213. Annoquè Chriſti ſupra Milleſimum decimo-nono, Vbinam tunc Archiepiſcopus noſter nomine Anſelmus? Nonne per annos multos in eum vſque Annum præfuerat Arnulfus? Nonne poſtea inde in multos Aribertus annos proximè ſucceſsit? Vbinam pariter tunc erat Arialdus San-Dionyſiani Abbas Monaſterij? Id profectò necdùm fuerat extructum, ſicut illic oſtendimus Num. 228. Quid, quòd etiam decimi-noni eius Anni menſe Februario, non ſeptima Indictio, ſed ſecunda (ſicut ex Indictionum Tabulis apparet) excurrebat? Conſule verò etiam Brixienſium Tabulas Epiſcoporum; nuſquàm eo decimo-nono vel circiter Anno Armannum Epiſcopum inuenies. His igitur argumentis nos pro certo concludimus, in archetypo illo exemplari Sententiæ, per Anſelmum Archiepiſcopum pronunciatæ, ſcriptum verè fuiſſe Annum Incarnationis Dominicæ nonageſimum-nonum ſupra Milleſimum; ſed aliquo poſtea errore ſubſtitutum illi fuiſſe Milleſimum decimum-nonum in eo exemplari, quod in manus incidit noſtras. Nunc ad vtrumque illud Monaſterium, Sancti Protaſij, & Sancti Simpliciani, denuò feſtinemus.

XI. Sicut

XI. Sicut autem ſuperiori è Sententia dignoſci non poterat, quo præciſè tempore plerique Monachorum è Sancti Protaſij Monaſterio tranſierint ad Sancti Simpliciani Eccleſiam, nouumq; ibi Monaſterium ædificarint; ita mihi aliunde conſtat, vtrumque illud Monaſterium iam extitiſſe Anno Domini octuageſimo-primo ſupra Octingenteſimum. Ioannes Papa, huius nominis Octauus, Romanam Sedem obtinuit ab Anno 871. vſque ad 883. ſicut ego in meis Monumentis Num. 140. & 141. contra Baronium probabam. Interim verò per Epiſtolam ſuam (quæ in Tertio Decretalium Epiſtolarum Tomo eſt 264.) datam *quarto Idus Martij, Indictione decima-quarta*, proindequè Anno Domini Octingenteſſimo octuageſimo-primo, ſub Sedis Apoſtolicæ tutela recepit Hadericum, vtriuſque illius Monaſterij Abbatem. Quocirca etiam ſic ad ipſum ſcribebat: *Igitur, quia* TE HADERICVM, VENERABILEM PRESBYTERVM (ſiue Sacerdotem) ET ABBATEM SACRORVM MONASTERIORVM, BEATORVM SCILICET GERVASII ET PROTASII, ATQVE SIMPLICIANI, NECNON ET XENODOCHII SANCTORVM COSMÆ ET DAMIANI, QVOD ROMANORVM DICITVR, *& alia tua Beneficia, vel patrimonia, intra vel extra Ciuitatem Mediolanenſem conſtituta, fideli deuotione, totoquè mentis conamine, pro priſtino ſtatu & vigore atque reſtitutione Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, ter quaterquè* IN OBSEQVIO ANSPERTI, REVERENDISSIMI ARCHIEPISCOPI TVI, ATQVE CONFRATRIS NOSTRI, *deuotum atque in omnibus fideliſſimum permanere atque decertare, omninò & euidenter comperimus*: ET LEGATIONEM AMBROSIANÆ ECCLESIÆ CATHOLICA FIDE TE, *& prout vires ſuppleuerunt*, ARDENTISSIMO AMORE EXPLERE, *crebrò cognouimus* &c. Eiuſdem verò Monaſterij Sancti Protaſij mentionem faciebat etiam Garibaldus Epiſcopus Bergomenſis Anno Domini 869. illudquè nominabat *Monaſterium Sanctorum Geruaſij & Protaſij, ſitum infra Ciuitatem Mediolanij*; ſicut ego è publico ipſius Documento recenſui meis in Monumentis Num. 120. Itaque ſic etiam ibi propè finem concludebam: *Illud autem Sanctorum Geruaſij & Protaſij Monaſterium intra Vrbem, illic erat, vbi nunc Parochialis eſt Eccleſia, Sancti Protaſij* AD MONACHOS *nuncupata: & vbi olim Sanctos illos fratres traditio eſt Cœnaculo concluſos lectioni & orationi per decennium adhæſiſſe; ſicut habetur in Libello Philippi, iam in ſuperioribus allegato. Eiuſdem verò Monaſterii mentionem videre item licet in Ioannis Papæ Octaui Epiſtola 264. quo tempore tam illius, quam Sancti etiam Simpliciani, necnon etiam Xenodochij Sanctorum Coſmæ & Damiani, quod* ROMANORVM *dicebatur, vnus idemquè Abbas erat, nomine Hadericus, de Anſperto Archiepiſcopo dequè Mediolanenſi Eccleſia quàm optimè meritus*. Hæc igitur ego tunc ſcribebam; neque tamen tunc in mentem mihi veniebat illius Eccleſiæ, Sanctis Coſmæ ac Damiano nuncupatæ, quæ illic in propinquo adhuc conſiſtit, & vbi nunc Monachi habitant Hieronymiani: quos vulgò Monachos appellamus Caſtellatij, deſumpta videlicet appellatio-

A B C D

ne ex altero ipſorum Monaſterio, quod in ſuburbanis Portæ Ticinenſis A
ſitum eſt, atque Caſtellatij Monaſterium communiter appellatur; Illic igitur ego tandem iam coniecerim Xenodochium extitiſſe illud, quod ROMANORVM vocabatur; itaut illi etiam Sanctorum Protaſij & Geruaſij Monaſterio ſuum quoque Xenodochium in propinquo ſtaret; ſicut & alijs ſuum cuique olim ſtare conſueuit. Illud tamen hodie non eſt Monaſterium, ſed Eccleſia tantùm Parochialis, & à Clero tantùm Sæculari adminiſtrata, verumtamen Abbati Sancti Simpliciani ſubeſt adhuc hac in parte; quia bini eius Parochi Titulares ab ipſomet Abbate in præſentem vſque diem, tamquàm ius habente Patroni, eliguntur. Et hæc quidem ſatis in præſenti ſuperque ſint ex occaſione Cœnaculi eius tam inſignis, cuius indicare ſitum cupiebamus. B

XII. Sed inſuper domus etiam hodie in eo confinio monſtratur, vbi traditio pariter antiquiſsima eſt ſitam olim fuiſſe Sanctorum Protaſij ac Geruaſij domum: in cuius rei memoriam ibi viſitur etiam hodie cubiculum, cuius parieti circumquaque in ſuperiori parte multis ab hinc annis appicta extant eorumdem Sanctorum geſta. Hanc ipſam verò domum egomet vnà cum ſene, rerum eiuſmodi ſtudioſo, ingreſſus fui: cumquè partes ipſius omnes diligenter inſpexiſſem, illas comperi re vera tales, quales ipſe mihi iam deſcripſerat. Operæ igitur noſtræ pretium erit eandem Lectori noſtro domum indicare. A Mercatorio illo è Foro, quod ego ſupra nominabam, quodquè media ferè in Vrbe ſitum eſt, in Por-
tam Vrbis Nouam rectà tenditur per Vicum, cui Sanctæ Margaritæ co- C
gnomentum hæſit è proximo Monialium Monaſterio & Eccleſia, eidem Sanctæ Virgini ac Martyri nuncupatis. In eiuſdem verò Vici latere, quod prodeuntibus è Foro dexterum eſt, Viculus item occurrit peranguſtus, qui DVORVM MVRORVM appellatur. Viculum ergo ipſum illac introeuntibus dextera & prima domus, anguliquè faciens formam, illa eſt, vbi ſuam olim habuiſſe domum Sancti Protaſius & Geruaſius dicuntur: quæ proinde paruo admodum interuallo ab ipſorum Cœnaculo diſtabat. Quo quidem in Cœnaculo dum ipſi ſponte incluſi ſeſe lectione oratione ac ieiunijs exercent; nos Nazarium inquiramus; &, quid agat, percunctemur.

CAPVT

CAPVT X. A

Sanctus Nazarius poſt ſuum ab Vrbe Roma diſceſſum Anno vndecimo, Chriſti autem circiter Sexageſimo-quarto, Mediolanum venit: & hic Protaſium ac Geruaſium inuiſit; at non in carcere, ſed in Cœnaculo, cui ſe ſponte incluſerant. Ob Chriſtiana tamen Fidei confeſsionem ac prædicationem, non multò poſt fuſtibus verberatus, hinc pellitur.

I. DOleo equidem, quòd in præſenti Capite neceſſe ſit, vt ab eo apud Mombritium Auctore nonnihil diſſentire incipiam, cui hactenùs adhæſi, deſcribens Nazarij Vitam, & cui pariter in B poſterum adhærere per omnia poſſe peroptarem. Ex parte tamen mea id ſtudio dandum erit veritatis, quam vnicè conſectari cupio, & ab erroribus quandoque commixtis ſecernere. Auctori autem illi ſicut innotuiſſe non videtur notiſsimus ille nobis Philippi Libellus; ita etiam facile fuit in carcerem commutare Cœnaculum illud, carceri ſimile, cui Protaſius & Geruaſius vltrò ſe incluſerant, & cui Petrus etiam Damiani nomen carceris indidit in eo Sermone, quem ſupra ego nominabam. Inquit enim: *Beatiſsimi Geruaſius & Protaſius, vtroque Parente, non dicam orbati, ſed potiùs ſplendidiſsima eorum morte feliciter illuſtrati;* SICVT IN SANCTA EORVM REFERTVR HISTORIA (ecce rursùs, quanti fecerit eum Philippi Libellum, quem C ſine dubio innuit his verbis) *nihil terrenum nihilquè carnale concupiſcentes,* SED VNO SE COENACVLO CONCLVDENTES, *per decem annos lectioni & orationi vacauerunt.* Et paulò pòſt: *De populoſa Vrbe faciunt eremum: diuerſorium habitandi vertunt in Oratorium.* Et rursùs: *De tota Mundi latitudine vnam ſibi glebam* ANGVSTISSIMI CARCERIS *eligunt: vbi, collectis à vanitate Mundi vndique ſenſibus, ſolam Creatoris ſui ſpeciem medullitùs contemplantur.*

II. Cæterùm Auctor ille anonymus ſuam de Nazario Hiſtoriam verbis ſuperioribus, à me tandem Capite quinto recitatis, hunc in modum attexit: POST ANNOS AVTEM DECEM DISCESSIONIS SVÆ AB VRBE ROMA *ingreſſus eſt Ciuitatem Placentinam, prædicans remiſsionem peccatorum per Baptiſmum ſalutis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* D TRANSACTIS ETENIM PAVCIS DIEBVS VENIT MEDIOLANVM. *Vbi dum verbum Dei ſedulè prædicaret: & curioſè inquireret, ſi qui ibi Chriſtiani nominis cultores haberentur;* INVENIT, CONFESSORES CHRISTI PROTASIVM ET GERVASIVM AB ANOLINO PRINCIPE CVSTODIRI, ET MANCIPATOS TENERI; QVI ET VIRTVTES MVLTAS OPERABANTVR IN CARCERE. *Sed nondùm tormentis interrogauerat eos; eo quòd eſſent generoſitate glorioſi; quos & ſperabat ſe poſſe per diuturnam carceris macerationem à bono propoſito reuocare.*

III. *Quibus Beatus Nazarius in prædicatione factus eſt conſors & ſocius, confortans eos,*

eos, ne momentanea & tranſitoria pauerent tormenta, qui gaudium cæleſtis Regni, ſine fine manſurum, à Domino expectarent promiſſum. Nec fructum tantæ ſpei, diuturno labore quæſitum, amitterent; quem vſque in finem perſeuerantibus crederent ineffabili retributione munerari. Monens eos viriliter agere, & contra antiqui Hoſtis certamina ſemetipſos præliaturos armare; vt, victo ſatellite, in conſpectu gloriæ Dei digni inuenirentur. A

IV. *Cumquè his & multis exhortationibus eorum animos ad amorem Chriſti accenderet: & per omnem Ciuitatem Chriſtum crucifixum verum Deum aſſereret; diutiùs latere non potuit. Nunciatum eſt de eo Anolino, Præſidi Italiæ. Qui, ſtatim miſſa apparitione, ad ſe eum cum celeritate pertrahi iubet. Cui & dixit: Tu es Nazarius, qui Chriſtum neſcioquem crucifixum prædicas, perſuadens hominibus Dijs noſtris nec thus adolere, nec ſacrificia prælibare? Beatus Nazarius reſpondit: Illi Dij non ſunt, ſed ſunt opera manuum hominum: in quibus dum cæco corde credendo confiditis, verum Deum, qui eſt in Cælis, improbo ſenſu derelinquendo contempnitis. Indignatus his verbis Anolinus, iuſsit eum fuſtibus verberari, dicens: Deos, quos non colis, ne vituperes: & præcepit,* EVM PROIICI EXTRA CIVITATEM. *Qui, gaudens pro confeſsione nominis Chriſti, pergebat de loco in locum, monens & dicens, vnum Deum eſſe in Cælis, omnia autem ſimulachra Dæmonia eſſe; clamante Propheta: Omnes Dij Gentium Dæmonia, Deus autem noſter Cælos fecit.* B

V. Inter hæc autem, ſicut Nazarius poſt ſuam ex Vrbe Roma profectionem agebat vndecimum annum; ita etiam Protaſius & Geruaſius è decennio illo ſuo, quod ſuomet in Cœnaculo tranſegiſſe ſupponuntur, quintum circiter annum tunc agebant; iſquè Chriſti Domini Annus erat circiter Sexageſimus-quartus. Sicut igitur initio Capitis huius præfabar, placere mihi non poteſt, quòd Auctor ille hos Sanctos Fratres iam ſupponeret ab Anolino Italiæ Præſide in carcerem coniectos. Quod quia Græcus etiam ille Auctor apud Surium die 19. Iunij ſimiliter ſuppoſuit; idcircò ne ille quidem hac in parte placere poteſt. C

CAPVT XI.

Nazarius, à Sancta Perpetua matre ſua per viſum admonitus, Mediolano in Galliam proficiſcitur: ibiquè, in Vrbe Cimello, alumnum & ſocium ſibi accipit Celſum puerum, natione verè Gallum, non Genuenſem. D

I. E*Adem denique nocte* (ſequitur Mombritius ex eodem Auctore) *Beatiſsima mater eius Perpetua per viſum aſtitit ei dicens: Tranſi nunc à terra hac; quia & Galliarum Ciuitatibus oportet te Chriſti Euangelium prædicare. Surgens autem ibat docendo, quos poterat verbo aggregare, baptizans eos in nomine Trinitatis, donec venit in Ciuitatem Galliæ, quæ dicitur* CIMELLVS. *In qua dum multorum corda*

ad

Digitized by Google

ad amorem Dei incitaſſet: & illuminati Baptiſmo Omnipotentis Dominum Ieſum A *Chriſtum credendo confiterentur; mulier quædam nobilis, ex primarijs Ciuitatis, quæ & ipſa iam per Sanctum Nazarium Chriſto credens, detulit ei filium ſuum,* CELSVM *nomine; & prouoluta ad pedes eius rogabat, dicens: Hic puer ſequatur veſtigia tua, & baptizetur. Suſcipiens puerum, baptizauit eum: & confirmatum in omni fide Trinitatis, atque myſterij ſacramento inſtructum, ſecum eum ire præcepit.*

II. Sed pluſculum etiam de Sancto Celſo exprimit, & obſeruatu dignum, Græcus Auctor, è Metaphraſte productus à Surio, Tomo Tertio, die 19. Iunij. Sic enim narrat: *Porrò autem illa nocte viſa eſt Mater Nazario adeſſe: & eum hortari, vt obiret Galliæ Ciuitates, & in eis deijceret ſemina veritatis. Ille autem, vt ei à Matre dictum fuerat, venit* MELIAM *(eſt* B *autem ea vna Galliæ Ciuitas) & omnes, quos conueniſſet, deducit ad Dei cognitionem, & apertè prædicat pietatem. Interim autem ad eum accedit fœmina quædam illuſtris, & ex primis Ciuitatis; adducens, quem habebat, filium, nomine* CELSIVM, IAM TRES ANNOS NATVM: *& deponit ipſum in eius manibus: Sequetur te hic puer, dicens; in omni via, donec ipſe quoque dignus euaſerit, qui ſiſtatur ante thronum Domini Chriſti. Et illa quidem diſcedit. Nazarius autem infantem lubenter accipit:* QVEM PROPEMODVM IN VLNIS CIRCVMFEREBAT. *Cumquè preces dixiſſet conſuetas; eum per Baptiſmum efficit Deo familiarem; quoniam nec alium nouerat verum honorem, niſi cum Deo coniunctionem & familiaritatem.* His conſentit Alphonſus Vigliega, in Prima Parte Operis inſcripti *Flos Sanctorum*, die 28. Iulij. C Petrus autem Ribadeneira Celſi matrem aſſirmat nomine Marianillam fuiſſe.

III. Ciuitas tamen illa, Celſi patria, CIMELLVS, aut MELIA, quandoque aliter ab alijs Scriptoribus nominatur: videlicet GIMELLIS à Vincentio Bellouacenſi, Libro 9. Speculi Hiſtorialis, Cap. 51. GEMELLVS à Iacobo de Voragine in Legenda Sanctorum, Capite 97. GIMELLVS à Petro de Natalibus, Lib. 6. Cap. 150. Sed hi tamen omnes in vnam eamdemquè Galliæ Ciuitatem ſine dubio conſentiunt.

IV. Ex aduerſo autem Sanctus Antoninus Prima Parte Chronicorum, Titulo 6. Cap. 27. longè aliam indicaſſe videtur. Eam enim vocaſſe legitur GENVAM: & ita legitur in eorumdem Chronicorum editione Lugdunenſi, D non tantùm Anni 1587. (cui nexæ ſunt eruditæ Annotationes Petri Maturi, è Societate Ieſu Presbyteri) ſed etiam Anni 1545. cuius exemplar ego iamdudùm legeram in Bibliotheca celeberrimi Clericorum Seminarij, hac in Vrbe conſtructi, cùm illic præſenti Sæculo Præfecturam Studiorum exercerem ab Aprili menſe decimi-noni Anni vſque ad vigeſimi-ſexti Nouembrem: necnon etiam recenter recognoui. Tali profectò Antonini teſtimonio innixus Marianus Grimaldus, Genuenſis, ex Ordine Diſcalceatorum Sancti Auguſtini religioſus, contendit, Sanctum Celſum patria Genuenſem fuiſſe. In eius enim Vrbis Sanctuario, quod Anno Sæculi huius decimo-tertio typis Genuenſibus impreſſum

euulgauit,

euulgauit, eiuſdem Sancti Celſi Vitæ ſic præfabatur: *La ſua Vita, raccolta da quello che di lui ſcriue Sant'Antonino Arciueſcouo di Firenze, è come di ſotto. Mà, innanziche cominciar' à narrarla, parmi ſarà bene diſciogliar' vn' non picciol dubio, che à molti potrebbe occorrere, circa la verità dell' Hiſtoria, che hò da raccontare; eſſendoche vi ſono moltiſsimi Auttori, quali affermano, San' Celſo non eſſer ſtato raccomandato al Santo Vecchio Nazario* (hunc verò perperàm vocat ſenem, vt ex parte iam vidimus & infra videbimus) *in Genoua, mà in vna Città del Regno di Francia, chiamata* MELIA, *alla quale egli andò per diuina inſpiratione. Dico adonque, che, non oſtante la contrarietà di moltiſsimi,* E VERISSIMO, *ch'ei gli fù dato da vna Matrona illuſtre in Genoua, come dice bene Sant' Antonino. Al quale non tanto s'hà da dare ferma credenza per eſſer Santo, quanto che eſſendo Italiano, e molto vicino à Genoua, puote molto meglio ſaper quello, che ne ſuoi ſcritti afferma circa di queſto, che qualſiuoglia altro, che per la molta diſtanza de luoghi meno commodamente puote ſaper'la verità. Al che dà non mediocre confermatione; che, eſſendo coſa certiſsima ed indubitata, eſſer ſtato San' Nazario in Genoua, ed hauerli il primo predicato la ſanta Fede di Chriſto, che ſubitamente vi fù accettata, nondimeno eſſi Auttori niuna mentione di ciò fanno; e volendoli ſcuſar noi da qualche paſsione, che poteſſero hauer' in ſcriuere, altro non poſsiam dire, ſenon, che non lo ſeppero, e perciò non lo ſcriſſero. Si che in queſto è molto più ragioneuole dar fede ad huomo, che, per eſſer Santo, non ſi può preſumer' che voleſſe dire e ſcriuere ſenon la pura verità: e, per eſſer vicino, puote ſaperlo beniſsimo. E ſe bene per molte altre inconuenienze e contradittioni, che manifeſtamente in molti de Scrittori ſi veggono nell' Hiſtoria di queſti Santi, ſi potrebbe ciò prouare; nondimeno, perche non fù mai intentione mia di taſſare ne riprender' alcuno, contentandomi ſolo che ſi vegga che io non inſogno ne chimerizo quello che ſcriuo, mà lo fò con probabilmente buono fondamento di verità: e, non potendola fermamente ſapere, con veriſimilitudine ad eſſa; baſtami con queſta hauer' auuertito il Lettore. Al quale però ſempre intendo (come altre volte hò detto) laſciar' libero il ſuo giudicio, di poterſi appigliare à quel che più gli piace: eſſendo di più apparecchiato ſempre, che da più probabil verità fuſsi conuinto, di ſottoſcriuermi al parer loro, e laſciar' l'opinion' mia. La qual' per adeſſo parendomi aſſai ben' fondata in Sant' Antonino; dico, che la Vita di San' Celſo, inſieme con quella di Nazario, l'vno Cittadino, l' altro Apoſtolo di Genoua, fù la ſeguente.*

A B C D

V. Subinde igitur Frater hic Grimaldus ipſorum Vitam, velut ex Antonini Chronicis deſcribit; ſed ita tamen, vt ab ordine declinet, quem ille in deſcribendis eorum itineribus ſeruarat. Nazarium enim aſſerit ex Vrbe Roma & alijs Italiæ Ciuitatibus Oppidiſquè circiter Annum Domini Quinquageſimum perueniſſe Genuam: & ibi Celſum ab eius Matre in diſciplinam & ſocietatem accepiſſe. Inde verò eos veniſſe Mediolanum; ſed hinc ab Anolino Vrbis Præſide pulſos iuiſſe in Galliam; ibiquè ab eius Prouinciæ Præſide coniectos in carcerem, ac poſtea dimiſſos perueniſſe Treuerim. Rurſùs autem illic comprehenſos, Neronis iuſſu de-

ductos

ductos fuiſſe Romam, & in mare deiectos; ſed inde tamen incolumes A
euaſiſſe; iterumquè Mediolanum reuerſos, obtruncatione capitis necatos
Anno Domini Quinquageſimo-ſeptimo fuiſſe.

VI. Contra verò Sanctus Antoninus Nazarium narrabat anno ſuæ ab Vrbe
Roma egreſsionis decimo veniſſe Placentiam; indequè Mediolanum:
hinc verò tendentem in Gallias, perueniſſe Genuam (ſicut in ſuperiori-
bus illis editionibus legitur) ibiquè ſibi Celſum aſſociaſſe. Cùm verò
indè Treuerim ambo perueniſſent, comprehenſos, & Romam deduc-
tos ad Neronem, ipſius mandato in mare demerſos. Euaſiſſe tamen inde
penitùs illæſos, ac Genuam perueniſſe; indeque denuò Mediolanum.
Veruntamen Nazarium ſolum, rurſus hinc pulſum, rediiſſe Romam,
indequè tertiò Mediolanum: & hic tandem vnà cum Celſo cæſum eſſe B
circiter Annum Domini Quinquageſimum-ſeptimum. En igitur, vt
Nazarius ex Vrbe Mediolano tunc in Galliam tendebat, quando Ge-
nuam prima vice peruenit. Ecce pariter, quemadmodùm inde poſtea
continuato itinere Treuerim etiam profectus eſt. Sed ipſummet Anto-
ninum audiamus. *Decimo autem* (inquit) *annò egreſsionis ſuæ ab Vrbe*
(Roma) *Placentiam, & inde Mediolanum adueniens, Sanctos Geruaſium &*
Protaſium ibi in carcere retineri reperit. Audito autem, quòd per Nazarium ad
conſtantiam Fidei animarentur; citò vinctus ad Præfectum trahitur; & in con-
feſsione nominis Chriſti perſeuerans, fuſtibus verberatus extra Ciuitatem eiici-
tur. Dum autem de loco ad locum pergeret, Mater eius, quæ iam obierat, ei
apparuit; &, QVOD AD GALLIAS PERGERET, *in ſomnis admo-* C
nuit. Cùm autem GENVAM *aduenisſet, & plures ibi prædicando conuertiſſet,*
quædam Matrona filium ſuum, elegantem puerum, nomine Celſum, ei obtulit;
rogans, vt eum baptizaret, & ſecum duceret. QVOD AVDIENS PRÆ-
FECTVS GALLIARVM, *ipſum cum puero Celſo, vinctis retrò manibus,*
& collo catena conſtricto, in carcerem detruſit; vt die ſequenti eum tormentis
afficeret. Tunc Vxor eius miſit ad eum, dicens, iniuſtum eſſe iudicium, vt
innocentes occideret; & quòd Deus Omnipotens hoc vindicare præſumeret.
Quibus verbis Præfectus correptus, Sanctos abſoluit; ſed, ne ibi prædicarent,
interdixit. VENIT EXINDE AD CIVITATEM TREVERIM &c.
Teſte igitur Sancto Antonino, Ciuitas illa, in qua Nazarius ſibi Cel-
ſum accepit, erat vna è Galliæ Ciuitatibus, è quibus profectò non erat D
Mediolanum; ſic etiam illac Treuerim tendebatur: quinimmò Præfec-
tus ei præſidebat Galliarum: quæ tamen in Genuam, Liguriæ Vrbem
clariſsimam, pro rei veritate non conueniunt. De qua idem Grimaldus
propè finem Vitæ horum Sanctorum ſic etiam diſertiſsimè ſcripſit: *In*
Genoua preſto ſi riceuè la Fede, e mai ſi laſciò: NE VI FV TIRANNO,
CHE PERSEGVITASSE I CHRISTIANI: *il che non gli è di mediocre*
lode: eſſendoche arguiſce probabilmente, che in quel tempo non fuſſe ſoggetta à
Romani: i quali ſe pur v'haueuano giuriſdittione; doueua eſſer di compagnia
ed amiſtà; eſſendogli lecito d' oſſeruar le ſue leggi, e mantenerſi nel ſuo ſtato,
ſenzache vi mandaſſero TIRANNI *li quali, come in ogn'altra parte faceuano,*
perſe-

perſeguitaſſero i Chriſtiani. Talibus igitur eius Vrbis, ab Antonino indicatæ, qualitatibus, atquè adeò ipſiuſmet Antonini ſententiæ, conſentaneum non videtur, Genuam, Liguriæ Vrbem, fuiſſe illam, cuius Ciuis erat Celſus, & in qua traditus Nazario in diſciplinam & in ſocietatem fuit. Et hæc quidem prima nobis eſt cauſa, cur ſuperiorem Antonini textum ſuſpicemur in ijs editionibus deprauatum, contraquàm ipſe ſcripſiſſet. A

VII. Secunda verò eiuſdem ſuſpicionis noſtræ cauſa hæc eſt; quòd in eiuſdem Antonini Chronicis, Anno Domini 1484. impreſſis in celeberrima Ciuitate Rurembergа per Antonium Koberger, illius Ciuem; Ciuitas illa, Celſi patria, non appellatur GENVA, vel IANVA, ſed GENEBELLIS. Eius enim editionis exemplar ego reperi legique in Bibliotheca Conuentus Sanctæ Mariæ Gratiarum, hac in Vrbe conſtructi, & à præſtantiſsimo Fratrum Prædicatorum Ordine poſſeſsi: eoque in exemplari ſic item legitur Prima Parte, Titulo 6. Capite 27. *Dum autem de loco ad locum pergeret* (Nazarius) *Mater eius, quæ iam obierat, apparuit, &* QVOD AD GALLIAS *pergeret, in ſomnis admonuit. Cùm autem* GENEBELLIS *aduenſſet: & plures ibi prædicando conuertiſſet; quædam Matrona filium ſuum, elegantem puerum, nomine* GELSVM, *et obtulit &c.* Deinde autem narrato, quemadmodùm ſimul cum Celſo euaſiſſet Nazarius è mari ſaluus & incolumis; tum additur: *Deinde* IANVAM *accedens, cùm multos ſua prædicatione conuertiſſet; poſtmodùm Mediolanum peruenit.* B

VIII. Sed ea quoque ratio tertia huc accedit, quòd Sanctus Antoninus in enarranda Sanctorum Nazarij & Celſi Vita nihil in cæteris diſſenſit ab anonymo illo apud Mombritium Auctore, nihil à Vincentio Bellouacenſi, nihil à Iacobo de Voragine, nihil à Petro de Natalibus. Itaquè vocabulo etiam illo GENEBELLIS non aliam indicaſſe videtur Ciuitatem, quàm illam, quæ ab ipſis olim fuerat appellata CIMELLVS, CIMELLIS, GEMELLVS, GIMELLVS; cùm præſertim poſteriore illo in loco, ſecundùm editionem Anni 1484. expreſsè IANVAM nominarit, tamquàm Ciuitatem à GENEBELLIS diuerſam; ſicut & Auctores illi vetuſtiores iam fecerant, & nos infra oſtendemus. Propter has ergo cauſas & rationes textus ille Sancti Antonini, qualis in editionibus Anni 1545. & 1587. continebatur, mihi videtur ab ipſius Antonini mente alienus, & ab alio quopiam homine deprauatus. C

IX. Quid ſi autem Sanctus Antoninus ita prorsùs ſenſiſſet ſcripſiſſetquè ſicut in eis duabus editionibus continetur? Ego quidem nihilominùs à vetuſtiorum illorum Scriptorum auctoritate ac ſententia non recederem. Ac ſanctitatem quidem tanti Archiepiſcopi & prædico, & amo, & admiror: eumquè propterea indubitanter credo nec ſponte falli nec alios fallere in conſcribendis Chronicis voluiſſe. Atqui ne propterea quidem Grimaldus ipſe id ſibi ad defendendum aſſumeret, illius Chronica eſſe omni prorsùs errore immunia: & ſi fortè aſſumeret; ſtatim profectò

à Viris

à Viris doctis exploderetur. Sic etiam Florentinus patria ille fuit, nec- A
non etiam Florentiæ Archiepiſcopus: reſquè Genuenſium propter pro-
pinquitatem noſſe potuit multò commodiùs, quàm ij, qui procul ab ea
Vrbe diſtarent. Atqui ſeptuagenarius etiam ille obijt Anno Domini
1459. nec ad illud vſque tempus quiſpiam Rerum Genuenſium Scrip-
tor proferri poteſt, qui Sanctum Celſum aſſeruerit eius Vrbis Ciuem.
Quomodo igitur Antoninus idipſum propter propinquitatem tam com-
modè noſſe potuerat? Numquid verò id potuerat commodiùs etiam,
quàm olim Iacobus à Voragine potuiſſet? Ex Oppido Voraginis hic
nempè fuit: quod in ora maritima Ligurum non longè à Genua ſitum
eſt, vt verè docet Sixtus Senenſis Libro 4. Bibliothecæ Sanctæ. Cumquè
multos annos intra Sancti Dominici Familiam religiosè vixiſſet, ac miri- B
ficè in litteris etiam profeciſſet; Anno tandem Domini 1292. creatus
fuit Archiepiſcopus Genuenſis; quinetiam ſecundo ſui Archiepiſcopa-
tus Anno, poſteaquàm opportunas quaſquè temporum ſuperiorum me-
morias diligenter inueſtigaſſet, Chronica eius Vrbis ſcribere aggreſſus
eſt; necnon etiam illa eouſque ab initio ad ſua tempora deduxit, vt de
ſemetipſo tandem, Archiepiſcoporum eiuſdem Vrbis poſtremo, nonnul-
la etiam narrauerit, quæ Anno Domini 1296. geſta fuerant. Sic enim
conſtat ex ipſiſmet eius Chronicis, quæ manuſcripta conſeruantur in
Ambroſiana Bibliotheca. Et tamen ille Quarta eorumdem Chronico-
rum Parte, Cap. 2. aſſeruerat, Celſum non ante fuiſſe in Vrbe Genua,
quàm illuc ipſe ac Nazarius, è mari diuinitùs elapſi, appuliſſent. In C
Legendario autem Sanctorum expreſsè profeſsus iam ante fuerat, Celſi
patriam fuiſſe, non Genuam, ſed GEMELLVM. Reliquum eſt igitur,
vt hac in re credendum exiſtimemus huic potiùs Auctori, quàm Sancto
Antonino; ſi fortè ille ab ipſo diſſenſiſſet. Certè autem tam ipſemet Ia-
cobus, quàm cæteri Scriptores cum ipſo concordes, quos ego ſupra
nominabam, ſuperiore illa Grimaldi excuſatione non indigent. Non
enim tacuerunt, quemadmodùm Nazarius verè Genuam profectus fue-
rit, ibiquè Chriſtianam promulgauerit Fidem. Num verò primus om-
nium ipſe ibi eam promulgauerit, an ab alio promulgatam inuenerit, &
ipſe ſua promulgatione confirmarit; hoc quidem non ita certum eſt, vt
Grimaldus ſupponit. Iacobus ipſe à Voragine oppoſitam potiùs opinio- D
nem adamauit. Sed hac de re nos aliquid etiam infra, ſuo loco ac tem-
pore, differemus.

X. Nunc à Sanctuario Genuenſi progrediamur ad Gallicanum Andreæ Sauſ-
ſaij Martyrologium, quod Anno tantùm 1637. Pariſijs editum fuit:
quæramuſquè, an eo ſaltem vera Celſi patria indicetur. Illic ergo vige-
ſimo-octauo Iulij die, poſt alia quædam, ſic etiam legitur: *Eodem die
natalis Sanctorum Martyrum Nazarij & Celſi*, VIENNENSIS GALLIÆ
AC ALPINÆ REGIONIS APOSTOLORVM. Et paulò pòſt, de-
ſcripta Nazarij ad Vrbem noſtram, Mediolanum, profectione, ſic item:
Quamobrem comprehenſus à Præfecto, diréque cæſus, pulſus etiam Vrbe, IN

GALLIAS VENIT, *Matris Sanctiſsimæ, quæ nuper functa ſibi apparuerat,* A
admonitione commotus. GEBENNAM ITAQVE INGRESSVS, *Chriſti*
gratiam primus Ciuibus prædicauit: ex quibus CELSVM, *adhuc puerum, ſa-*
lutaribus præceptis inſtructum, baptizauit: vnaquè cum eo TREVERIM *pro-*
greſſus, Fidem cùm diſſeminare ſatageret; vterque, feruente Neronis perſecu-
tione, in mare deijcitur &c. Quamuis autem Gebenna propriè ſit mons,
qui Heluios ab Aruernis ſeparat, vt plures Viri docti obſeruarunt; ni-
hilominùs dubium eſſe nullum debet, quin Sauſſayus hoc loco Gene-
uam Vrbem Allobrogum appellatione illa Gebennæ intellexerit. Quo-
circa illum ego hac in re conſentientem accenſeo Claudio Roberto, nec-
non etiam Carolo Auguſto Saleſio. Robertus quippè in Gallia Chri-
ſtiana, Pariſijs itidem Anno 1626. impreſſa, circa initium Catalogi B
Epiſcoporum Geneuenſium ſic ſcribebat: *Epiſcopus autem, qui & Prin-*
ceps, memoratur Cap. 21. De Accuſationibus, & Eccleſia Cap. 10. de Voto.
Cuius Sedes pro tempore Aniſij, vel Anicij, ad alterum lacum in Ducatu Ge-
beneſij (GENEVOIS) *poſita eſt, occupata per vim & fraudem Geneua à*
Nouatoribus perfidis, & à vera Eccleſiæ caſtris transfugis, iam ab Anno 1535.
CVM VERA RELIGIO HIC PERSEVERASSET A PRÆDICA-
TIONE SANCTI NAZARII: QVA INTER CÆTEROS CIVES
GEBENENSES AD FIDEM CONVERSVS FVIT SANCTVS CEL-
SVS, ADHVC IVVENIS, POSTEA NAZARII IN MARTYRIO
SOCIVS, 28. *Iulij*. Sic etiam Saleſius ille in Vita Beati Franciſci pari-
ter Saleſij, Epiſcopi & Principis Gebennenſis, Anno Domini 1634. typis C
Lugdunenſibus impreſſa, idipſum teſtabatur. Libro enim 5. pag. 257.
enumerans eos Sanctos, quos Epiſcopus ille nouo vel antiquo cultu pe-
culiariter celebrari voluerat in ſua Diœceſi, hos etiam nominauit: *In*
Iulio, die vigeſima-octaua; Diuos Martyres Nazarium & Celſum: quorum
Sanctus Nazarius ex Italia Treuerim iter faciens, ac in Ciuitate Gebennenſi
aliquandiu moratus, plurimos ibidem ad Fidem conuertit; inter quos Celſum,
admodum iuuenem, Ciuem Gebennenſem, quem poſtea martyrij ſocium habuit,
Officio duplici. Fortè autem congruenter ad eandem opinionem in ſupe-
riore illo Sancti Antonini textu dictio illa GENEBELLIS, quæ in edi-
tione Anni 1484. extabat, mutata deinde fuit in GENEVAM; ſed hæc
poſtea rursùs in GENVAM, vt aliquando ſolet per typographorum D
inſcitiam. Fortè itidem vna illa eademquè Ciuitas GENEVA & GE-
BENNA olim appellata fuit GENEBELLIS, GIMELLVS, GEMEL-
LIS, CIMELLVS, & MELIA; tantum eſt inter has voces ſimilitu-
dinis.

XI. Verumenimuerò Auctorem hic habeo, & doctiſsimum, & erga me hu-
maniſsimum, qui mihi ſuperiorem Sauſſaij narrationem, quæ alioqui non
diſpliceret, diſsuadet; à me nimirùm conſultus; &, quid ipſe ſentiat,
obſecratus. Philippus eſt Malabayla, Ciuitate Aſtenſis, Ordine Reli-
gioſo Ciſtercienſis Reformatus, eruditiſsimis lucubrationibus ſuis &
euulgatis iam & euulgandis celeberrimus, mihi autem ſumma ſemper
obſeruantia

obſeruantia & amore proſequendus. E Romano igitur Sancti Bernardi A
Monaſterio, vbi tunc degebat (nunc enim ſua in Patria degit) ſuam
mihi ſententiam, his conceptam verbis, recenter tranſmiſit: *Notatio
circa loca, quæ Sanctus Nazarius Mediolano petijt. Manifeſtè erraſſe huius
Martyrologij Authorem, dum Sanctum Nazarium, Mediolano in Gallias euntem, Gebennam ac Treuerim petiſſe dicit, facilè cognoſcet, qui pro veris habeat, prout habenda ſunt, verba initio de his Sanctis præmiſſa: nimirùm,*
VIENNENSIS GALLIÆ ET ALPINÆ REGIONIS APOSTOLORVM. *Gebenna namque, etiamſi proxima ſit Allobrogibus, quorum Metropolis Vienna eſt; non tamen in Allobrogibus, ſed in Heduis conſiſtit. Sed vt detur, inter Viennenſis Prouinciæ Ciuitates poſſe hanc numerari; quomodò potuerunt hi Sancti apud Treuerim in mare demergi? cùm Treueris à mari plurium* B
dierum itinere diſtet. Quapropter iuxta probatorum Hiſtoricorum fidem, non Gebennam Mediolano petiſſe Sanctus Nazarius eſt dicendus, ſed CIMELIAM: *Ciuitatem nimirùm vno vel ſequimilliari ſupra* NICIAM *ſitam: in extremitate ſcilicet Alpium, quas versùs Italiam Varus Fluuius ab alijs Alpibus, ad Gallias pertinentibus, diſterminat. Vnde, etiamſi, eo quòd Narbonenſis ditionis ac Diœceſis olim fuerit Nicienſis Ciuitas, Nicia tamen Prouinciæ dicta ſit; nihilominùs cùm citra ipſum Varum, qui Italiæ terminus eſt, ipſa conſiſtat, Italica Ciuitas eſt dicenda; ſicuti etiam fuit* CIMELIA. *De qua ipſius Regionis Hiſtorici tradunt: quòd, cùm ità à Longobardis, quo tempore eorum Duces ſine Rege Rempublicam adminiſtrarunt, vaſtata ac ſolo æquata fuiſſet; ipſius Ciues, longè commodiorem exiſtimantes ſitum, in quo erat* NICIA, *tunc paruum Op-* C
pidum in ora maris coaleſcens; priori ſede deſtituta, huc commigrarunt. Vnde exinde Epiſcopus Nicienſis, qui priùs Cimelienſis, dictus fuit: &, vbi erat CIMELIA, *Abbatia dumtaxat Sancti Pontij, inter inſigniorum ædificiorum adhuc extantia fundamenta, conſpicitur. In hanc igitur* CIMELIAM *(quam Sanctus Baſſus, primus ipſius Epiſcopus, in perſecutione Neronis celebri martyrio etiam nobilitauit) cùm perueniſſet Sanctus Nazarius, & Fidem Chriſti prædicaret; mulier quædam, inter primos conuerſa, obtulit ei Celſum, filium ſuum: rogans & adiurans eum, vt illum ſecum haberet; vt cum ipſo ante Chriſtum Saluatorem ſe aliquando ſiſteret. Cum quo inde diſcedens Nazarius, Galliam Narbonenſem ingreſſus, dum in Vrbe maritima prædicaret; vtrique, vti ſupra dicitur, in mare demerguntur.* Hactenùs Domni Philippi Mala- D
baylæ ſcriptio, ad me miſſa.

XII. Sed ego, illi ne aſsentiar, multis abducor argumentis, & his præſertim. Primò enim Celſi patria negari à me non poteſt, quin vna fuerit è Galliæ Ciuitatibus, cui proinde Præfectus Galliarum præſideret, vt infra luculentiùs conſtabit. Abſit à me id etiam, vt negem Nazarium & Celſum ad Vrbem Treuerim perueniſſe: quinimmò id ipſum pariter infra comprobabo: ſed ne propterea quidem illos aſſeram in mare deiectos ibi, ſed alibi. Quòd autem Sanctus ille Baſſus dicebatur fuiſſe primus Cimeliæ Vrbis Epiſcopus, & martyrium ſub Nerone paſſus; non ita ſenſit Martyrologium Romanum die quinta Decembris, nec ibi

Baronius in Notis; ſicut etiam neque Petrus de Natalibus in Catalogo A
Sanctorum, Libro 1. Cap. 30. Ab ipſis enim aſſeritur Epiſcopus Nicææ, ac paſſus martyrium in perſecutione Decij & Valeriani. De Sancto autem Pontio illo, ſimiliter Martyre ſub Annum Chriſti circiter Ducenteſimum ſexageſimum ſecundum, legi poſſunt idem Martyrologium Romanum die 14. Maij, & ibidem Baronij Annotationes: prætereà verò ipſius Vita apud Mombritium Tomo Secundo, & apud Surium Tomo Septimo: tum etiam Petrus de Natalibus in Catalogo, Libro 4. Capite 171. quorum ſanè teſtimonio ille, non in Italia, ſed in Gallia necatus fuit. Sed hæc prætereunter à me fuerint hoc tandem loco ſuperaddita.

CAPVT XII. B

Galliarum Præſes Nazarium & Celſum conijci iubet in carcerem; ſed eos tamen poſtea monitu ſuæ vxoris liberos dimittit cum mandato, ne Chriſtum ibi prædicent.

I. HOC item Capite incidimus in aliquid eiuſdem apud Mombritium Auctoris, quod nobis ſummopere diſplicet, quodquè non tantùm falsò ſed etiam inconſtanter pronunciatum videtur. Quippe Nazarium Auctor mox introducet in ſuo ad Præſidem Galliarum ſermone ſupponentem, C
Sanctum Petrum, Apoſtolorum Principem, hoc iam tempore necatum: quem tamen initio huius Vitæ aſſerebat nonniſi paulò ante necatum eſſe, quàm Nazarius ipſe necaretur. Hæc enim erant eius verba: NOSTER CELEBERRIMVS MARTYR POST IPSA STATIM APOSTOLORVM CERTAMINA GLORIOSI SANGVINIS SVI EFFVSIONE ILLVSTRAVIT ECCLESIAM. Quocirca ego quoque poſtea oſtendam, Nazarij martyrium fuiſſe conſummatum Anno Domini Sexageſimo-nono, die 28. Iulij, poſteaquàm eodem Anno diequè 29. Iunij Sanctorum Petri & Pauli martyrium anteceſſiſſet. Si ergo inter illorum & Nazarij martyrium tam breue tempus interceſſit; quomodò tam multa interim, & in locis tam diſtantibus, à Nazario fieri D
potuerunt, quàm interim facta narrantur ab hoc Auctore, ſicut ex ipſo etiam ego deinceps recitabo? Non igitur Sanctus Petrus martyrium iam ſubierat eo tempore, quo Nazarius Præſidem Galliarum mox alloquetur, quodquè nobis incidiſſe videtur in Annum Chriſti Sexageſimum circiter quartum.

II. Sed ſenſa ſua ſuis verbis Auctor ipſe iam eloquatur. Inquit autem: *Audiens de eo* (Nazario) *Denouaus, Præſes Galliarum, ſuo eum conſpectui ſiſti præcepit. Cui & dixit: Quis es tu, vel cuius generis, aut vnde huc aduenisti? Reſpondit Beatus Nazarius: Chriſtianus ſum, & eruditus doctrina Apoſtolorum. Si genus requiris; Patre Afro, Matre Romana editus. Verùm ſi*

à principio

à principio profectionis cauſam percunctaris; de Vrbe Roma, VBI BEATVS A
PETRVS APOSTOLVS PRO CHRISTI NOMINE GLORIOSÆ
PERTVLIT PASSIONIS TRIVMPHVM. *Deſtinatus ſum ad vos; vt,*
audientes verbum veritatis, vanam & ſuperſtitioſam Dæmonum relinquentes
culturam, Deum ſolum cognoſcatis, per quem omnia facta ſunt. Vnde hortor
vos, vt, recedentes ab Idolis manu factis, Ieſum Chriſtum verum Deum ſe-
quamini, qui fecit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Nam quos
vos Deos adorandos putatis, ſanæ mentis oculis lapides & cæmenta videntur.
Indignatus Denouaus retrò vinctum manibus, & in collo catena conſtrictum,
tenebroſo eum carcere cum Puero iuſsit recludi, tormentis in craſtinum appli-
candum. Alia die cùm educti eſſent de cuſtodia, atque Tribunalibus Præſidis
ſtatuendi eſſent; ingens fiebat totius Ciuitatis concurſus; omnis ſexus, omnis B
ætas pariter ad prætorium Iudicis properantes. Ecce ſubitò, reſidente Præſide,
miſit ad eum Vxor eius, dicens: O gens crudelis vindictæ! O iudicium dolo
plenum! Dampnantur viri, in quibus digna nulla mortis reperitur occaſio. Im-
peratores, quos colunt, non vindicant: & ipſi Dij pro ſuis iniurijs vlciſci ne-
minem valent. Vobis tamen mandatur pro eis vindicare: quibus aut virtus
in vlciſcendo minimè ſuppetit, aut voluntas. Vnde caue, ne viris iſtis, quaſi
dampnatitijs, moleſta quæque inferre præſumas; ne, dum iniuſtè bonos punis,
iuſti cauſa iudicij crudeliùs & ipſe puniaris. Hiſdem conteſtationibus correptus
Denouaus aſſenſum præbuit: Nazariumquè, cum Puero eductum de carcere,
ſolui iubet: &, ne in loco eodem docere præſumerent, imperauit.

C

CAPVT XIII.

Nazarius cum puero Celſo Treuerim pergit, multoſquè ibi ad Fidem Chriſti conuertit, & Oratorium ædificat. Cornelius Vicarius eum propterea Neroni denunciat: iſquè protinùs eum iubet ad ſe adduci. Cum Celſo igitur adductus, cùm in Fide conſtanter ambo perſiſterent, in mare deijciuntur; ſed inde diuinitùs liberati, Genuam ſe recipiunt.

I. QVÆ ſequuntur in hoc Capite, ſi quis fortè conijciat in An- D
num Chriſti Sexageſimum etiam circiter quintum; ego qui-
dem non repugnabo. Sed ipſa quoque rerum ſeries, ni
fallor, idipſum æquis rerum æſtimatoribus facilè perſuade-
bit. Eiuſmodi verò res, noſtro illo apud Mombritium
Auctore continenter atteſtante, ita ſeſe habuerunt: *Egreſſus inde* (Na-
zarius) *cœpit per vicina quæque loca humanas mentes, veluti prudens agri-*
cola, ſpiritalium virtutum vomere exarare: & ad horreum dominicum fera-
cis ſui fructus innumera ſegetum grana reportare.

II. *Treueris quædam Galliarum Ciuitas cùm in Idolorum culturis Dæmonum ſuperſti-*
tionibus agere colligata; PRIMVM SVÆ SALVTIS AVCTOREM,
SANCTO

SANCTO PRÆDICANTE NAZARIO, CERTVM EST CO- A
GNOVISSE. Vbi dum multos ad Fidem Chriſti conuertiſſet; ad orationis concurſum, & vota ſoluenda, Oratorium Domino & fundando cœpit, & conſecrando præcepit.

III. Sed dum doctrina nominis Chriſti in fide credentium vbertim accreſceret, & nominis eius notitia celebris iam in loco eodem haberetur; lumen in tenebris latere non potuit. Cornelius Vicarius cùm de doctrina eius certius cognouiſſet: &, quis eſſet, qui noui huius ſermonis in eadem Ciuitate ſuperinductam diſſeminaret notitiam, inquirendo diſcuteret; inuenit & auctorem huius prædicationis Nazarium in fide & veritate conſtantem, & ex parte magna Ciuitatem iam Chriſtum ſequi Crucifixum: in tantum, vt nil contra eos feritatis ſuæ palàm auſus eſſet commouere tyrannidem; ne in necem ſuam Plebem Fidelem conuerte- B
ret, ſi Sanctis Dei quamlibet paruam inferre temptaret iniuriam.

IV. Miſſa de eo relatio eſt ad Neronem, Reipublicæ Principem, ita: NERONI CÆSARI, ET CONSVLI PIISSIMO, Cornelius ſalutem. Virum, qui dicitur Nazarius, inueni, Populum vanis neſcioquibus aſſertionibus ſeducentem in omni Ciuitate & Regione Prouinciæ veſtræ: Chriſti crucifixi ſuperinducere ſectam: murmurantem contra Deos: accuſantem, eos Dæmonia eſſe. Cuius ſuaſionibus non modica pars Populi aſſenſum præbuit, conuicijs & varijs verborum criminibus Deorum nomina plaſphemantes: turpes atque ſcelestos eos fuiſſe, & execrabilis vitæ ſuæ impia morte finiſſe compendium. Vnde ſubuenite diuinis legibus veſtris, & Deorum nominibus præbete iuuamina; vt rebelli veſtro, quomodò debeat à Deorum iniurijs temperari, cenſura moderaminis finem im- C
ponat.

V. Suſceptis litteris, Nero, indignationis ira commotus, vocauit ad ſe Dentum, militem ſuum primum, dixitquè ei: CVM OMNI FESTINATIONE, ACCEPTIS MILITIBVS, PERCVRRE IN PROVINCIAM GALLIARVM (non igitur tunc Nero erat intra Galliarum Prouinciam) & contumacem Nazarium, murmurantem contra Deos, vinctum collo & manibus, noſtris tribunalibus ſtatue puniendum.

VI. Vrgente iuſſu Cæſaris ſuſceptus, curioſè perquirebat, vbinam Nazarius moraretur. Quem dum in eodem loco, vbi Oratorium Domino conſecrauerat, inueniſſet; ſi ipſe eſſet, ita percunctatus eſt dicens: Tu es Nazarius? Cui cùm Vir Dei reſponderet, Ego ſum ſeruus Chriſti; ſubitò ligantes manus eius, dixerunt D
ei: Magnus Nero te vocat; nam ad te nos eius iuſſu venimus. Quibus Beatus Nazarius reſpondit: Incompoſiti Iudices incompoſitos habent milites. Quare autem venientes honeſtè non dixiſtis, Nero te vocat? & veniſſem. Cui dicto reſpondentes aiunt: Nobis iuſſum non eſt tecum verbis agere: verùm pro defenſione tua, quanta vis, dic apud Cæſarem. Celſus verò plorans ſequebatur. Quem alapis percutientes milites, vt feſtinus ſequeretur, vrgebant.

VII. Cumquè perueniſſet ad Neronem; ſedenti pro tribunali ſtatuerunt Nazarium vinctum ante conſpectum eius, & dixerunt ei: Hic eſt Nazarius & Puer, inimici Deorum noſtrorum. Nero verò, viſo Nazario, iuſſit, eum horrifico & tenebroſo carcere recipi, quouſque cogitaret, quibus cruciatibus eum perderet.

Beatus

Beatus verò Nazarius ibat gaudens à conſpectu Principis, & pſallebat, dicens: Deus in adiutorium noſtrum intende, Domine ad adiuuandum nos feſtina. Nero autem, accerſito Dento, præcepit ei dare talentum auri. Nazarius verò cùm iam properaſſet cuſtodiæ, aiebat militibus, qui ſe ducebant: Meus Rex ſeruis ſuis, in ſua confeſsione perſeuerantibus, vitam & immortalitatem præſtat. Vnde pro nominis eius veritate tormenta non metuimus, neque mortem paueſcimus; quia ſine fine credimus nos regnare cum illo. Veſter autem Rex mortem & infinita vobis præſtat tormenta: cum quo omnes qui conſentiunt, perpetuis erunt cruciandi incendijs. Tunc milites, os & faciem eius verberantes, recluſerunt eum: ſignantes fores carceris, eminùs ſedentes, & aditum vigili cura ſeruantes. Angelus autem Domini viſus eſt Nazario, & pauit eum, ac confortans abijt. A

VIII. *Eodem tempore tùm Nero in vicinis ſibi montibus ad capiendas feras venatores miſiſſet, & omni niſu ageretur, quatenùs mandata implerentur; illa ferarum multitudo, ad inferiora deſcendens oſtia viridarij, in quo erat Nero, rapido curſu petijt, multis armigerorum eius necatis. Quamplurimi etiam morſu macerati ſunt: in tantum, vt ipſe Cæſar, nimio pauore turbatus, ab eodem loco diffugiens, percuſſus pede, iuxta palatium feſſus perueniret. Quantum enim ad duritiam eorum pertinebat mentis; iuſto ſunt perpeſsi iudicio; vt, qui immundis ſacrificabant Dæmonijs, immundis traderentur beſtijs lacerandi.* B

VIV. *Cumque caſu vulneris laceratus Nero multis diebus decubuiſſet; tandem inter doloris moleſtias recordatus de Nazario ait: Dij noſtri indignati ſunt: & multos militum ferarum morſibus tradiderunt; eò quòd irritauerim Deos; qui murmurantem contra eos diu ſuſtinens, non ſtatim tormentis interfeci. Tunc iuſsit militibus Beatum ſibi Nazarium exhibere.* C

X. *Egreſſum verò ex carcere percutiebant milites, tundentes calcibus: & cum graui indignatione, verberato ſimul Puero, pertrahebant. Quo facto, vnus ex militibus, percutiens eum, concidit pede: & allidens lapidi, oculum amiſit. Et facta eſt ſubitò facies eius ſplendida ſicut nix: & erant oculi omnium intendentes in eum, & dicentes: Verè Deus eſt, qui ita poteſt in cultores ſuos ſæuientibus tam velocem vindictam tribuere, & ipſos inopinatæ lucis claritate veſtire. Videns igitur Nero gloriam vultus eius, putans phantaſtico ſibi velle deludere ingenio, dixit ad eum: Iam nunc depone magicam tuam: & Deos incipe ſacrificijs honorare; ne vita tua per borrendæ mortis compendium omnibus proueniat* D *in exemplum. Nam, quia diu te ſuſtineo, valde contra me Dij commoti tradiderunt milites meos in lacerationem; vt morſibus ferarum cruciati deficerent. Reſpondit Nazarius: Erras Cæſar. Dii tui nihil poſſunt: & ſicut petentibus ſe tribuere bona numquàm valent; ita etiam eos nec mala reddere, certis aſſertionibus proba. Vnde, ſi plenam vis veritatem agnoſcere, propiùs ſimulachris accedas; & in eis diu luminis acie defixa videbis, omnia hæc artificum manibus, prout ſibi licitum fuit, eſſe compacta; &, ne diuiſa à ſe cadendo redigantur in nihilum, clauis & malleolis connexa inter ſe metalla ſolidata. Hos tu, quos artifex librauit vt potuit, perfecit vt valuit, & expreſſa facie nomen dedit vt voluit, quo ordine in numero Deorum computes, ignoramus. Vnde,*

ne

ne ſic ipſa viſione arguaris, & à nobis fortaſsè falli te putes, extende manum, & palpando metallorum diſce iuncturam, quam videndo mentis cæcitate obtutus in diſcernendo tibi eſt abdicata facultas. Quæ cùm ita eſſe cognoueris Imperator; *debes Dominum Ieſum Chriſtum verum Deum agnoſcere, qui fecit cælum & terram, per quem omnia, in quo omnia, & ex quo omnia facta ſunt; & non ad dedecus gloriæ tuæ ceruicem tuam auro & lapidibus inclinare.* A

XI. I*ndignatus Cæſar, dixit ad eum: Quid mihi verborum ſuperfluus curſus? Immola Dijs; & viues. Sin autem in mari te iactari præcipio. Et comprehendentes eum milites duxerunt ad ſimulachrum, ſtatuentes eum ante aram, vt deguſtaret aliquid de coinquinatis ſacrificijs eorum. Tunc Beatus Nazarius, vt ſibi locum dare debuiſſent milites aliquantulum, poſtulauit. Et recedentes ab eo, hæc ipſa nunciauerunt Imperatori. Beatus autem Nazarius, expanſis ad cælum manibus, huiuſmodi orationem fudit ad Deum:* DOMINE IESV CHRISTE, QVI BEATO APOSTOLO TVO PETRO IN SVA CONFESSIONE VIRTVTIS CONSTANTIAM TRIBVISTI, ITAVT IN IPSA TRIVMPHALI SVÆ PASSIONIS MORTE LÆTVS INSIGNE CRVCIS VEXILLVM PERTVLERIT (en vt Auctor hoc rurſùs loco Sanctum Petrum ſupponit iam mortuum, qui tamen adhuc verè viuebat) *mitte Angelum tuum ad auxilium mihi, & contere ſimulachra hæc; vt cognoſcant omnes, quia tu es Deus ſolus, & non eſt alius ſimilis tui. Et completa oratione, eadem hora locus ipſe contremuit, & diſſoluta Idola in nihilum ſunt redacta. Cùm verò poſt paululum interrogante Nerone, quid in templo Nazarius ageret; reſponſum illicò eſt, quòd magicis artibus ſimulachra fregiſſet, & contra Deos immortales ſuperſtitioſa, & vana agere multa contendendo præſumeret.* B C

XII. *His auditis, Nero iuſsit educi de templo, & ferri cum graui conſtrictum pondere in obſcuro carcere diligenti ſeruari cuſtodia. Alia die, primo diluculo ſurgens Nero* VENIT AD PORTVM MARIS, *in quo erat multitudo nauium. Et de carcere educto Nazario, dixit ad eum: Dic mihi ſeductor: quæ te dementia tenuit, vt ſoluta Deorum nomina redigeres in nihilum? Nunc te iactari præcipio in fundum maris. Quæ tibi de Deo tuo remuneratio erit? Reſpondit Beatus Nazarius: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: &, ſi mortuus fuerit, viuet. Nam quia omnia illa ſculptilia Deorum tuorum ſub aſpectu viuentium vanæ probantur imagines, tu in eis cæcato corde diuinitatem veneraris; magna ratio exigebat, vt quod tangenda metalla eſſe non credebas, ſaltem in eorum probares fractura; quia, dum ſibi prodeſſe non poſſunt, magis alijs ſpem demant ſalutis, quàm petenti queant præſtare.* D

XIII. *Tunc Cæſar, vocatis nauclerijs, dixit ad eos: Prouidete nauem: &, rebelli Nazario ſuppoſito, longiùs à terra diſcedite: atque in medio mari, ſentinæ diſſoluta compage, vt pereat, quaſſatam inter vndas relinquite. Melius enim eſt, vt eum fluctus maris abſorbeat, quàm hic falſis aſſertionibus Populum ſeducat. Et ſi magicis artibus maria ſuperauerit; eiectum in littore perſequimini, & eum viuum igne cremate; ac combuſti corporis cinerem in mare proijcite; ne ſurgens, doctrina ſua nobis grauiora inferat damna. Et renunciate mihi: & dabo vobis bona mundi huius: & eritis glorioſi, aucti Regis muneribus.* XIV. *Suſci-*

Digitized by Google

XIV. *Suſcipitur in nauim Nazarius & Puer. Ad conſueta verò arma confugientes,* A
ſigno Crucis muniti obdormierunt. Itaque cùm longè eſſent à terra, itaut du-
bium non eſſet, quòd nullo modo è vaſti pelagi profundo exire potuiſſent; iacta-
uerunt eos in mare. Et continuò lux magna reſplenduit eis; & viſa eſt circa
eos quaſi nubes. Angelus autem Domini deſcendit ad eos: & oſtendens eis teſ-
tamentum Domini, confortabat eos. Et ſubitò factum eſt mare pacificum: ET
IBAT BEATVS NAZARIVS CVM PVERO GRADIENS SVPER
AQVAS, *gaudens, & glorificans Deum, qui eripuit eos à fluctibus, & inter*
vndas fecit eos ſiccis pedibus ambulare.

XV. *Omnis verò æquoris illius ſinus, placita tranquillitate manente, circa nauem nimis*
procelloſus inundatione factus eſt; itaut nauis funditùs inter vndas, omni ſui
compage diſſoluta, ab imo reductis fluctibus, interruptis ventorum flatibus hinc B
ſummo præcedens, hinc vnda dehiſcens pateſceret. Ecce mortis pauenda vnda.
Cumquè imminente morte ſpem ſibi crederent omninò vitæ ſublatam: nec eſſet
vnde auxilium ſperare iam poſſent; conqueſti ſunt adinuicem, dicentes: Pec-
cauimus coram Deo Nazarij, ideoquè perimus. Nam Dij noſtri non aliquid
praualent; neque ijs, qui colunt eos, auxilium vllum poſſunt præſtare.

XVI. *Verùm inter anguſtias, & vicinæ mortis formidinem, cùm nauigando decerta-*
rent: & nil, ventorum impulſu repugnante, proficerent; viderunt Nazarium,
hilari facie, & gratia plenum, DIVINA CVM PVERO DEXTERA
DEPORTARI, ET SVPER AQVAS INLAPSIS VESTIGIIS FI-
GERE GRESSVS. *Extemplò etenim viſo eo reſumptis viribus ſimul omnes*
exclamauerunt, dicentes: Sancte vir Dei libera nos per Dominum, qui te ſal- C
uauit; & credimus in Deum tuum; atque ingreſſum nauim adducemus in quem-
cumque portum volueris. Reſpondit Nazarius: Creditis, quia Deus meus poteſt
liberare vos: & eos, quos colitis, Dæmonia eſſe, ſine ſenſu, ſine auditu, atque
ſermone? Dicunt ad eum nautæ: Nos, quando exclamauimus, inuocantes Deum
tuum, credidimus, quia Deus tuus poteſt liberare nos. Vnde cognoſcentes, eum
verum Deum eſſe, execramus Idola: & ita contemnimus, vt, quia penitùs
nihil ſunt, nulla in corde noſtro probetur dubitatio remanſiſſe.

XVII. *Tunc Beatus Nazarius ingreſſus nauim, omnis illa nauis reſolidata iactura eſt:*
ATQVE IN CIVITATEM GENVENSEM, PROSPERANTE DO-
MINO, VT VOLVERVNT, DEDVCTI SVNT. *Tradito itaque*
nautis Myſterij ſacramento: &, vt ſe ab Idolorum execrabili cuſtodirent cul- D
tura, commoniti: aſcendentes nauim, ac gaudentes de tanto ſuæ ſalutis dono &
gratia, quam perceperunt, profecti ſunt.

XVIII. Et hactenùs quidem omnia hæc è noſtro illo apud Mombritium Auc-
tore. Tria tamen præſertim ſunt, de quibus prætereundum nobis non
eſt; quemadmodùm alij quoque Scriptores meminerint: eaquè ſunt
Treuiris Ciuitas, Portus ille maritimus, ac denique Genua.

XIX. De Treuiri autem ſic etiam expreſsè ſcripſit ex eodem illo Auctore
Vincentius Bellouacenſis, in Speculo Hiſtoriali, Lib. 9. Cap. 52. *Exiens*
inde (ab Vrbe Gimellis Nazarius) *venit ad Vrbem Treueris:* ET IBI
PRIMVS CHRISTVM PRÆDICANS, *& multos conuertens, Eccleſiam*

ibi fundauit, & conſecrauit. Eademquè ad verbum repetierunt Iacobus à Voragine in Legendario Cap. 97. & Petrus de Natalibus in Catalogo, Lib. 6. Cap. 150. Parciùs hac de re Sanctus Antoninus Prima Parte Chronicorum, Tit. 6. Cap. 27. His enim tantùm verbis eam expreſsit: *Venit exinde ad Ciuitatem Treuerim: vbi prædicans, & multos conuertens, ibi Eccleſiam ædificauit.* Cæterùm Auctor ille Græcus apud Simeonem Metaphraſtem, & ex ipſo apud Surium die 19. Iunij, Latinè redditus, pro Treueri habet TEMERVM; ſicut etiam infra pro Genua habet TENVSAM. Itaque non immeritò Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die 28. Iulij, in Annotatione ad Sanctorum Nazarij & Celſi Vitam, ſic monebat: *Variè Hiſtoria hæc apud Surium* (loco nimirùm à me itidem nuper indicato) *& Mombritium referri videtur. Vtrobique autem quædam parùm veriſimilia, quæ corrigenda eſſent* (quo ex genere fortaſsè illa cenſuit, quæ nos quoque adhuc, apud Mombritium errata, correximus) *continentur.* NOMINA LOCORVM (de quibus nimirùm ſermo nobis nuper erat) APVD SVRIVM DEPRAVATA SVNT. De Ciuitate autem ipſa Treuiri copiosè Claudius egit Robertus in ſua Gallia Chriſtiana, initio Catalogi Archiepiſcoporum Treuirenſium. Quinetiam ipſe nobis eſt pariter corrigendus, cùm poſtea in Sancto Materno, Archiepiſcopo Tertio, ſic ſcriberet: CVIVS TEMPORE SANCTVS NAZARIVS VENIT TREVIROS. Hoc enim dato, veniſſet Treuiros nonniſi poſt Annum Chriſti Nonageſimum-ſextum: quo Anno, diequè 29. Ianuarij mortuum dixerat proximum eius deceſſorem, Sanctum Valerium; ſicut & Anno circiter Sexageſimo-ſexto, die 8. Decembris, mortuum itidem Sanctum Eucharium, haud dubiè primum eiuſdem Ciuitatis Epiſcopum, illuc à Sancto Petro ex Vrbe Roma miſſum cum prædictis Valerio & Materno. Idipſum enim teſtatur ibidem Robertus, quinetiam Romanum quoque Martyrologium die 8. Decembris, die 29. Ianuarij, die 14. Septembris: ac prætera Harigerus Abbas, infra nominandus, Cap. 5. & Innocentius Papa Tertius Libro 1. Myſteriorum Miſſæ, Cap. 62. Non igitur poſt Annum Domini Nonageſimum-ſextum Nazarius Treuiros venit, qui Anno Sexageſimo-nono iam fuerat necatus, vt poſtea docebimus; quiquè Treuirenſibus Euangelium primus iam ante prædicauerat, & propterea priùs etiam, quàm Sanctus Eucharius illuc perueniret, à Sancto Petro miſſus. De qua quidem miſsione Marianus Scotus Libro 2. Chronicorum ſic tradebat: *Anno Dominicæ Incarnationis Quinquageſimo-quarto, Claudij Anno duodecimo, Epiſcopatus Petri Romæ Anno octauo, Eucharius cum Socijs, Valerio atquè Materno, ad prædicandum Gallicis gentibus miſsi ſunt.* Baronius autem in Annalibus Eucharium aſſerit à Sancto Petro in Germaniam miſſum Anno Domini Quadrageſimo-ſexto. Sed ad hunc Baronij locum eruditiſsimus Ioannes Chapeauillus, Canonicus & Vicarius Leodienſis, benè adnotat, *Eucharium non fuiſſe ſeparatim miſſum in Germaniam, ſed ſimul miſſos Valerium & Maternum.* ET EX GERMANIA PENE-

TRASSE

TRASSE VSQVE AD TREVIRENSES, COLONIENSES; ET A
TVNGRENSES. *Sic enim Hiſtoricorum noſtratum antiquiſsimi fideliſsimi-
què Harigerus & Aegidius Aureæ Vallis, & conſequenter omnes alij tradunt
vt infra clarè videbis.* Hæc autem ille adnotabat Tomo Primo *De Geſtis
Pontificum Tungrenſium, Traiectenſium, & Leodienſium*, ad Caput 4. eiuſ-
dem Harigeri: qui quidem fuit Abbas Lobienſis: ac, teſte Ioanne Tri-
themio *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, florebat Anno Domini Nongenteſi-
mo nonageſimo. Idem porrò Harigerus Cap. xi. Eucharium narrat
obijſſe, poſteaquàm viginti & tres annos Treuirenſi Pontificatu functus
eſſet, ſibiquè tandem in eo Valerium ſubſtituiſſet. Ibidemquè ſtatim
Chapeauillus adnotat, in Aureæ Vallis Monaſterio inſpectum à ſe Codi-
cem, illud Harigeri Opuſculum continentem: in cuius ora marginali ſic B
è regione additum eſſet: *Anno Domini Septuageſimo-quinto*. In quem pro-
fectò Annum conſenſit etiam Marianus Scotus, Libro illo ſecundo poſtea
ſcribens, eodem illo Domini Anno Sepruageſimo-quinto Valerium Eu-
chario ſucceſsiſſe. Atqui ne id quidem nobis verum videtur, nec ipſi-
met Mariano Scoto conſentaneum. Si enim Eucharius tres & viginti
annos in eo Pontificatu vixit, ac tandem obijt Anno Domini Septuage-
ſimo-quinto; non igitur ſui Pontificatus Annos inchoauerat ex Anno
Domini Quinquageſimo-quarto; ſicut à Mariano iam fuerat affirmatum.
Sin autem præterea Nazarius Euangelium Treuirenſibus prædicauit an-
te, quàm Eucharius ad illos perueniret; non igitur ad illos peruenit
ante Annum Chriſti Sexageſimum quartum, aut Sexageſimum-quin- C
tum; quorum alterutro circiter Anno Nazarius Euangelium illis, ſe-
cundùm noſtram temporum ſupputationem, prædicauit. Quo tandem
fit, vt Eucharius ne tertium quidem ac vigeſimum ſui Pontificatus Tre-
uirenſis Annum morte correptus compleuerit Anno Domini Septuage-
ſimo-quinto. Sed hæc nobis de Treuiri Ciuitate ſatis ſunto pro præ-
ſentis inſtituti ratione.

XX. Sequitur, vt inquiramus, quinam fuerit maritimus ille Portus, è quo
Nazarius & Celſus in altum nauigio tranſuecti, ac tandem deiecti fue-
runt, vt proximè vidimus Num. 12. ac deinceps. Certè autem, noſtri
eius apud Mombritium Auctoris aſſertione ac teſtimonio, Portus ille
non multùm ab eo diſtabat loco, vbi tunc Nero reſidebat, vt apertè D
conſtat ſuperiore Num. 12. certequè itidem Nero tunc reſidebat extra
Galliarum Prouinciam, vt obſeruauimus Num. 5. Non igitur maritimus
ille Portus ac Mare apud Treuirim erat; ſicuti negaturum me profite-
bar in fine Capitis ſuperioris. An verò in Vrbe Roma nunc Nero reſi-
deret: itemquè an maritimus ille Portus ab ea non longè diſtaret: hæc
quidem ab Auctore illo diſertis expreſſa verbis non fuerunt; ſicuti neq;
ab eius aſſeclis, Vincentio Bellouacenſi, Iacobo de Voragine, Petro de
Natalibus, ac Sancto Antonino; & præterea ne ab Auctore quidem illo
Græco apud Surium die 19. Iunij; ſed nihilominùs ea poſtmodùm ab
alijs expreſſa fuerunt; &, vt opinor, quia ſe crederent vetuſtiorum illo-

rum fidei ac teſtimonio innixos. Alphonſus in primis Vigliegas, ex A
Hiſpanico Italicè redditus, die 28. Iulij, tamquàm è Simeone Metaphraſte, ſeu ex Auctore illo Græco, quem proximè nominabam, ſic habet: *L' Imperatore commandò, che fuſſero preſi*, E CONDOTTI A ROMA: *e coſi fù fatto. Et hauendoli fatti menare alla ſua preſenza; cominciò a perſuadergli, che adoraſſero gl'Idoli: e vedendo, che in modo alcuno non voleuano fare tal coſa; commandò, che tuttidue fuſſero gittati in mare.* NAZARIO E CELSO FVRONO CONDOTTI AD OSTIA, *e meſsi in vna barca: la quale eſſendoſi allargata in alto mare, ve gli gittorno dentro tuttidue.* Similiter Petrus Ribadeneira, eodem illo die: *Eſſendo ſtato auuiſato l' Imperatore Nerone, che Nazario diſtoglieua la gente dall' adoratione de'Dei, & che predicaua Gieſù Chriſto eſſere vero Dio del Cielo e della Terra,* B
& che molti gli credeuano & riceueuano in Francia la ſua dottrina; lo fece prendere, ET CONDVRRE A ROMA. *Doue il medeſimo Imperatore procurò d'indurlo ad adorare gl'Idoli: e trouatolo ſempre più ſaldo nel ſuo propoſito; ordinò, che inſieme col fanciullo Celſo foſſe gettato in mare.* FVRONO MENATI AL PORTO DI OSTIA: *&, meſſili in vna naue, furono gettati ben'dentro.* Denique Philippus Ferrarius, Numero ſuperiore productus, ſic in ea proſequitur Annotatione: *Quòd in Mare deiecti dicuntur: id,* NON APVD TREVIROS, *vnde Mare longiſsimè abeſt;* SED APVD ROMAM *contigiſſe, apud Mombritium legitur. Cùm enim Nazarius Treuirenſes Ciues ad Chriſtum conuerteret; à Cornelio Præfecto* ROMAM AD NERONEM, *vt is præceperat, vinctus ille cum Celſo miſſus eſt; vt apud* C
eundem Mombritium.

XXI. Nazarium & Celſum, è tanto maris ac mortis periculo diuinitùs ereptos, perueniſſe naui tandem videbamus ad Vrbem Genuam: Vrbem ſcilicet curuo Mediterranei Maris littori impoſitam, & ab Vrbe Roma ducentis quadraginta-quinque millibus paſſuum, à Mediolano autem octuaginta-quinque, diſtantem, vt Philippus etiam Ferrarius in ſuo Lexico Geographico aſſirmat. Quantopere autem illic Euangelij prædicatione ambo profecerint, noſter ille apud Mombritium Auctor ſubſequenti Capite nos edocebit; ſed incertos nihilominùs nos relinquens, an ijdem Sancti verè illic fuerint primi veritatis Euangelicæ concionatores. Hac de re curſim aliquid iam diximus Capite XI. Numero 9. in D
fine: nunc autem aliquantò vberiùs & ex inſtituto tractationem Capiti ſub ſequenti præmuniemus.

XXII. Auguſtinus Iuſtinianus in Reipublicæ Genuenſis Annalibus, Italicè conſcriptis, & Anno 1537. Genuæ impreſsis, ſic Libro primo ad Annum Chriſti 78. ſcribebat: *Diciamo dunque, che l'Anno Settanta otto doppo il Parto della Vergine San'Nazaro & San'Celſo predicorono publicamente in Genoa la Fede & la Dottrina Chriſtiana, ſenza eſſer fatto loro oſtacolo; & battezorno coloro, che credeuano alle predicationi loro. Et queſto ſi legge nella Vita loro con le ſeguenti parole: Nell'vltimo, ò per dir'meglio nel penultimo Anno di Nerone Imperatore, doppoche i Santi furono liberati dalla ſommerſion'maritima,*

Dio

Dio gli diede il vento proſpero: & , comeche deſiderauano , peruennero alla Città A
di Genoa : & Nazaro col fanciullo Celſo , poiche furono entrati nella Città , non
ceſſauano giorno & notte predicare la parola di Dio , nontiando la remiſsion' de'i
peccati per mezzo del Batteſimo ſalutifero in nome del noſtro Signore Gieſù
Chriſto : & battezauano coloro , che credeuano. Et in vn'altra Leggenda ſi legge
così : Nazaro & Celſo furono fatti montare per commandamento di Nerone ſopra
vna naue , e poi furono ſommerſi in mezzo il mare &c. *& predicarono per molti*
giorni nella Città (di Genoa) *e poi andorono à Milano* , DOVECHE HA-
VEVANO LASCIATI SAN' GERVASIO E SAN' PROTASIO &c.

XXIII. Petrus item Bizarus poſt Hiſtorias atque Annales Senatus Populiquè
Genuenſis, Antuerpiæ impreſſos Anno 1579. de prima Chriſtianorum
in Syriam Expeditione proprium ſeparatim Opuſculum ſcribens , paulò B
poſt initium ſic in tempora Neronis Imperatoris narrabat : *Proinde, inun-
dante in dies atque augeſcente Chriſtiana Fide & Religione , Anno octauo &
Septuageſimo à Partu Virginis , Nazarius , natione Græcus , cum Collega ſuo
Celſo , varijs in locis diuini verbi myſterium enunciauit , tanto mehercule cum
incremento , vt vlteriùs progreſsi, & maris longa ſpatia emenſi , tandem Ge-
nuam , ſtabiliendæ Chriſtianæ* Religionis *cauſa , appulerint. Vbi benignè excepti ,
tantum diuino potuere eloquio , vt ſtatim ab initio abſterritis ac pedetentim re-
tractis à Paganiſmo multorum animis , plures fuerint , qui Militiæ Chriſtianæ
libenter nomen darent : ac demùm factum fuit , vt ſenſim præualeret melior doc-
trina , & breui temporis curriculo vniuerſa Ciuitas in vnius Fidei Chriſtianæ
Sacra coaleſceret.* C

XXIV. Sed ecce præterea nobis , quemadmodùm Vbertus etiam Folieta Libro
primo Hiſtoriæ Genuenſium ſuo teſtimonio idipſum comprobarit . *Re-
ligionem* (inquit) *& doctrinam Chriſtianam Ciuitas noſtra à Nazario & Celſo
accepit : qui ab Apoſtolis Legem humanæ ſalutis præſidem pronunciandam , in
Galliam Ciſalpinam & in finitimas Prouincias miſsi , exſcenſione ad littus pro-
pè ab Vrbe Genua minùs mille paſſus facta , Vrbem ingreſsi , nonnulloſquè dies
in illa commorati , cæleſtis doctrinæ ſemina iecerunt : quæ breui in pio Populo
vberrimos fructus tulerunt : quos aluit complurium ſacrorum & egregiorum
Antiſtitum ſedula diligentia , & nullis laboribus feſſa ſollicitudo . In quibus flo-
ruerunt Romulus* &c.

XXV. Talia ſunt , quæ celebres *iſti* Rerum Genuenſium Scriptores in omnem D
poſteritatem ſuis litterarum monumentis conſignarunt. Quòd autem in
his paucula quædam videas nonnihil ab ijs, quæ nos aliunde iam ſupra
comprobauimus, diſcrepantia ; tu ipſe iſta per otium ex illis corrigas .
Quæ porrò tam *ipſis* , quàm nobis communia receptaquè ſunt , hæc
mordicùs retine : videlicet , Celſum nonniſi Genuam veniſſe poſteaquàm
iuſſu Neronis in mare deiectus fuit ; eumquè propterea Ciuem non
fuiſſe Genuenſem : inſuper verò etiam *ipſum* cum Nazario fuiſſe primos,
qui Chriſtianam Fidem *in* ea Vrbe promulgauerint perſuaſerintquè.

XXVI. Certè autem hac in re nobis etiam ſuffragatur Georgius ille Stella ,
Chronologus itidem Genuenſis , quem poſtea teſtem producemus Ca-
pite

pite 120. quiquè Sancti Antonini ætate ſcribebat. Ab Anno enim A
Chriſti ſupra Milleſimum quadringenteſimum quinto ad trigeſimum-quintum ille ſcripſit. Sanctus autem Antoninus Anno Sæculi eiuſdem quinquageſimo-nono ſeptuagenarius ad Superos abijt, poſteaquàm in Ordine Prædicatorio quadraginta-quatuor, in Archiepiſcopatu autem Florentino tredecim Annos tranſegiſſet,

CAPVT XIV.

Nazarius, cum Celſo Genuam profectus, multos ibi, ac deinde in alijs Vicis & Ciuitatibus innumeros, ad Fidem Chriſti conuertit. B

I. AD huius rei probationem ſatis ſuperquè nobis erit Auctor ille noſter, à Mombritio delectus, ipſoquè delectu poſteritati ad ſequendum, tamquàm fidei certioris, commendatus. En igitur vt ille Sanctorum Nazarij & Celſi Vitam proſequatur. Hæc enim ſuccedunt ipſius verba: *Nazarius verò & Puer, ingreſſi Ciuitatem Genuenſem, non ceſſabant die ac nocte prædicare verbum Dei, & annunciare eis remiſſionem peccatorum per Baptiſmum ſalutis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: & credentes baptizabantur. Non poſt multos dies, egreſſus inde per Vicos & Ciuitates, exhortando ſuadebat, vt, relictis Idolorum culturis, Dominum Omnipotentem confiterentur: cuius voluntate* C *creata ſunt omnia: cuius prouidentia, vt ita ſint, gubernantur. Cùm vero* INFINITAM MVLTITVDINEM DOMINO CREDENTIVM AGGREGASSET. *atquè ſalutari lauachro delibutos in Domino confirmaſſet;* VENIT MEDIOLANVM.

CAPVT XV.

Nazarius Mediolanum reuertitur; ſed hinc, relicto apud Matronam quandam Celſo, redire cogitur in exilium. Nero tamen interim, de ipſorum aduentu admonitus, eoſdem capite damnat.

I. TAmetſi Nazarium nunc ad Vrbem noſtram, Mediolanum, D
rediјſſe concederemus Anno Chriſti Sexageſimo-ſexto; nihilominùs ne nunc quidem admitteremus id, quod Auctor noſter iteratò hic ſupponit: Protaſium videlicet ac Geruaſium iam carcere incluſos. Vt enim apertè ſupra oſtendimus, Cap. x. & xi. necdùm illi carcere, ſed ſuo tantùm Cœnaculo voluntarij detinebantur. Dum igitur nos talem Auctoris ſuppoſitionem non admittimus; audire tamen illam lubet; ac nihilominùs vnà cum cæteris

cæteris rebus, quibus non aduerſamur, lubenter recitare; perinde fermè ac ſi talia, non de carcere, ſed de Cœnaculo dicta eſſent. Statimac ergo Auctor Nazarium dixerat veniſſe Mediolanum, ſic adiecit: *Statimquè quos reliquerat Beatos Protaſium & Geruaſium, Confeſſores Chriſti, in carcere poſitos, requiſiuit: atque inuentos confortabat eos, vt in ſua confeſſione perſeuerarent: & continuis pulſabat eloquijs.* A

II. *Audiens de eo Anolinus dixit militibus ſuis: Quomodo effugit manus Neronis homo iſte? Et iuſſit, vt ſuperpoſitum carpento longiùs ab Vrbe proijcerent eum. Et quia multi iam fideles ſub faſce ſecularis cinguli Chriſto Domino militabant; indicatum eſt ei, quia eſſet deſtinatus exilio. Tunc lætus effectus, quòd dignus eſſet pro Domino iſta pati;* COMMENDAVIT CELSVM PVERVM CVIDAM MVLIERI CHRISTIANÆ, QVÆ SVSCEPERAT EVM; B *& ipſe electum expectabat diem. Milites autem, ſuſcepto eo, & impoſito vehiculo, longiùſquè eiecto, comminati ſunt, ne vltra ſibi interdictam adnunciaret doctrinam, neque Vrbem, de qua pulſus eſt, vlteriùs auderet repetere.*

III. *Confeſtim igitur Anolinus ſcripſit* Imperatori *Neroni, dicens:* NERONI IMPERATORI, ET CONSVLI PIISSIMO, *Anolinus ſalutem. Quendam Sectæ Samarticum, Nazarium nomine, inueni fugientem poteſtatem noſtram: Chriſtum, crucifixum à Pilato, per omnes Ciuitates Italiæ prædicantem, & peruertentem multos: inclinantem animos eorum ad inertem & inutilem ſectam, & magicis artibus coram eis multa exercentem. Sed & quos dudùm carcere mancipatos tenebam* (Protaſius & Geruaſius innuuntur) *ſperans eos ſuadere Dijs, factus eſt eorum ſocius, cupiens ipſorum mentes à Deorum noſtrorum ſacrificijs temperare. Quem ad exilium deſtinatum, litteras tuæ Magnitudinis expecto; vt tantæ audaciæ viro compendioſæ mortis terminum imponatis.* C

IV. *Accipiens verò litteras Nero: Adhuc viuit Deorum noſtrorum aduerſarius? & iuſſit, vt inquirerent nautas, quatenùs eos, pœnis cruciatos, occideret. Et cùm inquiſiti, nuſquàm eſſent reperti; reſcripſit Anolino, dicens: Incide colla eorum: & inhumata corpora, auibus laceranda, relinque. Sic quos etiam de hac ſuperſtitioſa ſecta garrulantes contra Deos inueneris; diuerſis eos pœnis cruciatos, ad extremum capitis obtruncatione condemna.*

V. Tales vtique fuerunt litteræ, quas huius Auctor Hiſtoriæ, tamquàm ex Anolini ac Neronis voluntate, contexuit; ſed ita, vt eidem Anolino ſuum illum communicauerit errorem, quo Protaſium & Geruaſium D exiſtimabat carceri etiam in præſens mancipatos ex eo iam tempore, quo primùm Nazarius Mediolanum aduenerat.

CAPVT

CAPVT XVI. A

Nazarius, Romam profectus, Patrem ſuum inuenit monitu Sancti Petri iam baptizatum. Ibidem verò Chriſtum palàm prædicans, flagellatus diſpellitur.

I. NE hoc quidem tempore Sanctum Petrum ego credere poſ-
ſum martyrio iam necatum: neque nunc etiam mouet ra-
tio illa, quam Capite 12. Num. 1. proferebam. Quam-
obrem, ſi per viſum ille Genitori Nazarij apparuit, eique
perſuaſit, vt Baptiſmum ſuſciperet; id profectò egit; non B
quia mortuus iam eſſet; ſed quia tunc ab Vrbe abeſſet Roma; vel quia
tunc Romæ detineretur in carcere; nec enim ſine rationabili cauſa &
neceſsitate ſic illi per viſum apparere potiùs, quàm corporali & com-
muni adſtare præſentia loquique voluiſſe credendus eſt. Certè autem
aliquando ille abſuit ab Vrbe Roma, tametſi Pontificiam ibi ſedem
ſuam conſtituiſſet; vt benè Baronius obſeruauit Anno Domini 46. Art.
1. Certè itidem Anno Domini Sexageſimo-octauo, circa menſis Octo-
bris initium, coniectus ille fuit Romæ in carcerem, ibique nouem poſ-
tea menſibus, ſiue ad ſubſequentis Anni vndetrigeſimam Iunij diem,
detentus eſt; vt idem Baronius eodem Anno 68. Art. 8. Quemadmo-
dùm verò Sancti etiam homines, mortalem adhuc vitam certo in loco C
traducentes, alibi tamen ali s per viſum aliquando apparuerint: id quo-
que ſatis conſtat ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis: è quibus ego quoque non-
nulla recenſui exempla in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 89.
ac deinceps. Quocirca nihil vetat, quominùs tale quiddam Sancto ad-
ſcribamus Petro, quando Genitori Nazarij per viſum apparuit.

II. Sic enim noſter ille apud Mombritium Auctor enarrat: *Eo tempore, quo
Beatus Nazarius, à Mediolanenſi Vrbe proiectus, & ad exilium fuerat deſti-
natus, fertur, eum Romam properaſſe. Atque, domo propria requiſita, conue-
nit Patrem, iam longo ſenio confectum, tamen Chriſtum credentem, in opere
Domini continuo deſudantem obſequio. Quem cùm Beatus Nazarius ſolicitè per-
cunctaretur, ſi vſque ad perfectum Dominum ſequeretur; omnia, quæ de eo* D
geſta fuerant, narrauit per ordinem; quomodò EI PER VISIONEM BEA-
TVS PETRVS APOSTOLVS APPARVERIT, *& doctrina Chriſtianæ
Religionis imbuerit; aſſerens, non eſſe iuſtum, vt, præcedentibus ſe Coniuge &
Filio ad Cæleſte Regnum, Angelorum Ciuibus coniungendis, ipſe crudelis Inferni
lueret pœnam. Quem ergo, tantæ viſionis nouitate perterritus, iam nihil aliud
inde agi licere de reui, quàm quod apoſtolico eo præcepto monitus, vt Chriſtum
crederem, Baptiſmi me vnda purificarem.*

III. *Nazarius itaquè dum verbum Dei inperterritus Romæ prædicaret; de doctrina
eius longè latequè ferebatur opinio. Exardeſcentes itaque Pontifices Capitolij,
concitauerunt turbam, vt Chriſtiani nominis doctorem Nazarium, flagellatum*

ab

ab Vrbe proijcerent. Quem comprehenſum, eum interrogarunt, quis eſſet, aut A
vnde ibi veniſſet. Reſpondit: Chriſtianus ſum: & ab Vrbe Mediolanenſi non
longè ad hanc Ciuitatem & ad has partes pro Chriſti nomine exilio deſtinatus
ſum. Quem multis increpationibus arguentes, nimiſſquè iniurijs & conuicijs
exaſperatum, vnde venerat, remiſerunt. Hactenùs Auctor ille.

IV. Cùm verò Nazarij Pater tam ſerò ſeſe ad Chriſtianam Fidem conuerte-
rit; hinc profectò liquet, quàm parùm aptè Græcus ille apud Surium
Auctor ſuam illam Hiſtoriam hunc in modum ſit exorſus. *Nerone te-*
nente ſcepera Imperij Romanorum, Nazarius admirabilis, tamquàm Stella quæ-
dam lucida, fulgebat in ſua Patria. Eam enim habebat Roma veluti imagi-
nem virtutis aliquam, illius glorians moribus. Nam hæc quidem erat Patria
Nazario: Parentes autem, alter quidem Libycus, altera verò ipſa quoque erat B
Romana genere: ambo quidem diuites facultatibus & virtute; Petro autem in-
ſtitutore, Chori Diſcipulorum Principe, Deo redditi magis familiares, aquaquè
& ſpiritu conſummati. EORVM PIETATEM DEVS VELVTI RE-
MVNERANS, *quomodò olim Abrahæ hoſpitalitatem*, EIS DEDIT FI-
LIVM, HÆREDEM SIMVL VIRTVTIS ET BONORVM, NA-
ZARIVM. Hæc enim poſtrema verba non benè conueniunt cùm Bap-
tiſmate, per Nazarij Patrem tam ſerò & in extrema ſenectute ſuſcepto.
Sed hinc ad proſequendam Hiſtoriæ ſeriem cum Auctore illo noſtro
Latino reuertamur.

CAPVT XVII. C

Sancti Petrus & Paulus, Apoſtolorum Principes, martyrio in Vrbe Roma coronantur Anno Domini 69. die 29. Iunij: Sanctuſquè interim Caius, Archiepiſcopus noſter, Romam proficiſcens, hac de re diuinitùs admonetur; neque tamen à ſuſcepto itinere deſiſtit.

I. PRiùs tamen expedit, vt hoc loco breuiter præmittamus San-
ctorum Petri & Pauli Apoſtolorum cædem: vtquè Roma-
nam interim Archiepiſcopi noſtri Caij profectionem deſ- D
cribamus.

II. Pro tempore autem cædis Apoſtolorum ea nobis ſufficient,
quæ Baronius in Annalibus, & Bellarminus in ſecunda Parte Chrono-
logiæ, Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* adiectæ, diſſeruerunt. Baronius
enim Anni geſta Sexageſiminoni ſic narrabat, & argumentis confirmabat,
vt in Spondani Epitome, qua nunc vtor, habemus: *Anno Chriſti Sexage-*
ſimonono, L. Fonteio Capitone & C. Iulio Ruſo Conſulibus, cùm iam Nero ex
Achaia (quò ſuperiore Anno nauigauerat ad Iſthmi foſsionem, vt idem
Baronius eodem Anno, Art. 8. meminerat) *Romam rediſſet ea pompa*
triumphali, quam Suetonius (in Nerone Cap. 25.) *deſcribit; Petrus & Paulus,*

Apoſtolorum Principes, diu carcere detenti, glorioſiſſimum ſubiere martyrium. A
Qui enim illud in Annum decimum-quartum Neronis referunt (Euſebius in
Chronico, & illum ſecuti, Hieronymus De Scriptoribus Eccleſiaſticis in Petro &
Paulo, atque alij) errare certum eſt. Quippe, cùm Neronis Imperium cœperit
menſe Octobri, Conſulibus Marcello & Auiola; nullum eſt dubium, hunc eſſe
eius Annum decimum-tertium, qui terminetur eodem menſe Octobri, quo &
decimus-quartus inchoatur. Sed & cùm æquè perſpicuum ſit, ipſum Anno ſe-
quenti, quarto Idus Iunij, occiſum eſſe, nec perueniſſe ad tertium Calendas Iu-
lij, quo die Apoſtoli necati ſunt; impoſſibile planè redditur, vt iidem dici poſ-
ſint Anno ſequenti, decimo-quarto Neronis, paſſi eſſe. Et paulò pòſt: *Quæ*
autem poſita eſt à nobis ſententia de hoc Anno decimo-tertio eiuſdem Imperatoris,
grauiſſimos habuit aſſertores, Caium antiquum Theologum, Zephyrinum Papam, B
& Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum: quos citans Metaphraſtes (die 29. Iu-
nii) *iiſdem adſtipulatur, dum Anno trigeſimo-ſexto poſt Paſſionem Domini (nu-*
merando à Natiuitatis Trigeſimo-tertio) eos necatos affirmat: qui eſt hic ipſe
Domini Sexageſimus-nonus. Quòd verò ad diem attinet: cùm omnium ſit con-
cors ſententia, vna eademquè die, nempè tertio Calendas Iulij, martyrium
conſummaſſe; tamen id, non vno eodemquè Anno, ſed Anni vertentis occurſu
contigiſſe, videtur fuiſſe opinio Prudentij, Aratoris, & Auguſtini. Sed verior
atque probatior illorum cenſetur aſſertio, qui vnum eundemquè Annum & diem
amborum martyrio adſcribunt. Cuius ſententiæ fuerunt nuper receſiti Caius
Zephyrinus & Dionyſius, ac poſt eos Euſebius, Epiphanius, Hieronymus,
Maximus, Caſſiodorus, & alij recentiores, ferè innumeri &c. Bellarminus C
autem in ea, quam dicebamus, Chronologiæ Parte altera, non procul
ab initio, in eandem cum Baronio ſententiam his conſenſit verbis:
Euſebius in Chronico ſcribit, Neronem imperaſſe Annis quatuordecim, menſibus
octo. Sed non ita eſt. Imperauit enim Annis tredecim, menſibus ſeptem, ex
Suetonio, Dione, & alijs. Proinde Sanctus Petrus non fuit crucifixus Anno
Decimo-quarto Neronis, vt Sanctus Hieronymus, Euſebium ſecutus, ſcripſit
in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſed Anno Decimo-tertio. Alioqui marty-
rium Sancti Petri non contigiſſet die vigeſima-nona Iunij, vt Eccleſia celebrat.
Obijt enim Nero die decima Iunij, Anno Decimo-quarto. Qua quidem cer-
tiſsima ratione nos etiam commodè poſtea vtemur pro Anno diequè,
quibus Nazarium & Celſum, ac poſtea Protaſium & Geruaſium, mar- D
tyrio fuiſſe affectos contendemus.

III. Romam interea Sanctus Caius eo præſertim animo ac ſpe tendit, vt ibi
ſuperſtites Apoſtolorum Principes alloquatur. Antiſtes tunc ille noſter
erat: ac ſi quintum non agebat Epiſcopatus annum, ſicuti mox affir-
matum videbimus; certè tamen Epiſcopatum iam hunc adminiſtrabat,
Sancto Anataloni iam ſubſtitutus; ſicut ego ſupra computabam Capite
2. Numero 9. De hac autem Romana Caij profectione mira eſt inter
Scriptores noſtros conſenſio, communi etiam Mediolanenſis Eccleſiæ
firmata ſuffragio. Sed ego lubentiùs eius narrationem huc proferam è
vetuſtiore illo & anonymo Auctore, quem Capite pariter illo ſecundo,
Numero

Numero 2. indicabam, teſtemquè protinùs Num. 3. & rursùs poſtea A
Capite 6. Num. 4. producebam. Sic igitur ille nobis in Sancti Gaij Vita ſcriptum reliquit: *Interea Præſul Dei Reuerendiſsimus Gaius, maximo, vt fertur, ductus amore viſendi magnificum Apoſtolorum Principem Petrum, & ſui quondàm Magiſtri Barnabæ collegam & Gentium lumen Paulum, ſeu etiam conferendæ gratia prædicationis ſuæ cum Clemente Sanctiſsimo, cæteriſquè Apoſtolorum pediſequis:* ANNO EPISCOPATVS SVI QVINTO, QVI ERAT NERONIS VLTIMVS (de quo iam diximus Numero ſuperiori) *ad Vrbem Romuleam, hoc eſt, ad genitalem Patriam, fertur tramitem direxiſſe;* CVM ECCE IN MEDIO FERE ITINERIS SENSIT PER SPIRITVM, EOS, QVORVM MAXIME ANHELABAT DESIDERIO, IMMANISSIMA CÆSARIS ATROCITATE RECENS B
FVISSE PEREMPTOS. *Concidit illicò, & obortis lachrymis grauiter ingemuit. Cùmquè interrogaretur à commeantibus, quam ob cauſam ita fleret; Heu, pro dolor! inquit: Gemina Orbis totius hodie luminaria, Neroniana extincta rabie, Romana tellus intercipit. Et, niſi ſubueniat Omnipotentis Dei Maieſtas, cunctis iam nunc per Orbem Chriſticolis diuerſiſsimas Cæſar impius calamitates inrogare incipiet. Properemus ergo quantocyùs: & eorum, ſi fortè ſuperſunt inhumatæ, condignis ſarcophagis reliquias inuehamus. Sin verò conditæ fuerint, ſaltim venerandis tumulis ſupremum flebiles redhibeamus honorem. Atque vtinam nos ſupra eorum ſacratiſsima buſta hoſtilis inueniens mucro obtruncare non differat; vt vel in extrema triumphi eorum ſorte participes inueniamur. Hæc effatus, vbertate lachrymarum æſtuantia labia inrigabat, non* C
iam diuturni laboris, non PEDESTRIS *reminiſcens* ITINERIS. *Die tandem octauo Romam cum ſocijs adtigit. Vbi reſalutatus à Fratribus, de glorioſo confeſtim Apoſtolorum exceſſu perquirere, vel quid de eorum ſacratiſsimis Corporum margaritis fecerint, anxio nimis pectore ſciſcitari cœpit. Protinùſquè rei geſtæ comperit textum: qualiter Cæſar nefandiſsimus vnum eorum cruci, alterum ſpiculatoris gladio addixerit: quin & eorum Deo dicatas exuuias die, quo eos ex hac vita migrare contigit, diligenti cura fuiſſe reconditas. Conferens ergo cum Clemente, & alijs Beatorum Apoſtolorum Vicarijs, doctrinæ ſuæ tenorem,* ALIQVANTO TEMPORE CVM IPSIS FVIT. *Qui, licet clanculò, ob perfidorum inſidias, Euangelicis prædicationibus, quibuſcumque poterant, perſuadebant: eruentes animas multorum de manibus Principis tenebrarum, &* D
filios lucis de reliquo ſtatuentes. Hactenùs Auctor ille: vetuſtiſsimus quidem omnium, quos ego adhuc in eo argumenti genere verſatos inuenire potuerim.

CAPVT XVIII. A

Reuerſus Mediolanum Nazarius, martyrii palmam vnà cum Celſo hic aſſequitur eodem Anno Domini 69. die 28. Iulij.

I. QVO demum tempore Mediolanum rediit Nazarius, comple-
tum ſine dubio iam erat decennium illud, quo Protaſius
& Geruaſius, Cœnaculo illo ſuo incluſi, pijs vitæ ſanctio-
ris exercitationibus iugem dederant operam: iamquè in-
choatus erat vndecimus ille annus, intra quem ipſi non
modò coniecti fuerunt in carcerem, ſed etiam extremo tandem ſuppli- B
cio necati. Quo igitur tempore Nazarius huc denique rediit, nullum
mihi dubium eſt, quin Protaſium tunc & Geruaſium, non in Cœna-
culo, ſed in carcere manentes inuenerit, & ibi ad martyrium, magis
ex propinquo iam imminens, tantò vehementiùs animarit. Quoniam
verò neque diu tandem hic manſiſſe priuſquàm ipſe quoque vnà cum
Celſo conijceretur in carcerem, neque diu detentus mihi videtur in
carcere antequàm vterque capite truncaretur; idcircò Nazarius mihi
pariter videtur huc demùm rediiſſe circiter initium Iulij menſis, eodem
Anno Christi Sexageſimo nono excurrentis. Sed hæc, vt ſpero, clariùs
innoteſcent per eius apud Mombritium Auctoris narrationem, quam
ecce proſequor, his exaratam verbis, ea ſubſequentibus, quæ Capite C
16. Num. 3. recitabantur.

II. *Reuerſus itaque Mediolanum, requiſito Puero (* Celſo *) verbo Dei operam da-
bat: circumquaque doctrinam verbi Dei diſſeminans, ad ſpem ſalutis æternæ,
quos poterat, monendo pertrahebat.*

III. *Interea non ſuſtinens de eo Pagani Populi multitudo, impietatis feruore accenſi,
abierunt ad Præſidem, dicentes: Nazarium, quem dudum exilio deſtinatum,
Chriſti crucifixi cultorem, ab Vrbe proieceras: de quo etiam ab Imperatore lit-
teras meruiſti, vt eum capitali damnares ſententia: in media hac Ciuitate libe-
ra, ſicut conſueuit, voce Chriſtum crucifixum verum Deum eſſe; & hos, quos
colimus, non eſſe Deos, ſed Dæmonia, clamat. Aut puni eum, aut Cæſari vin-
ctum dirige occidendum.* D

IV. *Commotus ad iſta* ANOLINVS, *accerſitis militibus, præcepit eis, dicens: Ite,
& cum feſtinatione nugatorem Nazarium conuentum, ſimul & Puerum, ad tri-
bunal producite. Quibus vinctis, atque ad ſe perductis, ita prorupit: Neſci-
tis, quia mihi poteſtas de vobis collata eſt: vt, ſi non immolaueritis Dijs, di-
uerſis vos faciam cruciatibus laniari, & ad extremum capitalem ſententiam in-
feram? Immolate Dijs. Sin autem, præcidam capita veſtra, & corpora veſtra
beſtijs tradam.*

V. *Reſpondit Beatus Nazarius: Nos manufactis Idolis ceruices noſtras ſubmittere
non licet, qui viuum æternumquè Deum veneramur in Cælis. Vos autem, qui
eis ſacrificatis, cum ipſis eritis in æterna damnatione confuſi; clamante Pſalmiſta*

&

& dicente: Confundantur omnes, qui adorant Idolum, & qui glorientur in ſimulachris ſuis. A

VI. *Reſpondit* ANOLINVS*: Cum eis verbis agendum eſt, quos certum eſt poſſe ab intentione reuocari. Vobiſcum verò, quos requieſcere nullatenùs velle probamus, rectiùs verbis agere parcendum eſt; vt, quos ſuaſio non inclinat, de ſua præſumptione damnati moriantur.*

VII. *Iuſsit itaque eos duci* EXTRA CIVITATEM, FORAS PORTAM ROMANAM, IN LOCVM, QVI DICITVR TRES MOROS: *& ibi eos decapitauerunt occultè. Timebant enim tumultum Plebis; quoniam omnes ſicut cultores Dei habebant, pro eo quòd per eos multæ virtutes fiebant in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* EXEVNTES AVTEM EXTRA CIVITATEM *pſallebant, dicentes: In via teſtimoniorum tuorum, Domine, delectati ſumus, ſicut in omnibus diuitijs.. Et peruenientes ad locum, & intra ſe illis orationem diutiùs facientibus amputauerunt capita eorum: & relictis eis abierunt.* B

VIII. Hæc ibi Auctor hic de Sanctorum Nazarij & Celſi martyrio. Quandonam verò illud paſſos exiſtimauerit, ſatis hoc conſtat è ſuperioribus eius verbis, quæ nos quoque iam ſupra recitauimus Cap. 3. Num. 2. & rursùs Cap. 12. Num. 1. & erant huiuſmodi: NOSTER CELEBERRIMVS MARTYR (Nazarius) POST IPSA STATIM APOSTOLORVM CERTAMINA (quibus nempè martyrij coronam conſecuti ſunt) GLORIOSI SANGVINIS SVI EFFVSIONE ILLVSTRAVIT ECCLESIAM. Proindequè tunc etiam Celſus hanc illuſtrauit. Quoto C autem præcisè die tunc ambo hanc illuſtrauerint, ipſe quidem non explicat; ſed hoc nihilominùs ab alijs Auctoribus intelligemus; interimquè cum ipſis conteſtamur, vigeſimum & octauum fuiſſe Iulij menſis diem; cùm Sancti Petrus & Paulus Apoſtoli martyrium ſuum conſummaſſent vigeſimo-nono die Iunij proximè ſuperioris; vt Capite præcedenti iam vidimus.

IX. Iuuabit autem hoc pariter loco ea exſcripſiſſe, quæ ſuperior ille vetuſtus & anonymus Auctor, Capite item præcedenti adductus in teſtimonium, ſcripta, & adhuc typis inedita, reliquit de Neroniana crudelitate, Mediolani feraliter effuſa in Sanctos Protaſium & Geruaſium (de quibus ego infra ſuo tempore agam) ac Nazarium & Celſum, alioſquè. D *Sed vt pauca* (inquit) *de Neronis crudelitate ſubdam, ad exaggerandam impietatis ſuæ magnitudinem; ſuæ nequitiæ per vnamquamque Prouinciam direxerat Præſides, vt Chriſtiani nominis Cultores vario pœnarum genere diſsiparent, delerent, atque perimerent. In quibus* ANOLINVM, *velut capitalem peſtem, ſecundicerium ſibi eſſe præceperat, data illi in Chriſtianos conſulari offula, quatenùs Italicarum partium poteſtatem accipiens, Chriſtianæ Sectæ & nomen radicitùs euelleret, & germen diſperderet; itaut nec veſtigium aliquod de ea ſub aſtra remaneret. Mox namque vt* MEDIOLANVM METROPOLIM ITALORVM, INTRAVIT*; iuſsit, diligenter inueſtigari, ſi qui ibidem ex hac ſuperſtitioſa Secta Magiſtri aduentaſſent. Reſponſumquè eſt illi*

ab

ab Aedituis, quòd multi eſſent, etiam ex primatibus: qui non diebus non nocti- A
bus ab iſtiuſmodi doctrinis ceſſare vellent: perſuadentes Populo, vt, derelicta
Deorum cultura, in Ieſum quendam, Nazaræus qui dicitur, credere debeant:
adeò vt non parua tam Nobilium quàm vulgi multitudo conſenſerit. Qua-
propter, niſi tua eos, inquiunt, Præſes Optime, induſtria reuocet; totas ad ſuam
perfidiam Italiæ concitabunt regiones. Et quis poſthac Dijs patrijs, ac diuinis
ſubueniet legibus? Miſsis ergo ſatellitibus, extemplò rapuerunt generoſæ indolis
viros, & pubeſcenti forma nitidos, alios arctiſsimæ tradentes cuſtodiæ, alios
inaudita ſæuitia iugulantes. Nulla humani viſceris miſeratio, nulla ſexus æta-
tiſquè diſcretio: cunctos paſsim Chriſti nominis Confeſſores ferro flammis fla-
gellis & equuleis vbique laniantes, & ſemiuſta beſtijs cadauera ad eſcam ſub
nudo axe linquentes. Inter multos autem, qui hiſdem temporibus in Chriſti B
exercitu ad mortem vſque certarunt, Beatiſsimos extitiſſe germanos comperi,
PROTASIVM VIDELICET ATQVE GERVASIVM, SACRATIS-
SIMOS MARTYRES DOMINI. NAM PATER IPSORVM, *cuius*
ſupra memini (noſquè cum ipſo meminimus Cap. 6. Num. 4.) SAN-
CTVS VITALIS, FORTISSIMVS ATHLETA CHRISTI, IAM-
DVDVM PRO CHRISTI CONFESSIONE DIVERSA PER SVP-
PLICIA TRIVMPHALEM ADEPTVS FVERAT PALMAM:
MATER QVOQVE DEO DEVOTISSIMA, VALERIA, SIMILI
EXITV MORTEM COMMVTARAT IN GLORIAM. *Horum ergo,*
vt dicere cœperam, Parentum Beatiſsimorum glorioſiſsimi filij, in nullo degene-
res, exemplar ſecuti, Neroniani prælij conſtantiſsimè victores effecti ſunt. Nec C
plumbatis cadi, nec equuleo torqueri ſatis fuit, NISI ETIAM CAPVT
SPICVLATORI (qua de re nos infra) PRO CAPITE MARTY-
RVM CHRISTO GRATANTER OFFERRENT. *Eodem ferè tem-*
pore & alij quamplurimi tum milites Chriſti, etiam ex Romanæ Vrbis Nobili-
bus, Mediolani, velut in Regia Vrbe, certantes, martyrio coronati ſunt: cum
quibus magnificus teſtis Chriſti NAZARIVS CVM ASSECLA PARVV-
LO, NOMINE CELSO, *poſt multimoda tormentorum genera, quæ illis*
pro Chriſtiana Fide ſæuus Nero intulerat. Nam & atrociſsimè fuſtibus macta-
ti, & marinis immerſi fluctibus, belluiſquè in eſcam dati, cùm illi econtra for-
titer perſtitiſſent, & mirabiliter in cunctis trophæum ſuo Regi Chriſto reporta-
uiſſent; tandem capite truncati Caput omnium, Chriſtum, amittere non potue- D
runt. In his & huiuſcemodi prænominatus Præſul Domini, Gaius, turbinibus
conſtitutus, ſuſcepti Pontificatus Sedem firmiter tenuit, laudabiliter rexit &c.
Hæc ille.

X. Cæterùm de hoc poſtremo Nazarij ad Vrbem noſtram reditu, ac tandem martyrio, Græcus etiam ille Auctor, die 19. Iunij à Surio productus, ſuum ſibi locum hic depoſcit. Sicut in reliqua huius argumenti Hiſtoria, ſic etiam in hac parte, multa ille habet cum altero illo Latino apud Mombritium Auctore communia: quæ quidem mihi etiam videtur ab eo accepiſſe. Nonnulla verò etiam propria commiſcet, quæ propria itidem cenſura mihi videntur indigere. Tale profectò illud erat, quod

Capite

Capite 16. Num. 4. reprehendebamus, taleque nunc etiam eſt, cùm Sanctos ille Nazarium & Celſum ac Protaſium & Geruaſium narrat vno eodemque ſupplicij genere, ac die menſis Octobris quarto-decimo, necnon etiam in eodem loco necatos ac ſepultos: quæ quidem falſa ſunt omnia; ſicut in huius Operis progreſſu conſtabit. Sed ipſummet Auctorem Græcum audiamus. A

XI. Quemadmodùm Nazarius & Celſus è mari diuinitùs incolumes euaſiſſent, hoc ille iam deſcripſerat; cùm ſuam Hiſtoriam hunc in modum eſt proſecutus: *Terra ergo cum Puero redditus Nazarius, tranſit cum eo ad Ciuitatem, quæ dicitur* TENVSA (nos GENVA legendum monebamus) *& illinc profectus, venit* MEDIOLANVM: *rurſùs quoque priorem pergens dare doctrinam, & dulci potare nectare eos, qui erant verè filij* Regni. *Sed* B *Ciues rurſùs ei non permittebant liberè prædicare veram Religionem; ſed eum comprehenderunt, & eum Præſidi* ANVLINO, *qui ei priùs multas impegerat alapas, tradiderunt; vel per illos, vt verius dicam, is, qui fuit ab initio inuidus, & odio habuit homines.*

XII. *Ille autem iubet, eum rurſùs includi in priori cuſtodia. Nazario autem ipſa cuſtodia erat multis regijs pretioſior, pratum floridum, nouus Paradiſus. In eam enim ingreſſus, verſabatur cum Geruaſio & Protaſio, ſocijs certaminis: à quibus aſſiduè ille, tamquàm ab aliquibus fluminibus irrigatus, carpebat ſuauiſſimos flores illorum conſuetudinis; vt propemodùm gratias haberet* ANVLINO, *quòd eum rurſùs coniunxiſſet cum ijs, quos deſiderabat. Cum eis ergo congreſſus, & magnam accepit vtilitatem, & ipſe etiam viciſſim intulit ea,* C *quæ erant vtilia: & eos ſatis ad certamina, & puerum incitauit Celſium: quem puerum quidem ſermo, perfectum autem oſtendit actio.*

XIII. ANVLINVS *autem cùm de Nazario ſingula exactè didiciſſet; mirabatur, quemadmodùm potuiſſet effugere Neronem (ſciebat enim, quàm eſſet furioſus & quàm ferus Nero) lupum agnus, vt aiunt. Hinc etiam de Sancto Nazario & eius ſocijs eum facit litteris certiorem: rogans, quidnam iuberet vt faceret Sanctis. Ille autem cùm audiuiſſet, Nazarium adhuc eſſe ſuperſtitem; cædem ſpirabat aduersùs lictores; quibus iuſſerat, vt eum in maris profundum inijcerent. Et præ ira è ſede exiliens, cum vociferatione currebat per regiam, clamans inſidiatores, ingratos, aduersùs Deos impios: & cupiebat eos inuenire, vt ipſos etiam interimeret ſimul cum Martyribus: ignorans ſtolidus, quòd Deus poteſt, non ſolùm à mari ſeruare eum, qui in ipſo habuerit fiduciam, ſed etiam* D *ipſum mare exſiccare. Teſtatur autem Diuus David, dicens, eum poſuiſſe fluuios in deſertum, contrà autem deſerta in lacus aquarum.*

XIV. *Cùm eos ergo multùm quæſiuiſſet, & non inueniſſet; ſic litteris exponit ſuam aduersùs Sanctos ſententiam: Quoniam ij, qui ante nos aſcenderunt in hanc excelſam Imperij Sedem, non ſolùm eos, qui in maximos Deos erant impij, morte ſua damnabant ſententia: ſed etiam ſi inuenirentur aliqui, qui maleficijs & præſtigijs multos corrumperent, par quoque in eos ſtatuebant ſupplicium; noſtra quoque decernit potentia, quòd iſti quamprimùm vita priuentur, gladio capitibus eorum amputatis; deinde eorum corpora obijciantur feris ad deuorandum,*

dum, vt ne omnium quidem communem conſequantur ſepulturam. Sit ergo tibi cura id, quod in præſentia iuſsi, exequi. Eſt enim mihi maiori curæ honorare Deos, quàm curam gerere Reipublicæ. A

XV. *Poſtquàm hæ litteræ venerunt ad* ANVLINVM; *iubet, ſtatim ad mortem duci Martyres. Illi autem, muniti figura Crucis, admodùm læti exierunt; vt qui, non ad mortem, ſed ad vitam potiùs (quod verum erat) æternam vocarentur: & contendebant alius alium præuenire; & pulchro decertabant certamine: timentes, ne Neronem ſuæ pœniteret ſententiæ, & beatum finem non aſſequerentur.*

XVI. *Poſtquàm autem, Domino confitentes, peruenerunt ad locum conſummationis; inuidens Chriſtianis Malignus beneficium, perſuadet lictoribus, vt priùs abigerent pios, qui illic aderant; ne omninò fruerentur ſanctificatione ſanguinis Sanctorum, qui effundebatur:* ET SIC MARTYRVM CAPITA AMPVTARENT. *Sed ſic quoque à ſpe decidit Execrandus, & parum commodi accepit ex improbitate:* PRETIOSÆ ENIM SANCTORVM RELIQVIÆ, NAZARII, INQVAM, ET GERVASII CVM SOCIIS (nempè Protaſio & Celſio) *à Chriſtianis quibuſdam, non ſine Dei numine motis, clàm ablatæ,* DEPOSITÆ SVNT HONORIFICE APVD PORTAM CIVITATIS, QVÆ ETIAM VOCATVR ROMANA, QVARTO-DECIMO MENSIS OCTOBRIS. *Paulò pòſt autem diuini Martyres in ſomnis apparent cuidam ex iis, qui erant amici Martyrum: iubentes, vt eorum corpora aſſumeret.* Et paulò pòſt: *Ille autem, viſione valde lætatus, ſtatim ſurgens, & cum veneratione illinc ſanctas aſſumit reliquias, & domi ſuæ deponit. Nouit, quod factum fuerat eius filia, quæ erat paralytica. Nam aduentu Martyrum priorem recuperauit valetudinem.* Talia Græcus ille Auctor, Latinè redditus. De quorum veritate aut falſitate Lector noſter commodiùs etiam in progreſſu iudicabit. B C

XVII. Reliquum hic eſſet, vt ſitum indicaremus eius loci, qui TRES MOROS appellabatur, & in quo Sancti Martyres, Nazarius & Celſus capite truncati fuerunt. Sed hoc alibi, cùm poſtea de admirabili eorum inuentione agemus.

XVIII. Quòd verò pertinet ad ætatem, qua demùm Nazarius & Celſus occubuerunt: ille tunc trigeſimum-quartum agebat annum; hic autem fortaſsè octauum, aut nonum. Nazarius enim nouennis erat, quando primùm Sanctus Petrus Romam iuit, ſuamquè ibi Sedem collocauit; vt iam vidimus Capite 3. Numero 4. Eandem verò Sedem vſque ad obitum ille retinuit per annos viginti-quinque, vt probatiſsimum eſt. Quoniam ergo Nazarius eidem Petro per vnicum tantummodò menſem ſuperuixit; certè ſequitur, vt, quando necatus fuit, quartum & trigeſimum ætatis ageret annum. Quòd ſi etiam Celſus à Matre ſua traditus Nazario fuit, cùm tres tantùm annos natus eſſet, vt Capite XI. Numero 2. Metaphraſtes nobis affirmabat: ſi etiam traditus illi fuit circiter Annum Domini Sexageſimum-quartum, ſicut ego in fine Capitis Decimi ſupputabam; quidni ſequitur ætas illa, quam ego mox eidem Celſo adiudicabam? Quod profectò certiſsimum eſt, pueritiam ille nondùm fuerat emenſus. D

CAPVT

CAPVT XIX. A

Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi, ſtatim à Fidelibus clàm ſepulta, rursùs eorum monitu, nec ſine miraculo, ſepeliuntur alibi: nec ſine ſcripto, quo eorum Paſſio continebatur.

I. ITeratam eiuſmodi Sanctorum Martyrum ſepulturam, luculenter deſcriptam nobis exhibet ſolitus ille noſter apud Mombritium Narrator. Sic enim ex ordine proſequitur: *Eadem itaque nocte* (noctu ſiquidem Nazarius & Celſus
fuerant decollati) *aduenientes religioſi Viri collegerunt Corpora* B
eorum: & condita aromatibus, in eodem, quo decollati fuerant, loco poſuerunt in proprijs hortis.

II. *In ipſo itaque tempore viſi ſunt Sancti cuidam Ceratio nomine, qui ſuſceperat eos in domum ſuam: & dixerunt ad eum, Abſcondens abſconde nos altitudine magna in terra, propter Neronem, & ſatellites eius: & ne dixeris amicis tuis, quia requieuit apud te Nazarius cum puero Celſo, & ſunt in domo mea. Ceratius verò, viſis Sanctis, rogabat eos, dicens: Quæſo, Domini mei ſaluate vnicam filiam meam; quia paralytica eſt. Dicunt ad eum Sancti: Conſtanter age, credens in Dominum Ieſum Chriſtum, qui per bonam mortis confeſſionem, diabolicis calcatis temptamentis, animas noſtras in Cælis facit cum Angelis exul-*
tare; quia ſaluabitur filia tua; & in ea nodoſæ vlteriùs infirmitatis contrac- C
tum veſtigium non apparebit. Exurgens verò Ceratius abijt in domum ſuam, vt ſuſceptam filiam ſuam offerret ſanandam: & inuenit iam filiam ſuam, ſolidatis greſſibus, & omni corpore reſtaurato, benedicentem & laudantem Dominum, qui eam meritis Sanctorum Martyrum à tam graui moleſtia liberauit.

III. *Lapſa denique Sanctorum viſione, Ceratius cum vxore & filia ſua, quemadmodum ei à Sanctis in viſione præceptum fuerat, adimpleuerunt, adorantes Dominum Ieſum Chriſtum cum omni domo ſua, atque dicentes: Gratias tibi agimus, Domine Ieſu Chriſte: qui cultoribus tuis æternum ſplendorem tribuens, facis eos moriendo triumphare, & poſt mortem glorioſiùs viuere; quando tecum regnando beatitudinem nunquàm amittunt, quam tua quæſierunt præcepta ſer-*
uando. Benedicimus te; quia videmus & habemus Sanctos Martyres tuos, & D
diſcipulos Apoſtoli tui Beati Petri.

IV. *Conſequens quidam Philoſophus Sanctum Nazarium ab initio, ſcripſit* LIBELLVM CERTAMINIS EIVS, *quem apud ſe fideliter conſeruabat occultum. In viſione verò commonitus à Sanctis, eandem ſacri certaminis ſcripturam Ceratio detulit, qui eorum pretioſa Corpora ſepelierat. Et, ſicut ab eiſdem Martyribus Ceratio fuerat imperatum,* AD CAPITA EORVM RECONDITVM, VSQVE AD DIEM REVELATIONIS EORVM MANSIT OCCVLTVM. Per hæc igitur ecce tibi, Lector, Sanctorum Nazarij & Celſi ſepulturam, & eo tam inſigni miraculo comitatam.

V. Eadem verò paucioribus verbis inſinuant etiam plerique generis huius

Scriptores: ac nominatim Græcus ille Auctor apud Surium die 29. Iu- A
nij, Vincentius Bellouacenſis in Speculo Hiſtoriali Libro 9. Capite 53.
Iacobus de Voragine in Legendario Cap. 97. Petrus de Natalibus Libro
6. Cap. 150. Sanctus Antoninus Prima Parte Chronicorum Tit. 6.
Cap. 27.

CAPVT XX.

Sanctus Syrus, Eccleſiæ Papienſis Primus Epiſcopus, audito Sanctorum Nazarij & Celſi martyrio, Sanctum Iuuentium, adiutorem ſuum, ad Vrbem noſtram protinùs mittit pro funere B
illorum curando. Iam curatum nactus, Papiam redit: ſimulquè Nazarij ſanguinem, linteo collectum, hic accepiſſet; plurima per eum miracula patrantur. Sancti Protaſius ac Geruaſius etiamnùm in carcere viuebant; ſed martyrium de die in diem expectantes. In id ergo tempus, quo illud ſubierint, Syrus amanter præmonet, quid agendum: & aliquid precatur ex eorum reliquijs. Simul autem hic agitur etiam de tempore, quo Syrus Papiam, & Sanctus Euangeliſta Marcus Aquileiam primò ac deinde Alexandriam miſſus fuerit: quo item Sanctus Hermagoras regimen Aquileienſis Eccleſiæ acceperit, C
ac martyrio conſummarit: qua demùm ex cauſa Syrus hanc ſibi erga Mediolanenſes curam ſuſceperit.

I. QVO tempore Nazarius & Celſus noſtra in Vrbe necati ſunt, Ticinenſem Sanctus Syrus Eccleſiam tunc regebat, primus eius Vrbis Epiſcopus. Illuc enim ad prædicandum Chriſti Euangelium miſſus fuerat à præceptore ſuo, Sancto Hermagora, Sancti Marci Euangeliſtæ diſcipulo; qui tunc pariter Aquileiam Vrbem, in eiuſdem Marci locum à Principe Apoſtolorum Petro, Romanam Cathedram tenente, ſuffectus Epiſcopus, Chri- D
ſtianis Myſterijs imbuebat. Eiuſdem porrò Syri Vitam, videlicet à vetuſtiori Auctore conſcriptam, protulit etiam Mombritius noſter: atque cum ea planè conſentit, quam Surius quoque Tomo Quinto, ac duodecima Septembris die recitauit; excepto quòd Surius eidem velut in vnum corpus compactam reperit, & vnà compactam typis edidit Sancti Iuuentij (aliter Inuentij, vel Iuentij) Vitam; qui pariter fuerat Syri ſub Hermagora condiſcipulus, & ab eo illuc vnà cum ipſo miſſus; quiquè poſtea tertius illic Epiſcopus fuit. Quanti autem Surius eam Vitam fecerit, vel è titulo patet, quem ipſi talem præfixit: *Vita Sanctorum Syri & Iuentij, ſeu Iuuentij, Ticinenſium Epiſcoporum, grauiter conſcripta.*

Cuius Auctorem cùm non exprimant manuſcripti libri; incertum eſt, illane ſit, A
quam Beati Syri diſcipulus Pompeius, an verò quam EX HOC *Paulus Diaconus edidit: à quibus ſcripto relictam doctiſsimus Petrus Galeſinius, Protonotarius Apoſtolicus, annotauit.* Quippe Galeſinius in ſui Martyrologij Annotationibus, ad quintum Idus Decembris, de Sancto ipſomet Syro loquens, inter alia ſic ſcripſit: *Illius Vitam ſcripſit Pompeius eius diſcipulus* (quinetiam, dixerim ego, proximus in eo Epiſcopatu ſucceſſor, & Iuuentij anteceſſor) A QVO PAVLVS DIACONVS SVMPSIT, *& Iacobus item Gualla.* Siue igitur Sanctus Pompeius ſcripſerit, ſiue Paulus Diaconus (qui florebat Anno Domini 774. vt Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* obſeruauit) ex ijs, quæ Pompeius dudùm ab initio ſcripſerat, acceptam retexuerit ſtylo ſuo Vitam illam, quam Mombritius & Surius proferebant; ea profectò permagni facienda eſt, eiquè B
multum fidei tribuendum; quippequæ Pompei præſertim teſtimonio innitatur. Itaque ſatis etiam mihi eſt; ſi eam Paulus Diaconus retexuiſſe ſupponatur; & ego quidem, vt liberè loquar, ita prorsùs exiſtimo. Ea ſiquidem Vita, tota quanta recitatur à Surio, ſiue quatenùs non modò Syri, ſed etiam Pompei, ac demùm Iuuentij Epiſcopatum comprehendit, vnici tantùm Auctoris ſtylo conſcripta eſt; ſi ab initio ad extremum illa benè examinetur. Sicut ergo Pompeius non eam partem, quæ de ſuo ipſius Epiſcopatu Interituquè agit, non eam, quæ de Iuuentij, conſcripſit; ita etiam ne primam quidem illam, quæ de Syri. Sed illud etiam huc accedit; quod in ea ipſa prima, paulò poſt eius initium, tam C
Syrus quàm Iuuentius diſertiſsimè nominantur Papiæ Vrbis, primi, non modò *Prædicatores*, verùm etiam *Præſules*; cùm alioqui, quando Syrus Papiam primò profectus eſt, tunc Iuuentius nondùm eſſet Diaconus, vt ex eiuſdem Vitæ Capite nono dignoſcitur; cumquè ad Præſulatum electus ille fuerit nonniſi poſt obitum Pompei. Hæc ipſa verò Syri ſolius Vita conferatur etiam cum Epiſcoporum Metenſium Catalogo, per Paulum Diaconum haud dubiè conſcripto; certè vnam eandemquè fermè introductionem, vnius eiuſdemquè Auctoris indicem, comperimus in vtriuſque Operis initio. Eiuſmodi autem Catalogus ad manum mihi eſt typis editus Hanoniæ Anno Domini 1613. in Volumine inſcripto *Corpus Francicæ Hiſtoriæ, veteris & ſinceræ*. Sed hæc ſatis in præſenti ſint de D
vero ac legitimo illius Vitæ Auctore. Nunc ad teſtimonia progrediamur, quæ nobis ex ea depromere intendimus, prout loci ac temporis opportunitas exegerit.

II. Narratum in ea proximè fuerat Capite 3. (quippe Surius illi Capita in margine adiecit) quemadmodùm Syrus Papiam profectus, primoquè ſtatim ingreſſu miracula operatus, Ciueſquè ad Fidem Chriſti ſuſcipiendam hortatus, exitum inde tam felicem reportarit, vt Auctor ipſe Caput illud tertium ita demùm concludat: *His autem & alijs multis ſanctis exhortationibus Populus ad Fidem conuertitur Chriſti: atque Baptiſmatis gratiam conſequuti, patrem, & ſalutis ſuæ oſtenſorem* (Syrum) *miro omnes ve-*

nerabantur affectu. Hanc igitur eorum conuerſionem Syro tam breui A
tempore, quàm facilè ac feliciter, aſſecuto; mox Auctor, tamquàm
narraturus aliquid, quod non multò pòſt factum fuerit, Caput illicò
quartum ab his incipit verbis: EO VERO TEMPORE dum orta eſſet
perſecutio Chriſtianis in Mediolanenſium Vrbe à quodam paganiſſimo COMI-
TE, ANOLINO nomine: & aliquanti ex Chriſtianis pro amore Chriſti
punirentur; BEATOS PROTASIVM ET GERVASIVM, glorioſos
viros, pro confeſſione Chriſtiana idem crudeliſſimus Præſes carceralibus tenebris
mancipauit, plurimis Chriſti Fidelibus latitantibus. BEATVS VERO NA-
ZARIVS, claris ortus natalibus; ea tempeſtate Chriſti nomen conſtantiſſimè
prædicans, deſpectis huius ærumnoſæ vitæ negotijs, multorum animos illuſtra-
bat. Sed detentus impiorum manibus, marinis fluctibus immergitur. Succur- B
rente autem diuino præſidio, naufragium tanti periculi verus Chriſti athleta
liberatus euaſit. At poſt iſta diuina magnalia incunctanter prædicans, Dominum
Ieſum Chriſtum Dei eſſe Filium, AD EANDEM MEDIOLANENSIVM
VRBEM PERVENIT: IN QVA VIDELICET, IVSSV NEQVIS-
SIMI NERONIS, AB EODEM COMITE MORTIS SENTEN-
TIAM SVSTINVIT: & quia erat nobilis præclaroquè ex genere; metuens
ſæuiſſimus Perſecutor, INTEMPESTA NOCTE CAPITE EVM
TRVNCARI PRÆCEPIT CVM ASSECLA SVO PARVVLO,
NOMINE CELSO.

III. Cumquè relatione multorum Beatiſſimus Syrus hæc cognouiſſet; venerandum
virum Iuuentium alloquitur: Summa, inquiens, alacritate ac celeritate Me- C
diolanum tranſcurre. Omni ſolicitudine inquirens Chriſtianos viros, alloquere:
Supernæ vos ardor charitatis detineat, & erga Chriſti Martyrum reuerentiam
vincat; vt Corpuſcula fratrum noſtrorum, NAZARII ET CELSI, quorum
ſanguis pro Chriſti effuſus eſt nomine, dignæ ſepulturæ cum maximo honore tra-
dantur; ATQVE EPITAPHIVM CERTAMINIS EORVM SACRIS
APICIBVS CONSCRIBENTES, SIMVL RECONDITE. PROTA-
SIVM AVTEM ET GERVASIVM, digniſſimos Confeſſores, qui à peſti-
fero Præſide clauſi carcere detinentur, cùm pro Chriſti Fide & ipſi fuerint mar-
tyrio coronati, debito honore & merito condentes, CERTAMINIS EO-
RVM LIBELLVM pro futuris temporibus, ad laudem Domini noſtri Ieſu
Chriſti, & gloriam ipſorum, AD CAPITA EORVM REPONITE. D
QVIA PRÆDESTINATVM EST A DEO, VERIS FIDELIBVS,
QVI TEMPORE OPPORTVNO CREDITVRI SVNT, OB CON-
FIRMANDAS MENTES EORVM, SANCTORVM CORPORA
REVELARI, & honoribus atque virtutibus præfulgere, multorumquè infir-
mantium valetudinibus reſtituere medelam ſalutis.

IV. Cùmquè omnia fideli pectore Patris monita ſuſcepiſſet; lætus ac feſtinus huius præ-
cipuè legationis iter arripuit; atque ad eandem Vrbem, licet anxius iam, noctu
peruenit. Inuentiſquè, quos Sanctus Pater prædixerat, Chriſti-Fidelibus, quæ-
cumque ei commiſſa fuerant, auribus retexuit. At illi, Corpora Martyrum Na-
zarij & Celſi ſe condidiſſe reſponderunt. Quibus Beatus Iuuentius: Obſecro,
inquit,

inquit, vos, vt, dum certaminis ſui hi, qui ſuperſunt, Beatiſsimi Protaſius & A
Geruaſius, finem acceperint, aliquid pro amoris dulcedine, eorumquè reuerentia,
de veſtibus vel Corporibus eorum pignus retinentes, noſtris deſiderijs offeratis.

V. *His verò auditis, qui aderant reſponderunt, quandam Dei famulam, dum Sancti*
Nazarij caput ab impio laniſta abſciſſum fuiſſet, vidiſſe ſe, linteo ſanguine eius
recepto, fugam petiſſe. Quo Vir Dei Iuuentius reſponſo commonitus, anxius
tali inſinuatione dum remearet; in ipſo itinere eandem conuenit Chriſti ancillam.
Quæ, diuina admonitione præmonita, gratuita voluntate Martyris ei obtulit
cruorem, quem ferebat. At ille, accepto tanti muneris, quem quærebat, theſau-
ro lætus, ad mœnia Ticinenſis reuerſus eſt Ciuitatis.

VI. *Cuius Portam tanti doni portitor dum intraſſet; quidam Dæmonio puer arreptus*
volutabatur in platea. Ex cuius ore dolens ac luctuoſa voce eiulans clamabat B
Diabolus: Væ mihi; quia torqueor Martyris ingreſſu cruoris. Quod vt audiuit
miles Chriſti Iuuentius; ſuper vexatum puerum Sancti Nazarij Martyris ſan-
guinem impoſuit; ſtatimquè ab eo Dæmonium, quod vociferabatur, expellit.
Contigit autem, vt pro confirmanda Fide Catholica ipſe prudentiſsimus vir
Iuuentius, operante Chriſto in multis ſignis, probabilem faceret Sancti Martyris
cruorem Nazarij. Nam poſitus ſuper cæcorum oculos, lumen reſtituit: & va-
rias infirmitates concurrentium ad ſe frequenter curauit. Atque ex hoc tempore,
Beati Nazarij meritis & patrocinio promerente, plenæ credulitatis augmentum
huius Vrbis Ticinenſis Populus eſt adeptus. Hactenùs è tam probata Sancti
Syri Vita teſtimonium pro Sanctis Nazario & Celſo ac Protaſio & Ger-
uaſio tam illuſtre; præterquamquòd alia quoque in poſterum, ſuis in- C
terſerenda locis, ſuperſunt.

VII. Exinde tamen duæ ſe nobis res ad illuſtrandum in præſenti offerunt, vt
iuſtum Lectoris deſiderium curioſè pariter ac officioſè præueniamus.
Vna eſt tempus, quo primùm Syrus Papiam venerit: altera eſt cauſa, cur
Syrus talem ſibi curam erga Sanctos noſtros Vrbemquè noſtram ſuſce-
perit. Vtramque nunc igitur quæſtionem diſcutere conabimur.

VIII. Eiuſdem verò Vitæ Auctor ea nobis videbatur opinione fuiſſe, vt Syrus
Papiam venerit non multò ante, quàm Sancti Nazarius & Celſus neca-
rentur: quod quidem infra etiam Cap. 31. Num. 2. confirmari poterit
è prima Eccleſia, quam Syrus poſtea Papiæ conſtruxit, Sanctiſquè Pro-
taſio ac Geruaſio dicauit. Nec enim credibile videtur, primam ibi Ec- D
cleſiam tam ſerò conſtructam fuiſſe, vbi tam facilè ac promptè Chriſtia-
na Religio communi Ciuium conſenſu recepta fuerat, & vbi propterea
Chriſtianis congreſsibus ac Myſterijs operam publicè deinceps dare per-
miſſum fuit: hoc, inquam, credibile non videtur; ſi multos ante annos
Syrus illic Euangelium prædicaſſet, ac nominatim ſi ab Anno Domini-
cæ Natiuitatis Quadrageſimo-ſexto, ſicut Hieronymus denique Boſsius
affirmauit. Sic enim ille in Libello affirmauit inſcripto *Diptycha Epiſco-*
porum Sanctæ Ticinenſis Eccleſiæ: quem typis edidit Anno 1640. tamquàm
depromptum Sacris ex Annalibus, quos in promptu ſe habere profite-
batur. Ciuis ille Ticinenſis fuit, & Iuriſconſultus, & in Academia illa
celeberrima

celeberrima Regius Interpres, ac poſtremus Hiſtoriæ Ticinenſis Scriptor: quem credere iuuat inter alios Patriæ ſuæ Scriptores ætate ſuperiores diligentiſsimum in extricandis eiuſmodi nodis fuiſſe. Summa verò mihi etiam erat cum ipſo amicitia: nec vnquàm ille Mediolanum veniebat, quin ſemel iterùm ac ſæpiùs me conueniret amantiſsimè, diuquè inter nos de Re Hiſtorica colloqueremur. Quocirca etiam ſummopere dolui doleoquè, illum ſeptem circiter ab hinc annis ex hac vita ſublatum. Sed hinc ad præſentis rationem inſtituti reuertamur: & oſtendamus, quomodò Syrus tam ſerò Papiam peruenire potuerit. A

IX. Poſteaquàm nimirùm Sanctus Petrus, Apoſtolorum Princeps, Romam perueniſſet, ibiquè Sedem ſuam conſtituiſſet (vt iam credidi, & in conceſsis vltrò ſuppoſui) Anno Domini Quadrageſimo-quarto; tum verò Sanctus etiam Marcus Euangeliſta illic vnà cum ipſo aliquandiu moratus fuit; & hoc pariter nobis citra omnem controuerſiam eſto. Syri profectò etiam Vita paulò poſt initium ſic habet: *Quo in tempore fundata Beatiſsimus Petrus Chriſti Apoſtolus Antiochena Eccleſia, in qua primùm nouellæ gentis Chriſtianum nomen exortum eſt, ædificaturus Romanam Eccleſiam, ad Romanam Vrbem tranſiuit: ibiquè prædicans Chriſtum crucifixum,omneſquè virtutes faciens atque miracula, quæ coram conſpectibus Iudæorum fecerat, multos ad credulitatem ſui conuertit oraculi. Quibus in diebus* MARCVS EVANGELISTA, *adiutor & interpres eius effectus, de omnibus, quæ ex ore illius didicerat, mirabilibus Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Euangelium edidit: quod plurimi etiam Beati Petri eſſe confirmant; eo quòd eiuſdem documento eruditus Euangeliſta Marcus Euangelium illud conſcripſerit, & eius ſit auctoritate firmatum, atque ad legendum Eccleſiæ traditum. Marcus verò Euangeliſta poſt hæc digreſſus Roma, in Aegyptum perrexit, atque Alexandrinam Eccleſiam ex doctrina Magiſtri operarius veritatis mira concordia & ſanctiſsima conuerſatione fundauit. Euangelium autem, quod rogatus à Fratribus Romæ confecerat, ſecum deferens,* BEATVM VIRVM HERMAGORAM, QVEM IPSE EDVCAVIT ET ENVTRIVIT, ORDINE VICIS SVÆ ITALIÆ PRVDENTIA ET SANCTITATE RELIQVIT INSIGNEM. Per hæc autem poſtrema verba idem hic Auctor indicabat id, quod paulò pòſt apertiùs ſignificauit: Sanctum videlicet Hermagoram à Sancto Marco ſubſtitutum ſibi fuiſſe Vrbis Aquileienſis Epiſcopum. Certum enim eſt, Euangeliſtam hunc à Sancto Petro miſſum fuiſſe Aquileiam priùs, quàm in Aegyptum mitteretur ad fundandam Eccleſiam Alexandrinam. B C D

X. Baronius autem Anno Chriſti 45. Art. 13. miſsionem hanc Marci ad Vrbem Aquileiam non negauit. In ora enim marginali producens Petrum de Natalibus in Catalogo, Libro 4. Cap. 86. tamquàm ex eius teſtimonio ſic è regione Hiſtoriam proſequitur: *Fertur (ſed traditione magis, quàm antiquorum certo teſtimonio) ipſummet Marcum Euangelium ſuum, quod Romæ Latinè ſcripſerat,* CVM POSTEA AQVILEIÆ MORARETVR, MISSVS ILLVC A PETRO AD EAM ERIGENDAM ECCLESIAM, *in Græcum tranſtuliſſe: ipſumquè autographum, diutiùs Aquileiæ aſſeruatum,*

aſſeruatum, Venetias demùm translatum eſſe. Atqui eodem Anno, Art. 5. A
ſic item iam ſcripſerat: *Sicut autem, ſtabilita Sede Romana, Petrus Antiochenæ prouidit; ita & memor Eccleſiarum, quas in Ponto Gallacia Cappadocia, Aſia Minori & Bithynia erexerat, ſuam Primam ad eas ſcripſit Epiſtolam... Quam quidem hoc ipſo Anno,* ANTEQVAM MARCVS AB EO MITTERETVR ALEXANDRIAM, *eſſe conſcriptam, ex ea facilè colligi poteſt, quòd in ea hæc poſita habeantur in fine: Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta* (hoc eſt, in Vrbe Roma, vt paulò pòſt è communi Patrum interpretatione confirmat) ET MARCVS FILIVS MEVS. *Petrò Marcum, hoc Anno Tertio Claudij Alexandriam miſſum, illic collegiſſe Eccleſiam,* EVSEBIVS NON OBSCVRE DEMONSTRAT IN CHRONICO. Cùm itaque Baronius è Chronico Euſebij probet, Marcum B
Anno Domini Quadrageſimo-quintò miſſum fuiſſe Alexandriam; reliquum eſt, vt eodem Anno illum fateatur aliquandiu manſiſſe Romæ (cùm Pĕtro in miniſterio interpretis deſeruiret) deinde autem Aquileiam, & poſtremò Alexandriam miſſum fuiſſe; nec enim eum dicere poteſt miſſum fuiſſe Aquileiam priùs, quàm in Vrbe Roma deſeruiret Petro.

XI. Sed Euſebij etiam ipſius hac de re ſententiam examinemus. Certè quidem ille in Chronico, non ad Annum Chriſti Quadrageſimum-quintum, Claudij Tertium, ſed ad Chriſti Quadrageſimum-quartum, & Claudij ſecundum, ſic tradebat: MARCVS EVANGELISTA, INTERPRES PETRI, ÆGYPTO ET ALEXANDRIÆ CHRISTVM ADNVNCIAT. Et poſtea ad Annum Chriſti Sexageſimum-quartum, Neronis Octauum: POST MARCVM EVANGELISTAM *primus Alexandrinæ Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus* ANNIANVS: *qui præfuit annis viginti-duobus.* Quibus etiam verbis inſinuatum videtur, eundem Marcum eodem illo Anno Sexageſimo-quarto mortuum fuiſſe, proptereaquè ſubordinatum illi Annianum. Sic enim Petrus etiam Damiani obſeruauit in Sermone de hoc Sancto Euangeliſta, apud Surium die 25. Aprilis; qua de re legi poteſt Baronius ad Annum Chriſti 64. Art. 1. Si ergo Marcus Alexandriam miſſus iam fuerat Anno Chriſti Quadrageſimo-quarto; non igitur Romæ fuit Anno Quadrageſimo-quinto: atque propterea C
Euſebius non tantùm Baronio, ſed etiam Primæ Petri Epiſtolæ (ſiue ſalicius ſalutationi, quæ nomine Marci fiebat) aduerſatur. Quocirca ne mirum quidem ſit; ſi nos viciſsim Euſebio hac in parte aduerſemur. D
Iacobus Gordonus in ſua Chronologia probat, Marcum Euangeliſtam fuiſſe Romæ Anno Chriſti Quadrageſimo-quinto: ac deinde Anno proximo ita narrat: *Varias Eccleſias per Orbem erectas, & à Petro inſtitutos Epiſcopos enumerat hic Baronius* (ſeu eodem Anno Quadrageſimo-ſexto) *ex Ciuitatum traditione.* ET MARCVS, ALEXANDRIAM A PETRO MISSVS, *colligit Eccleſiam, Sedemquè ibi ponit.* En igitur vt etiam Gordonus biennio ab Euſebij ſententia diſſentit. Quid ſi verò Euſebius non animaduertit duplicem illam Marci miſsionem, primò quidem ad Vrbem

bem Aquileiam (cuius quidem miſsionis mentionem nullam fecerunt A
multi tam Latini quàm Græci Scriptores) deinde verò in Aegyptum & Alexandriam? Quid ſi præterea ſecundam miſsionem retrotraxit ad tempus primæ? Quid ſi etiam in eo errauit Anno, ad quem illam retrotraxit? Ego quidem Marcum non Anno Chriſti Quadrageſimo-quarto, vt Euſebius: non Quadrageſimo-quinto, vt Baronius: non Quadrageſimo-ſexto, vt Gordonus: miſſum fuiſſe arbitror Alexandriam; ſed hoc quidem Anno poſtremo Aquileiam, & poſt multos deinde annos Alexandriam. Cur autem ita cenſeam, mox aperio.

XII. In Martyrologio Romano, die 12. Iulij hæc item habentur: *Aquileiæ Natalis Sancti Hermagoræ, diſcipuli Beati Marci Euangeliſtæ, & primi eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi* &c. Ad hæc autem Baronius adnotauit: *Agunt de eodem* B
Beda, Vſuardus, Ado, & alij. FERVNTVR EIVS ACTA CONSCRIPTA A GREGORIO, *cuius filia* (filius tamen verè fuit) *obſeſſa à Dæmone, ab eodem Sancto fuit incolumitati reſtituta*. RECITAT EA MOMBRITIVS TOMO SECVNDO. *Petrus in Catalogo, Libro 6. Cap. 86. eadem ſummatim refert: idemquè in Actis Sanctarum Euphemiæ & Dorotheæ, Libro 8. Cap. 29. & alij recentiores, vt Vincentius, Antoninus, Sabellicus, Volaterranus, Hieronymus Rubeus, & edita nuper Hiſtoria Aquileiæ.* Similiter in ſuis ad ſuum Martyrologium Annotationibus Petrus Galeſinius eadem die: *Vſuardus, Beda, & alij*. ILLIVS ET FORTVNATI DIACONI MARTYRIVM LITTERIS MANDAVIT GREGORIVS: *is ſcilicet, qui eorum corpora ſepeliuit*. TV VERO TOTAM C
MARTYRII HISTORIAM LEGAS LICET APVD BONINIVM. *De eo ſcribunt præterea Sanctus Antoninus, Volaterranus Commentariorum Libro 15. Sabellicus Parte 4. Libro 3. de vetuſtate Aquileiæ, Rubeus* (ſiue Rubeus) *Libro 1. Hiſtoriarum Rauennatum, & alii plerique. Sunt verò qui Hermacoram* (nonnulli etiam *Hermachoram*) *vocant. Martyrio coronatur, Imperatore Nerone, Præſide Seuaſto*.

XIII. Baronij ergo & Galeſinij iudicio Acta illa Sanctorum Hermagoræ & Fortunati, quæ Boninus Mombritius Tomo Secundo recitauit, conſcripta verè fuerunt a Gregorio illo, Ciue primario Aquileienſi, cuius filius Dæmoniacus ab Hermagora fuerat liberatus, & de quo iiſdem in Actis propè finem, poſt deſcriptum ipſorum martyrium, ſic legitur: D
Audiens autem hæc Gregorius, cuius filium à Dæmonio liberauit Sanctus Hermagoras: & Alexandria, quæ ab eo illuminata fuerat: venerunt noctu occultè cum linteaminibus mundis, & valde pretioſis aromatibus: & condientes Corpora Sanctorum Martyrum, ſepelierunt ea extra murum Ciuitatis Aquilegiæ, in agello ipſius Alexandriæ. Quocirca nos Euſebio Cæſarienſi Chronologo, qui florebat Anno Domini Trecenteſimo vigeſimo-quinto, talem in primis Auctorem Gregorium, Sanctis Marco & Hermagoræ coæuum & familiarem, Euſebio ipſo tam longè vetuſtiorem, non immeritò anteponemus, & huic potiùs fidem adhibebimus.

XIV. Gregorius hic autem Sanctorum Hermagoræ ac Fortunati Vitam ſic eſt exorſus:

exorſus: *Poſt Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti omnes Apoſtoli miſerunt ſortes, quis in quam Prouinciam proficiſceretur, ad prædicandum Dei verbum.* A *Quare ad Vrbem Romam profectus eſt Beatus Petrus, Princeps Apoſtolorum, vnà cum Beato Paulo Apoſtolo, adducente ſecum* BEATVM MARCVM: *qui & ipſe Beati Petri primus fuit diſcipulus: &* MORABATVR CVM EIS IN VRBE ROMA. *Tunc dicit ad eum Beatus Petrus: Quid hic nobiſcum moraris? Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Ieſus. Surge, & perge ad Vrbem Aquilegiam Auſtriæ Prouinciæ, ad prædicandum verbum Dei. Tunc accipiens Beatus Marcus primam ſortem, & baculum Pontificatus, arripuit iter: & veniens peruenit ad prædictam Vrbem Aquilegiam: inuenitquè ibi iuuenem, nomine Ataulfum, filium Vlfij, illuſtris & primi Ciuitatis, magna lepra detentum.* Diuinitùs igitur Marcus hunc ſacro tandem Baptiſmate B penitùs curauit: eoquè miraculo patrem quoque ipſius, & vniuerſam familiam, Populiquè multitudinem conuertit ad Chriſtum, & baptizauit. CVMQVE BEATVS MARCVS (verba ſunt eiuſdem Auctoris, poſteaquàm illa narraſſet, Hiſtoriam ſuam proſequentis) PRÆDICARET PER ANNOS ALIQVOT; *emicuit in cor eius deſiderium, vultum Sancti Petri videre; volens occultè dimittere Populum, atque ire ad Vrbem Romam. Tunc Dei nutu audientes Populi, & concurrentes diluculo, vociferabantur clamore magno, dicentes: Quid mali egimus? Quid peccauimus; quia tu nos derelinquere vis? Da nobis Paſtorem. Tunc Beatus Marcus dixit Populo, vt eligerent ſibi quem voluiſſent. Populus verò elegit ſibi virum Chriſtianiſſimum, elegante perſona, nomine Hermagoram. Qui iter faciens cum Beato* C *Marco ad Vrbem Romam, & à Beato Petro accipiens baculum Pontificatus, & velamen Sacramenti ſuſcipiens, factus eſt Protoepiſcopus Prouinciæ Italiæ. Et regreſſus ad Vrbem Aquilegiam, Eccleſiæ ſuæ moderationem compoſuit; Seniores & Leuitas ordinauit: & poſt hæc ad Ciuitatem Trigeſtinam Presbyterum & Diaconum direxit:* ET PER ALIAS CIVITATES SIMILITER FACIEBAT. Sic igitur Syrum quoque ac Iuuentium Hermagoras ad Vrbem Papiam dimiſit; quemadmodùm ſuperiori huius Auctoris narrationi, à ſemetipſo recenſitæ, prudenter attexuit Ioannes Candidus Libro 2. Commentariorum Aquileienſium, non longè ab initio. Quod verò ad rem præſentem attinet: en igitur vt, hoc Gregorio teſte, Sanctus Euangeliſta Marcus aliquandiu Romæ manſit cum Sancto Petro: D deinde autem ab eo miſſus Aquileiam, per aliquot ibi annos Euangelium prædicauit ante, quàm reuerſus Romam ſubſtituendum ſibi Hermagoram curaret à Sancto Petro, ab eoquè poſtea ipſe Alexandriam in Aegyptum mitteretur.

XV. Quàm probata verò poſterioribus ſæculis & recepta fuerit ea Sanctorum Hermagoræ ac Fortunati Vita, quem vetus ille Auctor conſcripſerat, quamquè poſtea, circiter Annum Domini Milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum, Boninus noſter Mombritius ſelegit, & ad verbum exſcriptam typis edidit: ex hoc facilè colligi poteſt; quòd eandem ab ipſo ſummatim mutuati ſunt ij Scriptores; qui paulò ante à Baronio &

Galeſinio nominabantur. His tamen ego Vincentium Bellouacenſem non connumero; quippe qui Libro 9. Speculi Hiſtorialis Cap. 57. vbi de geſtis egit Sancti Marci Euangeliſtæ, nullam fecerit mentionem, quemadmodùm ille Aquileiam miſſus fuerit; ſed ſolummodò, quemadmodùm Alexandriam. Certè autem ijs ſingillatim connumero (vt à iunioribus ad vetuſtiores aſcendamus) Ioannem Candidum, paulò ante laudatum, qui ſuos illos Commentarios primùm typis edidit Anno Domini 1521. Marcum Antonium Sabellicum, *De vetuſtate Aquileiæ*, Libro 3. non procul ab initio, qui florebat Anno 1494. vt Geſnerus etiam in ſua Bibliotheca obſeruauit: Sanctum Antoninum Prima Parte Chronicorum, Titulo 6. Cap. 16. vbi etiam copiosè egit de digito, quem ſibi Sanctus Marcus ex humilitate fertur amputaſſe, ne ad Sacerdotium promoueretur: ſic etiam Petrum de Natalibus in Catalogo, Libro 4. Cap. 87. & Libro 6. Cap. 188. Quinetiam his ego inſuper addo Iacobum de Voragine in Legendario, Cap. 57. & Ordericum Vitalem, Monaſterij Vticenſis Monachum, Libro 2. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quo ſcilicet in loco ille agebat de Sancto Marco Euangeliſta, & mihi quidem ab extremo paginæ 425. Ordericus hic autem ſuam Hiſtoriam ſcribebat Anno Domini 1138. ſicuti conſtat è fine Libri Primi: eamquè proſecutus eſt vſque ad Annum Chriſti 1141. ætatis verò ſuæ ſexageſimum-ſeptimum, ſicut etiam benè obſeruauit Andreas Ducheſnius, cùm ab initio in vniuerſum illud Volumen præfaretur. Eſt autem inſcriptum *Hiſtoriæ Normannorum Scriptores antiqui:* eiuſdemquè Ducheſnij ſtudio & labore typis impreſſum fuit Lutetiæ Pariſiorum Anno 1619. cùm antea in lucem typis numquàm prodijſſet ea Orderici lucubratio. A B C

XVI. Quoniam verò Voluminis eius exemplaria non ignoro rara eſſe in Vrbe noſtra; iccircò tam Lectori quàm veritati commodum erit; ſi nos hoc loco aliqua ex eodem illic Orderico recitemus. Sic ergo ille incipiebat: *Marcus Euangeliſta, Beati Petri Apoſtoli diſcipulus & interpres & in Baptiſmate filius fuit, Euangeliumquè Domini noſtri Ieſu Chriſti eius ab ore ſcripſit. Qui, ſicut fertur, pollicem ſibi abſcindi fecit, vt Sacerdotio reprobus haberetur: nec tamen ab Apoſtolis repudiatur, quin eorum electione Epiſcopus Alexandriæ præficeretur. Hunc Beatus Petrus, quando in Vrbe Roma eſſet, vocauit, & in Italiam ad prædicandum Gentibus deſtinauit. Quid hic, inquit, nobiſcum moraris? Ecce de omnibus, quæ fecit Ieſus Nazarenus, eruditus es. Surge,* ET AQVILEIAM PERGE: *ibiquè Populis dogmata veræ ſalutis ſparge. Tunc Marcus primam ſortem prædicationis, & baculum Pontificatus accepit: iniunctum iter arripuit,* ET AQVILEIAM, *quæ ex Ciuitatibus Italiæ prima eſt,* VENIT. *Ibi quendam iuuenem leproſum, nomine Ataulfum, Vlſini illuſtris & primi Ciuitatis filium, inuenit* &c. Eum igitur mirabiliter ſanauit; ſanatoquè ſimul & baptizato, Patrem quoque ipſius, & familiam, & multos è Populo conuertit; ſicut etiam fuerat à Gregorio illo narratum. Sequitur Ordericus: POST ALIQVANTOS ANNOS *Marcus deſiderauit Petrum videre: voluitquè occultè Plebem dimittere, &* D

Romam

Romam adire. Quod nutu Dei comperientes Populi, diluculo cucurrerunt: & vociferantes, vt Paſtorem eis daret petierunt. Tunc Hermagoras à Populo A
electus eſt, & à Beato Marco Romam perductus eſt. Ibi à Beato Petro Apoſtolo Protoepiſcopus Prouinciæ Italiæ factus eſt: & poſt multa miracula, quæ Deus in Populo per illum operatus eſt, NERONE IMPERANTE, *ſub Sebaſtio Præſide, cum Fortunato Archidiacono;* TERTIO (ſic enim apertè hic legitur) IDVS IVLII, MARTYRIZATVS EST. *Beatus verò Marcus, Sancto Petro Apoſtolo præcipiente, regimen Alexandriæ Sedis ſuſcepit, & primus in Terra Aegypti Chriſtum prædicauit* &c. Et hæc quidem in præſenti ſufficiant, vt intelligamus, quemadmodùm narrationem hanc Ordericus acceperit mutuam ex ijs Sanctorum Hermagoræ & Fortunati Actis,quæ à Gregorio illo conſcripta dicebantur. Illud verò præſertim nunc etiam B
recolamus, quemadmodùm ALIQVANTOS Ordericus hic nominauerit annos illos, per quos Marcus Aquileiæ prædicauit priùs, quàm ſibi ſubſtituendum curaret Hermagoram: quoſquè Gregorius ille ALIQVOT appellabat. Eoſdem porrò Ioannes item Candidus appellauit ALIQVOT; & ſic etiam Petrus de Natalibus Libro 4. Cap. 87. poſtea verò Libro 6. Cap. 88. MVLTVM TEMPVS appellauit: nec vlteriùs Auctores iſti explicando progreſſi fuerunt. Itaque nos interim hoc ſaltem ſatis probatum arbitramur: vt Hermagoras nonniſi poſt aliquot annos, ab Anno Chriſti Quadrageſimo-ſexto elapſos, obtinuerit Epiſcopatum Aquileienſem: vtquè propterea ne intra quidem illos aliquot annos Syrum miſerit Epiſcopum ad Vrbem Papiam. Tentemus nunc, an aliqua fortè C
maior lux aliunde nobis in idipſum affulgeat.

XVII. Claudius profectò Robertus cùm Galliæ ſuæ Chriſtianæ Appendicem ſubtexuiſſet, in duas diſtributam Partes; initio Secundæ Partis Catalogum collocauit Aquileienſium Patriarcharum; eoſquè numerare exorſus, ſic inquit Num. 1. *Sanctus Marcus Euangeliſta, à Beato Petro miſſus, Euangelium ſuum è Latino Græcum fecit, quod Venetijs aſſeruatur. Catalogus Sanctorum* (Petri nempè de Natalibus) *Libro 4. Cap. 86. Baronius Anno Chriſti* 45. Deinde autem Num. 2. *Sanctus Hermagoras, ex Septuaginta-duobus Diſcipulis Chriſti,* ANNO SALVTIS REPARATÆ QVINQVAGESIMO-OCTAVO. *Martyrologium 12. Iulij primum Aquileiæ Epiſcopum facit. Videndus ibi Galeſinius, Baronius, & Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico.* D
Dedit Cyrum (lege *Syrum*) *Ticinenſibus Epiſcopum. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ 12. Iulij.* En igitur vt hic Auctor Epiſcopalem Sancti Hermagoræ ordinationem auſpicatur ab Anno Chriſti Quinquageſimo-octauo: perinde ac ſi diſertè ſimul etiam dixiſſet, Sanctum Marcum eidem illi Eccleſiæ præfuiſſe ad eum vſque Annum, Anniquè diem ordinationi Hermagoræ præuiam. Quo quidem dato, Alexandrinæ itidem in Aegypto Sedi poſtea ille præfuiſſet inde vſque ad octauum Neronis Annum, Chriſti autem Sexageſimum-quartum, quo tandem interfectus fuit, vti iam diximus Num. XI.

XVIII. Numquid verò Hermagoras propterea credendus erit eo ſaltem Anno

L 2 Chriſti

Chriſti Quinquageſimo-octauo tam ſolicitus fuiſſe pro Papienſium ſalute, vt, poſt Epiſcopatum Aquileienſem ſibi collatum, Syrum illis protinùs Epiſcopum dederit? Mihi profectò ne hoc quidem creditu videtur neceſſarium, quinetiam ne credibile quidem. Primò enim hoc ſuapte natura non eſt illius conſectarium, vt certiſsimè conſtat. Secundò, Hermagoras Eccleſiæ ſuæ moderationem compoſuit priùs, quàm Euangelij Miniſtros ad alias Ciuitates dirigeret; vt mox Numero 14. Gregorius ipſe nobis & Ioannes Candidus affirmabant. Tertiò, Syrus ita videtur Hermagoræ diſcipulus fuiſſe, vt ab ipſo, iam Epiſcopo, conuerſus fuerit ad Chriſtum & baptizatus. Atque huc etiam pertinere videntur è Vita Syri verba illa, quæ recitatis per nos Numero 9. ſubtexta ſunt in hunc modum: *Huius* (Hermagoræ) *auditores atque miniſtri venerabiles viri Syrus fuerunt atque Iuuentius. Ecce enim à fonte luminis ineſtimabilis claritas procedens, per beata pectora deriuata, Ticinenſis Populi animos circumfulſit. Ita à Chriſto in Petrum, à Petro in Marcum, à Marco verò in Hermagoram*, AB HERMAGORA IN BEATISSIMOS VIROS SYRVM ATQVE IVVENTIVM TRANSCVCVRRIT; *vt impleretur illud Pſalmiſtæ præconium: Qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo eius.* Porrò ſequitur idem Auctor (& his etiam confirmabitur ſecundum illud noſtrum argumentum) ſequitur, inquam, his verbis: *Igitur Beatiſsimus Hermagoras dum ad Aquileienſem Vrbem Populis inſcijs Chriſtum Dominum innoteſceret* (ſiue innoteſaceret) *cæpit ex diuerſis partibus ad eius dogmata infinitæ multitudinis cætus concurrere, & ſuperno afflatu veloci felicitate Chriſti Eccleſia germinare: ita ſanè, vt ad credulitatem prædicationis eius mentes conferrent, ad quos verbi illius eruditio perueniſſet. Conuocans autem* ALVMNVM SVVM SYRVM, *Epiſcopali faſtigio dedicauit: atque conſocians illi Beatum Iuuentium, ad euangelizandum nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti Papiam Vrbem direxit; quatenùs ibidem honoris huius fungeretur miniſterio, & Fidem Chriſti Populo in eadem commoranti oſtenderet, ac Paganorum animos Chriſti gratiæ copularet.* Quòd ſi Hermagoras verè Syrum conuertit ac baptizauit, cùm Epiſcopus iam eſſet; certè ne id quidem credibile videtur, vt eundem poſtea, recentem adhuc à Baptiſmo ac neophytum, promouerit ad Epiſcopatum Papienſem. Quartò, nullus ex antiquitate Scriptor adſtipulatur opinioni, qua Syrus dicatur Papiam miſſus Anno ſaltem illo Domini Quinquageſimo-octauo: quinimmò non obſcurè, vt Numero 8. dicebamus, aduerſatur ille, qui ſuperiorem illam Syri Vitam conſcripſit. Quintò, ne vita quidem ipſi defuit Hermagoræ, quin Syrum mittere Papiam potuerit non multò ante illud tempus, quo Sancti Nazarius & Celſus necati fuerunt. Ipſe ſiquidem vſque ad Septuageſimum Chriſti Annum ſuperuixit. Et hic quidem poſtremam Hermagoras à nobis operam ſibi depoſcit, non inutiliter nec importunè collocandam: videlicet, vt inueſtigemus, quoto ille Anno martyrium ſubierit.

XIX. Hermagoram, imperante Nerone, paſſum eſſe, Ordericus mox nobis

Numero

Numero 16. teſtabatur. Idipſum affirmabat etiam Galeſinius Num. 12. A
nec aliter ſenſit Franciſcus Maurolycus in ſuo Martyrologio, die 12.
Iulij. Verumtamen hi omnes (quod ipſorum pace dictum ſit) errauerunt:
Ordericuſquè nominatim & Galeſinius non ſatis attentè obſeruarunt
genuinam veteris eius Auctoris ſententiam, qui Sanctorum Hermagoræ
ac Fortunati Acta conſcripſit. Eo ſiquidem teſte, res ita ſe
habuit. Verè quidem Nero tunc imperabat, quando Sebaſtus Præſes
Aquileiam miſſus eſt, pauloquè pòſt comprehendi iuſsit Hermagoram,
per Idolorum Sacerdotes accuſatum. Verè item tunc, nec multo ex
tempore, necatus Romæ iam fuerat Sanctus Petrus, quando Hermagoras
in conſpectum Sebaſti productus eſt, & ab eo exprobrationem huiuſmodi
accepit: *Quæ eſt tua audacia, vt, neſcio per quam artem & ſe-* B
ductionem verborum, omnem Populum à Dijs immortalibus ſepares: prædicans
illum, qui à Pilato eſt crucifixus: PROPTER QVEM ET PETRVS
SIMILEM ACCEPIT POENAM IN VRBE ROMA? *An neſcis, quia*
tale accepi præceptum: vt, ſi inuenero viros ac mulieres hac in vanitate per-
ſeuerare, diuerſis eos generibus tormentorum affligam? &c. Subinde verò
Hermagoras extenſus cæditur crudis neruis: in equuleo ſuſpenſus, vngulis,
laminis candentibus, lampadibus ardentibus torquetur: ac timore
Populi, pro ipſo contra Præſidem obſtrepentis, in carcerem recluditur.
Ibi poſtea cæleſti lumine circumſunditur: & Pontiano, carceris cuſtodi,
conuerſionem ad Chriſtum propterea volenti, triduanum ieiunium
indicit: ac deinde Baptiſmum ipſi per Presbyterum & Diaconum, venire C
iuſſos, impertit. Ibi, ſparſa per Vrbem luminis eius adhuc perſeuerantis
ſama, piè ac officiosè inuiſitur à multis popularibus. Inde verò Sacerdotes
Idolorum denuò exaſperati, facto ad Præſidem concurſu, ſic
oblatrant. *Quoaduſque parcis huic Mago? Omnem ſubuertit Populum. Ecce*
hic peiorem facit ſubuerſionem, QVAM IN VRBE ROMA PETRVS.
SICVT ENIM PETRVM NOSTI PVNITVM; *tolle & interfice Magum.*
QVOD NISI FECERIS; CONTRA TE RELATIONEM
AD IMPERIVM DIRIGEMVS. Sed quid ad hæc Præſes? TRIDVO
(inquit) DATE MIHI INDVCIAS: *donec cogitem, qualibus eum affligam
pœnis.* Re tamen vera timor eum Populi remorabatur. Itaque protinùs
Auctor ſubdit: *Hoc autem dicebat, timens Populi multitudinem, quæ* D
per eum in Chriſto crediderat. Hermagoras interim Gregorij filium dæmoniacum
ſanat, ipſumquè Gregorium cum eius ſamilia baptizat: ſic
etiam poſtea viduam illuſtrem, nomine Alexandriam, triduo priùs ieiunare
iuſſam, liberat à cæcitate, itidemquè baptizat. POST ALIQVOT
VERO DIES (proſequitur Auctor) *audiens Sebaſtus Præſes de
Alexandria, quia baptizata eſt à Sancto Fortunato Archidiacono* (ſicut ei mandauerat
Hermagoras) *iuſsit eum comprehendi, & ferro vinctum ad carcerem
duci. Quem cùm vidiſſet Sanctus Hermagoras; Domino Deo egit gratias;
quia dignatus eſt, ſe cum eodem martyrium ſuſcipere.* Sed quid hinc rursùs?
PER DIES PLVRIMOS (addit Auctor) *multa per eos mirabilia Domi-*

nus

nus in carcere oſtendit. Etenim concurrentes ad eos, varias infirmitates habentes, curabantur ab eis in nomine Ieſu Chriſti. Hæc vbi Sacerdotes Paganorum conſpexiſſent; collegerunt Populum incredulum; veneruntquè ad Sebaſtum Præſidem cum fuſtibus & lapidibus, clamantes: Ciuitas tota perit per te; quia facis vſque nunc viuere hominem, qui per magicas artes Populum alienat, & euertit mentes eorum, vt ſeparentur à Dijs. Tolle Magum: occide Maleficum. A
SIN AVTEM NOLVERIS: TE IPSVM INTERFICIEMVS, ET ILLVM IGNE CONSVMEMVS. *Sebaſtus itaque, Populum timens, qui per eum crediderat in nomine Chriſti; miſit nocte ſpiculatorem; & in carcere decollauit Beatiſsimum Hermagoram Epiſcopum, & Sanctum Fortunatum, Archidiaconem eius.* Denique verò idem Auctor ad extremum concludit: PASSVS EST *autem ipſe Vir Dei, Beatiſsimus Hermagoras Epiſcopus, cum ipſo Sancto Fortunato, Archidiacone ſuo,* QVARTO IDVS IVLIAS. B
Per hæc nimirùm ego, ex horum Martyrum Actis accuratè collecta, velut ob oculos proponere volui, quantum ſpatium coniectari poſsit ex eo fluxiſſe tempore, quo primùm Hermagoras comprehenſus fuit, & quo tandem decollatus. His ergo velut in vna parte ſepoſitis, nunc ex altera recoli oportet ea, quæ Capite 18. Num. 2. ex Baronio & Bellarmino diſſeruimus pro tempore, quo Sancti Petrus ac Paulus verè necati ſunt, & quo poſtea Nero. Illos enim commonſtrabamus necatos Anno Domini Sexageſimo-nono, dieque Iunij vigeſima-nona; Neronem verò ſubſequenti Anno Septuageſimo, die Iunij decima. Hæc autem cùm ita hinc inde ſe habeant; non igitur viuebat Nero menſe Iulio Septuageſimi Anni. Reliquum eſt igitur, vt, ſi Hermagoras poſt Sancti Petri necem occiſus eſt, ſuperſtite adhuc Nerone; certè non alia Iulij menſis die duodecima occiſus fuerit, quàm ea, quæ Anno ipſo Sexageſimo-nono excurrebat, quæquè ab obitu Sancti Petri tertia-decima fuit. Quocirca neceſſe item erit, vt intra tredecim eos dies facta ſupponantur ea omnia, quæ nos facta narrabamus è ſatellitia Sancti Hermagoræ comprehenſione vſque ad eius martyrium; nec enim quicquam in tanta præſentis cauſæ bonitate curamus interim de tredecim eorumdem dierum parte illa, quam ſine dubio ſibi præripuerit ipſummet de Sancti Petri nece nuncium, quod poſt ipſam ſupponi debet Aquileiam ex Vrbe Roma allatum. Cùm igitur tantam temporis breuitatem citra dubium Acta illa nullo pacto patiantur: cùmquè prolixitatem non requirant maiorem illa, quæ ad ſubſequentis alterius Iulij diem protenditur duodecimam; idcircò etiam ego tandem ſic exiſtimo, vt Hermagoras duodecima Iulij die martyrium paſſus fuerit, non Anno Chriſti Sexageſimo-nono, ſed Septuageſimo; cuius Anni menſiſquè die non imperabat Nero, nec inter viuos erat. Hinc autem, ſecundùm ſuperiorem Claudij Roberti ſententiam, Hermagoræ adſcriberem duodecim Epiſcopatus Aquileienſis Annos. Ioannes Candidus eidem adſcribebat viginti; ſed, quando illi cœperint aut deſierint, non explicabat. Penes ipſum igitur ſit fides: noſquè nunc, poſt longam pro prima C D

quæſtione digreſsionem hanc, progrediamur iam tandem ad ſecundam: A
& inquiramus, quid cauſæ Sancto Syro fuerit, cur erga noſtros Sanctos
Vrbemquè noſtram ſibi ſuſceperit eam curam, quam ſupra deſcripſi-
mus à Numero ſecundo vſque ad ſeptimum.

XX. Mutua nempè Chriſtianorum charitas, Catholica Eccleſiarum commu-
nio, ſingularis erga Martyres cultus ac reuerentia; cupiditas etiam con-
ſequendi aliquid ex eorum reliquijs, hæc in primis omnia talem illam
curam & ſolicitudinem in animo tam Sancti Præſulis excitare potue-
runt. Sed his etiam illud accedebat, quod Sanctus interim Caius, noſ-
træ Vrbis Archiepiſcopus, hinc aberat (vt iam vidimus Capite 17. Num.
3.) ad Vrbem nempè Romam profectus: & hoc à Syro ignorari non
poterat. Præterea verò etiam Caium facilè crediderim, antequàm diſ- B
cederet, Eccleſiam ſuam Syro, ſibi tunc aliorum Epiſcoporum viciniſ-
ſimo, fidenter in omne commendaſſe tempus, quo ipſe abfuturus eſſet.
Quid, ſi verò hanc illi commendauit etiam è ſua Metropolitani aucto-
ritate, quam inſtituto Sancti Barnabæ, per Sanctum Anatalonem con-
firmato, habebat? Tale profectò Sancti Barnabæ inſtitutum iam vidi-
mus Capite 2. Numero 3. deſcriptum à vetuſto illo Auctore, quem ibi
ex Ambroſiana Bibliotheca producebamus. Quemadmodùm verò rur-
sùs etiam fuerit ab Anatalone poſtea confirmatum, his ille verbis in
Anatalone ipſo expreſsit: *Fuit autem* (Anatalo) *in paſtorali cura vtra-
rumque Sedium* (Mediolanenſis & Brixianæ) *Annis tredecim, ab Anno Sep-
timo Claudij vſque ad octauum Neronis* (qua de re ſenſum noſtrum de- C
prompſimus Capite 2. Numero 9.) *Quo in tempore ordinauit ſibi Succeſſores
duos: alterum Mediolanenſis, alterum Brixienſis Ciuitatis Epiſcopum. Conſti-
tuitquè condiſcipulum, in diuinis dogmatibus adprimè eruditum, Ciuem Roma-
num, Mediolanenſi Vrbi, ante ſuum deceſſum, Metropolitanum Antiſtitem. Cui
profectò Vrbi tantum priuilegij à ſuo nouerat Magiſtro conceſſum: vt ſitus
inter reliquas Italicarum Prouinciarum Vrbes, earum dumtaxat, quæ Occiden-
talem versùs marginem ab Italiæ ſinu protenduntur, poſt Romanam Arcem in-
tentis ſtructuræ eminentia atque aulicorum conuentu frequentiſsimo principare
videbatur;* ITA ECCLESIASTICÆ DITIONIS PRÆROGATIVA,
POST ROMVLEAM SEDEM, CVNCTAS EXCELLERET. *In
hunc modum & ipſe præfatus Antiſtes, nil à ſuo inſtitutore diſcrepans,* ME- D
TROPOLITANAM IBIDEM CATHEDRAM PRO FVTVRIS
TEMPORIBVS CHRISTI STATVIT ESSE FIDELIBVS: *quatenùs
affinium Populorum Antiſtites, hoc eſt, Venetiæ, Liguriæ, Aemiliæ, Rhetiæ,
Alpiſcottiæ, quotquot fuerint in Sancta Matre Eccleſia futuri per has ſæpedictas
Prouincias, Caput quoddam & Decus inſigne, poſt Romanum Pontificem, ha-
bere debeant Mediolanenſis Sedis Præſulem.* Hactenùs Auctor ille, vel ipſa
vetuſtate venerabilis. Quibus quidem verbis, vt mihi pro certo polli-
ceor, Epiſcopum quoque Papienſem computabat inter Populárium
affinium Antiſtites, qui Præſuli noſtro, tamquàm Capiti ac Metropoli-
tano, ſubeſſe tunc & in poſterum deberent. Hinc igitur, vt coniecta-
bundus

bundus dicebam, Sanctus quoque Caius, Archiepiſcopus noſter, antequàm Romano ſeſe itineri traderet; Eccleſiam ſuam è ſua Metropolitani auctoritate fortaſsis commendauerat Sancto Syro in omnem opportunitatem aut neceſsitatem, qua ipſe illi prodeſſe interim ac ſuffragari poſſet. Atque ſic etiam ſimili fortaſſè cauſa & ratione factum eſt poſtea, vt Sanctus Iuuentius, cùm promotus iam eſſet ad Epiſcopatum Papienſem, nonnumquàm Sacros etiam Ordines in Vrbe noſtra contulerit. Sic enim Capite 16. & 18. legitur in eius Actis, à Surio, vt iam diximus, recitatis Tomo Quinto, die 12. Septembris. Tempus verò iam eſt, vt ab eiuſmodi curioſis diuerticulis ac ſemitis tranſuerſis in militarem Diſputationis noſtræ viam reuertamur. A

B

CAPVT XXI.

Anolinus Italiæ Præſes, alijquè Sanctorum Nazarij & Celſi perſecutores, dum ipſorum Corpora curioſiùs, vt in ea ſæuiant, perquirunt, immatura omnes morte à Deo puniuntur.

I. HÆC ipſa nos edocet ſolitus ille noſter Actorum Nazarij & Celſi Narrator, à Mombritio ſelectus, & poſteritati ad legendum commendatus. Proſequens enim ea, quæ nos ex ipſo recitauimus Cap. 19. Num. 4. ſic ſcribebat: *Eandem crudelitatem quam eis viuentibus exagitauerat* ANVLINVS, *ad eorum Corporum perquirendas reliquias magna curioſitatis ſuæ dementia laborabat: ac timens, ne denuò reſurgentes, ſigna faciendo virtutis, maioribus Ciuitatem tumultibus occuparent.* SED DEVS OMNIPOTENS SANCTOS SVOS, INTER CÆLESTIS REGNI GAVDIA GLORIOSA LVCE VESTITOS, EORVM PERSECVTORES DIV NON PASSVS EST IN EIS PROCACITER INSVLTARE. OMNES ENIM VELOCI MORTIS OCCASV, VT ERANT DIGNI, CRVDELI VASTATIONE, MALIGNO IMPELLENTE SPIRITV, PERIERVNT; *vt ex eorum fine patenter daretur intelligi, quàm grauis culpa eſſet Cultoribus Chriſti i ferre moleſtiam; quando tam concita morte perſecutores eorum æternis ſunt incendijs deputati.* C D

II. Per hæc autem in aperto iam eſt vera cauſa, cur in Paſsione Sanctorum Protaſij & Geruaſij, mox à nobis recitanda, non Anolinus nominetur, ſed Aſtaſius. Quæ quidem omiſsio Aloyſium Lipomanum, cauſæ illius inſcium, poſtea cruciauit, & ad coniecturas traxit, in vniuerſum quidem non improbabiles; ſed à præſentis tamen rei veritate alienas; cùm ille interim altera ex parte Metaphraſti, vel Auctori ſaltem per Metaphraſtem producto, crediðiſſet, Nazarium & Celſum ac Protaſium & Geruaſium necatos vnà fuiſſe; quod item mox conſtabit eſſe falſum. Suas verò eiuſmodi coniecturas Lipomanus explicauit in Præfatione ad eorum

eorum Sanctorum Vitam, quam è Metaphraſte recitabat, quamquè poſ- A
tea Vitam pariter ac Præfationem Surius item die 19. Iunij recenſuit.
Ex eadem porrò Vita nos quoque nonnihil adhuc deprompſimus, &
infra depromemus. Præfationem verò ipſam ſuo etiam tempore, ſiue
Capite 140. proferemus.

CAPVT XXII.

Sancti Protaſius & Geruaſius, Aſtaſij Comitis iuſſu, martyrium patiuntur Anno Domini Septuageſimo, die vigeſima-quinta Martij. B

I. PHilippi Libellum, à Sancto Ambroſio diuinitùs inuentum,
nos è tempore illo ſepoſuimus, quo ipſe nobis Capite 9.
Num. 1. deſcripſerat Protaſium & Geruaſium ſua ſponte per
decennium Cœnaculo incluſos ita, vt in vndecimo poſt-
modùm anno ad martyrij palmam peruenerint. Subinde
verò facta computatione oſtendimus, quemadmodùm annus ille vnde-
cimus eſſet inchoandus Anno Domini Sexageſimo-nono, antequàm
Nazarius & Celſus martyrium ſubirent. Quoniam igitur illud ſubie-
runt vigeſima-octaua Iulij die, vti iam diximus; conſequens nunc eſt,
vt, eundem Philippi Libellum reſumentes, Sanctorum etiam Protaſij & C
Geruaſij martyrium, tamquàm ſuo loco ac tempore, recenſeamus.

II. Sic ergo Philippus ibi (vt eſt apud Surium die 19. Iunij) proſequebatur:
Eodem tempore superueniente COMITE ASTASIO, *qui proficiſcebatur* AD
BELLVM, QVOD A MARCOMANNIS FVERAT EXCITA-
TVM; *occurrerunt illi Templorum Cuſtodes cum Sacerdotibus ſuis, dicentes:
Si vis lætus* AD AVGVSTOS NOSTROS *reuerti, & victor; Geruaſium & Protaſium ſacrificare compelle. Vehementer enim Dij noſtri de eorum
contemptu commoti, dare nobis reſponſa contemnunt.*

III. *Audiens hæc* ASTASIVS COMES, *iuſſit eos teneri, & ad ſe adduci. Quibus & dixit: Hortor vos & moneo, vt, à Deorum noſtrorum iniurijs tem-
perantes, ad immolandum eis deuoti ſtudeatis inſiſtere; vt expeditio mea vna-* D
nimiter (Mombritius & alij nonnulli legunt *nauiter*) *celebretur. Geruaſius
dixit: Victoriam de Cælo debes à Deo Omnipotente requirere; non de ſimula-
chris mutis & vanis, quæ oculos habent ſine lumine, aures ſine auditu, nares
ſine odoratu, os ſine ſermone, manus ſine tactu, pedes ſine greſſu: & ventrem
ſine interioribus probantur habere, & ſine flatu eſſe noſcuntur. Tunc indigna-
tus* ASTASIVS COMES, *iuſſit,* EVM TAMDIV PLVMBATIS
CONTVNDI, QVAMDIV EXHALARET SPIRITVM.

IV. *Quo amoto, iuſſit adſtare Protaſium. Cui & dixit: Miſer, vel tu viuere ſtu-
de: & noli* BIOTHANATVS FIERI (editio Romana pro *fieri* habet
interire) *ſicut & frater tuus. Cui Protaſius reſpondens, ait: Quis eſt miſer?*

Ego, qui te non timeo: an tu, qui me timere probaris? ASTASIVS COMES *dixit: Ego te, miſer homo, quomodò timeo? Beatus Protaſius dixit: In eo, quòd times lædi à me, ſi non ſacrificauero Dijs tuis. Si enim non timeres lædi à me; ad ſacrificandum me non compelleres. Ego autem, te non timens, contemno minas tuas: & omnia Idola tua velut ſtercora reputans, Deum ſolum, qui regnat in Cœlis, adoro. Audiens hæc* ASTASIVS COMES, *iuſſit, eum fuſtibus cædi. Poſtea verò erecto eo, dixit ad eum: Miſer homo, vt quid tam ſuperbus & tam rebellis exiſtis? Vis perire, ſicut tuum probaſti germanum periſſe? Protaſius dixit: Non tibi iraſcor, Aſtaſi, nec ego, nec ipſa iuſtitia; quoniam cæcos oculos tui cordis attendo. Incredulitas enim, quæ in tuis ſenſibus regnat, non te permittit videre, quod Dei eſt. Nam & Dominus meus Ieſus Chriſtus crucifigentibus eum non maledixit; ſed potiùs, vt eis indulgeretur, orauit; addens hoc, quia neſcirent, quid facerent. Vnde & ego tui miſereor; quia neſcis, quid facias. Nunc ergo age quod cœpiſti; vt mihi poſſit cum meo fratre hodie benignitas Saluatoris noſtri occurrere. Tunc impiiſſimus* COMES ASTASIVS *iuſſit*, EVM CAPITE CÆDI. A B

V. *Quod cùm factum fuiſſet*; EGO SERVVS CHRISTI, PHILIPPVS, *abſtuli* CVM FILIO MEO *furtim nocte Corpora Sancta*: & IN DOMO MEA, *Deo ſolo teſte, in iſta arca marmorea* (Mombritius, & alij nonnulli, Romanaquè editio, habent *ſaxea*) *ſepelini: credens, me orationibus eorum conſequi miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.* Et hic ſanè finem habet ille Philippi Libellus. C

VI. Varietatum autem, quas in omnibus & manuſcriptis & impreſsis eiuſdem Libelli exemplaribus, in hanc diem à me viſis (vidi autem plurima, & in hunc ex induſtria finem, vt omnes alicuius momenti varietates obſeruarem) nactus ſum; poſtrema hæc ſit, quam in Operum Sancti Ambroſij editione comperi Romana, nec alibi vſpiàm. In ea enim, loco illorum verborum, quæ grandiori expreſſa charactere proferebam Capite 9. Numero 1. hæc habentur: *Poſt hæc autem Geruaſius & Protaſius in vno ſe Cœnaculo concluſerunt: & per decem annos lectioni & orationi adhærentes, anno vndecimo conuerſionis ſuæ* AD PALMAM MARTYRII, IDOLA RESPVENTES, SVB ASTASIO COMITE IN MEDIOLANENSI CIVITATE DIE KALENDARVM IVNIARVM FELICITER PERVENERVNT. Hæc igitur verba, DIE KALENDARVM IVNIARVM, ego ſuſpicor genuino Philippi textui ab aliquo recentiore ſuperaddita eſſe. Idquè ſuſpicor; non tantùm quia in antiquis exemplaribus ea non inuenerim; ſed etiam quia Eccleſia Mediolanenſis hoc ſibi perſuaſum habuerit; Sanctos videlicet hos Martyres, non Kalendis Iunij, ſed vigeſima-quinta Martij die coronam eſſe triumphalem aſſecutos. Beroldi Manuale Ambroſianum (ille autem viuebat Anno Domini 1120. ſicut ego alibi poſtea commonſtrabo) in Bibliotheca Metropolitani Capituli aſſeruatum, in fine Calendarium habet, in quo hæc ſuo tempore leguntur: OCTAVO KALENDAS APRILIS, *Annunciatio* D

Sancta

Sanctæ Mariæ, Matris Domini. Eadem die Dominus noſter Ieſus Chriſtus crucifixus eſt: & Paſsio trecentorum Martyrum, & Iacobi fratris Domini, ET PROTASII ET GERVASII *: & Suſannam de falſo crimine, & tres Pueros de camino ignis liberauit: & Adæ plaſmatio, & Iſaacs immolatio, & depoſitio Sancti Monæ Archiepiſcopi*. Hæc ipſa verò in eandem diem Martij vigeſimam-quintam legi etiam in duobus eiuſdem Bibliothecæ Miſſalibus, in charta itidem pergamena tempore diuerſo conſcriptis: necnon etiam in alijs alibi generis eiuſdem Calendarijs perantiquis. A

VII. Quàm benè autem hic eorum martyrij dies congruat cum tempore, quo Nero adhuc viuebat Anno Chriſti Septuageſimo: & quo propterea illi verè dici poſsint martyrium (ſicut nos contendimus, & in progreſſu identidem confirmabimus) ſub Nerone paſsi: hoc liquidò iam conſtat ex ijs, quæ Cardinales Baronius & Bellarminus nobis Capite 17. Numero 2. diſſerebant. Quippe Nero decima Iunij die necatus eſt hoc ipſo Anno. Quamobrem cum eius vita & Imperio congruerent quidem Calendæ item illæ Iuniæ, quibus in editione Romana mox dicebantur hi Martyres necati eſſe; at non vndeuigeſimus ille Iunij dies, quem nonnulli martyrio eorum adſcripſerunt; & eo, vt opinor, argumento ducti, quia eodem illo die communiter ipſorum feſtiuitas in Eccleſia Latina celebrari ſoleat. Re tamen vera hi Martyres eo die, non interfecti, ſed ſolemniter in ſedem honeſtiorem à Sancto Ambroſio translati fuerunt ex eo loco, in quo illos diuino monitu inuenerat; itaque tunc, non eorum Martyrium & natalis cælo dies, ſed Translatio celebratur. Qua de re aliquid iam diximus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, ſed hic poſtea ſuo in loco vberiùs agemus. Cæterùm vigeſimus-quintus ille noſter Martij dies præ Calendis illis Iunijs hoc habet præterea ſingulare; quòd magis congruit cum temporis opportunitate, quam captaſſe Aſtaſius Comes credi poteſt; vt, vertente anno, ſiue ineunte vere, quo tempore ſolet ad bella procedi, venerit ille Mediolanum, hinc tempeſtiuè in Germaniam profecturus, ad rebelles Marcomannos bello perſequendos. Sed ne hoc quidem illi deeſt; quòd in promptu præfert cauſam & rationem, propter quam Eccleſia Mediolanenſis feſtiuum celebrauit eorum Sanctorum diem, non Martyrij, ſed ſolemnis illius Translationis. Sicut enim Quadrageſimali tempore, ſic etiam Martio menſe, in quem incidere illud ſolet, non ea celebrat alicuius Sancti feſtiuitatem; atque hoc ex antiquiſsima conſuetudine, proprioquè Sacri Ritus Ambroſiani inſtituto; vt videbimus etiam poſtea Capite 25. Num. 2. B C D

VIII. De ſupplicij verò genere, quo Martyres hi necati fuerint, Philippus profectò ipſe omnem adimit dubitandi occaſionem. Geruaſium enim diſertiſsimè aſſerit plumbatis tamdiu contuſum, quamdiu ſpiritum exhalarit: Protaſium verò fuſtibus ac demùm capite cæſum. Quamobrem hoc Philippi teſtimonio per me quidem refellendi ſunt ij omnes, qui ambos iſtos fratres capite pariter truncatos fuiſſe aſſeruerunt. Qua ex claſſe nominandus hoc loco eſt Græcus ille præſertim Auctor apud

Surium die 19. Iunij: qui tam iſtorum fratrum, quàm Nazarij & Celſi A martyrio eandem præterea diem aſsignauit, quinetiam iſtam eſſe dixit decimam-quartam Octobris: nec his contentus, eodem illos in loco apud Portam Ciuitatis Romanam ſepultos fuiſſe addidit. Ita verò, ni fallor, ille prolapſus eſt; quia in Eccleſia Græca, & nominatim Conſtantinopoli, eorum ſimul Martyrum feſtiuitas celebraretur ea die ob ipſorum reliquias, Mediolano illuc translatas, & ibidem in Eccleſia eorum nominibus nuncupata collocatas; vt ſuo tempore narrabo. Qualiſcumque tamen ei fuerit errandi occaſio, relegi etiamnum poſſunt eius verba, quæ nos iam Capite 18. Numero 15. & 16. recitauimus.

IX. Ab eodem inſuper Philippo didicimus, Geruaſio prius, quàm Protaſio, illatam fuiſſe necem. Quod eam fortè ob cauſam factum fuit; quia Ger- B uaſius Aſtaſij petitionem retudit prior; aut etiam quia natu minor videretur, & à Chriſtianæ Fidei propoſito propterea reuocari facilius poſſe crederetur; ſicut & ſæpè aliàs eodem ordine Martyres eandem ob cauſam tormentis tentati fuerunt. Protaſius ac Geruaſius re vera gemini fuerunt fratres, & vno partu editi; vt idem Philippus initio ſui Libelli affirmabat his verbis: QVORVM MATER VALERIA, ET PATER VITALIS DICTI SVNT: QVOS VNO ORTV GEMINOS GENVERVNT. Idem verò Philippus ſic etiam mox addebat: ET VNVM PROTASIVM, ALIVM GERVASIVM VOCAVERVNT. Qua ego ipſorum enumeratione, hunc in modum & ordinem diſpoſita, permotus, in hanc veni ſententiam, vt Protaſius verè fuerit primogeni- C tus. Quocirca etiam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 97. cùm animaduertiſſem, vetuſtiſsimam Eccleſiæ, hinc Romanæ, inde verò Ambroſianæ, conſuetudinem hanc eſſe, vt illa ſemper Geruaſio primatum deferat, hæc autem Protaſio; rem denique ita componebam: *Quòd ſi coniectura me iſta non fallit* (qua videlicet Protaſium verè fuiſſe primogenitum collegeram è poſtremis illis Philippi verbis) *per me quidem Ambroſiana Eccleſia dicatur naturalem iſtorum fratrum natiuitatem attendiſſe, at Protaſio dextram, vtpotè primogenito, adiudicaſſe; cùm alioqui Romana Eccleſia martyrium potiùs ipſorum attenderit; quo nimirùm Geruaſius ante Protaſium beatæ in cæleſti Patria vitæ natus eſt.* Hac profectò ratione vel etiam noſtra Mediolanenſis Eccleſia Sanctum Vitalem Sancto Agricolæ, ſer- D uum domino, antepoſuit. Quamobrem Sanctus etiam Præſul noſter Ambroſius in Tractatu *De Hortatione ad Virginitatem* ſic ſcribebat: *Martyri nomen Agricola eſt: cui Vitalis ſeruus fuit ante, nunc conſors & collega martyrij. Præceſsit ſeruus, vt prouideret locum: ſequutus eſt dominus, ſecurus, quòd fide ſeruuli iam inueniret paratum. Non aliena laudamus. Paſsio enim ſerui, domini diſciplina eſt. Hic inſtituit, ille impleuit.*

CAPVT

CAPVT XXIII. A

Vbinam fuerit carcer Sanctorum Nazarij & Celſi, ac Protaſij & Geruaſij. Et hic aliqua etiam de Mediolanenſi Monialium Monaſterio Maiori.

I. HOS Martyres eodem aliquandiu carcere ſimul detentos fuiſſe,
id ſatis perſuaſum ea mihi reliquerunt, quæ Capite 18.
continentur. Vbinam verò carcer ille foret, inueterata &
perennis me multis ab hinc annis docuit traditio nobiliſsi-
mi religioſiſsimiquè Monialium hac in Vrbe Monaſterij B
cognomento Maioris: & ex eo primùm docuit tempore, quo ſacris ibi
Confeſsionibus audiendis Confeſſarius, vt vocant, Extraordinarius ope-
ram, iubente Archiepiſcopo, dare cœpi: per interualla verò plures
etiam poſtea dedi. Monaſterium hoc intra Portæ Vercellinæ fines ſitum
eſt: eiuſquè amplitudo veteres includit etiam Vrbis muros ea in parte,
quæ Baſilicam reſpicit Franciſcanam, olim è Sanctorum Naboris & Fe-
licis, ac primùm è Philippi conditoris nomine appellatam: Philippi
videlicet illius, de quo ſæpiùs iam diximus, & rurſum dicemus. Mu-
ris illis, è latere coctili confectis, interpoſita etiamnum ſtat Turris in-
gens ac rotunda, pariterquè lateritia: quæ ſuas nunc etiam ſpeculas in
culmine habet circumquaque diſpoſitas, ac tribus eſt tabulatis deſtincta. C
Vetuſtiſsima igitur apud eiuſdem Monaſterij Moniales in præſentem
vſque diem traditio viget, infimam Turris eius partem olim fuiſſe car-
cerem, quo Sancti Protaſius & Geruaſius (nos proinde dicamus etiam,
Nazarius & Celſus) aliquando fuerint vna detenti. Quocirca nunc
etiam ijdem Sancti Martyres ibidem parieti ad perpetuam rei memo-
riam ex antiquo appicti, & tamquam è carceris feneſtra eiuſquè crate
ferrea conſpicui, cernuntur: quinetiam propterea ibidem à Monialibus
quotannis Officia Diuina ſolemniter etiam in præſens celebrantur vn-
deuigeſima Iunij die, Sanctis Protaſio ac Geruaſio feſtiua. Eodem quo-
que carcere detentum aliquando poſtea fuiſſe Sanctum Victorem, tra-
ditioni pariter crediderunt: eumquè iamdudùm Sanctis illis fratribus D
ibidem ſuperaddi pictum intra carceris feneſtram voluerunt: ac præte-
rea feſtiuitatem ipſius octaua Maij die ad eandem Turrim concelebrant.
Ea quippe die, Anno Chriſti 307. (vt in Ambroſianæ Baſilicæ Monu-
mentis obſeruabam Numero 19.) truncatus ille capite fuit: & extra
Portam Vercellinam, poſteaquàm denique in Stabulo Circi captus eſſet:
atque tunc etiam fortaſsè in eam Turrim coniectus eſt; vt propinquior
eſſet loco, in quo tandem necatus. Præcipua verò feſtiuitatum eiuſmodi
cura Monialibus incumbit illis, quibus per vices cura eſt Pharmacopœ-
iæ vſibus Monaſterij neceſſariæ; quippe quæ in eadem pariter æde infi-
ma exercetur. Tali porrò traditioni nixus etiam videtur Paulus Morigia

in ſuo Ciuitatis ac Diœceſis Mediolanenſis Sanctuario ; cùm de Maiori A
hoc Monaſterio ſic ſcriberet : *V'era vna Torre antichiſſima, doue ſtettero
prigione i Santi Geruaſio & Protaſio, San'Vettore, & i Santi Nabore e Felice*.
Certè autem Gualuaneus olim Flamma in Chronico Maiori, ſecundùm
exemplar Ambroſianæ Bibliothecæ, Capite 258. inſcripto *Cuniculus inter
Monaſterium Maius & Circulum*, ſic tradebat: *Hic eſt ſciendum, quòd licet
Murus Ciuitatis interior eſſet rotundus, tamen propter Circum inter Eccleſiam
Sanctæ Mariæ* AD CIRCVLVM *vſque ad Monaſterium Maius exterius
intra Murum fuit quidam murus rectus, ſicut habetur ſupra Capite 166. Sub
terra erat via in pilis, per quam ire poterant homines de Sancta Maria* AD
CIRCVLVM *vſque ad Monaſterium Maius. In iſto loco erat Porta dicta
Vercellina, quæ erat Porta Ciuitatis. In circuitu Portæ erant ſeptem Turres for-
tiſſimæ*, VBI MARTYRES GLORIOSI GERVASIVS ET PROTA- B
SIVS FVERVNT CARCERI MANCIPATI. *In proceſſu temporis Im-
perator Maximianus, vt dicit Chronica Danielis, in illis ſeptem Turribus di-
uerſa Idola repoſuit. Super Portam Sanctæ Mariæ ad Circulum idem Imperator
Maximianus permaximum conſtruxit Palatium, vbi de cauſis iudicabat* &c.

II. Eiuſmodi verò Turrim, adhuc intra ſepta Monaſterij extantem, egomet
ipſe diligenter & accurratè aliquando inſpexi; cùm ſepta me ingredi
Monaſterij, & illac per lapideam ſcalam veteri Vrbis muro recenter ad-
ſtructam tranſire oportuiſſet, vt Pœnitentiæ Sacramentum Moniali cui-
dam grauiter ægrotanti miniſtrarem. Qua quidem occaſione ſimul etiam
certius diſcuſſi errorem, in manuſcripto Codice olim à me lectum, C
quem vel ipſo campanariæ Turris culmine quadrato, quod extantes etiam
extra Monaſterium proſpiciunt, confutari poſſe iamdudum credideram.
Talis ille Codex humaniſſimi erga me Secretarij erat Vrbani, Aloyſij ab
Eccleſia, cui me ſemper arctiſſimè deuinctum profitebor: Hiſtoriam-
què continet Ordinis Humiliatorum, iconibus & narratiunculis Anno
Domini 1421. expreſſam. Eundem verò Codicem genitor eius Iacobus,
per annos itidem plurimos eodem Secretarii munere ſumma cum laude
perſunctus, donare voluerat Eminentiſſimo Cardinali & Archiepiſcopo
Federico Borromeo, à quo lubenter conſpectum fuiſſe audierat; ego
quippe illi hunc commodatò acceptum oſtenderam. Sed generoſiſſimus
viciſſim Præſul, ampliſſimis ei gratiis per me redditis, id muneris re- D
cuſauit: ſatiſquè ſibi gratum fore dixit, ſi cum bona ipſius venia effor-
mari poſſet inde alterum exemplar; ſicut & poſtea factum eſt. Hinc
igitur primæuus eiuſmodi Codex perſeuerat in ipſius Aloyſii ſeu eius
filiorum Muſæo, codicibus eiuſmodi affluente; alterum verò eius
exemplar in Ambroſiana proſtat Bibliotheca, quam Federicus ipſe pri-
mis erexit à fundamentis, omnigeniſquè libris ad ſtuporem locupletauit.
Error autem ille in poſtremo Codicis eiuſdem Capite, nihil ad Humi-
liatorum Hiſtoriam pertinente, ſed, vt opinor, propter Mediolani reſ-
taurationem vſqueadeò admirabilem ſuperaddito, continebatur his ver-
bis: *Qualiter poſt tertiam deſtructionem Ciuitatis Mediolani Marcellus Dux*

Romanorum

Romanorum eam reedificauit CVM TVRRIBVS TRECENTIS ROTVNDIS PER CIRCVITVM MVRI: ET PRÆSVMITVR, QVOD CAMPANILE MONACHARVM MONASTERII MAIORIS SIT VNA DE TVRRIBVS PRÆDICTIS. Perperàm ergo hic Auctor cum ea mœnium Turri, quam ſupra deſcripſimus, confundebat alteram eiuſdem Monaſterij campanariam: quæ quidem ab imo vſquè ad ſummum, non rotunda eſt (quales è communi noſtratum Scriptorum ſententia erant murales illæ Turres, à Marcello erectæ) ſed quadrata, nec ſpeciem habet propugnaculi. Quippe ab eo latere, quod reſpicit Vrbis medium; duabus ſuperſtructa eſt grandibus abſque capite columnis; citra dubium reliquijs alicuius vaſtæ molis, cui priùs inſeruiſſent. A

III. Cæterùm de Maiori hoc Monaſterio nonnulla iam ſcripſimus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis: Numero nempè 64. 177. 224. 229. 231. 609. Quinetiam in Appendice, quam meditabamur, ſed iuſtas poſtea ob cauſas omiſimus, conſilium nobis erat Numero 129. ſuperaddere Anſperti Archiepiſcopi noſtri Teſtamentum; eaquè occaſione mentionem quoque, quam inde fecit Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro 5. ad Annum Chriſti 879. Legantur autem illa etiam, quæ nuper edidimus in Laurentij Littæ, Archiepiſcopi noſtri Sanctiſsimi, Vita, Capite 15. B

IV. Quoniam verò, quæ propria ſunt eiuſdem Monaſterij, proprio etiam complecti Opuſculo vehementer optauimus, neque tamen adhuc potuimus; idcircò ſubſequens ſaltem Priuilegium, ab Eugenio Papa Tertio ei conceſſum, & per nos ex archetypo apud Moniales aſſeruato depromptum, Lectori noſtro interim offerimus; vt hinc intelligat, quanta olim eſſet huius Monaſterij dignitas, & poteſtas, & opulentia. C


EVGENIVS *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis in Chriſto filiabus, Margaritæ, Abbatiſſæ Sancti Mauritij Monaſterij Maioris, eiuſquè Sororibus, tam præſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſsis, in perpetuam memoriam. Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri; vt deuotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & vtilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Eapropter, dilecta in Domino filia, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus; & præfatum Monaſterium, in quo diuino mancipatæ eſtis obſequio, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus; ſtatuentes, vt quaſcumque poſſeſsiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum iuſtè & canonicè poſsidet, aut in futurum conceſsione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, ſeu alijs iuſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis, & his quæ poſt vos ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis:* ECCLESIAM SANCTÆ MARIÆ AD CIRCVLVM: ECCLESIAM SANCTI PETRI IN VINEA: ECCLESIAM SANCTI QVIRICI: ECCLESIAM SANCTÆ VALERIÆ, *cum pertinentijs ſuis: Curtem de* AROXIO, *cum Eccleſia Sancti Nazarij, & Eccleſia Sancti Petri: Curtem de* CIRCLATE: *Curtem de* PVRLETIA: D

Caſtrum

Caſtrum de ROBIATE, *cum pertinentijs ſuis: Poſſeſsiones, quas idem Mo-* A
naſterium habet in VAREDEO, MAGNIAGO, *in* SEPTIMO, *in* BA-
RADEGLO, *in* LEGNIANO, *in* ARCONATE, *in* PISTIRAGO, *&*
in TAZIONE: *Braidam de* MONTE-VVLPE: *Braidam, quæ dicitur*
TICINELLO: *& alia, quæ idem Monaſterium poſsidet in* GARDESANA,
in VALLE *de* BVBLEIDRA, *& in* VLMETO, *& in* VALLE SAR-
RIANA, *cum ſuis honoribus, & alijs omnibus ſupradictorum pertinentijs.*
Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat præfatum Monaſterium te-
merè perturbare, aut eius poſſeſsiones auferre, vel ablatas retinere, minuere,
ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſeruentur, earum,
pro quarum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis pro-
futura; ſalua Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Mediolanenſis Archiepiſcopi cano- B
nica iuſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica Sæculariſuè perſona, hanc
noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire temptauerit,
ſecundò tertiouè commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis
honoriſquè ſui dignitate careat, reamquè ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata
iniquitate cognoſcat; & à Sacratiſsimo Corpore & Sanguine Dei & Domini
noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat; atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubia-
ceat. Cunctis autem eidem Loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu
Chriſti, quatinùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum
Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, amen, amen.



EGO EVGENIVS, CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPVS, SVBSCRIP.



C

✠ *Ego Hubaldus, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Praxedis, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Hubaldus, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Ioannis & Pauli, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Aribertus, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Iordanus, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Suſannæ, ſubſcripſi.* D
✠ *Ego Octauianus, Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Ioannes Papirio, Diaconus Cardinalis Sancti Adriani, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Gregorius, Diaconus Cardinalis Sancti Angeli, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Guido, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Iacintus, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Coſmydin, ſubſcripſi.*

Datum BRIXIÆ *per manum Guidonis, Diaconi Cardinalis, & Cancellarij, quarto Kalendas Auguſti, Indictione vndecima, Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo centeſimo quadrageſimo-octauo, Pontificatus verò Domini Eugenij Papæ Tertij Anno Tertio.*

V. Quid, quòd etiam idem Monaſterium poteſtatem habuit plenariam in

Oppida

Oppida Aroxij & Bugunti , è Plebe Marliani ? Quocirca binos illis A
Conſules & proprium Prætorem in ſingulos annos conſtituebat , quinetiam propria illis Statuta præſcribebat . Eiuſmodi Statutorum ſeriem vidi vnam popularibus illis præſcriptam Anno Domini 1215. & rurſus Anno 1251. alteram , priora illa & pauca quædam ſuperaddita complectentem: vtramque verò multis profectò rebus ſcitu dignis refertam. Ego itaque his in præſens contentus , à noſtrorum carcere Martyrum tranſeo ad locum , in quo vnus ex ipſis Protaſius capite truncatus fuit.

CAPVT XXIV.

Vbinam cæſus capite fuerit Sanctus Protaſius. B

I. POrta Iouis, & corrupto vocabulo ZOBIA , fines etiam illos olim complectebatur, intra quos nunc eminet inexpugnabile Vrbis noſtræ Caſtrum , ARX IOVIS propterea nuncupatum : videlicet è ſimulachro Iouis , quod inſana Gentilitas in eius Portæ culmine adorandum collocarat. Inter Caſtrum ipſum & Vrbis partem illi obuerſam media eſt ingens platea : in qua , non procul à Caſtri foſſa, & iuxta hodiernam Eccleſiam Parochialem Sancti Protaſij , vt nunc vocant AD CASTRVM , ex altera parte adhærentem Vrbi , viſitur in altum ad quatuor circiter cubitos erecta lapidea Columella , certis inſculpta characteribus , & ferreis cancellis circumdata : qua teſ- C
tatum poſteritati legitur, eum eſſe locum , in quo Sanctus Protaſius capite truncatus fuit. Quoto autem Chriſti Anno truncatus ibi aſſeratur ; id quidem ſatis eſt incertum ; ſi conſulamus Scriptores , adhuc à me lectos , qui Columellæ illius mentionem fecerunt. Tres quidem illi ſunt: & primus in ea legit Annum Quinquageſimum-ſeptimum , ſecundus Sexageſimum-nonum, tertius Quinquageſimum-quartum. Sed ipſoſmet potius Scriptores more noſtro audiamus.

II. Primus nempe fuit Triſtanus Chalcus , Hiſtoriæ Patriæ Librò 1. ad Annum Chriſti 272. qui ſub Annum pariter Chriſti 1500. ſcribebat, ſicut ego tandem in eius Reſidua præfabar, Mediolanenſibus edita typis Anno 1644. *Hoc tempore* (inquit) *vixiſſe Protaſium & Geruaſium, Martyres* D
Mediolanenſes , crediderim . Quia cùm iuſſu Aſtaſij Comitis decollatos fuiſſe (verè tamen ſolus Protaſius , vt iam vidimus , decollatus fuit) *omnes conſentiant:* NEC FIDE DIGNA HABEATVR COLVMNA, QVÆ ADHVC MANET IVXTA IOVIS ARCEM , QVA EAM CÆDEM FACTAM VTIQVE ASTASIO COMITE SCRIPTVM EST, SED ANNO QVINQVAGESIMO-SEPTIMO AB CHRISTI , VT AIVNT, INCARNATIONE, QVI IN PRINCIPIVM NERONIS CÆSARIS CADERET : SED NEC VERBA IPSA NEC CHARACTERES LITTERARVM ILLIS TEMPORIBVS CONGRVANT (QVIPPE LONGE POSTERIVS ET A PARVM PERITIS SCVL-

PTA COLVMNA FVIT) ET ALII IN ALIA TEMPORA EORVM MENTIONEM TRANSFERANT ; *ego quodam loco non abrogandæ fidei obſeruaui* (quibus quidem verbis abſque dubio Libellum indicat Philippi , per nos iam ſupra productum) *cæſos eos fuiſſe iuſſu Aſtaſij Comitis , ad bellum Marcomanicum proficiſcentis* . Quod vtique bellum Triſtanus proximè dixerat eodem Anno Chriſti 272. in Campis Ticinenſibus finitum . Qua de re nos ſuo tempore diſſeremus ; ſicut & paulò pòſt in hoc ipſo Capite taciti non præteribimus , quantum fidei præſtandum ſit eidem illi Columnæ. A

III. Sic etiam poſtea mentionem illius, & ſanè luculentiorem , fecit Leuita Riferra à Nauero in Vita Sanctorum Vitalis & Valeriæ ac Geruaſij & Protaſij: quam Italicè conſcriptam typis edidit Papiæ Anno Domini 1604. Columnam verò ipſam ille narrat humi iacentem , atque aliquantulum in culmine corroſam , latuiſſe vſque ad Annum Domini 1600. atque tunc à foſſoribus , qui Caſtri plateam, tumulis altiuſculis inæqualem, in planum redigebant , inuentam fuiſſe: iubenteque Arcis Præfecto erectam , & ferreis cancellis circumdatam , omninoque redactam in eum ſtatum, quem in præſenti quoque conſpicimus. De verbis verò, in ambitu columnæ inſculptis, ſic ille tradebat : *Il ſcolpito Epitafio di quella Colonna contiene l'infraſcritte parole*: IN HOC LOCO , VBI ERECTA EST HÆC COLVMNA , DECAPITATVS FVIT SANCTVS PROTHASIVS ANNO AB INCARNATIONE DOMINI LXVIIII. DIE XVIIII. IVNII SVB COMITE ASTASIO. Deinde autem de Tabula locutus marmorea , cancellis illis confixa, hæc illi aſſerit inſculpta fuiſſe: quæ tamen ego nonnihil emendabo ex ipſamet Tabula , diligenter à me proximè inſpecta: B C

D. O. M.
PHILIPPO III. HISPANIARVM REGE
ET MEDIOLANI DVCE
D. IOSEPH VAZQVEZ DE ACVNA
HVIVS ARCIS PRÆFECTVS
DIVI AMBROSII ET BEATI CAROLI BORROMÆI
HVIVS CIVITATIS ARCHIEPISCOPORVM
EXEMPLO COMMOTVS D
QVORVM ILLE NVMINE DIVINO AFFLATVS
SANCTI PROTASII CORPVS INVENIT
HIC EIVS DIEM FESTVM ANNIVERSARIVM
CELEBRARI IVSSIT
QVO EIVSDEM SANCTI ET ARCIS
PAROCHIALIS ECCLESIA
MAGIS ILLVSTRARETVR
LAPIDEM SVB HAC COLVMNA
IN QVO TANTVS MARTYR
HVIVS CIVITATIS ET ARCIS SIMVL
DEFENSOR

SE-

SECVRI PERCVSSVS FVIT A
AD EXCITANDAM MILITVM ET PIORVM
RELIGIONEM
IN TENEBRIS MVLTOS ANNOS IACENTEM
IN LVCEM REVOCARI CVRAVIT
ANNO DOMINI CIↃIↃCII.
DIE XVIII. IVNII.

V. Tertio loco nominandus in rem præſentem ſe nobis offert Innocentius Eccleſia, è Sancti Pauli Congregatione Clericus Regularis, vulgò Barnabita, de Vita Sancti Syri, Papienſis Epiſcopi Primi, Libro 2. Capite xi. Varia enim congerens argumenta, quibus probari poſsit, Sanctos Protaſium ac Geruaſium paſſos eſſe ſub Nerone, id etiam enumerat: B *Si vede di più inſino al giorno d'oggi in piedi vn'antico colonello, dirimpetto al Caſtello di Milano, verſo la Chieſa di San'Protaſio: nel quale queſte parole, omai dal tempo roſe, che pure, ſe ben malageuolmente, legger ſi poſſono, ſtanno ſcritte, e da me oſſeruate:* IN HOC LOCO, VBI FIXA EST HÆC COLVMPNA, DECAPITATVS FVIT SANCTVS PROTASIVS ANNO AB INCARNATIONE DOMINI LIIII. DIE XVIIII. IVNII SVB COMITE ASTAXIO. *E ſe bene il noſtro Triſtan Calci dice, non preſtar molta fede à quella memoria, ſi per le parole, e ſi per gli caratteri, i quali molto tempo dapoi moſtrano eſſer ſtati intagliati: & anche per hauer in certo luogo, come egli dice, oſſeruato (che per auuentura dè eſſere la preſente ſcritta,* innuit autem Philippi Scriptum, ſicut ego quoque Chalci verba C interpretabar) *che la morte de Santi Fratelli ſuccedeſſe, mentre Aſtaſio andaua alla guerra de Marcomanni* &c. Reliqua enim huius loci verba, ſenſumquè Auctoris integrum, ſuo poſtea tempore proferemus.

V. En igitur vt Annum Chriſti, ei Columnæ inſculptum, primus ille Auctor dixerit Quinquageſimum-ſeptimum, ſecundus Sexageſimum-nonum, tertius Quinquageſimum-quartum. Ego itaque, veritatis inueniendæ cupidiſsimus, characteres illos multoties & ſolus & vnà cum Amicis oculatiſsimis ac litteratiſsimis diligentiſsimè inſpexi: ſemperquè tam Socijs quàm mihi Annus ille viſus fuit Quinquageſimus-ſeptimus. Etenim poſt litteram L, qua numerus indicatur Quinquageſimus, certè non ſequuntur quatuor huiuſmodi vnitates IIII, vt Innocentius Eccle- D ſia putauit; ſed numerus quinarius V, ac binæ demùm vnitates II; omninoquè numerus ille Annorum ſic ſe habet LVII. Quòd enim Riferra eundem Annum vocabat Sexageſimum-nonum; id profectò in ea Columna nullam veritatis ſpeciem vmbramuè habet; ſicut neque dictio illa ERECTA. Legendum eſt enim FIXA; ſicut etiam in reliquis ita prorsùs legendum eſt, quemadmodùm Innocentius Eccleſia legebat; excepto quòd non PROTASIVS illic legitur, ſed PROTAXIVS.

VI. Nunc de Columnæ atque Inſcriptionis illius vetuſtate, aut nouitate. Donatus quidem Boſsius in Chronico Mediolanenſi ſic ſcribebat ad Annum Chriſti 1368. *Hoc Anno Bernabos Vicecomes Arcem, aut veriùs*

Palatium, quod magnitudine ſua ſpatium à Porta Tonſa ad Aedes Diui Nazarij A *occupabat, fundat: ſequentiquè Anno totum opus completum eſt.* GALEACIVS QVOQVE, *ad æmulationem fratris*, ARCEM PORTÆ IOVIS FVNDAT. OB QVAM CAVSAM TEMPLVM DIVI PROTASII, QVOD FVERAT VBI NVNC ANTE ARCEM (quippe tunc Arcis porta illac patebat) COLVMELLA CVM ÆREA CRVCE VISITVR, AC PLVRIMAS SVB ET PAROCHIA DOMOS DIRVIT. Hinc autem tria ego concludenda exiſtimo: nempe, Templum illud olim conditum ibi fuiſſe, tamquàm in loco, in quo Protaſius verè decollatus fuiſſet: præterea, Columellam illam tunc ſaltem, quando Templum illud dirutum fuit, erectam ſimul & inſculptam iis characteribus ibi fuiſſe (quemadmodum etiam dictiones indicant illæ, per ea B quidem tempora, ſed non antiquitùs, vſitatæ, COLVMPNA, PROTAXIVS, ASTAXIO) velut in aliquale ſupplementum ipſius Templi; ne Protaſiani martyrij, eo præcisè in loco tandem conſummati, memoria interiret apud poſteros: deniquè verò, tunc etiam procul à Caſtro nouam eiuſdem Martyris Eccleſiam Parochialem ibi constructam fuiſſe, vbi nunc reſtaurata conſiſtit hodierna.

VII. Sed concedamus etiam, Columellam & Inſcriptionem illam ibi olim extitiſſe ante Annum Chriſti 1368. per id omne tempus, quo Templum ibidem ipſum extiterit: quinetiam concedamus, eam illic ante ſtructuram eiuſdem Templi extitiſſe. Templum quidem ipſum illic extitiſſe mihi videtur ante, quàm noua & ampliora Vrbi noſtræ, per Fridericum Aenobarbum Imperatorem Anno Domini 1162. dirutæ, mœnia C circumſtruerentur ex Anno 1171. atquè Templum ipſum mœnibus iſtis includeretur, quod alioqui extra vetera extiterat. Itaque factum hinc arbitror, vt, ſicut in vetuſtioribus libris, quibus Triduanæ Ritus Ambroſiani Litaniæ ſunt deſcriptæ, illud abſolutè vocabatur Eccleſia Sancti Protaſij IN CAMPO; ita poſtmodùm appellatum fuerit IN CAMPO INTVS; vt per huius aduerbij additamentum indicarent, eiuſmodi Eccleſiam poſtmodùm fuiſſe intra nouos Vrbis muros; eamquè diſtinguerent ab altera eiuſdem Martyris Eccleſia IN CAMPO FORIS; quæ nunc etiam intra parochiales Eccleſiæ Sancti Simpliciani fines continetur, & cuius mentio habetur frequens in publicis eiuſdem Sancti Simpliciani Eccleſiæ ac Monaſterij Documentis. Certè autem neque Templum ipſum, neque Columella ſic inſculpta extabat tunc temporis, D quando Sanctus Ambroſius Anno Chriſti 387. inuenit Sanctorum Protaſii ac Geruaſii Corpora, vt ſuo nos tempore dicemus. Nunc enim eorum nomina non minùs incognita erant, quàm ſepulchra, vt Paulinus in Ambroſii Vita teſtabatur. Sic etiam vſu receptum ante Annum Domini Octingenteſimum non fuit, vt publicis in Tabulis Anni numerarentur ab eiuſdem Domini Incarnatione; ſed ab eo potiùs tempore, quo quiſque Imperator aut Rex dominari cœpiſſet. Quocirca ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Anno tantùm Chriſti 866.

Numero

Numero 115. primum inueni Diploma, quod Anno ab Incarnatione Dominica deducto notatum eſſet. Itaque ne Anno quidem Chriſti 800. extitiſſe Columna videtur illa ſic inſcripta: nec immeritò Triſtanus eam Chalcus aſſerebat ſculptam longè poſterius, quàm Martyres ipſi necati eſſent. A

VIII. Quòd autem illam propterea contendebat non haberi fide dignam: idipſum ego quoque duplici ex parte non abnuerim. Protaſius enim non Anno præcisè Chriſti, Quinquageſimo-ſeptimo truncatus capite fuit, ſed Septuageſimo: non item vndeuigeſima Iunii die, ſed Martii vigeſima-quinta; vt ante iam diximus. Hic ipſe profectò duplex error eò magis me ſuſpicari cogit, eiuſmodi Columnam tunc inſculptam ſic fuiſſe, quando Templum ipſum Anno Domini 1368. dirutum fuit; B quippecùm ille acceptus videatur è Catalogo Petri de Natalibus, qui non multos ante annos floruerat; vt infra oſtendam. Siquidem Auctor ille Libro 5. Capite 128. de his Martyribus hæc reliquerat ſcripta: *Paſsi ſunt autem circa Annum Domini Quinquageſimum-ſeptimum, decimo-tertio Calendas Iulij*. Certè autem longè cautius Iacobus de Voragine Capite 81. iam ante ſic ſcripſerat: *Paſsi ſunt autem ſub Nerone, qui cœpit circa Annum Domini Quinquageſimum-ſeptimum*. Eo igitur duplici errore Inſcriptionem laborare illam ego quidem arbitror; atqui nihilominus tria ſuperſunt, in quibus eam credidi veracem; videlicet, Sanctum Protaſium in eo prorsùs Columnæ loco decollatum fuiſſe, idquè Neronis Imperatoris tempore, ac præterea ſolum. C

IX. Leuita quidem ille Riferra Geruaſium quoque plumbatis in eodem loco necatum narrabat. Sed hoc Inſcriptio illa non taceret; præterquam quòd titulo etiam ipſius Eccleſiæ refellitur; quæ, ſicut olim, ſic etiam in præſenti nuncupata ſoli Protaſio eſt. Quid, quòd ipſius etiam Philippi verbis, per nos Capite 22. Numero 3. & 4. recitatis, refellitur? *Quo amoto* (Philippus narrabat) *iuſsit adſtare Protaſium. Cui & dixit &c.* Comes igitur Aſtaſius Protaſium ibi adſtare iuſsit, vnde mox amouerant Geruaſium, plumbatis necatum. Certè autem Protaſium adſtare iuſsit in ſuo ipſius conſpectu. Geruaſium igitur etiam ex ipſius conſpectu amouerant. Quamobrem hunc etiam necauerant in ipſius conſpectu; in quo tamen Protaſium poſtea non necauerunt. Columnam D quoque ipſam Riferra aſſerebat humi iacentem latuiſſe vſque ad Annum Domini Milleſimum ſexcenteſimum-ſecundum: atque tunc à foſſoribus; qui Caſtri plateam, tumulis altiuſculis inæqualem, in planum redigebant, inuentam fuiſſe: iubenteque Arcis Præfecto tunc erectam. Atqui re vera tunc etiam recta ſtabat, quando demùm inuenta fuit; ſicut etiam tunc item ſtabat, cùm Triſtanus Chalcus eam ſcriberet Hiſtoriæ ſuæ partem, vti iam diximus Numero 1. Procedente tamen inde tempore; paulatim aggeſtione terræ, quæ in plateam illam hinc inde comportaretur, ita demùm iam erat Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo-ſecundo occultata, vt diſcerni non poſſet, quidnam rei ſignificaret. Terræ

ſiquidem

ſiquidem ſupereminebat ſolum eius capulum, quod altitudinis eſt fermè cubitalis, & è lato rotunda in acutum tendens deſinit in ſphæricam pilam. Cui quidem pilæ nonnunquàm ſemetipſos ſuperſediſſe aſſirmarunt homines fide digni, & adhuc ſuperſtites, è quorum teſtimonio & ore ſtatum deſcribo Columellæ huius priuſquàm demùm è tenebris in apertum & altum extraheretur, & ferreis decorè circumdata cancellis in eum redigeretur ſtatum, quem in præſenti quoque conſpicimus. Itaque nunc illi verè non inſiſtit ærea Crux illa, cuius mentionem Donatus faciebat Boſsius Anno Domini 1492. Eo enim Anno Chronicum ſuum, typis impreſſum, euulgauit. A

X. Satis hactenùs de Columna dictum. Sequitur, vt aliquid etiam ex inſtituto dicamus de hodierna Sancti Protaſij Eccleſia, quæ illic è regione conſtructa, & recenter ab hodierno Rectore reſtaurata perſeuerat. Parochialis in præſentem vſque diem illa eſt, & inter Eccleſias Portæ Cumanæ computatur. Caſtrum etiam ipſum illi hodiequè ſubeſt: adeò vt illius Rector omnibus in Caſtro habitantibus Sacramenta miniſtret: ijquè vicisſim eam in Paſchate adire ad ſumendam Euchariſtiam teneantur. Si quis in Caſtro moriatur, eius cadauer inde ad Eccleſiam iſtam, propriam vtique Parœciam, tumulandum deferiur. Vndeuigeſima Iunij die feſtiuitas hic anniuerſaria celebratur, & hoc præſertim ordine. Prælata per Clericum Cruce, frequens è Clero cœtus, in id congregatus, & ſuperpelliceis indutus: Diaconus item ac Subdiaconus, ſuas geſtantes dalmaticas: ac denique Sacerdos, Miſſam ſolemniter celebraturus, ſacro paludamento ſiue pluuiali decorus: vnà omnes è Parochiali domo in Eccleſiam per anteriorem portam procedunt: ibiquè ante Altare primarium pauliſper orantes conſiſtunt. Mox præmiſſo per eumdem Sacerdotem *Dominus vobiſcum*, greſſus inde dirigunt ad Columnam (quæ quidem hac ipſa die pannis in alto & circumcirca periſtromatis ornari ſolet) pergenteſquè concinunt, alternatim Canticum *Benedictus Dominus Deus Iſrael* &c. Cumquè ad Columnam peruenerint; ibi canunt Pſallendam Martyribus communem, *Iuſti & Sancti in Domino gaudete* &c. ac Sacerdos accinit Orationem, Sanctorum Protaſij & Geruaſij propriam, eamquè demùm de more concludit, ſuperaddens *Benedicamus Domino*; Clerusquè *Deo gratias* reſpondet. Protinùs autem vicisſim è Caſtro, ad feſtiuam lætitiam, cum ingenti fragore, multa & mediocris & prægrandis magnitudinis mortaria ænea diſploduntur, in ea muri extremitate, quæ Columnam reſpicit, diſpoſita. Interim verò Clerus eodem, quo proceſſerat, ordine reuertens ad Eccleſiam Pſalmos decantat. Vniuerſi verò, medium Eccleſiæ ingresſi, ſeſe diuidunt in duo hinc inde latera vultibus inuicem obuerſis, & vtrumque latus claudente Sacerdote, ad primarium Altare conuerſo: ibiquè ſecundùm receptisſimum Eccleſiæ Ambroſianæ Ritum duodecies concinunt *Kyrie eleiſon*: indequè tandem proceditur in Odæum. Ibi ergo Sacerdos pro pluuiali planetam induit, ac Miſſam protinùs exorditur: Sanctorum nempe Protaſij, B C D

ac

ac Geruaſij propriam; & ita, vt in locum ſolitæ poſt primam Oratio- A
nem Lectionis legatur è manuſcripto Codice pergameno propria eorum Martyrum Paſsio, ſicut in Philippi continetur libello, per nos item iam ſupra recitato. Eidem verò ſolemni Miſſæ Præfectus etiam ipſe Caſtri adeſſe ſolet, vel eius ſaltem Vicarius: velut in expreſsiorem teſtificationem religioſi cultus, quo Tutelarem ſuum ac Patronum Protaſium, totius etiam Caſtri nomine, proſequuntur. Hæc autem omnia tantò certiùs ego ac fideliùs narrare potui, quantò frequentiùs eidem feſtiuitati operam quoque meam impertij, Miſſamquè ipſam ſolemniter celebraui. Quippe me iam inde ab Anno Sæculi huius vigeſimo-octauo vſque in quinquageſimum-quartum humaniſsimè quotannis ad hæc inuitauit amiciſsimus ac mihi dilectiſsimus eiuſdem Rector Eccleſiæ, Lu- B
douicus de Veteribus: Sacerdos profectò & litteratura & prudentia & integritate & rerum Eccleſiaſticarum peritia mihi ſemper viſus admirabilis, & imitatione ſimul ac reuerentia digniſsimus.

CAPVT XXV.

A quibus & vbinam ſepulti fuerint Sancti Protaſius & Geruaſius.

I. A Philippo eiuſquè filio ſepultos fuiſſe hos Martyres, ſatis iam nos ex ipſomet Philippi Libello perſpeximus. Qualis autem vir fuerit Philippus: hoc item aliqua ex parte iam didicimus C
Capite 6. Numero 4. è vetuſto illo Rerum Mediolanenſium Scriptore, quem ibi teſtem producebamus: atque adeò nunc etiam par eſt, vt pleniùs & vberiùs eum ex ipſo cognoſcere ſtudeamus. Ipſe ſiquidem in Sancto Gaio propè finem ſic ſcribebat: *Præſul Domini Gaius, peractis in Epiſcopali miniſterio duo* (legendum videtur *duorum*) *& viginti annorum curriculis, quibus non tantum Mediolanenſium ſed etiam circumcirca adiacentium Vrbium Populis Paſtoralem ſolicitè ac ſtrenuè curam impendit, poſt varios victricium ſudores certaminum, tandem expleto agonis ſui excurſu migrauit è Mundo, repoſita ſibi in Cælis prædia poſſeſſurus. Tranſijt verò pridie Kalendarum Ianuariarium, cùm aurora noctis terminum, & diei dominico initium redderet: ſepultuſquè* IN HORTO PHILIPPI, *cuius* D
ſupra memorauimus (ijs nimirùm verbis, quæ nos Capite 6. Numero 4. recitauimus) *ac diligentiſsimè eius cura reconditus:* QVO IN LOCO CHRISTIANÆ PLEBECVLÆ IPSE, DVM ADVIVERET, POLYANDRON FECERAT. Et poſtea rurſus in Sancto Caſtritiano, proximo Gaij ſucceſſore: DOMVM *interea* PHILIPPI, *cuius ſupra fecimus mentionem, Viri & priùs apud mundanam celſitudinem & poſtmodùm in diuinis cultibus ſtrenuiſsimi,* EXTRA MVROS SÆPEDICTÆ VRBIS, *haud procul à Silice Via Ticinenſis verſus ſitam, quam ipſe olim, dum felici exitu tranſiret è Mundo beatæ memoriæ Gaius Antiſtes, ſuo deceſſori* (ſiue *ſucceſſori*) *poſsidendam reliquerat, Venerandus Vir Dei Caſtritianus* IN DO-

MVM

MVM SACRATAM CONVERTIT ORATIONIS, *vt ibi quotidianas precum victimas, iugeſquè Chriſti Sacramentorum Fidelibus coram hoſtias immolaret.* Atque iterùm aliquantò pòſt: *Exoratus namque Vir Sanctiſſimus* (Caſtritianus) *à Chriſtiana Plebe, duas iterùm haud longè à præfata Eccleſia* (Philippi) *quam ipſe olim ſacrauerat, Orationis Aedes benedixit, ac ſalutari nomine confirmauit. Quarum impenſas* DVO CLARISSIMI APVD CÆSAREM ET APVD CHRISTVM PHILIPPI FILII, NEC MORIBVS PATRIS NEC OPIBVS NEC VITA HONESTA DEGENERES, *ſumptibus vtrumque* (legendum videtur *vterque*) *proprijs abundantiſſimè ſuffecerunt: alteram* PORTIANAM, *alteramquè* FAVSTAM, *ſuorum cognomento nominum appellantes.* Quod autem hoc loco duo A illi nominantur Philippi filij: nihil ego quidem à propoſito dimoueor, B quandocumque doctrina illa vtar, quam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 80. tradebam. Nec enim me latet, nobiliſſimam quoque fœminam eſſe poſſe apud Imperatorem pariter Romanum (nedùm apud Chriſtum) clariſſimam, itemquè nec moribus patris nec opibus nec vita honeſta degenerem. Nomine itaque duorum illorum Philippi filiorum non alios ego, quàm Portium & Fauſtam, fratrem ac ſororem, intelligere perſeuero. Quid, quòd etiam obſeruare idipſum licet in ipſomet fratrum vocabulo? Sanctus enim Ambroſius in Concione de Satyri fratris obitu, ſicut nos poſtea Capite 46. recitabimus, de ipſo dicebat Numero 10. *Vt ad fratres rediret:* ac Numero 18. *Hoc vnum fuit, quod Satyrus nec fratribus credebat:* & paulò pòſt, *Ne à fratribus diuelleretur.* C Quibus in locis abſque dubio Ambroſius eorum fratrum vocabulo non alios deſignabat, quàm ſemetipſum & Marcellinam ſororem. Vt autem ad Philippum ipſum patrem reuertar; ille quidem, ſecundùm veteris huius Auctoris atteſtationem, proprio in horto Polyandron, ſiue Sepulchrum ſiue Cœmeterium, in vſum Chriſtianorum, conſtruxit: & ſuam ipſius domum Sancto Gaio Antiſtiti tradidit, Gaiuſquè reliquit eam Caſtritiano, à quo tandem in Eccleſiam conuerſa fuit. Sic etiam duos ille filios habuit: è quorum nominibus binæ illæ Baſilicæ, per Caſtritianum conſecratæ, cognomentum quæque ſuum acceperunt.

II. Num verò maſculi fuerint ambo, & appellati Portius & Fauſtus: an potiùs vnus tantùm fuerit maſculus, nempè Portius; altera verò fuerit fœmina, nomine Fauſta: id quidem ſatis controuerſum eſt, & à nobis D iam diſputatum in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, vt mox innuebamus. Ibi enim Numero 80. vel ex ipſo Philippi Libello collegimus, ſolum Portium fuiſſe maſculum, eumquè Philippi adiutorem, cùm Sanctos iſtos Martyres ſepeliret. In eadem igitur opinione nunc etiam perſiſtimus: quinetiam nouo & poſtea comperto argumento confirmamus, Eccleſiam Sanctorum Vitalis & Agricolæ re vera non fuiſſe à Philippi filio vel filia conſtructam, ſed aliquot poſt annos ab alio, cui nomen erat Fauſtinus. Codex nimirùm ille, quem Michael Pizolpaſſus

Anno

Anno Domini 1438. exſcribendum curauit (vti iam diximus Capite A
ac Numero 2. Catalogum inter alia continet noſtrorum Archiepiſco-
porum, à Sancto Barnaba deductum vſque ad Aychardum, qui Anno
Domini 1318. fuerat electus, & quo tempore Collector ipſius Catalogi
ſcribebat. Hoc autem titulo prænotatus erat Catalogus ille: *Excerpta
ex vetuſtiſsima Chronica, reperta apud quendam Nobilem de Lampugnano, de
Legnano, Mediolanenſis Eccleſiæ.* Quippe Auctor ex eo Chronico excer-
pſerat illa ſaltem, quæ ſibi vetuſtiſsima erant: ſuoquè illi Catalogo, ad
ſuam ipſius ætatem deducto, incluſerat. Inter alia verò citra dubium
vetuſtiſsima, hæc etiam inſunt in Sancto Mona, ſextum locum inter
noſtros Antiſtites ſortito: *Sedit annis quinquaginta-nouem. Obijt tertio
Kalendas. Aprilis. Et quia Eccleſia Ambroſiana* (adde *non*) *facit feſtiuitates* B
illo (adde *tempore*) *quo poteſt Quadrageſima venire; ideò fit feſtum eius die
duodecima Octobris; quia tunc Aliberto* (ſiue potiùs *Ariberto*; vel, vt infra
ſuo loco in eodem Catalogo nominatur, *Heriberto*) *Archiepiſcopo reuelatum
eſt Corpus eius*, ET TRANSLATVM AD ECCLESIAM VITALIS,
QVAM FAVSTINVS FVNDAVIT TEMPORE MONÆ. En igi-
tur vt eam Sancti Vitalis Eccleſiam fundauerit Fauſtinus, eamquè tem-
pore Sancti Monæ Archiepiſcopi fundauerit. En vt propterea diuerſus
ille fuerit ab eo ex Philippi filijs, qui tempore Sancti Caſtritiani Baſi-
licam illam Fauſtam (vt autem à Sancto Ambroſio nominatur, Baſili-
cam Fauſtæ) fundauerat. Inter Caſtritianum enim & Monam Calime-
rius interceſsit annos circiter quinquaginta-tres: quinetiam hic decennio C
ante, quàm in Epiſcopum crearetur, iam fuerat à Caſtritiano in Baſilicæ
Fauſtæ Clerum adſcriptus: eaquè proinde iam tum extabat. Vel hinc
itaque ſatis iam liquet, vndenam errandi cauſam ij traxerint Scriptores,
qui Sancti Vitalis Baſilicam tradiderunt eam fuiſſe, quam Fauſtus, Phi-
lippi filius, & Portij frater, tempore Caſtritiani Epiſcopi condidiſſet.
Fauſtum quippe illum (verèquè Fauſtam) ætate priorem confuderunt
in vnum cum poſteriori hoc Fauſtino, & hunc viciſsim cum illo: in-
dequè binas item Baſilicas, diuerſo tempore ab illis conſtructas, in
vnicam confuderunt. Quòd tamen Catalogi eiuſdem Auctor affirma-
bat, Corpus Sancti Monæ tam reuelatum quàm translatum fuiſſe, cum
Aribertus eſſet Archiepiſcopus; hoc ego quidem non admitto. Etenim D
Arnulfus Hiſtoricus (de quo multa diximus in Ambroſianæ Baſilicæ
Monumentis, Numero 182. quiquè tunc temporis viuebat) ſacroſan-
ctum illud corpus diſertiſsimè aſſerebat inuentum fuiſſe tempore Ar-
nulfi Archiepiſcopi, hoc nomine Secundi, qui proximè Aribertum
ipſum anteceſsit. Ad finem quippe Libri vel aliter Capitis primi, de
ipſomet Arnulſo ſic tradebat: *Illius in tempore Sancti Confeſſoris Monæ
releuatæ ſunt* (niſi potiùs legendum eſt *reuelatæ ſunt*) *reliquiæ*. Quas ita-
que reliquias Arnulſus inuenerat, eaſdem poſtea ſolemniter tranſtulit
& in Sancti Vitalis Eccleſia collocauit Aribertus. De qua translatione
legi poteſt Breuiarum quoque noſtrum Ambroſianum die 12. Octobris,

in matutina Sancti Monæ Lectione. Sed hinc ad Sanctorum Protaſij ac Geruaſij ſepulturam redeamus. A

III. Philippus itaque vnà cum Portio filio ſuo illos ſepeliuit: & ſanè furtim, & noctu, & in domo itidem ſua; vt iam vidimus Capite 7. Numero 6. & Capite 22. Numero 5. Eadem verò domus, vt proximè legimus Numero 1. à Sancto Caſtritiano in Baſilicam conuerſa eſt. Philippi verò etiam nomen ſibi retinuit in illud vſque tempus, quo ſacra Martyrum Naboris & Felicis Corpora in tumulum ſuſcepit. Hæc enim cùm per Sanctam Sauinam, Laudenſem Matronam, ex ea Vrbe fuiſſent allata Mediolanum; in ea Philippi Baſilica honorificè à Sancto Antiſtite noſtro Materno condita fuerunt. Mortuus eſt autem Maternus, quemadmodùm in eius apud Mombritium & alios Vita teſtatum eſt, die 18. Iulij, viuente adhuc Maximiano Herculeo Imperatore; ſed poſtquàm Sanctum Victorem, ipſius iuſſu octaua Maij die decollatum, ſepeliſſet; ſicut ex ipſiuſinet Victoris Vita conſtat apud eundem Mombritium Tomo 2. & apud Surium Tomo 3. die 8. Maij. Maximianus verò ſic etiam ipſe poſtea eodem obijt Anno, ſicut ei fuerat à Victore prænunciatum, cùm ad martyrij denique locum duceretur: idemquè Annus non inſcitè per Baronium computatur Annus Chriſti Trecenteſimus-ſeptimus; ſicut ego quoque Numero 19. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis obſeruabam. Reliquum eſt igitur, vt eodem prorsùs Anno & Maternus & Victor occubuerint. Atqui priùs, quàm Victor occumberet, commilitones quoque ipſius Nabor & Felix martyrio pariter iam occubuerant. Itaque Victor ſub eum temporis articulum, quo decollandus erat, ita demùm legitur effatus: *Gratias tibi ago, Domine Ieſu Chriſte; quia non me ſegregaſti à Sanctis tuis, Conciuibus meis, Nabore & Felice*. Quoniam igitur hic martyrium paſsi iam fuerant die 12. Iulij, certè ſequitur, vt Anno Chriſti Trecenteſimo ad minus ſexto paſsi fuerint, & Mediolanum allati, & in Philippi Baſilica honorificè ſepulti; vtquè deinceps eidem Baſilicæ nomen è ſuo indiderint. Ea ſiquidem poſtmodùm vocari cœpit Sanctorum Naboris & Felicis Baſilica, quoadvſque tranſlato tandem inde Clero Sæculari, & ſubinductis Anno Domini Milleſimo ducenteſimo trigeſimo-tertio (vt Triſtanus Chalcus affirmat) Minoribus ex Ordine Sancti Franciſci Fratribus, Franciſcanæ tandem Baſilicæ nomen, quod adhuc perſeuerat, obtinuit.

IV. Eiuſdem porrò Philippi hortus & Polyandron vbinam eſſet: ex ijs intelligi poteſt, quæ Numero 19. ſcripſimus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. Certè autem illius mentio fit etiam in Sancti Victoris Vita; ſed apud Surium pro *Philippi* perperàm legitur *Lyſippi*. Sic etiam eiuſdem Philippi Baſilica in Vita Sancti Materni apud Mombritium, & in vtroque Codice illo Bibliothecæ Ambroſianæ manuſcripto, quem Capite ac Numero 2. indicabam, vocatur *Baſilica Philippea*: ibiquè Sanctus ipſe Maternus à Fidelibus in Epiſcopum electus narratur. Si quando tamen eiuſdem Materni Vitam typis ad verbum imprimi contingat,

qualis

qualis antiquitùs contexta fuit; hoc obiter ego moneo; vt ea cùm ex A
vtroque illo codice manuſcripto, tum etiam è Mombritio colligatur.
Apud Mombritium enim nonnulla ſuppetunt, quæ in vtroque illo codice
deſunt: alia verò viciſsim ſuppetunt hic, quæ illic deſunt; & hæc
præſertim ad Sanctum pertinent Martianum, Derthonæ primum Epiſcopum;
itemquè ad ſecundum, nomine Meliodorum, quem ibi poſteà
Maternus conſecrauit. Cæterùm illius loci, vbi Philippus Corpora
Sanctorum Protaſij ac Geruaſij ſepeliuit, tunc etiam redibit mentio,
quando Corpora ipſa, diuinitùs Ambroſio Sancto reuelata, in lucem
Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo redibunt.

CAPVT XXVI. B

Quid vocabula colobium *&* biothanatos *ſignificent*.

I. PHilippi Libellum quibuſdam veluti Commentarijs illuſtrare
nunc aggredimur. Sed priùs tamen explicare placet, quænam
ſit colobij (aliter collobij) etymologia: quo vocabulo
Sanctus Ambroſius in Epiſtola, qua Libellum Philippi per
Italiam euulgauit, vnam ſignificabat ex veſtibus illis candidiſsimis,
qua induti Protaſius & Geruaſius ſibi apparuiſſent; vt iam
vidimus Capite 7. Numero 5. Simul autem placet etiam Heriberti
Roſuueydi, è Societate Ieſu Sacerdotis eruditiſsimi, ſententia in Onomaſtico, C
Vitis Patrum ad calcem adiecto. Etenim Verbo COLOBIVM
ſic ille, varios producens Scriptores, interpretabatur: *Vita Pachomij
Cap.* 14. LEBITON AVTEM LINEA VESTIS ERAT, INSTAR
COLOBII. *Ruffinus hic Libro* 1. *Cap.* 3. QVIBVS VSVS EST INDVI
COLOBIIS, QVASI SACCIS LINEIS. *Gloſſarium Camberonenſe
manuſcriptum:* COLOBIVM, VESTIS CVCVLLÆ SIMILIS,
NISI QVOD CVCVLLO CARET. *Papias Vocabuliſta:* COLOBIVM
GENVS VESTIS DICTVM, QVIA LONGVM EST, ET
SINE MANICIS. HOC ANTIQVI VTEBANTVR. SED QVIA
NVDITAS BRACHIORVM CVLPABATVR; VSVS COLOBIORVM
IN DALMATICAS EST MVTATVS. *Exiſtimo, colobium dic-* D
*tum à κολοβὸς; quòd mutilum eſſet, videlicet manicis. Nicetas Theſauri Orthodoxi
Libro* 1. *Cap.* 39. *agens de Scribis Iudæorum*. DALMATICA,
QVÆ NVNC COLOBIA DICVNTVR, PVRPVRAQVE PRÆTEXVNTVR,
INDVTI, PHYLACTERIA SVA OSTENTABANT,
BREVES NIMIRVM CHARTVLAS, QVIBVS INSCRIPTA
LEX ERAT: QVAS ILLI, PRETIOSIS FASCIIS
ORNATAS, AVROQVE DISTINCTAS, TAMQVAM IVDÆORVM
MAGISTRI DEFEREBANT. *Etiam collobijs
Monachorum ſignum erat intertextum è purpura. Vide Dorotheum Doctrina*
1. *Habes etiam* COLOBIVM PVRPVRATVM *apud Anaſta-*

ſium in Eutychiano. Hactenùs Roſuueydus. His autem illa ego ſuperaddo, quæ apud Mombritium leguntur in Vita Sancti Syluestri Papæ, Latinè reddita ex ea, quam Euſebius Cæſarienſis Græcè conſcripſerat. Cùm enim ſermo ibi non procul ab initio eſſet de quodam Euphroſino Epiſcopo, qui ex Orientis partibus monitu diuino Romam venerat ad Limina Apoſtolorum; hæc item de ipſo narrabantur: *Hic, quando accedebat ad ſacrificanda Christi Myſteria, candidiſsimo collobio vtebatur: quod collobium Sancti Iacobi Apoſtoli fuiſſe perhibebat. Dicebat autem, iuſtum eſſe, hanc reuerentiam à Sacerdote obſeruandam: vt, dum in Diuinis Myſterijs Sacerdos aſsiſtit, his vtatur veſtibus, quæ habitu Apoſtolico Sacerdotem exhibeant. Sic factum eſt, vt à Sancto Syluestro Presbyteri eius, vel Diacones, collobiorum ſumpſiſſent initium; quòd Marcus, Iulius, & Liberius eo ordine vſi ſunt. Poſtea autem collobia in dalmaticas commutata ſunt: viſumquè eſt melius huic propoſito conuenire, quòd accuratiùs magis placere valeant aſpectibus Populorum*. Et hæc nobis de colobio ſatis ſint in præſenti. A B

II. Nunc è Philippi Libello mihi diſcutiendum in primis aſſumo, quid illud eſſet, quod Capite 22. Numero 4. videbamus Protaſio dictum à Comite Aſtaſio: NOLI BIOTHANATVS *fieri* (aliter *interire*) *ſicut & frater tuus*. Hæc vtique verba Iacobus à Voragine in Legendario, Cap. 81. perinde intellexit, ac ſi dictum fuiſſet: *Noli cum fratre tuo* MALA MORTE *perire*. Petrus autem Ribadeneyra in Vita Sanctorum Geruaſij ac Protaſij, die 19. Iunij, ſicut ex Hiſpano, & fideliter quidem, redditus eſt Italicè: *Non eſſer* STOLTO, *come tuo fratello*. Contra verò Innocentius Eccleſia nullam eius vocis notionem concepiſſe videtur animo: eamquè propterea non modò *barbaram*, ſed etiam *inauditam* nuncupauit. Scriptoribus tamen alijs ea nec *inaudita*, nec ignoratæ penitùs ſignificationis viſa fuit: iiquè longè aliter, quàm Voraginius & Ribadeneyra, ipſam explicarunt. Ado Archiepiſcopus Viennenſis in Martyrologio, die 27. Iunij, poſtquàm egit de martyrio Sanctæ Symphoroſæ, ac ſeptem eius filiorum, ſub Adriano Principe (de quorum martyrio agitur in Martyrologio Romano die 18. Iulij) ſic addebat: *Altera autem die Adrianus præcepit, Corpora eorum ſimul auferri, & proijci in foueam altam. Et poſuerunt Pontifices Sacrorum nomen loci illius*, AD SEPTEM BIOTHANATOS. Et rursùs die 3. Septembris agens de Beata Seraphia Virgine, ſub Adriano itidem Imperatore, Iudice Berillo, ſic etiam narrauit: *Præſes verò iterùm Beatæ Virgini dixit*: BIOTHANATA ET MALEFICA, AVDI IMPERIALE PRÆCEPTVM: *Sacrifica Dijs immortalibus: & libera te de cruciatibus & morte. Beata Seraphia hoc illi reddidit*: BIOTHANATI ET MALEFICI VOS ESTIS, *qui negatis Deum viuum & verum; & Dæmonia adorando*, CVM IPSIS PARITER ESTIS MORITVRI. *Deo autem immortali* EGO MEMETIPSAM OFFERO SACRIFICIVM; *ſi me dignetur ſuſcipere, licet peccatricem, tamen Chriſtianam*. Hinc ergo doctiſsimus idem ille Roſuueydus in ſuis ad eiuſdem Adonis Martyrologium Annotationibus, C D

bus, quas vnà cum ipſo, & cum veteri Martyrologio Romano, hactenus à Cardinale Baronio deſiderato, typis edidit Antuerpiæ Anno 1613. ſic in priorem illum Adonis locum, & exinde in ſecundum annotauit: AD SEPTEM BIOTHANATOS. *Chriſtiani olim ab Ethnicis ignominiæ cauſa* BIOTHANATI *dicti; quòd tam promptè ſe morti exponerent, & violenta morte è vita excederent, non naturali. Infra, tertio Octobris:* BIOTHANATA ET MALEFICA. *Apud Magicæ vanitatis Auctores vox hæc vſitata, vt oſtendit Tertullianus Libro De Anima, Cap.* 57. AVT OPTIMVM EST HIC RETINERI, SECVNDVM AHOROS (hoc eſt, qui morte immatura præueniuntur) AVT PESSIMVM SECVNDVM BIOTHANATOS, VT IPSIS IAM VOCABVLIS VTAR, QVIBVS AVTRIX OPINIONVM ISTARVM MAGICA SONAT. *Item apud Phyſicos. Seruius quarto Aeneidos:* DICVNT PHYSICI, BIOTHANATORVM ANIMAS NON RECIPI IN ORIGINEM SVAM. *Apud Genethliacos vox ea crebra. Lampridius in Heliogabalo:* ET PRÆDICTVM EIDEM ERAT A SACERDOTIBVS SYRIS, BIOTHANATVM SE FVTVRVM. *Sic apud Iulium Firmicum* MORS BIOTHANATA. *Græcis dicitur* βιοθάνατοι, *&* βιαιοθάνατοι: *&* βιοθανὴς *à* βία *vis, &* θάνατος *mors; non, vt eſt apud Iſidorum Libro x. Orig. littera B.* BIOTHANATVS, QVOD EST BIS MORTVVS. *Immò à violenta morte, quam vel ſibi quis conſciſcit, qui aliàs* αὐτοθάνατοι, *vel quam quis ſponte incurrit. Caſsianus Collatione* x1. (ſed verè legendum eſt 2.) *De Diſcretione Cap.* 5. *de Herone ſene, qui à Diabolo deceptus ſe in puteum præcipitem dederat:* QVAMOBREM PRO MERITIS LABORVM TANTORVM, ET ANNORVM NVMEROSITATE, QVA IN EREMO PERDVRAVIT, AC MISERATIONE ET HVMANITATE SVMMA, AB HIS, QVI EIVS COMPATIEBANTVR EXITIO, VIX A PRESBYTERO ET ABBATE PAPHNVTIO POTVIT OBTINERI, VT NON (INTER BIOTHANATOS REPVTATVS) ETIAM MEMORIA ET OBLATIONE PAVSANTIVM IVDICARETVR INDIGNVS. Hæc Roſuueydus. Eademquè penè ad verbum repetit etiam Ioannes Ludouicus de la Cerda in ſuis Aduerſarijs Sacris (hæc autem typis edidit Lugduni Anno 1626.) Cap. 17. Num. 8. excepto quòd teſtem præterea producit Aldhelmum Libro de Virgin. Cap. 16. vbi legitur: *Extraneus ab Eccleſiæ ſocietate inter* BIOTHANATOS *reputabitur*; tum etiam inſuper addit: *Multa de hac voce vide apud Angelum Roccam, Apoſtolici Sacrarij Præfectum, in Scholijs ad Beatum Gregorium*. Certè autem indicat eius Scholia in tanti Pontificis, verè Magni, Librum Sacramentorum, ad columnam 239. ſiue in Præfationem pro Benedictione aquæ. Vtor autem Pariſienſi editione, Anno 1619. elaborata: quæ in fine Tomi Quinti Librum illum ac Scholia habet. Cæterùm conſuli de hac dictione poſſunt etiam Iacobus Pamelius in Adnotationibus ad ſuperiorem illum Tertulliani locum *De Anima*, & Auctor Annotationum in Caſsianum,

quæ

quæ vnà cum eiuſdem Caſsiani Operibus Lugduni prodierunt in lucem A
Anno 1606. videlicet in eius Collationis ſecundæ Caput quintum: quinetiam Henricus CuycKius in Elucidatione obſcurarum Caſsiani vocum, quam eiuſdem Operibus Antuerpiæ Anno 1578. impreſsis adiecit: & hic in Caput decimum-quartum Libri ſeptimi Inſtitutionum. Hoc enim loco poſterior quidem illa editio ſic habet: *Iudas autem, volens reſumere pecunias, quas antea Chriſtum ſecutus abiecerat, non ſolùm ad proditionem Domini lapſus, Apoſtolatus perdidit gradum, ſed etiam vitam ipſam communi exitu finire non meruit*, EAMQVE VIOLENTA MORTE CONCLVSIT. Verumtamen in altera illa vetuſtiori editione CuycKius ita legerat: *Iudas autem &c.* EAMQVE BIOTHANATI MORTE CONCLVSIT. Quamobrem in Elucidatione poſt- B
modùm (hæc autem ordine diſpoſita eſt alphabetico, ſicut & alterius recentioris editionis Annotationes) ſic docebat: BIOTHANATI *dicuntur, qui violenta morte ab alijs illata pereunt, aut qui ſibi ipſis mortem conſciſcunt: qualis fuit ſenex ille Hero, de quo Caſsianus Collatione 2. Cap. 5. qui fœda Diaboli illuſione deceptus, in puteum ſe præcipitauit; ideoquè Paphnutij Abbatis ſententia, memoria & oblatione pauſantium, hoc eſt mortuorum, indignus habitus. Iudas quoque proditor, ſicut hoc loco ſcribit Caſsianus, vitam ſuam* BIOTHANATI *morte concluſit; quia ſibi manus iniecit violentas, & in deſperationem actus laqueo ſe ſuſpendit. Eſt verò hæc vox ſecundùm deriuationem Græcanica: conflata ex dictione* βία*, hoc eſt vis ſiue violentia, &* θάνατος*, quod ſignificat mortem*. Hoc autem loco commemoratu C
etiam dignum eſt, quemadmodùm tam hic Elucidationis, quàm ille alter Annotationum in Caſsianum Auctor, eruditè admodùm diſſeruerint etiam de COLOBII etymologia. Sed ille tamen alter ignorauit, quinam fuerit Euſebius ille, cuius ego teſtimonium proferebam è Mombritio noſtro: ipſe verò partem, quæ ad Sanctum Syluestrum eiuſquè Presbyteros pertinet, ex Anſelmo protulit, antiquo Decretorum collectore.

CAPVT XXVII.

An Protaſius & Geruaſius poſt Nazarij & Celſi necem dimiſsi fuerint è carcere; ſed poſtea rurſùs capti iuſſu Comitis Aſtaſij. D

I. CVM ante tum etiam poſt Nazarij & Celſi cædem Protaſius abſque dubio & Geruaſius carcere detinebantur; ſi vera ſunt, vt iam credidimus, teſtimonia, quæ cùm Capite 18. Num. 12. tum etiam Capite 20. Num. 2. & 3. in medium attulimus.

II. Eos autem poſtea dimiſſos è carcere fuiſſe: mihi quidem hoc Philippus in ſuo Libello perſuaſit. Narrato enim, quemadmodùm Templorum Cuſtodes cum Sacerdotibus ſuis Aſtaſium Comitem irritaſſent in Protaſium

&

& Geruaſium; tum verò ſic etiam protinùs adiecit: *Audiens hæc Aſtaſius Comes, iuſſit* EOS TENERI, *& ad ſe adduci*. Quorum verborum ſententiam Viri etiam docti talibus hiſce modis expreſſerunt. Iacobus à Voragine Capite 81. & Petrus de Natalibus Libro 5. Cap. 128. CONTINVO IGITVR TENENTVR. Alphonſus Vigliegas: *Quando Aſtaſio inteſe queſto;* LI FECE PIGLIARE, *e menare alla ſua preſenza*. Petrus autem Ribadeneyra: *Li fece Aſtaſio* CERCARE, ET PIGLIARE. Quòd itaque Aſtaſius iuſſerat, EOS TENERI: hoc etiam videmus à Scriptoribus illis ita interpretatum, vt iuſſerit, manus in eos inijci, vinculis capi, & è libertate in alterius poteſtatem redigi. Quæ tamen omnia nonniſi falsò & abſurdè dici poſſent; ſi Protaſius & Geruaſius iam tum incluſi carcere tenebantur. Quòd ſi tunc eo non tenebantur; reliquum eſt ergo, vt ex eo iam ante dimiſsi fuiſſent. Non enim credibile videtur, nec aliquis vnquàm Scriptor inſinuaſſe legitur, eos inde aufugiſſe, vel aliter per vim extractos fuiſſe. A B

III. Iuſtiſsima verò & efficaciſsima dimittendi eos cauſa potuit ac debuit eſſe manifeſtum illud & atrox & formidabile ſupplicium, quo Deus Anolinum & alios Nazarij & Celſi perſecutores tam celeriter punierat, & quod in oculis totius Vrbis ita verſabatur, vt nulla tergiuerſatione diſſimulari poſſet; ſicut ex iis intelligi datur, quæ Capite 21. diximus. Quid ſi ergo eandem re vera ob cauſam dimiſsi poſtea fuerunt? Quid ſi, verſa in contrarium vice, poſt aliquot inde menſes (vt Capite 22. Num. 7. coniectabamus) Aſtaſius nullam eiuſdem cauſæ rationem habuit; vel quia nouus hic eſſet homo, nec tale illud ſupplicium audiuiſſet aut credidiſſet; vel quia ſaltem nihil tale iam ſibi formidabat, ſi Protaſium & Geruaſium necari mandaret? Veriſsimum profectò expertiſsimumquè illud eſt, quod Poeta Lyricus cecinit: C

Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

CAPVT XXVIII.

De Comite Aſtaſio: & an hoc honoris & poteſtatis nomen in vſu eſſet tempore Neronis. D

I. HAC de re differendum nobis erit etiam infra, poſteaquàm eos produxerimus Auctores, qui negatiuam tutati ſunt partem: quorum è numero Andreas præſertim fuit Alciatus: Ciuis ille noſter, non modò Iuriſprudentia ſed etiam omnigena eruditione celeberrimus, & inuidendum Sæculi decus ſuperioris. Etenim Libro 2. Hiſtoriæ Mediolanenſis, hac in Vrbe typis primùm impreſſæ Anno 1625. & ſecundùm hanc editionem pagina 99. eò vſque prouectus eſt, vt ſcriptum relinquere non dubitarit: *Aſtaſius Comes ſub Nerone eſſe non potuit, eo dignitatis nomine tunc incognito.*

Falſum

Falſum id eſſe tamen ego præſenti contendam Capite ; ne quis fortè A
Lectorum meorum , ea imbutus opinione , minus amanter ac minori
cum fide legat hæc noſtra , quibus tantum antiquitatis & Philippo &
eius Libello adſtruimus, vt Neronis ea tempori adiudicentur.

II. Noſtræ verò ſententiæ fauent in primis Acta Sancti Syri , Ticinenſium
Epiſcopi , quæ iam ſupra recitauimus Capite 20. Num. 2. Similiter
etiam fauent Acta Sanctorum Nerei & Achillei , quæ Surius die 12.
Maij recitaturus, hoc titulo ſimul & elogio prænotauit: *Sanctorum Nerei
& Achillei, itemquè Sanctæ Domitillæ , & quorumdam aliorum , illuſtre Mar-
tyrium: quod quidam Anonymus ſe ſcribit de Græcis conuertiſſe , probaturquè
etiam doctiſsimis Viris: & conſentiunt vetuſtiſsima Martyrologia , quæ non
paucis locis, etiam ad verbum, quædam hinc mutuata ſunt.* His autem Actis B
mentio ſimul conſita eſt Petronillæ, Feliculæ ac Nicomedis, & aliorum
Sanctorum, quos pariter omnes conſtat Neronis tempore vixiſſe. Pe-
tronilla verò Sancti Petri, Apoſtolorum Principis, filia fuit, & ab eoè
legitimo coniugio genita, priuſquàm vocaretur ad Apoſtolatum , vt
benè obſeruauit Sanctus Antoninus, mox allegandus: ad eum verò vo-
catus fuit Anno Chriſti Trigeſimo-primo, vt Baronius in eundem An-
num. Sic igitur in ijſdem Actis legimus de Petronilla: *Cùm autem eſſet
præſtanti forma corporis ;* FLACCVS COMES *venit ad eam cum mili-
bus ſuis , ſibi eam coniugem aſciturus . Dixit verò illi Petrovilla: Itane ad
puellam inermem cum armato milite venis ? Si me vis habere coniugem ; da
operam , vt matronæ & virgines honeſtæ poſt triduum ad me veniant: vt ego* C
*cum illis pariter accedam ad ædes tuas. Trium itaque dierum ſpatio impetrato,
Sancta Virgo ieiunijs & orationibus vacauit : habens apud ſe Sanctam Virgi-
nem Feliculam , in Dei timore perfectam. Tertio inde die venit ad eam Sanctus
Nicomedes Presbyter, Chriſtiquè Myſteria celebrauit. Cumquè Virgo Sacratiſsi-
ma Chriſti Sacramentum accepiſſet ; reclinans ſe in lectulum, emiſit ſpiritum.
Matronæ autem & virgines, quas Flaccus ad eam miſerat , exequias funeris
eius celebrarunt. Porrò Flacus, animum aliò transferens , dixit ad Feliculam:
Vnum è duobus elige ; vt aut ſis mea coniunx , aut Dijs ſacrifices. Sancta
Felicula reſpondit: Nec vxor tua ero; quia Chriſto ſacrata ſum : nec immolabo
Idolis; quia Chriſtiana ſum. Tunc Flaccus tradidit eam cuidam Vicario : in-
cluſaquè eſt in obſcuro quodam cubiculo, & manſit illic dies ſeptem abſque cibo.* D
*Dicebant autem ei vxores cuſtodum: Cur vis mala morte perire? Accipe vi-
rum hunc nobilem, diuitem , formoſum , florente ætate ,* IMPERATORIS
AMICVM, ET COMITEM. En igitur vt Comitis titulum ac præro-
gatiuam in vſu videamus per ea tempora , quibus vixit Nero , aut ſal-
tem quibus proximus anteceſsit ; è quibus proinde dignoſci pariter po-
teſt, quemadmodùm eo etiam viuente fuerit in vſu ; quippecùm ex eo
tempore, quo ipſe imperare cœpit , vſque ad illud , quo Domitianus
itidem Imperator (ex Anno nempè Chriſti 83. vſque ad 98.) Chriſtia-
nos perſecutus eſt , & quo perſequente Flaccus ille Comes viuebat,
nulla tradatur noua tituli eius & honoris inſtitutio. Eundem verò

Comitis

Comitis titulum eidem Flacco ſumma conſenſione adſcripſerunt etiam A
Vincentius Bellouacenſis in Speculo Hiſtoriali, Libro 9. Cap. 38. Ia-
cobus à Voragine in Legendario, Cap. 73. Petrus de Natalibus in Ca-
talogo, Libro 5. Cap. 71. Sanctus Antoninus Parte Chronicorum Pri-
ma, Titulo 6. Cap. 4. §. 1. Boninus Mombritius in Vita Sanctæ Petro-
nillæ, Alphonſus Vigliegas in Legendario, die 31. Maij: eademquè die
Beda & Ado Viennenſis & Franciſcus Maurolycus in ſuis Martyrolo-
gijs: quinetiam Breuiaria Romanum & Ambroſianum, denique refor-
mata, hodiequè vſitata, die 15. Septembris, in Sancto Nicomede, Preſ-
bytero & Martyre.

III. Romanum quidem Martyrologium die 31. Maij, de Sancta Petronilla
loquens, Flaccum illum nominat, non COMITEM, ſed NOBILEM B
VIRVM. Sed nihilominùs egregiè Baronius illic cauſam noſtram tuta-
tur annotatione huiuſmodi: *In prædictis Actis Sanctorum Nerei & Achil-
lei legitur*, FLACCI COMITIS: *quam lectionem non improbamus. Porrò
vt huius vocis clarior notitia habeatur; ſciendum in primis, pro diuerſitate
temporum, diuerſi generis Comites fuiſſe. Ante Conſtantini Imperatoris tempo-
ra hi dicti erant Comites, qui, Proconſules Præſideſquè Prouinciarum comitan-
tes, erant in negotijs publicis obeundis illorum adminiſtri & adiutores: ijdem-
què aſſeſſores eorumdem cùm eſſent, ius dicebant; vt declarant complures Le-
ges; L. 16. De Off. Præſid. L. 4. ff. De Offic. Aſſeſ. L. 41. §. De Excuſ. Tut.
L. 6. §. Si quos Comit. ff. De Pœn. L. 5. ff. Ad leg. Iul. repet. & L. 1. §. Sed, ff.
De extra cognition. De ijſdem Suetonius in Iulio & in Tiberio: & Plinius Li-* C
*bro 9. Cap. 30. Ex his vnus erat Flaccus, de quo agimus, cæteriquè omnes,
qui in antiquis Actis Martyrum Comites dicti reperiuntur. A temporibus au-
tem Conſtantini Imperatoris (& non Hadriani, vt putauit Gelenius) ea vox
alio ſenſu accipi conſueuit. Idem etenim Imperator, Chriſtiana quadam huma-
nitate, quoſdam è Magiſtratibus ſibi ſubditis Comites dici voluit, quaſi conſo-
cios in adminiſtratione Imperij. Erantquè hi triplicis ordinis: nempe primi,
ſecundi, & tertij; vt ſcribit Euſebius in Vita Conſtantini, Libro 4. Cap. 1.
Mutationem Magiſtratuum à Conſtantino factam eſſe, Zoſimus etiam aſſeuerat
Libro 2. Plura de his Alciatus Libro De Magiſtratibus. In Notitia Prouincia-
rum habentur Comitiuarum diuerſarum deſcripta inſignia. Sunt de ijſdem Co-
mitibus complures tituli in Codice, Libro 12. Itemquè formulas eorumdem Ma-* D
giſtratuum habes apud Caſsiodorum, Variarum Libro 6. & 7. Talia Baro-
nius. Sed quid item Alciatus, ab eo in teſtem productus? Ipſius Li-
ber, ſiue potiùs Libellus, ille, qui eſt *De Magiſtratibus, Ciuilibuſquè &
Militaribus Officijs*, habetur etiam propè finem Voluminis inſcripti, *Hiſ-
toriæ Romanæ Scriptorum Latinorum veterum, qui extant, omnium Tomus
Secundus*, & Aureliopoli dicitur impreſſus Anno 1625. In eo autem ſic
ipſe ſcribebat: *Strabo auctor eſt, deuicta Cleopatra, in certam adminiſtratio-
nem Aegyptum redactam, expugnatamquè à Romanis: & ad eam mitti ſolitos
moderatione & prudentia inſignes Viros ſub Præfecti titulo. Is eſt Præfectus
Auguſtalis, qui vicem Regis obtinet. Eſt & δικαιοδότης, ideſt Iuridicus, in cuius*

poteſtate maxima eſt iudiciorum pars. Eſt & qui ἴδιος λόγος, quem ego Procura- A
torem priuatæ rationis interpretor: ad quem indagatio bonorum vacantium per-
tinet, earumquè rerum, quæ Cæſari debentur. Horum Comites ſunt Cæſaris
Liberti & Auctores: quorum fidei maiora minoraquè iudicia creduntur. Et
paulò pòſt: *Et hi quidem ſunt Magiſtratus, qui ab Auguſto conſtituti, diu*
perſeuerauerunt: & tempore, quo Iuriſconſulti noſtri florebant, maximè vi-
guerunt. Nam poſteriores deinde Imperatores, quorum princeps Conſtantinus,
qui Romanorum Coloniam Bizantium tranſtulit, aliam ipſi formam commenti
ſunt. Tum cœperunt alij Patricij eſſe, quàm priùs erant: aliaquè Præfectorum
pretoria iuriſdictio. Hinc Magiſtri Militum, Magiſtri Officiorum, COMI-
TES SACRARVM LARGITIONVM, COMITES REI PRIVA-
TÆ, COMITES SACRI PALATII, COMITES SACRI PATRI- B
MONII. Secundùm hanc igitur doctrinam Alciatus nomen & hono-
rem COMITIS iam inde à tempore Auguſti admittebat, priuſquàm
Conſtantinus hos alios Comites primùm inſtitueret. Quòd ſi ne à tem-
pore quidem Auguſti, ſed ſolius Conſtantini, nomen illud in vſu fuiſſe
admittebat; certè negari non poteſt, quin ipſe ſibi fœdè contradixerit.
Conſtantinus enim, nempè Magnus, Anno tantùm Domini 306. cœ-
pit imperare. Alciatus autem, Marco Aurelio & Lucio Vero fratribus,
qui Anno Domini 163. Imperium ſuſceperunt, vixiſſe credidit Comi-
tem Aſtaſium, necis Protaſij ac Geruaſij auctorem, vt infra copioſiùs
ex ipſiuſmet Alciati verbis, in hoc Opere deſcriptis, condiſcemus.

IV. Argumento, quod hactenùs ex Actis Sanctorum Nerei & Achillei de- C
ſumpſimus, ſimile nunc alterùm ſuccedat, ex Actis pariter Sancti Mar-
tialis, Epiſcopi Lemouicenſis, deſumendum. Eius autem mentio in
Romano Martyrologio habetur die 30. Iunij: ac Baronius ibidêm in
Annotationibus eum Petro de Natalibus in Catalogo, Libro 6. Cap. 29.
aſſentitur obiiſſe Tertio Imperatoris Veſpaſiani Anno, qui fuit Chriſti
Septuageſimus quartus. Quocirca etiam in Annalibus, ad hunc ipſum
Annum, ſic item ille ſcribit Articulo 7. *Eodem Anno Tertio Veſpaſiani*
Sanctus Martialis, Epiſcopus Lemouicenſis, Galliarum dictus Apoſtolus, qui ex
Oriente Romam cum Petro venerat, & ab eodem in Gallias fuerat amandatus,
cùm Lemouicenſes, Toloſanos, Burdegalenſes, Cadurcenſes, alioſquè, qui à
Rhodano in Occeanum vergunt, Populos ad pietatem Chriſtianam inſtituiſſet; ex D
humanis ſublatus eſt; ſicut eius Acta declarant, quæ circumferuntur ſcripta ab
Aureliano, eius ſucceſſore. In eadem verò ſententia fuerunt etiam Sanctus
Antoninus Prima Parte Chronicorum Titulo 6. Cap. 25. §. 2. & Or-
dericus ille Vitalis, quem Capite 20. Numero 15. nominabam, luben-
tiſſimequè nunc recolo.

V. Hic vtique Hiſtoricus copioſè ſupra cæteros, quos ego hactenùs legerim,
Sancti huius Martialis Vitam proſecutus eſt Libro 2. Eccleſiaſticæ Hi-
ſtoriæ, ab extremo paginæ 428. in aliquot alias proximè ſubſequentes:
multaquè interim narrat, quibus apertiſsimè demonſtratur, Comitis no-
men & honorem per ea tempora vſitatiſsimum fuiſſe. Pagina in primis

430.

430. Littera D. ſic ille tradit: *Stephanus ſiquidem Dux Principatum à Fluuio Rhodani vſque ad Mare Occeanum tenebat, omnemquè citra Ligerim regionem, & omnem Aquitaniam, ſeu VVaſtonum & Gotoorum gentem, poſsidebat. Rex tamen non vocabatur; quia nullus ſibi hoc nomen vindicabat, niſi ſolummodò Nero, qui Romanum tenebat Imperium.* Et pag. 431. Littera B. A
Stephanus etiam Dux (nimirùm ille, de quo proximè diximus) *vt hoc ſignum vidit* (mortuum ad vitam reuocatum à Martiali) *ſimiliter Sancti veſtigijs procubuit, & indulgentiam pro commiſſo facinore* (quippe Sanctam Virginem Valeriam truncari capite iuſſerat) *implorauit. Beatus autem Pontifex pœnitentiam ei pro interfectione Virginis & Martyris indixit: ipſumquè* ET OMNES COMITES ILLIVS AC DVCES, *cunctumquè exercitum, & omnem Populum vtriuſque ſexus, numero quindecim millia, baptizauit.* Tum pagina 432. Littera A. *Hildebertus, Archadii*, PICTAVIENSIS COMITIS, *filius*. Pag. 433. C. *In Burdegala Ciuitate Sigibertus* COMES *erat.* Mox etiam Benedicta, eius vxor, appellatur COMITISSA. Pagina item 434. D. *Porrò dum Sanctus Pontifex celebraret Miſſarum ſolemnia, Arneus*, COMES FVRONICÆ CIVITATIS, *arreptus eſt à Diabolo cum coniuge Chriſtiana.* Et rurſus pagina 435. A. *His ritè peractis, Beatus Martialis Aurelianum* (nempè illum, quem paulò ante Baronius Actorum Sancti Martialis Scriptorem nominabat) *ordinauit, & poſt ſuum diſceſſum Vrbi Lemouicenſium præfecit. Andream verò Presbyterum Eccleſiæ Sancti Petri Apoſtoli* (quam in fine præcedentis paginæ dixerat ab eodem Martiali conſecratam *ſexto Nonas Maij, tempore Neronis Imperatoris*, ac proinde poſtremo illius Anno, qui Sancti Petri cædem ſubſecutus ex parte fuerat) *præfecit: ibiquè cum eo Hildebertum*, ARCHADII COMITIS *filium* (de quo ſuperiùs item dicebamus) *& alios triginta ſex Clericos conſtituit: eiſquè Stephanus Dux* (de quo pariter iam dictum) *ex ſuo reditus ad victum & veſtitum vbertim donauit.* Eundem porrò Hildebertum ſic etiam diſertiſsimè nominarunt ARCHADII COMITIS FILIVM Vincentius Bellouacenſis in Speculo Hiſtoriali, Libro Nono, Capite 40. & Petrus de Natalibus in Catalogo, Libro 6. Cap. 30. Atque per hæc ſatis probatum iam ſit è Sancti huius Martialis Vita, quemadmodùm Neronis tempore nomen ac dignitas Comitis in vſu eſſet. B C

VI. Sed huc profectò illud etiam pertinet, quod idem Ordericus pagina 436. ſeriem Romanorum tradere Pontificum aggreſſus, in Clemente, poſt Petrum Tertio, ſic inquit: *Theodoram*, SISINNII COMITIS *coniugem, in propoſito caſtitatis confirmauit.* Et pag. 437. inter eiuſdem Clementis Acta, Littera A. *Publius Torqueanus*, SACRORVM COMES, *multitudini Chriſtianorum inuidit: dataquè pecunia Patronis regionum, Nomini Chriſtiano ſeditionem excitauit.* D

VII. Cornelius etiam Tacitus in Libello *De Moribus Germanorum*, ſecundùm Lipſij Commentarium Numero 42. ſic ſcribebat: *Centeni ſingulis ex plebe* COMITES, *conſilium ſimul & auctoritas, adſunt.* Ad hæc autem

verba Lipſius ita inquit: *Hoc eſt, quod in lege Alamannorum priſca lego:* CONVENTVS AVTEM, SECVNDVM CONSVETVDINEM ALIQVAM, FIAT IN OMNI CENTENA, CORAM COMITE, AVT SVO MISSO: ET CORAM CENTENARIO IPSVM PLACITVM FIAT. A

VIII. Ex inſtituto autem VVolfgangus Lazius hanc tractauit quæſtionem in Volumine inſcripto: *Reipublicæ Romanæ, in exteris Prouincijs bello acquiſitis conſtitutæ, Commentariorum Libri duodecim:* ac typis impreſſo Francofurti Anno 1598. Sic autem ille tractauit, vt vnicè nobis ſuffragetur. Etenim Libro 2. Cap. xi. agens de Comitibus Rectoribus Prouinciarum, ſic incipit: *Non nouus honor eſt nomenquè* COMITIS, *vt quidam autumant; ſed apud Romanos etiam Francoſquè ante multa ſæcula vſurpatum.* B *Hinc Cicero ad Quintum Fratrem in Epiſtola: Atque inter hos, eos, quos tibi* COMITES, ET ADIVTORES NEGOTIORVM PVBLICORVM *dedit ipſa* Reſpublica, *dumtaxat finibus ijs præſtabis, quos ante præſcripſi. Suetonius in Tiberio: Cùm viſendi gratia traieciſſet Samum; alieniorem ſibi ſenſit ex criminationibus M. Lollij,* COMITIS ET RECTORIS EIVS. *Spartianus in Hadriano: Cùm iudicaret (inquit) in conſilio habuit, non amicos ſuos, aut* COMITES *ſolùm, ſed Iuriſconſultos, & præcipuè Iulium Celſum, Saluium Iulianum, Neratium Priſcum, alioſquè. Subſcribit Ammianus Libro 27. Iamquè ſummatibus proximus, poſt Conſtantij obitum in rerum conuerſione, veluti Imperatoris cognatus, altiùs anhelabat, admixtus conſortio* COMITVM. *Porrò arbitror,* COMITEM *à comitando, veluti etiam* C COMITATVM, *eſſe appellatum. Erat autem* COMITATVS *Romanis, non quæ hodie eſt* COMITIS *ditio, & terræ portio, talis ordinis homini ſubiecta, quæ apud Francos quondàm centum pagis conſtabat; verùm Principis ſequela & comitiua hac voce nuncupabatur, quæ modò Aula vel Curia dicitur. Quapropter quicumque primi ordinis viri Auguſtum proficiſcentem in Prouincias comitabantur,* COMITES *vocabantur: quales hodie ferè ſunt Conſiliarij, & Miniſtrantes ad menſam* &c. Subinde verò ſequitur Lazius explicare, quàm varij eſſent Comites, quamquè varia ipſorum officia. Quæ quidem ſic etiam explicata videre licet apud Ioannem Azorium Parte Secunda Inſtitutionum Moralium, Libro xi. Cap. x. De Comite habetur aliquid etiam in Annotationibus ad Opera Ioannis Caſsiani, Anno D 1606. typis impreſſa Lugdunenſibus, Verbo COMES. De Comite autem ac Vicecomite legi poteſt Aubertus Miræus ad Annum Chriſti 1546. in Chronico Belgico, Antuerpiæ edito Anno 1636.

IX. Scriptoribus exteris hactenùs opinionem noſtram confirmauimus. Nunc vtamur noſtratibus, & Gualuaneo in primis Flamma, tum etiam Bernardino Corio. Flamma igitur in Chronico Maiori (nunc autem vtor exemplari Secretarij Vrbani) antequàm Neronis erga Chriſtianos deſcriberet perſecutionem, Capite 80. *De Dominio Conſulum, ſiue Comitis & Vicecomitis*, ita narrabat: *Imperator Romanus Ciuitati Mediolanenſi ex ſpeciali priuilegio contulit, vt ſibi poſſet duos Conſules eligere: qui nihil recognoſ-*

cerent

cerent à Duce (de cuius in Vrbe noſtra dominio egerat Capite ſuperiori) A
ſed à ſolo Imperatore. Et ſic, quantum ad iſtud, poteſtas Ducis fuit diminuta. Et tunc Ciues de Mediolano duos elegerunt Conſules, qui ex officij parilitate & ſocietate, vt dicit Papias, dicti ſunt COMITES. *Quorum primus rem militarem adminiſtrabat; & iſte propriè dictus eſt* COMES: *alter rem Ciuilem procuraret; & hic dictus eſt* VICECOMES, *id eſt* SOCIVS COMITIS, *qui, mortuo Comite vel impedito, eius vices in re militari explebat, eius vices gerens. Et erat eius dignitas annalis, ſiue vnius anni; ne aliquis propter eorum ſuperbiam inſolens fieret, & alter moderatior in officio eius ſubueniret. Ad* VICECOMITEM *pertinebat ius ſanguinis, ſicut modò pertinet ad Poteſtatem. In proceſſu temporis Conſularia aliter ordinata fuit, vt infra dicetur. Et eſt diligenter animaduertendum, quòd iſte modus regiminis durauit pluſquàm* B
trecentis annis, ſcilicet vſque ad tempora Beati Ambroſij. Vnde, quia omni anno iſti Officiales mutabantur, fuerunt facti ferè innumerabiles COMITES *&* VICECOMITES *de diuerſis parentelis, ſtatibus, & Ciuitatibus: qui, finito anno, non erant nec* COMITES, *nec* VICECOMITES; *ſicut etiam nunc in Poteſtatibus accidere videmus. In proceſſu temporis* VICECOMITES *diuerſimodè creati ſunt: aliquando ab Imperatore, aliquando à Duce, aliquando ab Archiepiſcopo, aliquando à Communitate; ſicut infra dicetur*. Deinde autem Capite 84. Neronianam enarrans perſecutionem, ſic etiam inquit: *Impius Anolinus* (ad hanc vtique Ciuitatem à Nerone miſſus) *miſsis ſatellitibus ſuis per totam Ciuitatem, rapuit viros nobiliores, & pueros pulchriores, & populares, & ex Conſulibus & Senatoribus præclariores: quos equuleo diſtendi fecit, ali-* C
quos in Arena aliquos in Amphiteatro cum vrſis leonibus tigridibus pugnare coegit, aliquos igne aliquos ferro conſumpſit: & ſic martyrizatos, IVXTA FONTEM SANCTVM, VBI ERAT LOCVS BAPTISMATIS, *in luto proijci mandauit: & pluſquàm ſexdecim millia Corpora Sanctorum Martyrum ibidem ſepeliuit.* BEATOS VIROS NAZARIVM ET CELSVM DECAPITARI PRÆCEPIT. *Qui iuſto Dei iudicio mortem turpiſsimam faciens, diem clauſit extremum. Cui in officio ſucceſsit* COMES ASTASIVS: *qui cùm Chriſti Fidem nec Chriſtum poſſet pati audire nec nominari; contra Chriſtianos duriſsimam perſecutionem intulit.* BEATOS FRATRES GERVASIVM ET PROTASIVM INTERFECIT: *pluresquè ex Romanæ Vrbis Ciuibus, qui derelicta Roma hanc Ciuitatem tamquàm om-* D
nium Ciuitatum Reginam incolebant, interfecit. Ex diuerſis etiam Ciuitatibus Italiæ Chriſtianos recolligens, Mediolanum pertrahi procurauit: quos, diuerſis ſupplicijs affectos, martyrio coronauit, & in lutum Sancti Euſtorgij (ſiue iuxta Fontem proximè nominatum, qui communiter SANCI BARNABÆ FONS appellatur, & vbi deinde conſtructa fuit Eccleſia, quæ nunc Sancti Euſtorgij nomen habet) *ſubmergi mandauit*. Talia ſunt, quæ Gualuaneus Flamma ijs in locis ſcripta poſteritati reliquit. Eadem verò de dominio Conſulum, qui COMITES, & vnus propriè COMES, alter VICECOMES, dicerentur, affirmata ſic etiam fuerunt à Bernardino Corio in Hiſtoria Mediolanenſi, Parte Prima, pag. 10. ſecun-

dùm

dùm Venetam editionem Anni 1565. Et his quidem Caput præſens concludimus. A

CAPVT XXIX.

An bellum aliquod, viuente Nerone, à Marcomannis excitatum.

I. ID quoque negauit Alciatus in Hiſtoriæ Mediolanenſis Libro 2. pagina 98. & hac negauit ratione. *Marcomanni* (inquit) *Germaniæ Populi, vt Cornelius Tacitus ſcribit, ad ſuam vſque memoriam Romanis amici fuere: quorum armis rarò Barbari, ſæpius pecunia iuuabantur: eamquè ipſi gratiam referebant, vt vim & potentiam Regibus ex auctoritate Romana tribuerent. Primus Romanorum Imperator cum filio Commodo M. Antoninus Pius, excitatis in ſocietatem alijs Barbaris, præferoces armis compeſcuit.* Nimirùm circiter Annum Chriſti 170. quam tamen opinionem tunc ego rursùs refellere conabor. B

II. Eiuſdem cum Alciato ſententiæ fuit etiam Baronius, ſed alia ductus ratione. In Annotationibus enim ad Martyrologium Romanum, die 19. Iunij, contendens Geruaſium & Protaſium non fuiſſe Neronis tempore necatos, tali etiam probabat argumento: *Huc accedit; quòd, dum de bello Marcomannico ibi* (ſcilicet in Philippi Libello) *mentio fit, nihil ſanè eſt, vt ex ad Neronis tempora poſsint accommodari. Siquidem, nullum tale bellum tunc geſtum eſſe, perſpicuum eſt.* C

III. Marcomannos (aliter Marcomanos) ego fateor in primis Germaniæ fuiſſe Populos. De quibus legi præſertim poteſt Philippus Cluuerius, Germaniæ Antiquæ Libro & Capite 3.

IV. Quòd verò Alciatus illos aſſerebat vſque ad Cornelij Taciti memoriam Romanis amicos fuiſſe, primùmquè armis à Marco Antonino Pio coercitos: hoc ille mihi videtur ex eiuſdem hauſiſſe Taciti Libello *De ſitu moribus & Populis Germaniæ*, versùs finem. Ibi enim hæc habentur: *Marcomanis Quadiſuè* VSQVE AD NOSTRAM MEMORIAM *Reges manſerunt ex gente ipſorum. Nobile* MAROBODVI ET TVDRI *genus. Iam & externos patiuntur. Sed vis & potentia Regibus ex auctoritate Romana. Rarò armis noſtris, ſæpius pecunia iuuantur.* Atqui ne propterea quidem hinc ſequitur quod Alciatus aſſerebat. Non enim Tacito aduerſabimur, ſi dicamus, cùm Marcommannos ipſos, tum etiam ipſorum Reges, aliquando nihilominùs à Romanis interim defeciſſe; vt proinde illos armis Romanorum coerceri & ad officium redigi oportuerit. Quid, quòd etiam Tacitus idipſum innuebat, cùm diceret, Marcomannorum Reges rarò armis Romanorum, ſæpiùs pecunia iuuari? Sic enim iuuabantur, vt ipſorum vis & potentia per auctoritatem Romanam conſeruaretur. Certè autem ne opus quidem fuiſſet vt ita iuuarentur; niſi eorum vi & potentiæ, proindequè auctoritati etiam Romanæ, ſeſe interim Marcomanni etiam ipſi aliquando rebelles oppoſuiſſent. D

V. Vt

V. Vt autem à primo (quantùm ego noſſe adhuc potuerim) bello inter Mar- A
comannos & Romanos exordiar: Caius profectò Iulius Cæſar in ſuis
De Bello Gallico Commentarijs, propè finem Libri primi, luculentiſsimè
teſtabatur, Marcomannos à ſemetipſo debellatos vnà cum Arioviſto
Rege, multiſquè alijs Germanis, eius aſſeclis: quod prælium Iacobus
Salianus in ſuis Teſtamenti Veteris Annalibus, Articulo 27. ſcitè conij-
cit in Annum Quinquageſimum-ſeptimum, antequàm Chriſtus Domi-
nus è Sanctiſsima Virgine Maria naſceretur. Anno deinde poſt ipſius
Natiuitatem Septimo, ſicut idem computat Salianus, eoſdem Marco-
mannos Tiberius Cæſar bello perſecutus eſt illo, quod fusè (ne dicam
confusè, vt loquitur Salianus) deſcriptum eſt à Caio Velleio Paterculo,
Libro 2. Hiſtoriæ Romanæ. Vbi ſic inter cætera legimus: *Nihil erat iam* B
in Germania, quod vinci poſſet, præter gentem Marcommannorum: quæ MA-
ROBODVO DVCE *excita ſedibus ſuis, atque interiora refugiens, incinctos*
Hercinie Syluæ campos incolebat. Nulla feſtinatio huius Viri mentionem tranſ-
gredi debet. MAROBODVVS, *genere nobilis, corpore prævalens, animo fe-*
rox, natione magis quàm ratione barbarus, non tumultuarium neque fortuitum
neque mobilem & ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupauit prin-
cipatum; ſed certum imperium vimquè regiam complexus animo, ſtatuit, auo-
cata procul à Romanis gente ſua, eò progredi, vbi, cùm propter potentiora ar-
ma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. Occupatis igitur, quos prædiximus locis,
finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris ſui fecit. Corpus ſuum
cuſtoditum (aliter *cuſtodia*) *imperium perpetuis exercitijs penè ad Romanæ diſ-* C
ciplinæ formam redactum, breui in eminens ET NOSTRO QVOQVE
IMPERIO TIMENDVM *perduxit faſtigium. Gerebatquè ſe ita aduerſus*
Romanos, vt neque bello nos laceſſeret: &, ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim
ac voluntatem reſiſtendi declararet. Legati, quos mittebat AD CÆSARES,
interdùm vt ſupplicem commendabant, interdùm vt pro pari loquebantur &c.
Qualis verò tandem fuerit eius inter Tiberium ac Maroboduum belli
(Velleio teſte, tunc intermiſsi, & in alios tranſlati) exitus, vel ex ip-
ſomet Tacito condiſcere licet. Annalium enim Libro Secundo, Anno-
què Vrbis Conditæ Septingenteſimo ſeptuageſimo (qui Chriſti nati fuit
Decimus-nonus) enumerans ea, quæ Maroboduus, mox contra Armi-
nium acie inſtructa pugnaturus, de ſemetipſo coram ſuis iactitabat, id D
etiam recenſuit: *Se, duodecim Legionibus petitum duce Tiberio, illibatam*
Germanorum gloriam ſeruauiſſe; mox conditionibus æquis diſceſſum: neque pæ-
nitere, quòd ipſorum in manu ſit integrum, aduerſùs Romanos bellum an pacem
incruentam malint. Nec iſta quidem ille penitùs ex vano iactitabat; ſicut
ex iis intelligi poteſt, quæ poſtea eodem Libro Tacitus in hæc verba
recenſuit: *Dum ea æſtas Germanico plures per Prouincias tranſigitur, haud*
leue decus Druſus quæſiuit, inliciens Germanos ad diſcordias: vtquè, fracto
iam Maroboduo, vſque in exitium inſiſteretur. Erat inter Gotones nobilis iuue-
nis, nomine CATVALDA, *profugus olim vi Marobodui, & tunc dubijs*
rebus eius vltionem auſus. Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur:

corruptiſquè

corruptiſquè primoribus ad ſocietatem, inrumpit Regiam, Caſtellumquè iuxtà A *ſitum. Veteres illic Sueuorum prædæ, & noſtris è Prouincijs lixæ ac negotiatores reperti, quos ius commercij, dein cupido augendi pecuniam, poſtremum obliuio patriæ, ſuis quemque ab ſedibus hoſtilem in agrum tranſtulit. Maroboduo vndique deſerto non aliud ſubſidium, quàm miſericordia Cæſaris fuit. Tranſgreſſus Dannubium, quà Noricam Prouinciam præfluit, ſcripſit Tiberio* (iam tum Imperatori) *non vt profugus, aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ: nam, multis Nationibus clariſſimum quondàm Regem ad ſe vocantibus, Romanam amicitiam prætuliſſe. Reſponſum à Cæſare, tutam ei honoratamquè ſedem in Italia fore; ſi maneret: ſin rebus ſuis aliud conduceret; abiturum fide, qua veniſſet. Cæterùm apud Senatum diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum Populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Extat* B *Oratio, qua magnitudinem Viri,* VIOLENTIAM SVBIECTARVM EI GENTIVM, *& quàm propinquus Italiæ hoſtis, ſuaquè in deſtruendo eo conſilia extulit. Et Maroboduus quidem Rauennæ habitus; ſi quando inſoleſcerent Sueui, quaſi rediturus in Regnum oſtentabatur. Sed non exceſsit Italia per duodeuiginti annos: conſenuitquè, multùm imminuta claritate ob nimiam viuendi cupidinem.* Non igitur Marcomanni (vt propiùs ad noſtrum reuertar inſtitutum) Romanis amici fuerant vſque ad Cornelij Taciti memoriam, neque poſtea primus eos armis compeſcuit Antoninus Pius Imperator; vt Alciatus obtendebat.

VI. Iuſtus porrò Lipſius in Cornelij Taciti Vita, quam ipſius Operibus à ſemetipſo caſtigatis præfixit, de illius ætate ita ſentiebat: *Scripſit pri-* C *mùm omnium, vti pòſt docebo, Hiſtoriarum Libros ab exceſſu Neronis ad Imperium Neruæ: deinde Annales ab Auguſti exceſſu ad finem Neronis: quorum omnium quanta iactura & quibus locis facta ſit, in tempore memorabo.* Et paulò pòſt: *Mortis eius tempus non exprimo: natalem tantùm annum propemodùm inueni. Odoratus ſum ex Plinij Nepotis Epiſtola, quæ Libro ſeptimo. Nam ait diſertè propemodùm ætate æqualem ſe Tacito. At Plinius incendio Veſuuini Montis, quo auunculus perijt, agebat, vt ipſe ait, duodeuiceſimum annum. Natus ergo Plinius (nam incendium illud Secundo Anno Titi) non dubiè Anno Vrbis Conditæ Octingenteſimo decimo ſexto, Memmio Regulo & Verginio Rufo Conſulibus. At Tacitus paulò maior natu, quod eadem illa Epiſtola teſtatum reliquit Plinius. Ergo natus extremo Imperio Claudij, vel potiùs ini-* D *tio Neronis. Cùm autem fateatur ipſe in Vita Agricolæ, perueniſſe ſe ad extremos ætatis terminos; non eſt abhorrens à vero, produxiſſe eum vitam ad Imperium Hadriani. Hiſtoriam quidem exorſus eſt ſcribere poſt mortem Neruæ. Clarum; quoniam principio primi Hiſtoriarum vocat* DIVVM *Neruam: qui honos non habetur niſi Principi mortuo.* Hactenùs Lipſius. Nerua verò mortuus eſt Anno Chriſti Centeſimo: eiquè poſt Traianum ſucceſsit Hadrianus Anno Centeſimo vndeuigeſimo. Sic etiam Octingenteſimus decimus-ſextus ille Vrbis Conditæ Annus, quo L. Memmius Regulus & Verginius Rufus erant Conſules, in Annum incidit Chriſti Sexageſimum-quintum.

VII. Diſcutienda

VII. Diſcutienda nobis nunc ſupereſt Baronij ratio. Perſpicuum eſſe dicebat, nullum bellum Marcomannicum tempore Neronis geſtum fuiſſe. Quomodò autem perſpicuum ſit: hoc ille tacuit, perinde ac ſi res in luce meridiana verſaretur, nec vlla prorsùs probatione indigeret. Ego tamen ſic opinor, vt hanc tacitè cauſam indicare voluerit; quia veteres, quos in promptu habemus, Scriptores, qui Neronis Vitam litteris conſignarunt, nullam leguntur Marcomannici belli mentionem in eius tempora feciſſe. Quo ex genere illud etiam eſt argumentum, quo tandem Baronius illic opinionem ſuam confirmabat. *Sanè quidem* (inquit) *nec Beda, nec Vſuardus, vel Ado, aut antiquorum aliquis, vel vetera manuſcripta, cùm de his Martyribus agunt, vel de eorum parente Vitale ad quartam Kalendas Maij, vllam de Nerone faciunt mentionem*. Itane igitur ſenſiſſe Baronius hoc loco ſupponendus nobis eſt? Ita prorsùs videtur: ac ſi quid aliud præterea cauſæ in animo habuit; hoc in medium, & ex animi latebris in lucem proferatur. Quòd ſi nulla melior cauſa profertur; en vt interim Dialectici pro nobis reſpondeant concordes, hoc argumenti genus nonniſi negatiuè deſumptum ex auctoritate ac teſtimonio eſſe; ac propterea languidum & inefficax & euanidum iudicari oportere. A B

VIII. Auctorum profectò, qui Vitas Romanorum Imperatorum litteris conſignarint, ecquis vnquàm ſcripſit, ſcriptumque reliquit, Aſtaſium Comitem aliquando veniſſe Mediolanum, cùm proficiſceretur ad bellum, quod à Marcomannis excitatum eſſet? Nemo prorsùs, reſpondebis. Numquid ergo propterea negabis etiam, illum tunc temporis huc veniſſe? Non ita ſtultus & amens ego ſum (inquies) vt id negem. Accipio, quod admittis; ſed inſuper addo: Quamuis igitur nemo etiam illorum Auctorum faciat belli Marcomannici, quod Neronis tempore geſtum ſit, mentionem; negari tamen propterea non poterit, illud re vera tunc temporis geſtum eſſe. Quòd ſi negare hoc licuerit; licebit vtique ſimiliter negare illud item alterum, quod ego exempli gratia proponebam. Quis enim non animaduertit, eandem pariter in vtrumque rationem valere, aut non valere: ac, ſi eam in vno admiſeris, admittendam eſſe pariter in altero, necnon etiam in omnibus eiuſdem generis alijs? Quandocumque igitur quiſpiam cum Baronio nobis obiecerit, Protaſium & Geruaſium tempore Neronis necatos non eſſe, quia Marcomannici eius belli nulla mentio facta reperiatur in tempora Neronis; quidni ego viciſsim ei obijciam, illos ne tempore quidem Marci Aurelij Antonini & Lucij Veri, vel alterius cuiuſpiam Imperatoris Romani, necatos eſſe; quia in horum tempora Imperatorum nulla vnquàm reperiatur facta mentio Comitis Aſtaſij, Mediolanum tunc venientis, & ad Marcomannicum illud bellum proficiſcentis? Non igitur pro Baronij ſententia contra noſtram ſatis eſt, quòd in tempora Neronis non reperiatur ab ijs Scriptoribus facta mentio belli alicuius Marcomannici; ſed opus eſſet, vt ab ijs omne bellum Marcomannicum in tempora Neronis negaretur; à quibus tamen adhuc negatum non inuenitur. C D

Q IX. Quod

IX. Quod vt aliquantò planiùs & explicatiùs innoteſcat: ſupponamus id, obſecro, quod nullam in adiecto (vt Dialectici loquuntur) contradictionem inuoluit: videlicet Scriptum illud Philippi re vera conſcriptum fuiſſe Neronis tempore tale prorsùs, quale iam illud recitauimus. Simul autem hoc ſupponamus conſtare, non ex ipſius Scripti verbis, ſed è probatis veterum Eccleſiæ Doctorum teſtimonijs: qui, nulla belli tunc alicuius Marcomannici aſſertione addita, illud affirmarint: & ita ſupponamus à Sancto nominatim Ambroſio noſtro affirmatum. Talis ergo ſuppoſitio ſi vera eſſet; quidnam tunc, obſecro, Baronius ipſe reſponderet ad obiectionem illam, ex eo deſumptam belli Marcomannici ſilentio, quod apud Scriptores cæteroqui alios tam multos inuenitur? Nonne tunc ipſe etiam diſertè vltroquè fateretur, illorum ſilentium nihil penitùs aduerſari atteſtationi, qua certò conſtaret, Libellum illum re vera Nerone imperante conſcriptum eſſe? Nonne pariter ipſe tunc reſponderet, argumentum, ex eo ſilentio petitum, nonniſi negatiuè petitum ex auctoritate ac teſtimonio eſſe, nulliuſquè propterea eſſe roboris ac momenti? Quod igitur Baronius ſcitè ac ſapienter tunc reſponderet: idipſum nunc à nobis reſponderi non inuitus patiatur: memineritquè, nec ei ſilentio nec ei argumentationi robur ad probandum eſſe propterea ſuperadditum; quia interim non ita certò nobis & euidenter conſtat, Philippi Scriptum re vera confectum eſſe Neronis imperantis tempore. Certè tamen in id multa nobis iam ſuppetunt indicia, pluraque ſuppetent etiam in progreſſu. Quamobrem, quanta ipſorum iam eſt eritquè probabilitas, & ad faciendam fidem aptitudo; ſic etiam tanta nobis eſſe concedatur & probabilitas & credibilitas cùm illius ſuppoſitionis, quam veritatis explorandæ gratia nuper conficiebamus; tum etiam belli tunc alicuius à Marcomannis excitati, vt Philippus Scripto ſuo conſignauit. A B C

X. Hæc enim erant ipſius verba, iuuabitquè hoc ea loco rursùm recenſere: *Eodem tempore ſuperueniente* (hoc eſt, ad Vrbem noſtram Mediolanum) *Comite Aſtaſio, qui proficiſcebatur ad bellum*, QVOD A MARCOMANNIS FVERAT EXCITATVM; *occurrerunt illi Templorum Cuſtodes* &c. Vtrùm verò Aſtaſius Mediolano illucuſque peruenerit, vbi bellum fuerat excitatum: & vtrùm re ipſa illud geſſerit; hoc Philippi verba non depoſcunt ad ſui veritatem; ac propterea ne nos quidem hoc contendimus. Satis ergo nobis nunc erit, ſi oſtendamus, quemadmodùm Marcomanni bellum excitare potuerint non multò ante id tempus, quo Protaſius & Geruaſius necati ſunt, menſe Martio, vt dicebam, & Anno Chriſti Septuageſimo. D

XI. De poſtremo nimirùm hic agimus Neronis Anno: quo ille ſibi mortem voluntariam decima Iunij die conſciuit, poſteaquàm plerique contra ipſum rebellaſſent. Quemadmodùm verò tunc coorta fuerit tanta rerum perturbatio, Caius in primis Suetonius Tranquillus, deinde autem Dio Caſsius nobis in memoriam reuocent. *Talem Principem* (aiebat de Nerone

rone Suetonius) *paulò minùs quatuordecim annos perpeſſus Terrarum Orbis*, A
tandem deſtituit, initium facientibus Gallis, duce Iulio Vindice, qui tum eam
Prouinciam pro Prætore obtinebat. Et paulò pòſt: *Neapoli de motu Gallia-*
rum cognouit (Nero) *die ipſo, quo Matrem occiderat: adeoquè lentè ac ſecurè*
tulit, vt gaudentis etiam ſuſpicionem præberet, tanquàm occaſione nata ſpo-
liandarum iure belli opulentiſſimarum Prouinciarum. Deinde verò: *Edictis*
tandem Vindicis contumelioſis & frequentibus permotus, Senatum Epiſtola in
vltionem ſui Reiquepublicæ adhortatus eſt, excuſato languore faucium, propter
quem non adeſſet. Tum etiam rursùs: *Sed, vrgentibus alijs ſuper alios*
nuncijs, Romam prætrepidus redijt &c. *Ac, ne tunc quidem aut Senatu aut*
Populo coràm appellato, quoſdam è primoribus Viris domum euocauit: tran-
ſactaquè raptim conſultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica noui B
& ignoti generis circumduxit &c. *Poſtquàm etiam deinde Galbam, & Hiſ-*
panias deſciuiſſe cognouit; collapſus, animoquè malè fracto diu & ſine voce &
propè intermortuus iacuit. Vtquè reſipijt, veſte diſciſſa, capite conuerberato,
actum de ſe pronunciauit &c. *Initio ſtatim tumultus, multa & immania, ve-*
rùm non abhorrentia à ſua natura, creditur deſtinaſſe. Succeſſores percuſſoreſ-
què ſubmittere exercitus & Prouincias regentibus, quaſi conſpiratis, idemquè
& vnum ſentientibus. Quidquid vbique exulum, quidquid in Vrbe hominum
Gallicanorum eſſet, contrucidare: illos, ne deſciſcentibus aggregarentur: hos, vt
conſcios popularium ſuorum atque fautores. Gallias exercitibus diripiendas per-
mittere: Senatum vniuerſum veneno per conuiuia necare: Vrbem incendere,
feris in Populum immiſsis, quò difficiliùs defenderetur. Sed abſterritus, non C
tam pœnitentia, quàm perficiendi deſperatione: credenſquè expeditionem neceſ-
ſariam; Conſules ante tempus priuauit honore; atque in vtriuſque locum ſolus
inijt Conſulatum; quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari, niſi à Conſule,
ac ſuſceptis faſcibus &c. *In præparanda expeditione primam curam habuit deli-*
gendi vehicula, portandis ſcenicis organis, concubinaſquè, quas ſecum educeret,
tondendi ad virilem modum, & ſecuribus peltiſquè Amazonicis inſtruendi &c.
Nunciata interim etiam CÆTERORVM EXERCITVVM DEFEC-
TIONE, *litteras, prandenti ſibi redditas, concerpſit, menſam ſubuertit* &c.
Et hæc quidem nos carptim è Suetonio Tranquillo: qui ſemetipſum in
fine Libri eius Sexti, quo Neronem deſcribebat, teſtatus eſt adoleſcen-
tem fuiſſe, cùm vigeſimus ab eiuſdem Neronis obitu Annus ageretur; D
qui quidem Chriſti Nonageſimus erat.

XII. Quæ ſequuntur, è Dione Caſsio in Epitome Romanæ Hiſtoriæ deſumpta
ſunt. Sic enim ille in Nerone: *Erat Caius Iulius Vindix* (aliter, vt iam
vidimus, *Vindex*) *natione Gallus, propter maiores è ſtirpe regia, propter pa-*
trem Ordinis Senatorij, homo magnis viribus corporis, & multa præditus
prudentia, perituſquè rei militaris, & ad omne præclarum facinus audax. Hic
igitur, congregata Gallorum multitudine, qui crebris pecuniarum exactionibus
grauiſsima quæque à Nerone pertulerant & adhuc perferebant, in tribunal aſ-
cendit, atque inde multa contra Neronem dixit: non ſolùm ab eo deficere, ſed
etiam ei inſultare oportere &c. *Hæc atque alia multa, à Vindice in eandem*

 ſententiam

ſententiam dicta, omnes comprobant. Vindix, cùm Principatum ſibi parare A
minimè ſtuderet; Seruio Sulpitio Galbæ (is iuſtitia omnibus præſtabat ac gloria
bellicæ virtutis, præeratquè Hiſpanijs, & magnas copias habebat) Imperium
detulit: idemquè Galba ab Exercitu Imperator deſignatus eſt. Ferunt, eo tem-
pore Neronem per præconem conſtituiſſe centum millia aureorum ei, qui Vindi-
cem occidiſſet: atque eo cognito Vindicem ita dixiſſe. Qui Neronem (inquit)
interfecerit, & ad me caput eius attulerit, is meum accipiet caput in mercedis
loco. Cumquè Vindix eo animo eſſet; RVFVS, QVI GERMANIAM
OBTINEBAT, INDE PROFECTVS EST, VT VINDICI BEL-
LVM INFERRET, Rufus tamen etiam ipſe à Nerone defecit; ſed
Principatum, quem facilè poterat adipiſci, deſerentibus ſæpenumerò
militibus atque vrgentibus, repudiauit, vt ibidem narrat Dio. Qui B
mox etiam de Nerone ſic proſequitur: *Sed poſtquàm, Galbam à militibus*
Imperatorem deſignatum eſſe, RVFVMQVE AB SE DEFECISSE, *in-*
tellexit; magno timore perculſus eſt: dumquè Romæ bellum apparat, CON-
TRA EOS RVBRIVM GALLVM CVM PAVCIS MITTIT. A
QVIBVS PARITER DESERTVS, *deliberauit interficere Senatores, in-*
cenſaquè Vrbe nauigare in Alexandriam. Etſi enim (inquit) amittamus Im-
perium; tamen nos alet in ea regione ars noſtra & ſuſtinebit. Adeò ſtultus erat,
vt ſe priuatim viuere, & cithara canere poſſe arbitraretur. Sed vbi ſenſit, ſe
à ſuis ſtipatoribus eſſe deſtitutum (tum enim in quibuſdam hortis dormiebat)
conabatur fugæ ſe mandare: veſtequè vili amictus, equum nihilo meliorem C
conſcendit: in quo ſedens atque obuolutus ad prædium Phaonis Cæſariani vnà
cum ipſo Phaone, & Epaphrodito, & Sporo, ſub noctem venit &c. Hæc
Dio Caſsius in Nerone. Tum verò etiam in Galba ſatis indicat, Ru-
ſum cum ſuis militibus in Germaniam rediiſſe, Galbæquè partibus ad-
hæſiſſe. Inquit enim: *Milites Ruſi, qui erant in vtraque Germania, ira*
incenſi, quòd nullum à Galba (cui adhuc adhæſerant) *beneficium accepiſſent;*
cupiditatem ſuam, quam in Ruſo explere non poterant, in alio explere cona-
bantur. Id fecere propoſito Aulo Vitellio, qui per id tempus Inferiorem Ger-
maniam obtinebat: defecereque ad eum, ſpectata tantùm ipſius nobilitate &c.

XIII. Hæc autem cùm ita ſe habuerint: cumquè præſertim Rufus vnà cum
ſuis militibus, quos habebat in Germania, inde in Galliam iuſſu Nero- D
nis tranſierit, vt Vindici bellum inferret; equidem nihil video, quod
impediat, quominùs tunc Marcomanni à Nerone defecerint, ac bellum
excitarint; ſiue Rufi defectionem imitati, ſiue Romanorum diſceſſu an-
helantes ad libertatem; vt proinde Nero, ſicut contra Vindicem ac
Ruſum denique miſit Rubrium Gallum, ſic etiam Comitem miſerit
Aſtaſium contra Marcomannos. Quòd ſi fortè Aſtaſius item Comes,
non minùs quàm Rubrius ipſe Gallus, à Nerone poſtmodùm defeciſſet,
nequè Marcomannis poſtea ſeſe oppoſuiſſet; quid item mirum? Eiuſ-
modi porrò bellum morte ipſa Neronis ſopitum mihi non poteſt non
videri. Quocirca etiam Rufi milites proximè videbamus in vtramque
Germaniam, ac proinde in Marcomanniam itidem, reuerſos, ibiquè
primum

primùm Galbæ , deinde autem Aulo Vitellio Imperatori adhærentes: A quod profectò idem ſimiliter de Germanis etiam , & nominatim de Marcomannis, coniectare licet . Quid ſi verò etiam in tanta Populorum aduersùs Neronem rebellione , bellorumquè materia tam vberi & copioſa, ne Scriptores quidem Neronianæ Vitæ hanc ſibi curam ſuſcipere voluerunt, vt Marcomannos expreſsè ac ſigillatim nominarent ? Ipſos profectò iam vidimus in eius præſertim deſcriptione belli occupatos, quod in Gallia excitatum à Vindice, cæteris alibi generis eiuſdem bellis initium & occaſionem dedit, & cui præſertim occurrere Nero tentauit.

XIV. Et hæc quidem in præſenti ſufficiant contra primum argumentum , quod Baronius , velut Achillem ſuum , tam fidenter opponebat . De B altero autem illo pariter ipſius argumento , præter illa quæ generatim hoc loco dicta ſunt, agemus etiam infrà diſtinctiùs & accuratiùs, quando videlicet ad exitum hæc ipſa Diſſertatio verget.

CAPVT XXX.

An pluralis Auguſtorum appellatio vni Neroni congruere potuerit.

I. SI *vis lætus* AD AVGVSTOS NOSTROS *reuerti & victor; Geruaſium & Protaſium ſacrificare compelle:* verba hæc erant, quibus Templorum Cuſtodes cum ſuis Sacerdotibus C Aſtaſium Comitem alloqui cœperunt . Ipſos autem ſupponimus fraudulenter quidem ac doloſè, at non imprudenter ac temerè ineptequè locutos . Hinc ergo Baronius in Annotationibus ad Martyrologium Romanum die 19. Iunij: *Quod me maiori difficultate inuoluit, eſt illud in primis , quòd non tantùm in prædictis nulla habeatur de Nerone mentio, vel alterius cuiuſpiam Imperatoris* , SED AVGVSTORVM PLVRIVM TVNC SIMVL REGNANTIVM IDEM AVCTOR (Philippus) MEMINERIT; *adeò vt ad alia tempora potiùs, quàm Neronis, illorum martyrium referre videatur.*

II. Ego autem Baronio viciſsim oppono illud in primis, quòd Caius Velleius Paterculus ſuperiori Capite, Numero 5. de Maroboduo ſcribens, Marcomannorum Rege, hunc in modum loquebatur: D *Legati*, QVOS MITTEBAT AD CÆSARES, *interdùm vt ſupplicem commendabant , interdùm vt pro pari loquebantur*. Et tamen per ea Marobodui tempora vnicus tantùm fuerat Romanorum Imperator, videlicet Octauianus Auguſtus: qui ſeptimo illo Chriſti nati Anno Quadrageſimum-nonum Imperij ſui Annum agebat , quiquè deinceps vſque ad Quinquageſimum-ſeptimum Imperij ſui Annum ſuperuixit . Quid ſi verò dicam ego, tam Cuſtodes ac Sacerdotes illos, quàm Paterculum , ita locutos; quia nomine plurali Auguſtorum & Cæſarum intelligerent, non ipſum tantummodò Imperatorem, ſed etiam Conſules, vel etiam, Senatores?

Si

Si enim Senatores etiam includamus; tunc profectò Cuſtodes illi & Sacerdotes ita loqui potuiſſent eo etiam tempore, quo Nero Conſules ante tempus honore priuauerat, & in vtriuſque locum ſolus inierat Conſulatum; ſicut nobis Capite ſuperiori, Numero XI. Suetonius narrabat. Si ergo ita ego reſpondeam; quo refellar, quo tenebor argumento conuictus? Sin verò Baronius, aliuſue quiſpiam nomine ipſius, aliter pro Paterculo reſponderit; quidni ſimul etiam mihi viam pro Cuſtodibus illis ac Sacerdotibus aperiat? A

III. Sed altera etiam ſuppetit mihi ratio euadendi: quam Lipſius ipſe mihi nuper in memoriam reuocauit, cùm legerem veterum Scriptorum de Tacito teſtimonia, per ipſum collecta, & illius Operibus præmiſſa. Inter illos enim Scriptores Flauium quoque Vopiſcum enumerabat, B ita ſcribentem in Probo: *Et mihi quidem id animi fuit, non vt* SALLVSTIOS, LIVIOS, TACITOS, TROGOS, *atque omnes diſertiſſimos imitarer Viros, ſed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum* &c. Quis autem dubitat, quin Vopiſcus, priores illos enumerans Scriptores, vſus ex induſtria fuerit numero plurali pro ſingulari, vt magis eorum præſtantiam exprimeret? Ita quippè traditum etiam eſt inter prima Eloquentiæ rudimenta: iſquè loquendi modus ad Synecdochen tropum communiter à Rhetoribus reuocatur: idemquè ne diſertiſsimo quidem Sancto Ambroſio noſtro (vt innumeros alios prætermittam Scriptores eloquentiſsimos) diſplicuit. Vnicum eius commemorabo ſeligamquè locum, quem Libro 2. Commentariorum in Lucam his diſpoſuit verbis, quæ nos item Ambroſiani quotannis in ſeptima Dominicæ Natiuitatis Lectione matutina recitamus: *Omnis ætas munifica Chriſto eſt: quem vagientes Pueri martyrio confitentur*: QVEM INTRA VTERVM POSITI (& tamen hic ſolum intelligit Ioannem Baptiſtam) EXVLTATIONE TESTANTVR. Quid ergo vetat, quominùs etiam Cuſtodes illi & Sacerdotes, Aſtaſium Comitem à Nerone miſſum alloquentes, Imperatoriam Neronis exaggerare voluerint Maieſtatem numero illo plurali Auguſtorum, perinde fermè ac ſi adulabundi ſignificare vellent omnia in omnibus retrò Imperatoribus Romanis honeſtamenta & decora in vnum eſſe Neronem contracta, & in eo ſingulariter veneranda? C

IV. Cæterùm per id tempus, quod inter electionem Galbæ obitumquè Neronis (vt præcedenti Capite, Numero XI. & XII. videbamus) effluxit, dubium eſſe non poteſt, quin duo ſimul Imperatores Romani vtcumque extiterint, Galba ipſe ac Nero. Diceret ergo fortaſſe aliquis, ad eorum vtrumque referri poſſe pluralem illam Auguſtorum appellationem. Nihil tamen ego tale dixerim. Cùm enim Nebulones illi dicerent: SI VIS LÆTVS AD AVGVSTOS NOSTROS REVERTI ET VICTOR; citra dubium loquebantur de Aſtaſij reuerſione ad illoſmet ipſos Auguſtos, quorum mandato Mediolanum veniebat, & ad bellum illud à Marcomannis excitatum proficiſcebatur: necnon etiam D

quibus

quibus grata futura eſſet victoria, quam de Marcomannis iiſdem reportaſſet. Sicut ergo hæc in Galbam ſimul ac Neronem non congruebant; ita etiam in ipſos cadere non poterat illud Auguſtorum nomen, ab eiuſmodi Deceptoribus vſurpatum. Ea tamen reſponſio mihi quidem non improbabilis videretur; ſi fortè tunc Mediolani fama ſimul & ſpes vulgata eſſet (vt ſæpè fit, vtquè contra communes Imperij Romani hoſtes commodum videbatur) fore, vt Galba & Nero quamprimùm ad concordiam redigerentur, amboquè ſimul Auguſtali dignitate inſignes Romano Imperio præeſſent. Tali enim ſpe famaquè freti Cuſtodes illi Templorum & Sacerdotes tum profectò non imprudenter & inconſultè Aſtaſium ſic alloqui potuiſſent; tametſi ſolius Neronis mandato eam contra Marcomannos expeditionem ſuſcepiſſet. A B

V. Et hucuſquè quidem noſtra pertingunt in Philippi Libellum Commentaria: quæ tamen etiam ſub finem huius Operis aliquantò reddemus auctiora, magiſquè ad fidem confirmata. Liberiore nunc mecum & alacriore animo Lector ad vlteriora progrediatur: primoquè ſtatim progreſſu nouum inſpiciamus argumentum pro Sanctorum Protaſij ac Geruaſij martyrio, quod adhuc in tempora Neronis coniecimus.

CAPVT XXXI.

Sanctus Syrus, Papienſis Epiſcopus, donata ſibi reliquiarum Sancti Protaſij & Geruaſij particula, per eam multa operatur miracula: primamquè Papiæ Eccleſiam iiſdem Sanctis conſtruit ac dedicat: in qua etiam mortuus tandem ſepelitur. C

I. QV Æ Sanctus Syrus, Papienſium Epiſcoporum Primus, audita Sanctorum Nazarij & Celſi cæde, protinus Mediolani per Sanctum Iuuentium egerit: quemadmodùm inſuper aliquid è Sanctorum Protaſij & Geruaſij reliquijs poſtularit in id tempus, quo illi martyrium paſſi eſſent: quæ tandem miracula per Sancti Nazarij ſanguinem ſubſecuta fuerint, cùm ad Vrbem Papiam eſſet allatus: hæc abundè Capite 20. à Numero 2. vſque ad 7. nos deſcripſimus ex eorumdem Sanctorum Syri & Iuuentij Vita, quam Surius inter alios Tomo Quinto recitabat. D

II. Videamus nunc, quid eiuſdem Vitæ Auctor mox ibidem Capite 7. proſequatur. Inquit enim: *Poſt non multorum dehinc temporum curricula* (hæc ego curricula intra Sexageſimum-nonum ac Septuageſimum Chriſti Annum iam computaui à vigeſima-octaua Iulij die, qua Sancti Nazarius & Celſus necati fuerant, vſque ad ſubſequentis Martij vigeſimamquintam, qua Sancti Protaſius & Geruaſius) *cùm Sanctorum Martyrum Protaſij & Geruaſij apud Mediolanum finita eſſent certamina; pretioſa Corpora eorum à Chriſtianis* (Philippo nimirùm eiuſquè filio) *occultè ſublata, ſepultura*

turæ ſunt reddita; ne impiorum atrocitas, ſicut viuentes, ita perſequerentur & A
mortuos. Tunc quidam Chriſti-fidelis, Liberius nomine, cum reuerentia &
amore à ſanctis eorum exuuijs fidiſsima temeritate quandam, quæ fas fuerat,
detrahens particulam, Beatiſsimo Syro, Ticinenſis Vrbis Patri & Doctori ido-
neo, vt ab eo fuerat poſtulatum, amicabiliter detulit. Vir autem Venerabilis,
ſuſcipiens pignora Beatorum Martyrum, multis in eis virtutibus vſus eſt.
Cumquè ſigna ſanitatum longè lateque ſplendeſcerent; cœpere languentium etiam
ex inopinatis partibus ad eum turbæ concurrere, eumquè immenſa frequentia
perurgere. Inter hæc Sacerdos Dei eximius, exultans de mirabilibus, quæ per
merita Sanctorum Martyrum Chriſtus Dominus ſedulò faciebat; concepit animo
non procul ab huius Vrbis mœnijs extra Ciuitatem Templum Domino in me-
moriam nominum eorum erigere: idquè in modum Crucis, vt aggreſſus eſt, B
conſummauit. ATQVE HOC PRIMVM CÆLESTIS REGIS VE-
XILLVM IN HAC VRBE ERECTVM EST, ET OVILE DO-
MINICVM: INTRA CVIVS CAVLAS PASTOR VERISSIMVS
OVES REGEBAT DOMINICAS, QVAS PERVIGILI CVSTO-
DIA A FAVCIBVS EXTRAHEBAT SERPENTIS NEQVISSIMI.
Quod & Dauid fortiſsimus deſignabat, quando, brachia confringens vrſorum,
conterenſquè colla leonum, ex cruentis dentibus raptas ouiculas auferebat.

III. Sic etiam ſubinde protinùs Capite 8. *Perfectis igitur* (inquit) *Templi ſiue*
Altaris Dedicationis inſignibus, quotidianas Deo laudes in eo & hoſtias offere-
bat. Vna autem dierum, dum Miſſarum ſolemnia ſingularis Pontifex ibidem
celebraret: & copia filiorum eius, quos verbi ſemine iuxta Apoſtolum Deo C
genuerat, deuota Sanctis Myſterijs intereſſet; audenter Iudæus Eccleſiam in-
greſſus, maligno inſtigante Spiritu, Corpus Dominicum ſuſcipere atque in ſter-
quilinium proijcere molitus eſt. Qui inter turbas Fidelium ad manus Viri Dei
perueniens, auſu nefario immundo ore Corpus ſuſcepit Dominicum. Quod vt
animo reijciendi os aperuit, digna vltione percuſſus, ſine affatu verborum,
cunctis audientibus & videntibus, clamare cœpit. &c. Quale igitur fuerit
hoc miraculum, magis expreſsè mox deſcribitur: ſicut etiam, quemad-
modùm Iudæus ille, facti pœnitens, à Sancto Syro ſanatus & baptiza-
tus fuerit.

IV. Quamdiu autem Ticinenſi Eccleſiæ præfuerit Syrus, quoto mortuus fue-
rit ætatis anno, & vbinam ſepultus: hæc ab eodem poſtmodùm Aucto- D
re ſic explicantur. Etenim Capite 9. *Eiuſdem Vrbis* (Papienſis) *expletis*
octo hebdomadarum curriculis ſedem obtinuit: multorumque à paganiſsimis Ido-
lorum cultibus retrahens animos, ad Dei ſeruitium & credulitatem perduxit.
Et Capite 13. *Reuertens autem* (Syrus) *ad propriæ functionis Cathedram,*
accerſiuit ad ſe prudentiſsimum Virum Iuuentium. Non te lateat (ait) fili
chariſsime, tertium te poſt me ad huius officij honorem pertingere. Confortare,
& viriliter age: ne terreat te perturbantium rabies. Admonenſquè eum de
vniuerſis Eccleſiaſticis diſciplinis, migrauit ad Dominum, expletis cunctæ vitæ
ſuæ octo hebdomadarum geminatis recurſibus. CVIVS SANCTI CORPO-
RIS RELIQVIAS *conuentus Fidelium Populorum, quos Venerabilis Pater*

prædicatione

prædicatione ſua Domino acquiſiuit, cum Sacerdotali cœtu & copia Clericorum A
IN BASILICA SANCTORVM MARTYRVM PROTASII ET GERVASII, QVAM IPSE CONSTRVXERAT, DEBITO HONORE ET SVMMA DILIGENTIA CONDIDERVNT.

V. Non ſatis ego tamen intelligo, qua ratione tales haſce Syri hebdomadas computarit ille, qui eiuſdem Vitæ à Surio recitatæ notas adiecit marginales. Etenim è regione illarum in Capite decimo-tertio hebdomadarum ſic de Syro adnotauit: *Obdormit in Domino, cùm eſſet octuaginta-duorum annorum*. Veriùs, vt opinor, Innocentius Eccleſia in Italica eiuſdem Syri Vita, Libro 3. Capite 4. exiſtimauit, ſingulas eiuſmodi hebdomadas complecti ſpatium annorum ſeptem: atque adeò mortuum eſſe Syrum Anno ætatis ſuæ Centeſimo duodecimo; quippe cuius ætatis hebdomadas vetuſtus ille Auctor aſſerebat octo fuiſſe geminatas, B hoc eſt, bis octo, ſiue ſexdecim. Certè autem in Theſauro Latinæ Linguæ, Verbo *Hebdomas*, ſic item habetur: *Hebdomas & Hebdomada, Spatium ſeptem dierum*. Et poſt interpoſitum huius ſignificationis exemplum: *Hebdomas, non ſolùm de diebus dicitur, ſed etiam de annis, & quibuſcumque rebus, quæ ſeptenario numero comprehenduntur. Gellius: Tum ibi addit, ſe quoque iam duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe, & ad eum diem ſeptuaginta Librorum hebdomadas conſcripſiſſe. Sipontinus*. Quoniam ergo Syrus itidem Capite 9. dicebatur Sedem Vrbis Papienſis obtinuiſſe *expletis octo hebdomadarum curriculis*; inde ſequitur, vt illam obtinuerit poſt quinquaginta-ſex annos, vtquè illam in medio ætatis ſuæ C ſpatio ſuſceperit. Quòd ſi etiam non fallebamur, cùm Capite 20. Numero 8. coniectaremus, Syrum ad Vrbem Papiam veniſſe non multò ante, quàm Nazarius & Celſus necarentur Anno Chriſti 69. die 28. Iulij; certè illam pariter ſuſcepit circiter Annum Chriſti 68. ac propterea etiam vita functus eſt circiter eiuſdem Chriſti Annum 124. Quo denique fit, vt ipſum (ſicut & poſtea Iuuentium) non immeritò nos adnumerare poſſimus ijs Chriſti vel Apoſtolorum diſcipulis, quos peculiari Numinis Diuini prouidentia ætatem vixiſſe longæuam Baronius meminit ad Annum Chriſti 76.

CAPVT XXXII. D

Sanctus quoque Iuuentius, antequàm Epiſcopus fiat Papienſis, Eccleſiam Sancto Nazario in Vrbe Papia ædificat.

I. SAncti Nazarij ſanguinem paulò poſt illius martyrium Iuuentius hinc attulerat ad Vrbem Papiam, vt iam diximus Capite 20. Sic etiam paulò poſt Martyrum Protaſij & Geruaſij cædem Syrus eiſdem primam eius Vrbis Eccleſiam conſtruxit, vt nos Capite ſuperiori. Conſequens igitur eſt, vt Iuuentius Eccleſiam illam ſuam conſtruxerit nonniſi pòſt,

quàm Syrus conſtruxiſſet ſuam. Cùm verò Syrus præterea tam multos A
annos Papienſi Præſul Eccleſiæ præfuerit, antequàm Pompeius ac dein-
de Iuuentius ei ſuccederent; difficile profectò durumquè creditu vide-
tur, Eccleſiæ illius Nazarianæ ſtructuram in illud vſque tempus dila-
tam eſſe, quo Iuuentius ipſe foret eiuſdem Vrbis Epiſcopus. Con-
gruum ergo videtur vt credamus, eam quoque conditam non multò
pòſt, quàm condita fuiſſet à Syro ſua. Et hoc quidem ſatis apertè di-
gnoſci poterit etiam è proximo teſtimonio, quod in medium afferemus.

II. Iuuentij Vitam, dubium mihi nullum eſt, quin Paulus Diaconus elabo-
rauerit, eiquè ſuperaddiderit Sancti Syri Vitæ, quam è Sancto Pom-
peio acceperat, quamquè concluſerat ea narratione, cui Surius Caput
13. adſcripſit, & cuius poſtrema verba nos item Capite ſuperiori Nu- B
mero 4. recitabamus. Hunc igitur in modum Auctor ille Caput exor-
ditur decimum-quartum: *Poſt cuius* (nempè Syri) *deceſſum Pompeius,
quem ipſe gradu Diaconatus ſublimauerat, ſimplicitate & humilitate præclarus,
eius Sedis eſt infulas aſſecutus:* QVIQVE PAVCOS ATQVE PACI-
FICOS AGENS ANNOS, MIGRAVIT AD DOMINVM. *Poſt
quem Beatiſsimus Iuuentius, dum peteretur ad ſuſcipiendam curam Pontificij,
occultari maluit, tanto ſe indignum honore iudicans. Sed declinare non valuit
denunciata ſibi à Patre Pontificalis dignitatis inſignia.* &c. Deinde autem
Capite 17. *Alio quoque tempore* (quo quidem Iuuentius nondùm erat
Epiſcopus) *dum impiiſsimus Veſpaſianus Cæſar aduersùs Chriſtianam Reli-
gionem exarſiſſet; Porphyrium quendam Præfectum Vrbis Romæ direxit; qui* C
*peragraret omnes Ciuitates ac Vicos; vt, ſi quos inueniſſet Chriſtianos, adſcrip-
tos ei pittacijs* (de hac voce legi poteſt Heribertus Roſuueydus in Ono-
maſtico, Vitis Patrum adiecto, Verbo *Pittacium*, aliter *Pyctacium*) *litte-
rarum apicibus nunciaret; & quicquid de ipſis ageret, ſuæ iuſsionis expectaret
ſententiam. Iamquè tua, Chriſte, miſeratione* OMNIS HÆC PROVINCIA
*Fidelium turba repleta erat, & infinita multitudine ſtipata adcreuerat, quòd nec
deſcribere nec denunciare valebat Porphyrius. Cumquè Vrbem Papiam introiſſet,
idem Porphyrius à Plebe ſuſceptus eſt.* HORA VERO EADEM VIR DEI
IVVENTIVS IN BASILICA SANCTI NAZARII, QVAM IPSE
ÆDIFICAVERAT, MISSARVM CELEBRABAT SOLEMNIA.
&c. Baſilica igitur illa iam erat ædificata quo tempore Veſpaſianus im- D
perabat. Imperaſſe autem illum conſtat ab Anno Chriſti Septuageſimo-
ſecundo vſque ad Octuageſimum-primum. Itaque tunc etiam Syrus
Epiſcopus Eccleſiam Papienſem regebat, ſicut & plurimos poſtea per
annos, vti iam diximus.

CAPVT.

CAPVT XXXIII. A

Quàm beneficus Eccleſiæ Mediolanenſi fuerit Sanctus Iuuentius, Papienſis Epiſcopus. Quàm beneuoli vicißim ei fuerint Sancti Syrus, Nazarius & Celſus, ac Protaſius & Geruaſius. Ei quippe triduo ante, quàm moreretur, oranti apparent, mortemquè ac beatam in Cælis vitam prænunciant. Moritur ergo ille, atque in ſua Sancti Nazarij Eccleſia ſepelitur.

I. POST obitum Sancti Syri Sanctus Pompeius Eccleſiæ Ticinenſis Epiſcopatum adminiſtrauit; ſed paucis annis, vti B paulò ante videbamus. Quatuor ei annos demùm adiudicauit amiciſsimus ille noſter Hieronymus Boſsius in Diptychis Epiſcoporum illius Eccleſiæ. Pompeio ſucceſsiſſe Iuuentium, iam ſcimus. Quo circiter tempore ſucceſſerit, ſatis hoc item iam coniectatum. Qua pariter ex cauſa ille Sacros Ordines aliquando in Vrbe noſtra contulerit, hoc aliquatenùs iam innuimus in extremo Capitis 20. Quemadmodùm illos contulerit: hoc in primis nunc agimus, & animo ingenuo, grataſquè reddendi vices cupidiſsimo.

II. In eiuſdem igitur Iuuentij Vita hæc item apud Surium habentur Capite 16. *Beatiſsimus verò Iuuentius, ſpiritalibus inflammatus deſiderijs, ambulanſquè de virtute in virtutem*, MEDIOLANVM PERREXIT. *propter ſæuientium contumaciam Paganorum. Quam Vrbem dum ingredi cœpiſſet; miniſtri Dæmonum adniſu ingenti conabantur ei reſiſtere, dicentes: Reſipiſce: Ne Vrbem deludas, ſicut alij tui complices; ne & tu ſimiliter puniaris. Et cœperunt eum varijs afficere iniurijs. Vir autem Dei, in cælum eleuans oculos, dixit: Domine ignoſce illis; quia ignorantia pleni ſunt. Sed quia dat Dominus verbum euangelizantibus virtute multa; eadem hora procelloſus turbo emicuit, & fortiſsima ſuper eos grando deſcendens, capita brachia & oſſa inimicorum veritatis validiſsimè contundebat; neque aliquis eorum ex tanta tempeſtate valebat effugere; ſed fixis ſtantes veſtigijs, ictibus immenſæ grandinis tundebantur. Tandem reminiſcentes prauitatem reatus ſui, clamare cœperunt: Sancte Vir Iuuenti, Pater & Domine, libera nos, vt non in tali pœna moriamur: & credemus in eum, quem tu credis & prædicas. Orante autem Beatiſsimo Iuuentio, mox ab eis receſsit tempeſtas. Quiquè tali ſupplicio liberati, pedibus eius ſe protinùs proſternentes, poſtulabant, vt Baptiſmatis vndam mererentur percipere. Et quia ad hoc miraculum multi concurrebant; omnes cum eis ab eo ſunt baptizati.* QVA IN VRBE MORAM FACIENS BEATISSIMVS VIR, ET APVD FIDELES CHRISTIANOS CLERVM SACERDOTIVMQVE ORDINANS, *Papiam Vrbem regreſſus eſt.* Quippe interim Archiepiſcopum ego noſtrum interpretor abſentem fuiſſe, vel mortuum: cuius propterea vices Sanctus Iuuentius, vtpote tunc Suffraganeorum eius Epiſcoporum viciniſsimus, ſupplere ſtuduerit. Niſi fortè

R 2 Papienſibus

Papienſibus euſque blandiri velimus, vt eorum Epiſcopo propriam & ex officio poteſtatem in vniuerſam Mediolani Eccleſiam concedamus. A

III. Rurſus autem idem Auctor in eandem ſententiam ſic narrat Capite 18. *Diuulgabatur autem fama tanti Pontificis longè lateque per Mundi ſpatia: & virtutes, quas per eum Chriſtus Dominus faciebat. Nam, ſicut Heliæ Heliſeus, ita hic prudentiſsimus Vir Sancti Syri hæres virtutum extiterat, ac ſpiritualium ſucceſſor in omnibus gratiarum.* ORDINES AVTEM MEDIOLANENSIVM VRBIS CLERI, QVI AB EODEM FVERANT CONSTITVTI, QVOTIDIANIS AVGEBANTVR EXHORTATIONIBVS IN FIDEI RELIGIONISQVE GRATIA. AD QVOS IDEM BEATVS VIR, PRO EORVM AC FIDELIVM POPVLORVM MENTIBVS CONFIRMANDIS, IBAT FREQVENTIVS: IBIQVE MVLTORVM MIRABILIVM VIRTVTES OPERANS, VRBEM REVERTEBATVR PAPIAM. *In qua, ſuperna gratiæ largitate, officij ſui honore fungens,* TRIGINTA ET NOVEM ANNIS EPISCOPALIS DIGNITATIS CATHEDRAM POSSEDIT. Quòd ſi vita functus eſt Syrus circiter Annum Chriſti Centeſimum vigeſimum-quartum, ſicut in fine Capitis 31. computabamus: ſi quatuor ei annos in Epiſcopatu ſuperuixit Pompeius, vt nobis initio Capitis antecedentis affirmabatur; reliquum ergo eſt, vt Iuuentius, per annos vndequadraginta functus Epiſcopatu, ad cæleſtem Patriam denique peruenerit circiter Annum Chriſti Centeſimum ſexageſimum-ſeptimum. Certè autem congruum etiam videtur, vt viginti ad minus annos ei adſcribamus, quando Papiam cum Syro primùm perrexit. Quamobrem, quocumque tempore illuc perrexiſſe ſupponatur; certè itidem concedendum erit, eum ad centeſimum vndeuigeſimum ætatis annum perueniſſe. B C

IV. Quemadmodùm verò tandem feliciter ad cæleſtem Patriam peruenerit, & quales habuerit è cælo prænuncios, luculentiſsimo nobis eſt teſtimonio vetus idem Auctor ille, qui Vitam ipſius conſcripſit, à Surio recitatam. Etenim Capite illo 18. ac poſtremo ſic inquit: HIC TANTVS OPERARIVS CHRISTI CREBRIS IN BASILICA BEATI NAZARII, QVAM IPSE CONSTRVXERAT, VIGILIARVM EXCVBIIS PERNOCTABAT IN SACRIS ORATIONIBVS. *Sed quadam die filijs adſtantibus, Sacerdotibus ac Clericis, retulit* APPARVISSE SIBI, CIRCA MEDIÆ NOCTIS SILENTIVM, SANCTVM SYRVM *(quem etiam Patrem nominabat ex Baptiſmo)* CVM NAZARIO ET CELSO, PROTASIO ATQVE GERVASIO, *venerandis Martyribus, talia proferentibus: Iuuenti dilectiſsime, iam te oportet gaudere nobiſcum in cæleſtibus: ac ſcias, te proximè ad noſtra conſortia tranſiturum, atque tertium poſt hunc diem Aulam cæleſtis Patriæ percepturum. Quibus dictis, ab oculis meis ablati ſunt. Omnes verò qui præſentes aderant, auditis his ſermonibus, valde triſtes effecti ſunt. Ipſe autem immenſo gaudio lætabatur:* ET BIDVO INTRA EANDEM PERVIGIL CONSISTENS BASILICAM, D

CAM,

CAM, *tertio die, qui eſt Dominicæ Reſurrectionis, Miſſarum ſolemnia celebrans, omnes populos benedixit: ac Sacerdotes miniſtros cunctoſquè Clericos cæleſtibus alloquijs admonens, lucidæ manſionis & beatæ vitæ habitacula poſſeſſurus intrauit. Sanctas verò eius exuuias, ad honorem & reuerentiam tanti Sacerdotis competentem*, IN EADEM BASILICA, *intra crepidinem ad Altaris vicinium, condientes poſuerunt, ſub die ſexto Iduum Februariarum: vbi & nunc vſque ſancta oſſa eius quieſcentia, virtutibus florent atque miraculis*. Nec plura nobis pro noſtri ratione inſtituti ſuppetunt ex hac vetuſta Sanctorum Syri & Iuuentij Vita. A

CAPVT XXXIV. B

Quàm difficulter Philippi Libello accommodari poſſit bellum Marcomannicum Anni à Chriſto nato Centeſimi ſeptuageſimi-primi, vel Ducenteſimi ſeptuageſimi-ſecundi.

I. SVperiora duo Marcomannica bella ſunt illa prorsùs, quæ Philippi Libello accommodanda cenſuerunt Alciatus, & Baronius, & Chalcus: hic ſecundum, illi primum. Verumtamen hac in re ſuas etiam ipſi difficultates patiuntur, quinetiam, vt opinor, grauiores noſtris: è quibus noſmetipſos iam ſupra extricauimus Capite præſertim 28. 29. 30. Iuuabit autem vnà recenſere, quemadmodùm probati Auctores vtrumque hoc bellum deſcripſerint. C

II. Pro primo quidem Baronius ipſe Iulium Capitolinum ſibi teſtem aſciuit: atqui nec alium ego quoque mihi nunc depóſcam. Ille igitur in Marco Antonino Philoſopho ſic narrabat: *Dum Parthicum bellum geritur, natum eſt* MARCOMANICVM: *quod diu eorum, qui aderant, arte ſuſpenſum eſt; vt, finitò iam Orientali bello*, MARCOMANICVM *agi poſſet*. Anno autem Chriſti Centeſimo ſexageſimo-nono finitum illud fuit, hoc verò natum; ſicut etiam Baronius in eumdem Annum affirmauit. Sequitur Capitolinus: *Et cùm famis tempore Populo inſinuaſſet de bello, fratre poſt quinquennium reuerſo*, IN SENATV EGIT, AMBOS NECESSARIOS DICENS BELLO GERMANICO IMPERATORES. D Hi verò citra dubitationem omnem tunc erant ipſemet Marcus Aurelius Antoninus, cognomento Philoſophus, & Lucius Verus, eius frater.

III. *Tantus autem timor* BELLI MARCOMANICI *fuit* (verba ſunt eiuſdem Capitolini) *vt vndique Sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere luſtrauerit*, RETARDATVSQVE A BELLICA PROFECTIONE SIT. *Celebrauit & Romano ritu lectiſternia per ſeptem dies. Tanta autem peſtilentia fuit, vt vehiculis cadauera ſint exportata ſerracíſquè* &c. Tantus autem ille Marcomanici belli timor inde accidit, quòd complures aliæ Barbarorum Prouinciæ, aduersùs

Romanum

Romanum Imperium coniuratæ, iiſdem Marcomannis adhæſiſſent; A
Quas quidem poſtea Capitolinus his deſcripſit verbis: *Gentes omnes ab Illyrici limite vſque ad Galliam conſpirauerant, vt Marcomani, Nariſii, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliique cum Vectoualis, Soſibes, Sicobotes, Rhoxolani, Baſtarnæ, Alani, Peucini, Coſtoboci* Et hæc quidem, Baronio pariter aſſertore, inciderunt in Annum Chriſti Centeſimum ſeptuageſimum.

IV. *Sequenti Anno Centeſimo ſeptuageſimo primo* (ſubdit etiam poſtea idem Baronius) *Soſio Priſco & Cælio Apollinare Conſulibus*, MARCOMANNICVM BELLVM COEPTVM EST, IPSIS IMPERATORIBVS AD BELLVM PROFICISCENTIBVS. *De quorum profectione, & obitu Lucij Veri hæc ſcribit Capitolinus in Marco:* PROFECTI TAMEN SVNT B
PALVDATI AMBO IMPERATORES, *Parthis* (aliter *Sarmatis*) *& Marcomannis cuncta turbantibus: alijs etiam gentibus, quæ pulſæ à ſuperioribus Barbaris fugerant, niſi reciperentur, bellum inferentibus*. NEC PARVM PROFVIT ISTA PROFECTIO, CVM AQVILEIAM VSQVE VENISSENT. *Nam plerique Reges cum Populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultus auctores interemerunt. Quadi autem, amiſſo Rege ſuo, non priùs ſe confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quàm id noſtris placuiſſet Imperatoribus. Lucius autem inuitus profectus eſt. Cùm plerique ad Legatos Imperatorum mitterent, defectionis veniam poſtulantes: & Lucius quidem, quòd amiſſus eſſet Præfectus Prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interiiſſet; redeundum eſſe cenſebat. Marcus autem, fingere Barbaros* C
exiſtimans & fugam & cætera, quæ ſecuritatem bellicam oſtenderent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur; inſtandum eſſe dicebat. DENIQVE, TRANSCENSIS ALPIBVS, LONGIVS PROCESSERVNT: COMPOSVERVNTQVE OMNIA, QVÆ AD MVNIMEN ITALIÆ ATQVE ILLYRICI PERTINEBANT. *Placuit autem, vrgente Lucio, vt, præmiſſis ad Senatum litteris, Lucius Romam rediret. Vnà quoque poſtea iter ingreſſi ſunt*: SEDENS CVM FRATRE IN VEHICVLO LVCIVS, APOPLEXI ARREPTVS PERIIT. Hactenùs è Capitolino Baronius. Tum verò ſic etiam illicò ſubdit: *Et poſt multa addit* (Capitolinus) *Corpus Lucij Romam aduectum, illatumquè maiorum ſepulchro, ac inter Diuos ipſum Lucium à Senatu eſſe relatum*. Et rursùs paulò pòſt: *Ca-* D
terùm Marcus Aurelius, qui funus Lucij curaturus Romam aduenit, haud paſſus eſt, ſe illic diutiùs retineri; ſed inde mox recedens, ſuſceptum Marcomannicum bellum eſt proſecutus, eoquè diu detentus fuit. Quod quidem Galenus (De Præcognit. ad Poſthum. Cap. 9.) *narrat his verbis:* DVM AQVILEIÆ HYBERNARENT, *exercitum colligere & inſtruere decreuiſſent; nuncios ad me miſerunt, quibus, vt ad ſe venirem, iubebat. Cæterùm* LVCIO MEDIA HYEME AD SVPEROS CONCEDENTE, VT CADAVER ROMAM RETVLIT, ET QVÆ CONSVETA SVNT FIERI PEREGIT; ITER IN GERMANOS SVSCEPIT; *atque, vt ſe ſubſequerer, mandauit. Verùm cùm bonus & humanus eſſet; ipſi, ſicut ſuis,*

perſuadere

perſuadere valui, vt me in Vrbe relinqueret; præſertim cùm breui rediturus eſſet. Hæc autem Baronius è Galeno recitauerat, cùm rursùs eundem his producit verbis: *Et poſt nonnulla: Præter opinionem igitur cùm Imperator diutiùs bello Germanico detentus fuiſſet; omne id otium ad ſcribendum contuli.* A

V. Quod verò præſentem cauſam propiùs attingit, ecce tibi, quid pauculis ibidem interpoſitis Baronius attexat. *Tempore* (inquit) *eiuſdem Marcomannici belli martyrio coronatos Geruaſium & Protaſium, quæ Sancti Ambroſij nomine* (apud Surium Tomo 3. die 19. Iunij) *conſcripta habentur, eorum Acta teſtantur. Expetiuiſſe enim Sacerdotes Idolorum ab Aſtaſio duce, vt, ſi vincere Barbaros & ad Imperatores victor reuerti cuperet, & de Dijs benè mereri; Geruaſium & Protaſium Chriſtianos ſupplicio afficeret: quod ille impigrè faciendum curauit. Scimus tamen, alios ad alia tempora eorum referre martyrium. Sed de his in Notationibus ad Romanum Martyrologium ſatis egimus.* Talia Baronius. B

VI. E cuius opinione illud etiam omninò conſequitur, vt Protaſius & Geruaſius nonniſi ante Lucij Veri mortem fuerint necati. Tunc enim temporis duo ſimul fratres imperabant; quibus propterea congruere poterat plurale illud Auguſtorum nomen, in Libello Philippi vſurpatum. Poſt Lucij verò mortem ſolus Marcus imperauit vſquè ad belli Marcomannici exitum; ſicut etiam Baronius non diſſitetur; præterquamquòd Capitolinus idipſum diſertiſsimè affirmauit. *Poſt Veri obitum* (illic deinceps addebat) *Marcus Antoninus ſolus Rempublicam tenuit, multò melior & feracior ad virtutes* &c. Et paulò poſt: *Ergo Prouincias poſt hæc ingenti moderatione ac benignitate tractauit. Contra Germanos res feliciter geſsit. Speciale ipſe bellum Marcomannicum, ſed quantum nulla vmquàm memoria fuit, cùm virtute, tum etiam felicitate tranſegit: & eo quidem tempore, quo peſtilentia grauis multa millia & populariùm & militum interemerat.* C

VII. Quandonam verò bellum hoc Marcomannicum tam feliciter Marcus Aurelius Imperator tranſegerit: hoc abundè liquet ex eiuſdem Baronij Annalibus. *Centeſimo & ſeptuageſimo-ſexto Chriſti Anno* (inquit ille) *Gallo & Flacco Conſulibus, Romanus exercitus aduersùs Marcomannos, Quados, & alias complures Barbaras Nationes, iam quadriennio difficili bello in expeditione poſitus, in maximumquè diſcrimen adductus*, OPE TANDEM CHRISTIANORVM MILITVM, PRECIBVS AD DEVM FVSIS, *non ſolùm ab infeſtis caſibus quibus vrgebatur eripitur*, SED VICTORIA DIVINITVS PARTA POTITVR &c. Hanc igitur victoriam Baronius eodem Anno è probatæ fidei Auctoribus enarrat: quinetiam eiuſdem Imperatoris recitat litteras, hac de re ad Senatum datas, & Chriſtianorum Religioni propitias. D

VIII. Anno poſtea Chriſti Centeſimo ſeptuageſimo-octauo, propè finem, ſiue quinto Kalendas Decembris, Commodus à Patre ſuo Marco Aurelio dignitatem Conſulatus ac nomen Imperatoris accepit, quinetiam cum eo triumphauit. Sic etiam poſtmodùm Anno ſeptuageſimo-nono,

iuſto

iuſto Dei iudicio, quòd pace precibus Chriſtianorum parta Gentiles A
abuſi fuerint, cùm aduersùs eos acriter & hoſtiliter dimicando prælium conuertiſſent, bellum iterùm idemquè acerrimum à Marcomannis aliiſquè finitimis Populis aduersùs Imperium Romanum excitatur, iteſquè rursùs immaniter ſæuit. Quamobrem idem Marcus Aurelius Imperator, aduersùs eos expeditionem inſtituens, hoc ipſo Anno aduersùs Barbaros proficiſcitur. Præterea verò etiam Octuageſimo-ſecundo ſæculi eiuſdem Anno idem Imperator Marcus Aurelius, cùm in expeditione Marcomannica ageret in Pannonia, morbo affectus, abſtinentia cibi mortem oppetijt voluntariam die Aprilis decima-ſeptima: ſequenti verò die Commodus, eius filius, qui tunc in Caſtris cum Patre agebat, hæreditarium Imperium capeſsiuit, annos natus nouemdecim, minus menſibus quatuor, & diebus tredecim: qui mox bellum propè confectum B
remittens, Romam ſe contulit. Hic autem perditiſsimis verè poſtea fuit moribus: adeò vt poſt mortem ab ipſomet Senatu deteſtanter acclamatus fuerit PATRIÆ HOSTIS, PARRICIDA, OCCISOR ET CARNIFEX SENATVS, CIVIVM NECATOR, IMPVRVS, GLADIATOR, SÆVIOR DOMITIANO, NERONE IMPVRIOR. Atqui diuina prouidentia conſultum nihilominùs eſt, vt, quamdiu ille imperauit, Eccleſiam Chriſtianam pace vbique tranquilliſsima frui permiſerit. Et hæc quidem omnia ſuis temporibus ac locis benè docebat Baronius, & probatæ fidei teſtimonijs confirmabat. Quibus profectò refellitur Alciatus, cùm bellum Marcomannicum, cuius C
tempore Protaſius ac Geruaſius necati fuerint, modò geſtum aſſereret à Marco Antonino Pio vnà cum filio ſuo Commodo, modò vnà cum Lucio fratre. Primum enim aſſeruit Hiſtoriæ Mediolanenſis Libro 2. pag. 98. eiuſquè verba nos recitauimus Capite 29. Numero 1. idemquè alijs ille verbis repetijt Libro 3. pagina 136. Secundum verò aſſeruit eodem Libro 3. paginaquè pariter 136. his verbis: *Nam ſuboleſcente huius belli* (Marcomanici) *mole*, ADVERSVS HOSTES PRIMVM MISIT ASTASIVM *(quod dignitatis nomen erat)* COMITEM. Et paulò pòſt: ASTASIVM TVNC COMITEM AB AVGVSTIS MISSVM, IS (nempè Philippus in ſuo Libello, per Sanctum Ambroſium inuento) TRADIT; VT NON ID SVB NERONE FACTVM *(quam* D
vulgatam opinionem ſupra falſam conuicimus) SED MARCO LVCIOQVE DIVIS FRATRIBVS, IN IMPERIVM ASSVMPTIS, CREDERE NECESSARIVM SIT; CVM TVM PRIMVM DVO AVGVSTI REGNAVERINT, MARCOMANOSQVE AGITAVERINT BELLO. Verè igitur opinione item Alciati Protaſius & Geruaſius interfecti fuerunt non alterius Marcomannici belli tempore, quàm illius, quod à Marco Aurelio Antonino gerebatur, non vnà cum filio ſuo Commodo, quem nondùm ſibi ad Imperij conſortium aſſumpſerat; ſed vnà cum fratre ſuo, Lucio Vero, tunc quidem ſimul imperante.

IX. His

IX. His autem per nos hunc in modum præmunitis, ad initia huius contra Marcomannos expeditionis reuertamur: eademquè conferamus cum ijs Sacrificulorum fallacium verbis ad Comitem Aſtaſium: SI VIS LÆTVS AD AVGVSTOS NOSTROS REVERTI, ET VICTOR. Eum itaque ſupponebant ab Auguſtis præmiſſum cum mandatis, vt certaminis quoque aleam & diſcrimen contra Marcomannos ſubiret, ſi opus eſſet: necnon etiam præmiſſum in ſpem victoriæ, quam de ipſis reportaret, lætuſquè propterea reuerteretur ad eoſdem Auguſtos, qui Romæ vel alibi exitum eius expeditionis præſtolarentur. In eandem verò ſuppoſitionem conſenſit etiam poſtmodùm Aſtaſius ipſe Comes cùm Protaſium & Geruaſium ad immolandum Dijs hortaretur in eum finem, VT EXPEDITIO (aiebat) MEA VNANIMITER (ſiue potiùs NAVITER, hoc eſt, ſtrenuè, diligenter, atque cum victoria) CELEBRETVR. Sic etiam viciſsim conſenſit Geruaſius, cùm interritus ei reſponderet: VICTORIAM DE CÆLO DEBES A DEO OMNIPOTENTE REQVIRERE, NON DE SIMVLACHRIS MVTIS ET VANIS. Atqui nihil tale ſupponi poteſt in ea contra Marcomannos expeditione, quam nuper Capite præſenti deſcripſimus. Etenim Marcomannicum hoc bellum tam formidabile ac tantæ molis vniuerſo etiam Senatui Romano, nedùm Imperatori Marco Aurelio Antonino, viſum eſt, vt ei gerendo neceſſarios eſſe crederent ambos Imperatores, vtquè ambos propterea neceſſe eſſet ad illud proficiſci; ſicut etiam re ipſa profecti ſunt; quemadmodùm paulò ante videbamus. Reliquum eſt igitur, vt Aſtaſij Comitis expeditio contra Marcomannos longè diuerſa fuerit ab ea, quam contra ipſos Marcus Aurelius Antoninus & Lucius Verus Imperatores ac fratres ſuſceperunt: quamquè vel etiam deinde idem Marcus cum filio ſuo Commodo ſuſcepit. Etenim tunc etiam ſimul ambo ijdem Imperatores eam ſibimetipſis expeditionem ſuſceperunt; nec alteri cuiquam demandarunt, ad bellandum præmiſſo. A B C

X. Sed eandem profectò Marcomannicarum expeditionum (quarum vnam Comes Aſtaſius, alteram Marcus Aurelius Antoninus & Lucius Verus ſuſceperint) diuerſitatem ſic etiam confirmo. Ex opinione Baronij, vt Numero 6. concludebam, Protaſius & Geruaſius martyrium ſubierunt, antequàm Lucius Verus moreretur. Hic autem ſecundùm eiuſdem Baronij confeſsionem à me recitatam Numero 4. mortuus eſt Anno Chriſti Centeſimo ſeptuageſimo-primo: & media quidem hyeme, vt Galenus ibidem teſtabatur. Ex altera verò parte Protaſius & Geruaſius martyrium verè ſubierunt die vigeſima-quinta Martij (vt ego Capite 22. Numero 6. docebam) & proinde poſt mediam hyemem Anni tunc excurrentis. Non igitur illud ſubierunt eo ipſo Anno, quo Lucius Verus mortuus eſt. Illud enim alioqui ſubijſſent, non ante, ſed poſt Lucij Veri obitum; illudquè præterea ſubijſſent eo tempore, quo ſolus iam imperabat Marcus; quorum tamen neutrum à Baronio concedi poteſt. D

poteſt. Reliquum eſt igitur, vt illud ſubierint Martio menſe Anni ſal- A
tem anterioris, ſiue Centeſimi ſeptuageſimi. Atqui ne hoc quidem à
Baronio concedi poteſt. Non enim eo Anno, ac multò minùs Martio
eius Anni menſe, Marcomannicum bellum à Romanis fuerat in-
choatum; ſicut ipſemet Baronius mox Numero illo 4. fatebatur. Con-
ſequens ergo tandem hinc eſt, vt Protaſius & Geruaſius martyrium
ſubierint occaſione ac tempore alterius belli Marcomannici, a Romanis
iam incœpti, & ab eo diuerſi, quod Imperatoribus Marco Aurelio
Antonino & Lucio Vero adſcribi ſolet.

XI. Fortè autem hanc ipſam expeditionum diuerſitatem diuerſitas quoque
indicat illa itinerum, quibus ad Marcomannos tendebant Aſtaſius Co-
mes & Imperatores Marcus & Lucius. Ille ſiquidem ad ipſos tendebat B
ex Vrbe noſtra Mediolano: illi verò ex Vrbe Aquileia, indequè tran-
ſcenſis Alpibus progreſsi longiùs, ea compoſuerunt omnia, quæ ad
munimentum Italiæ atque Illyrici pertinerent. Sin autem Imperatores
iſti Comitem Aſtaſium præmittere ſibi contra Marcomannos voluiſſent;
certè ad eum quoque muniendæ Italiæ Illyriciquè finem aptiùs & ac-
commodatiùs facturi fuiſſe videntur, ſi eum præmiſiſſent eodem pror-
ſùs itinere, quo ipſi poſtea proceſſerunt.

XII. Deniquè verò Imperatoriæ huius contra Marcomannos profectionis fruc-
tus illi, quos paulò ante Numero 4. Baronius vnà cum Capitolino enu-
merabat in eum modum, quem iam legimus, mihi quidem videntur
apertè ſignificare, primos fuiſſe fructus expeditionis, quam eo tempore C
Romani contra Marcomannos incœpiſſent: nec aliquid tunc priùs ab
Aſtaſio Comite, vel alio quopiam Romani exercitus duce, tentatum
fuiſſe. Quòd autem pleroſque tunc hoſtium ſimul etiam videbamus à
Legatis Imperatorum poſtulantes veniam defectionis: tales quidem ip-
ſorum Legatos proprijs nominibus expreſsit Dio Caſsius in Epitome
Romanæ Hiſtoriæ; ſed inter eos nuſquam inuenitur Aſtaſius. Id enim
quoque præmoneri à me oportuit; ne fortè quiſpiam Vatem agere vel-
let, ac Legatis illis Aſtaſium quoque Comitem connumerare.

XIII. Et hæc quidem argumenta nobis in præſenti ſufficiant, vt intelligatur,
quàm difficulter Marcomannicum id bellum àd Philippi Libellum
accommodari poſsit. Nunc ad alterum progrediamur bellum, quod huc D
pariter Triſtanus accommodabat Chalcus, geſtum circiter Annum
Chriſti Ducenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum, vel, vt alij, ſeptua-
geſimum-quintum. Ac Triſtani quidem verba nos ex parte iam reci-
tauimus Capite 24. Numero 2. De tali verò ipſius opinione Carolus
noſter à Baſilica Petri, Nouarienſis demùm Epiſcopus, in Hiſtoria Me-
diolanenſi, ſeu in Sancto Caio, noſtrorum Antiſtitum Tertio, ita ſenſit:
Triſtanus Chalcus, Hiſtoricus noſter, motus hac ratione belli Marcomannici
(cuius vtique mentio habetur in Philippi Libello, per Sanctum Ambro-
ſium inuento, & in publicum per Epiſtolam euulgato) *horum Martyrum
Paſsionem videtur referre ad Imperium Aureliani: neque fidem habendam*

cenſet

cenſet cuidam Columnæ, ad Arcem Mediolani, quæ IOVIS quandoque appel- A
lata eſt, poſitæ: quâ inſcriptum eſt, Martyres hos Anno Quinquageſimo-ſeptimo
à Salute, hoc eſt ſub Nerone, paſſos; quòd vel verba ipſa & literarum cha-
racteres multò poſteriora tempora arguant. Sed certè Triſtanus Martyrum an-
tiquitati nimis detrahit: præſertim cum Sanctus Ambroſius, qui ab Aureliano
ad centum annos ſolum abſuit, de eorum inuentione ad Sororem (Marcellinam)
referens dicat: Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt priſca ætas fe-
rebat. Quamquàm fortè non dixit de priſca ætate Neroniana, ſed de anti-
quiſſima illa. Opinor, non ita ſenſiſſet Triſtanus; ſi Marcomannicum bellum
Marci Imperatoris cogitaſſet. De quo id intelligendum eſſe in ea, de qua agimus
(nempe Sancti Ambroſij) Epiſtola, equidem nihil dubito; maximè ob illa ver-
ba, quæ in ea leguntur: Si vis lætus ad Auguſtos noſtros reuerti & victor. B
Qui enim hi Auguſti erant, niſi Marcus & Verus; ſub quibus item Eccleſia
Dei perſecutionem paſſa eſt? Hactenùs Carolus; ſed Baronij opinionem, à
nobis adhuc exploſam, ſecutus; nobiſquè pariter hac in re explodendus.

XIV. Nos igitur Chalco hac in parte aduerſamur ea præſertim ratione; quia
ne Aurelianus quidem Imperator Marcomannici ſui huius belli curam
demandauerit alteri cuiquam copiarum duci, quem ad ſe cum victoria
reuerſurum ſperaret; ſed eam ſibimetipſi vniuerſam ſuſceperit; ſuſcep-
tamquè, non è longinquo, ſed præſens & in caſtris adminiſtrarit. Qua
de re Flauium præſertim Vopiſcum in eodem Imperatore Aureliano
teſtem habemus locupletem, atque Triſtano etiam ipſi receptum vſque-
adeò, vt eius penè verbis belli ſeriem ſic enarret Hiſtoriæ Patriæ Libro C
Primo: Ab eodem Claudio (Imperatore) adoptatur Valerius Aurelianus: ſub
quo Marcomanni, ex Hercynia Sylua Barbari, Italiam inuaſerunt: atque Cir-
cumpadanam effuſi latè Regionem populantur, rapinis cædibus incendio fœdant.
QVOS DVM AVRELIANVS IPSE, IN CASTRA PROFECTVS,
ADORIRI A FRONTE NEGLIGIT, MAVVLTQVE A TER-
GO INSEQVI, ingentem cladem ex errore accepit. Erumpentibus enim ex
anguſtijs, quibus clauſi credebantur, Hoſtibus, OMNIA CIRCA MEDIO-
LANVM EVASTATA SVNT. Non imprudenter ſtudioſus Lector rem
effectu maximam vberiùs declarari optauerit. Sed deſiderium remittat oportet;
cùm pluribus verbis traditam non inueniamus. Nam & paulò pòſt, cùm copias
omnes circa Placentiam Marcomanni contraxiſſent, OCCVRRERE EIS D
AVRELIANVS CVM TOTO EXERCITV CONATVS EST.
Et cùm aperto Marte congredi Barbari non poſſent; in proximas ſyluas delitue-
runt; atque incumbente veſpere in Italos inuecti, tantam cladem intulerunt, vt
penè Romanum ſolueretur Imperium. Conſultiquè ſunt Romæ Libri Sybillini:
quibus, quæ fieri iubebantur peractis ritè ſacrificijs, parta victoria eſt, ET
BELLVM MARCOMANNICVM FINITVM IN CAMPIS TICI-
NENSIBVS, vt Eutropius innuere videtur. Domitis Marcomannis, cunctos
alios, qui innumeri Romanas Prouincias atterebant, Barbaros afflixit. Vnde &
apud Flauium Vopiſcum (è quo videlicet ſuperiora etiam fuerat mutuatus).
Iunius Tiberianus, Præfectus Vrbis, dixit, totum Orbem per eum fuiſſe Romano
Nomini reſtitutum &c.

XV. Cæterùm de bello Marcomannico, quod verè congruat cum Libello Philippi, quodquè verè in poſtremum Neronis Annum inciderit, tunc etiam diſſerendum nobis erit, cùm ad finem huius Operis peruenerimus. Tunc enim velut omnibus viribus hinc inde in vnum collectis, omniquè contentione opinionem confirmare noſtram denuò connitemur. A

CAPVT XXXV.

Sancta Soteris, Virgo nobiliſsima, & Sancti Antiſtitis ac Patroni noſtri Ambroſij conſanguinea, martyrio coronatur, circiter Annum Domini Treceteſimum-quartum. B

I. PErfacilis & promptæ probationis hæc omnia ſunt; eo tantùm excepto, quod præſertim ad nos pertinet Ambroſianos, & quod maximè pro præſentis etiam inſtituti ratione delectare nos debet, quodquè propterea ego quidem mecum ipſe geſtiens addebam; licet non ita propriè ad huius Diſſertationis argumentum pertinere videretur: Virginem nimirùm hanc Sancti Antiſtitis & Patroni noſtri Ambroſij conſanguineam fuiſſe. Licet autem hoc multis fortaſsè à ſæculis apud nos inauditum hactenùs fuerit; ſpero tamen fore nihilominùs, vt prudenti non minùs quàm lubenti conſenſu ab omnibus excipiatur; ſicut & nuper exceptum fuit ab Eminentiſsimo Cardinali & Archiepiſcopo noſtro, necnon ab vniuerſa Sacerdotum Congregatione, quam ipſe recenter delegerat pro renouanda Breuiarij noſtri Ambroſiani editione typographica. Ipſorum enim propterea ſuffragijs in hanc ſententiam ventum eſt: vt anniuerſarium eiuſdem Virginis & Martyris Officium Breuiario noſtro insereretur, quale videlicet è Sancti Ambroſij Libris inſertum fuit: vtque decima Februarij die, ipſius martyrio ſacra, ſolemniter celebraretur: quæ quidem dies cæteroqui nobis auſpicatò læta & celebris iam erat ob eiuſdem Cardinalis & Archiepiſcopi Conſecrationem. C

II. Eiuſdem verò Virginis mentionem facit Martyrologium Romanum decima pariter die Februarij, & his conceptam verbis: *Romæ, Via Appia, Sanctæ Soteris, Virginis & Martyris. Quæ, vt ſcribit Sanctus Ambroſius, nobili genere nata, parentum Conſulatus & Præfecturas ob Chriſtum contempſit: iuſſaquè immolare, non acquieſcens, grauiter & diutiſsimè alapis cæſa eſt: &, cùm cætera quoque pœnarum genera vicisset; percuſſa gladio, læta migrauit ad Sponſum.* D

III. Inde Baronius adnotationem hanc ibidem attexuit. *De ea Beda ad diem ſextam Februarij: Vſuardus autem & Ado hac die: ſed quòd habent paſſam in Oriente; mendum irrepſiſſe, certum eſt. Vetus illud exemplum Martyrologij Monaſtici Sancti Cyriaci ſic habet: Romæ, Via Appia, Paſsio Sanctæ Soteris Virginis.*

Virginis. Aſſentitur huic lectioni antiquum Martyrologium Caſsinenſe, & alia. A
Roboranturquè hac auctoritate Sancti Ambroſij: qui, dum de ea agit in Exhor-
tatione ad Virginitatem propè finem, & Libro 3. De Virginibus, Romanam
fuiſſe genere, ortamquè parentibus conſularibus, nec alibi quàm Romæ paſſam
eſſe, ſignificat. Quòd autem ſpectat ad tempus martyrij; in Actis Sancti Pan-
cratij Martyris, quæ deſcribit Surius Tomo 3. die 12. Maij, hæc verba le-
guntur: Eodem tempore paſſa eſt Sacratiſsima Virgo Soteris, nobili genere orta,
Diocletiano nouies & Maximiano octies Conſulibus, vt manifeſtum eſt. Hæc ibi.
Videlicet ex eo Codice manuſcripto, quo Baronius in id vtebatur. Ita-
que in Annalibus, ad eumdem Chriſti Annum Trecenteſimum-quar-
tum benè obſeruabat, in eiſdem Sancti Pancratij Actis apud Surium
excuſis deſiderari vocem *Conſulibus*. Ibi namque ſic legitur: *Eodem tem-* B
pore paſſa eſt Sacratiſsima Virgo Soteris, nobili genere orta, Diocletiani IX. *&*
Maximiani VIII. moxquè parentheſis adiecta hæc fuit: *Incertum, vtrùm*
Imperij Anno, vel Conſulatu. Adnotationem ſuam proſequitur Baronius
in hæc item verba: *Eſt is Annus à Chriſto Domino, ſecundùm Faſtos Onu-*
phrij, Trecenteſimus-quartus. Quòd autem ſpectat ad nomen ipſum Soteris;
ipſum inditum compluribus Romanis fæminis, cognoſcere potes ex antiquis In-
ſcriptionibus, ab Aldo editis Libro De Orthographiæ ratione, pagina 350. 366.
& alijs locis. Erat Cœmeterium nomine Sanctæ Soteris: quod reſtaurauit Ste-
phanus Papa Secundus, vt auctor eſt Anaſtaſius in Actis eiuſdem Stephani Pa-
pæ. Habemus ea apud nos manuſcripta. Corpus autem eiuſdem Sanctæ Soteris
translatum eſt à Sergio Iuniori Papa in Titulum Equitij; vt docet vetus In- C
ſcriptio, marmori inciſa, illic poſita. Hæc ibi Baronius: qui pariter in An-
nalibus, loco nuper à me indicato, recitat ad verbum ea, quæ Sanctus
Ambroſius litteris conſignata de hac Virgine reliquerat: neque tamen
ibi, vel alibi vſpiam, de aliqua eius cum eodem Ambroſio cognatione
quicquam indicauit.

IV. Nos igitur hanc ipſam inde iam tandem non indicabimus modò, verùm
etiam exponemus. Quippe Ambroſius in Exhortatione ad Virginita-
tem ita prorsùs ſcribebat: *Multæ, cùm ſtudium caſtitatis profiteantur, affec-*
tant adminicula pulchritudinis, vt comptiores procedant, nitidiore vultu, quàm
Sacras Domini decet &c. At non Sancta Soteris, VT DOMESTICVM
PIÆ PARENTIS PROFERAMVS EXEMPLVM (*habemus enim nos* D
Sacerdotes noſtram nobilitatem, Præfecturis & Conſulatibus præferendam: ha-
bemus, inquam, Fidei dignitates, quæ perire non norunt) *at non, vt dixi, So-*
teris vultus ſui curam gerebat. Quæ, cùm eſſet decora facie valde, & nobi-
lis virgo maiorum proſapia, Conſulatus & Præfecturas Parentum ſacra poſt-
habuit Fide: & immolare iuſſa, non acquieuit. Quam perſecutor immanis pal-
mis cædi præcepit; vt TENERA VIRGO *dolori cederet, aut pudori. At*
illa, vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit, ſoli inuelata atque intecta
martyrio: & volens iniuriæ occurrit, vultum offerens; vt ibi martyrij fieret
ſacrificium, vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Gaudebat enim, diſpendio
pulchritudinis periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum

eius

eius vulnerum vibicibus exarare; faciem tamen virtutis eius, & gratiam decoris interni nequaquàm exarare potuerunt. Et rurſus Libro 3. De Virginibus ad Marcellinam ſororem ſic inquit: *Sed quid alienigenis* APVD TE, SOROR, *vtor exemplis*, QVAM HÆREDITARIÆ CASTITATIS INSPIRATA SVCCESSIO PARENTIS INFVSIONE MARTYRIS ERVDIVIT? *Vnde enim didiciſti, quæ non habuiſti vnde diſceres? conſtituta in agro, nulla ſocia Virgine, nullo informata doctore? Non ergo diſcipulam (quod fieri ſine magiſterio non poteſt)* SED HÆREDEM VIRTVTIS EGISTI. *Quî enim fieri poſſet*, VT SANCTA SOTERIS TIBI NON ESSET MENTIS AVCTOR, CVI AVCTOR EST GENERIS? *Quæ perſecutionis ætate ſeruilibus quoque contumelijs ad faſtigium paſſionis euecta, etiam vultum ipſum, qui inter cruciatus totius corporis liber eſſe conſueuit iniuriæ, & ſpectare potiùs tormenta quàm perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, vt*, CVM TENERAS POENÆ OFFERRET GENAS, *priùs carnifex cædendo deficeret, quàm Martyr iniuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora conuertit, non gemitum non lachrymam dedit. Denique cùm cætera pœnarum genera viciſſet; gladium, quem quærebat, inuenit.* Hæc ibi Ambroſius. A B

V. Per hæc autem iam videmus, quemadmodùm ille Sanctæ Soteris exemplum appellet DOMESTICVM: atque Soterem ipſam nominet SVAM, necnon etiam Sororis ſuæ Marcellinæ PARENTEM, quinetiam EI GENERIS AVCTOREM; itaut etiam eius caſtitas & virtus in Marcellinam, tamquàm domeſtica & familiaris hæreditas, infuſa peruenerit. Quæ quidem omnia quà prudentia quà veritate dici ab Ambroſio potuerunt; ſi Marcellina non fuit ex eadem, non modò Vrbe ac Patria Roma, ſed etiam ſtirpe atque cognatione ac parentela, è qua Virgo Soteris iam præceſſerat? C

VI. Quid in primis illud eſt, quòd eadem Soteris eidem Marcellinæ AVCTOR etiam GENERIS fuiſſe tam luculenter ac diſertè aſſerebatur? Soteris vtique, vt pro certo & indubitato ſupponimus, integra ſemper virgo fuit, nec vllam genuit prolem. Proximi etiam generis auctores non alij profectò ſunt, quàm pater ac mater: ſicut etiam gradatim ſecundùm rectam originis lineam remotiores ſunt auus & auia, cæteriquè anteriores, è quibus cognationis & familiæ ſeries ad poſtremam vſque ſobolem deducta ſit. Soteris ergo per ſemetipſam non fuit auctor generis Marcellinæ. Reliquum eſt igitur, vt ei fuerit auctor per aliam perſonam, ſibi conſanguinitate nexam, è qua ſuam traxerit originem Marcellina. Quocirca ſic ego quidem hinc ſtatuo: vt Soteris verè fuerit ſoror matris, vel potiùs patris, qui Marcellinam genuit. Pater enim eſt primarius generis auctor, & abſolutè generis auctor appellari ſolitus: idemquè ſingulariter tamquàm proprio & peculiari priuilegio ſuum etiam cognomen ad ſuam ſobolem tranſmittit. Quid autem vetat, quominùs Soteris potuerit eſſe ſoror patris aut matris, qui Marcellinam genuerunt? Tenera enim adhuc ætate Soteris erat, quando D

martyrium

martyrium conſummauit, Anno nempè Chriſti Trecenteſimo-quarto. Marcellina verò iam erat grandiuſcula, quando frater eius Ambroſius in lucem prodijt, & Anno Chriſti (vt ſupponimus è Baronij ſupputatione) Trecenteſimo trigeſimo-tertio. Cæterùm ſi fortè alicui non placet, Soterem à me cenſeri ſororem patris aut matris, qui Marcellinam genuerunt; hoc ego ſaltem contendam, vt ea fuerit ſoror aui vel auiæ, quos habuit Marcellina; vtquè propterea per auum illum vel auiam verè potuerit ab Ambroſio dici AVCTOR GENERIS, è quo Marcellina erat. A

VII. Quid, quòd etiam huc tantùm, & non aliò, ſpectat ea PARENTIS appellatio, quam ſemel iterumquè Ambroſius Soteri, ad Marcellinam relatæ, adſcribebat? Quid, quòd etiam ille alibi nonnunquàm fuit in eandem prorsùs ſententiam locutus? Vocabularis huiuſmodi notionis bina mihi ſuppetunt exempla ex vno eodemquè Ambroſij Libro, ſiue Oratione, De obitu Satyri fratris: eademquè iuuabit ambo in medium huc afferre. Ad Satyrum enim conuerſa oratione, ſic etiam illum eſt affatus: *Qui cùm à Viro nobili reuocareris Symmacho*, TVO PARENTE, *quòd ardere bello Italia diceretur, quòd in periculum tenderes, quòd in hoſtem incurreres; reſpondiſti, hanc ipſam tibi cauſam eſſe veniendi, ne noſtro deeſſes periculo, vt conſortem te fraterni diſcriminis exhiberes*. Ecquonam verò modo Symmachus SATYRI PARENS; niſi quia nexus illi aliqua tali conſanguinitate, qualem dicebam de Sotere? Scio equidem, Orationem illam pariter apud Surium eſſe recitatam die 18. Septembris, in quem diem Surius coniiciebat Satyri obitum: itemquè ſcio, illic è regione illorum verborum, *Qui cùm à Viro nobili reuocareris Symmacho*, TVO PARENTE, ſic eſſe in ora marginali adnotatum: SYMMACHVS PATER SANCTI SATYRI. Sed hic citra dubium manifeſtus eſt error. Certiſsimum enim eſt, Sancti Satyri patrem (ſicut & Ambroſij & Marcellinæ) non Symmachum aliquem, ſed Ambroſium fuiſſe. Non igitur eo in loco Ambroſius nomen parentis accepit pro patre ac genitore. Itaque ne Baronius quidem illud aptè ad Ambroſij mentem ac ſententiam expreſsit in ipſius Ambroſij Vita. Illic enim non procul ab initio ſic ſcribebat: *Tunc & Symmachus* (hic autem in margine adnotatum extat, *Symmachus Epiſt. 36. & 37. ad Ambroſ. Lib. 3.*) *Senatorum præcipuus, Vir Conſularis, etſi Gentilis, Ambroſij virtutes moreſquè ſuauiſsimos & ſingularem dicendi copiam admiratus*, IPSVM ET SATYRVM FRATREM ITA DILEXIT, VT INTER INTIMOS ET MAXIME CONIVNCTOS AMICOS EOS ADNVMERARIT, ET TAMQVAM PARENS (hic item legitur in margine adnotatum, *Ambroſius De obitu fratris, Tomo 4. 232.*) QVODAMMODO AMBORVM FIERET. En igitur vt Baronius nomen PARENTIS, eo in loco ab Ambroſio adhibitum, intellexit pro PATRE ac GENITORE: ſed quia ſecundùm hanc notionem verè in Symmachum illum non congruebat; idcircò illud ea, quam vidimus, circumlocutione temperauit. Qua quidem in B C D

re

re ſimul etiam duos Symmachos perperàm in vnum commiſcuit. Sed A
hoc alterius eſt otij, negotijquè. Nunc quod agimus. Idem profectò
Ambroſius in eadem Oratione alibi vocem PARENTIS eo ipſo, quem
nunc contendimus, ſenſu apertè vſurpauit. De Satyri namque vere-
cundia diſſerens, hæc item adiecit: *Itaque velut quadam virginali vere-
cundia ſuffuſus ora*, SI FORTE ALIQVAM SVBITO VENIENS
OFFENDISSET PARENTEM; *velut depreſſus & quaſi demerſus in
terram, licet in ipſo nequaquàm diſſimilis cœtu virorum, rarus attollere os,
eleuare oculos, referre ſermonem* &c. Quid, quòd etiam hoc loco Ambro-
ſius per ALIQVAM PARENTEM mihi videtur idem ſignificare
voluiſſe, ac ſi dixiſſet ALIQVAM CONSANGVINEAM, vel
AFFINEM? ad eum fermè modum, quo nos Italicè PARENTI ap- B
pellamus omnes in vniuerſum conſanguineos, vel affines, alioſuè cuiuſ-
cumque generis cognatos. Ita ſanè hunc Ambroſij locum interpreta-
tus eſt etiam Ludouicus de la Cerda, Aduerſariorum Sacrorum Capite
73. Num. 19. & Capite 112. Num. 2. idquè confirmauit etiam ex San-
cto Hieronymo in Apologia ſecunda contra Ruffinum: ac præterea ex
Ioanne Caluino in Lexico Iuridico, Verbo *Parentis appellatione*: necnon
etiam è Ioanne Brechæo in Titulo De verborum & rerum ſignificatio-
ne, Lege 51. Præclarè profectò Hieronymus ibi, non procul ab initio,
ſic ſcribebat: *Illud verò ridiculum, quòd poſt triginta annos* AD PAREN-
TES *ſe reuerſum eſſe iactat*, HOMO QVI NEC PATREM HABET
NEC MATREM: *&, quos viuentes iuuenis dereliquit, mortuos ſenex de-* C
ſiderat. NISI FORTE PARENTES, MILITARI VVLGARIQVE
SERMONE, COGNATOS ET AFFINES NOMINAT: *quos quia
non vult deſerere, ne inhumanus putetur aut durus; idcircò, patria derelicta,
Aquileiæ habitat*. Quam quidem Hieronymi exceptionem, NISI FOR-
TE &c. Marianus Victorius in Scholijs examinans, ſic inquit: MI-
RVM EST, QVOD ÆTATE ETIAM SANCTI HIERONYMI
VVLGVS EODEM, QVO NVNC, SIGNIFICATV PARENTES
DICERET. Ruffinus profectò etiam ipſe in Euſebij Cæſarienſis Hiſto-
ria Eccleſiaſtica, ex idiomate Græco Latinè à ſe reddita, parentum ap-
pellationem Libro 5. Cap. 24. adhibuit pro cognatis & conſanguineis;
vt benè obſeruarunt Robertus Cardinalis Bellarminus Libro 1. *De Cle-* D
ricis, Cap. 19. §. *His teſtimonijs accedant exempla*, & Gregorius de Va-
lentia Libro *De Cælibatu*, Cap. 4. propè finem.

VIII. Nonnihil verò proderit etiam huc attuliſſe, quid in Theſauro Latinæ
Linguæ intelligendum vocabulo PARENTIS moneatur. Ibi enim hæc
leguntur: PARENS, *vulgò pater & mater ſignificatur; ſed Iuriſprudentes
auos & proauos, auias & proauias*, PARENTVM *nomine appellari dicunt.
Paulus De Gradibus affinitatis, L. Iuriſconſultus*, PARENTES *apud Ro-
Romanos vſque ad tritauum proprio vocabulo nominantur. Caius De Verbo-
rum ſignificat. L. Appellatione, Appellatione* PARENTIS, *non tantùm pater,
ſed etiam auus, & proauus, deinceps omnes ſuperiores continentur; ſed &*

mater,

mater, & auia, & proauia &c. Subinde verò etiam de vocabulo PA- A
RENTELA hæc item: *Parùm Latina vox; ſed qua vſus eſt tamen Iulius*
Capitolinus in Gordianis. Duxit, inquit, vxorem filiam Miſithei, doctiſsimi
viri: QVEM CAVSA ELOQVENTIÆ DIGNVM PARENTELA
SVA PVTAVIT. Eodem quoque vocabulo vſum eſt etiam & in præ-
ſens vtitur Breuiarium noſtrum Ambroſianum die 5. Februarij, in
Sancta Virgine ac Martyre Agatha.. Primi enim ad Veſperas Pſalmi
Antiphona ſic ſe habet: *Ingenua ſum, & ſpectabilis genere*, VT OMNIS
MEA PARENTELA TESTATVR.

IX. Sed pro Sanctæ Soteris conſanguinitate cum Sancta Marcellina, proin-
dequè cum Sanctis eius fratribus Ambroſio & Satyro, ſatis hactenùs
diſputatum. Quoniam verò tantam eiuſdem Soteris nobilitatem vide- B
bamus, E MAIORVM SVORVM PROSAPIA, ET E PAREN-
TVM SVORVM CONSVLATIBVS AC PRÆFECTVRIS deriua-
tam; propterea ſic etiam par eſt, vt Ambroſij nobilitatem ſimiliter inde
repetamus. Sic enim longè altiùs eam, quàm Baronius, repetemus. In
Ambroſij enim Vita, non procul ab initio, poſteaquàm eum computaſ-
ſet Anno Domini Trecenteſimo trigeſimo-tertio natum ex Ambroſio,
nobili Romano, Galliarum Præfecto; protinùs ita concludebat: *Ex quo*
quidem Magiſtratu familiæ nobilitatem, & parentum amplitudinem exiſtimare
licet. Præfectura enim Galliarum quantùm cæteris antecelleret, vel ex hoc vno
intelligimus; quòd Iulianus Auguſtus eandem Saluſtio, ſibi amicitia coniunctiſ-
ſimo, & in Conſulatu collegæ, vt Magiſtratum dignitatis ampliſsimæ, credidit. C

X. Cæterùm eiuſdem Sanctæ Soteris Commemoratio, ſi non in Breuiario
Romano, certè tamen in Monaſtico Ciſtertienſi, quotannis piè ac reli-
gioſè recolitur.

CAPVT XXXVI.

De Mediolanenſi Sanctorum Nazarij & Celſi Oratorio, in quo Sanctus Archiepiſcopus noſter Mirocles Sacerdotem conſecrauit Sanctum Emigdium, de noſtra Eccleſia benemeritum, & poſtea primum Aſculanorum Epiſcopum ac Martyrem. D

I. TReueris ab ipſomet Nazario conſtructum vidimus Orato-
rium Capite 13. Numero 2. Papiæ itidem in Vrbe Baſili-
cam eidem Sancto ædificatam à Sancto Iuuentio iam oſten-
dimus Capite 32. An verò tale aliquid vel à Nazario vel
ab alio quopiam factum fuerit Mediolani, priuſquàm eiuſ-
dem Nazarij tum etiam Celſi Corpora diuinitùs Ambroſio noſtro re-
uelarentur; hoc mihi quidem alicunde non conſtabat. Non enim ac-
quieſcere vnquàm potui Vincentio Bellouacenſi, Libro Nono Speculi
Hiſtorialis, Capite 51. ſic tradenti: *Poſt mortem itaque parentum ſuorum*

(Vitalis & Valeriæ) *Geruaſius & Protaſius, omnia ſua pauperibus erogantes,* A
& familiam ſuam ingenuam facientes, manebant cum Sancto Nazario: QVI
ORATORIVM ÆDIFICABAT (nempe Mediolani) ET EI CEL-
SVS PVER LAPIDES PORRIGEBAT. Quod igitur iam video fore,
vt ſtudio & induſtria conſequi non potuiſſem, forte datum eſt illa, quæ
mihi frequenter in eiuſmodi rebus benefica eſt, meque Deo magis ob-
ſtringit, & ad litterarios extimulat labores.

II. Septem circiter ab hinc annis Barij morabatur in Apulia Pater Aemilia-
nus à Sancto Ioſepho, ex Ordine Carmelitarum Diſcalceatorum Reli-
gioſus eruditiſsimus ac diligentiſsimus: idemquè Vitam Sancti Emigdij,
Aſculani Epiſcopi Primi, conſcribebat: &, an adhuc abſoluerit, pu-
blicæue luci tradiderit, ignoro. Ex ipſius autem Sancti Actis, quæ in B
Vaticana Bibliotheca cuſtodiuntur, extractum ſibi habebat huiuſmodi
teſtimonium: BEATISSIMVS EMIGDIVS, *Ciuitatis Aſculanæ Metropo-
litanus Epiſcopus & Martyr, natione Gallus, genere clariſsimus, ſapientia &
vita perſpicuus, caſtus & angelicus,* ÆTATIS SVÆ ANNO TRIGE-
SIMO FVIT ORDINATVS IN SACERDOTEM A SANCTO
DEI VIRO MIROCLE, CIVE MEDIOLANENSI, IN EADEM
CIVITATE MEDIOLANI, IN ORATORIO SANCTORVM
MARTYRVM NAZARII ET CELSI; QVIA BEATISSIMVS
ILLE EMIGDIVS INNVMERABILEM ILLIVS POPVLI MVLTI-
TVDINEM VERBO ET EXEMPLO AD CHRISTI FIDEM
CONVERTIT. Cùm igitur cuperet ille ſcire, qua noſtræ Vrbis in C
parte ſitum eſſet tale illud Sanctorum Nazarij & Celſi Oratorium, &
an Sancti eius Emigdij mentio aliqua extaret inter alia Vrbis Eccleſiæ-
què noſtræ monumenta; illud ipſum teſtimonium tranſmiſit huc ad
Conuentus ſui Carmelitani, Sancto Carolo nuncupati, Priorem: qui
Viro alicui Rerum Mediolanenſium perito illud oſtenderet, ac ſuper
illo ipſum conſuleret. Tunc verò Cœnobij Prior erat, & per omnia
meo iudicio meritiſsimus, Pater Epiphanius à Sancto Ioanne Baptiſta:
idemquè beneuolus erga me, viciſsimquè ſingulari à me obſeruantia &
amore cultus. Illud ergo mihi tradidit: & ego viciſsim è ſcripto, quæ
noſſem vel ignorarem, reſpondi; cùm alioqui eo tempore nihil prorsùs
de conficiendo præſentis argumenti Opere cogitarem. Sic igitur illud D
præter omnem cogitationem atque expectationem mihi tunc accidit ad
manus, nunc verò in partem præſentis Operis non importunè venit.

III. Sancti ergo Miroclis, Archiepiſcopi Ciuiſquè noſtri, tempore iam exta-
bat in Vrbe noſtra Oratorium Sanctorum Nazarij & Celſi: videlicet
ipſis ritè conſecratum. Quodnam verò fuerit illud tempus: non vna eſt
noſtrorum ſententia Scriptorum. Poſt Sanctum enim Apoſtolum noſ-
trum Barnabam (è quo ſeriem Antiſtitum noſtrorum auſpicandam eſſe,
ſatis iam diximus Capite 2.) communi quidem omnes conſenſu enume-
rant Sanctos Anatalonem, Caium, Caſtritianum, Calimerium, & Mo-
nam; ſed poſteaquàm concordes hucuſque progreſsi ſunt, tum verò in

varias

variàs diſtrahuntur opinionum vias. Etenim plerique poſtea Monæ ac Materno Mirоclem atque Protaſium interponunt. Et hinc Michael etiam Pizolpaſſus in eo Codice, quem Capite ac Numero 2. dicebam ipſius cura & voluntate manuſcriptum Anno Domini 1438. ſtatim poſt exſcriptam Sancti Monæ Vitam effecit, vt obſeruatiuncula hæc adiiceretur: *Huic Monæ ſecundùm Chronicas ſucceſſerunt Mirocles primò, & deinde Protaſius, quorum Vitas non reperi: ſucceſſitquè poſtea præſens Maternus. Incipit Vita Beati Materni* &c. Quippe Pizolpaſſus, ea opinione imbutus, defectui adſcribebat, quòd ſtatim poſt Monæ Vitam in vetuſtis illis Codicibus, è quibus exſcribendum curabat ſuum, non inueniſſet Sanctorum Miroclis & Protaſij Vitam, ſed Materni. Nonnulli autem vice A

verſa non modò Maternum, ſed etiam Euſtorgium, nominis huius Primum, Mirocli & Protaſio anteponunt: alij rurſus aliter hunc eiuſmodi Præſulum variant ordinem. Quidquid igitur alij cenſuerint, ego quidem Monæ protinùs adnumero Maternum, ac deinceps Miroclem, Euſtorgium, Protaſium, Dionyſium, Ambroſium. Pro cuius etiam ordinis confirmatione (quæ nobis hoc loco breuicula debet eſſe) Ambroſius ipſe in primis producatur in Oratione *De Baſilicis non tradendis Hæreticis*. Ariani videlicet tunc ſibi ſuoquè Pſeudoepiſcopo Baſilicam pertinaciſsimè vendicabant Portianam. Ex aduerſo autem Ambroſius omni reſiſtebat epiſcopali ope ac ſolicitudine: atque ſic etiam inter alia reſpondebat: *Abſit, vt tradam hæreditatem* PATRVM: *hoc eſt, hæreditatem* DIONYSII, *qui in exilio in cauſa Fidei defunctus eſt: hæreditatem* B

EVSTORGII, *Confeſſoris: hæreditatem* MIROCLIS, ATQVE OMNIVM RETRO FIDELIVM EPISCOPORVM. En igitur vt Ambroſius, ordine retrogrado Deceſſores ſuos Fideles enumerans, & à poſterioribus ad priores retrocedens, EVSTORGIVM priùs, quàm MIROCLEM nominauerit, atque adeò Miroclem tempore ac Mediolanenſis Eccleſiæ regimine præponendum Euſtorgio eſſe luculenter indicarit. Sed ne propterea quidem quiſpiam contendat, Miroclem ſimiliter ac Euſtorgium non fuiſſe Protaſio anteriores; quia nempè Protaſium Ambroſius ordine illo retrogradò expreſsè non nominauerit ante ipſos, ante quos tamen Dionyſium nominauit. Quacumque enim ex C

cauſa Protaſium ille hoc in loco non nominauerit; certè hoc argumentum nonniſi negatiuè deſumeretur ex Ambroſij auctoritate, atque adeò penitùs euanidum eſſet; vt per aliam occaſionem dicebamus Capite 29. Numero 7. præterquamquòd etiam nimis, & quod apertè falſum eſt, probaret; Protaſium videlicet Mediolanenſi Eccleſiæ aliquando per ea non præfuiſſe tempora, quæ inter Miroclem ac Dionyſium interceſſerunt. Non ſic autem profectò augumentum ſe habet noſtrum; quod vtique deſumptum eſt inde poſitiuè, vt Dialectici loquuntur, & è tanti Teſtis aſſeueratione diſertiſsima. De Sancto quidem Protaſio, Archiepiſcopo noſtro, Breuiarium Ambroſianum ſecunda menſis Maij die, in Sancti Athanaſij Lectione Matutina ſic habet: *Cùm igitur* (Athanaſius) D

Arij impietatem adhuc Diaconus in Concilio Niceno (quod vtique celebra- A
tum fuit Anno Domini Trecenteſimo vigeſimo-quinto) *maximoperè op-
pugnaſſet ; ab Arianis perpetuò deinceps multis varijſquè calumnijs & iniurijs
vexatus eſt acerbiſsimè. Eorum fraude non ſemel in exilium exturbatus , vt
inſidias præterea furoremquè illorum declinaret , magna Vrbis parte peragrata,
diu interdùm delituit, & aliquando cum Monachis vixit* . MEDIOLANVM
ETIAM PEREGRINATVS, CVM PROTASIO EPISCOPO FVIT,
EOQVE PRÆSENTE CVM CONSTANTE IMPERATORE
COLLOQVIVM HABVIT . Deinde autem die 24. Nouembris, in
ipſiuſmet Sancti Protaſij Lectione : *Ad Concilium Sardicenſe* (Protaſius)
venit (hoc autem Anno ſæculi eiuſdem quadrageſimo-ſeptimo concε-
lebratum eſt) *in quo Nicenæ Oecumenicæ Synodi doctrinam , Athanaſijquè* B
cauſam mirificè defendit . Cui quidem temporum & Archiepiſcoporum
noſtrorum ſupputationi ea item conſentiunt , quæ poſtmodùm die De-
cembris tertia in eiuſdem Breuiarij Lectione de Sancto Mirocle ita ſe
habent ; *Per eadem* (Miroclis) *tempora Conſtantinus Magnus , cæleſtis Crucis
oſtento erectus* (Anno nimirùm eiuſdem Sæculi duodecimo) *& eius effi-
giem pro ſigno præferens , inſignem de hoſtibus victoriam tulit ; ſicquè tandem
pax Eccleſiæ reddita eſt*. Sed & altera ex parte conſentiunt item illa, quæ
de Sancto Archiepiſcopo noſtro Dionyſio leguntur die 25. Maij , hæc
nimirùm : *Eccleſiam Mediolanenſem , ſibi commiſſam , mirificè gubernauit ,
Catholicamquè Fidem religiosè defendit . Quamobrem Conſtantius Imperator,
Arianæ cauſæ patronus , non deſtitit eum exagitare vehementer . Accerſitis igi-* C
*tur Mediolanum vndique Epiſcopis , qui ab Occidente plurimi conuenerunt : cùm
Beatus Dionyſius publicè in eo Conuentu* (congregatus eſt autem Anno poſ-
tea quinquageſimo-quinto) *cauſam Arianam oppugnaret , & Athanaſium ,
contra quem ab Arianis agebatur , damnari nullo modo debere conferret ; tan-
dem in exilium ab eo pulſus eſt* . Sed hoc item loco tranſeunter præmo-
nuerim etiam Lectorem , ne fortè Baſilicam Portianam è proximo Am-
broſij teſtimonio concludat ante Sancti Caſtritiani Epiſcopatum exti-
tiſſe, contraquàm nos dicebamus Capite 25. Numero 1. Quòd enim
Ambroſius eam Baſilicam dixerit hæreditatem ſibi eſſe omnium retrò
fidelium Epiſcoporum ; non eſt neceſſe , vt omnes ad vnum Epiſcopi
talem illi hæreditatem reliquiſſent ; ſed ſatis eſt , ſi ferè omnes . Certè D
autem Baſilica illa proximè fuerat Caij domus, ei à Philippo donata .
Itaque nihil erat, cur Caius , ex eorum Epiſcoporum numero excipe-
retur. Fortè verò Barnabas etiam ipſe propter Apoſtolatus prærogati-
uam, ipſius propriam , non computabatur cum reliquis illis Epiſcopis .
Certò itaque ſolus inde Anatalo excipiendus erat . Sed concedamus
etiam inde Barnabam pariter exceptum ; quidni tantus etiam Orator, &
in tali cauſa, potuit exaggeranter ita loqui , vt Baſilicam illam dixerit
hæreditatem omnium retrò fidelium Epiſcoporum ? Quoniam verò Mirocle
poſterior fuit Euſtorgius, vt Ambroſius nos edocuit ; certè proximum
etiam Monæ ſucceſſorem fuiſſe Maternum , & non Miroclem, id quidem
conſtat

conſtat etiam ex eiuſdem Materni Vita, quam Pizolpaſſus ipſe in ſuum inferri Codicem voluit. Cùm enim Fideles pro noua Epiſcopi ſui electione ſoliciti, conueniſſent in Baſilicam Philippi: cùmquè Sacerdos quidam, longæua ſenectute ac meritorum gratia venerabilis, per extaſim edoctus fuiſſet, quem Deo tunc Epiſcopum eligi placeret; Maternum ille apprehenſum pertraxit in medium; &, quanta potuit voce, circumſtantes allocutus in hæc verba fuit: *Quem expectatis, adeſt: Ecce Paſtor, quem cupitis. Mihi credite: iſte, cæleſti praelectus examine, & praeſenti Gregi praeeſſe, & Lupis valet circumlatrantibus praeualere, diuino fretus, vt credo, iuuamine. Nolite, inquam, metuere, nec Paſtorem proprium ex alienis Ouilibus ampliùs opperiri. En habetis Maternum Sanctiſsimum:* DIGNVM IN CVNCTIS DEPOSITI PATRONI (hoc eſt, Epiſcopi denique mortui) VIRTVTVM GRADIBVS VICARIVM. *Nam ſicut Helias, Heliſæum relinquens, duplici virtute ditauit*; ITA ET CELEBRANDÆ MEMORIÆ PRÆSVL EXIMIVS MONAS, MATERNVM CORPORE NON FIDE DESERENS, GEMINVM PRÆBVIT HÆREDITARIÆ VIRTVTIS AVGMENTVM. Quippe non alius, quàm Monas, erat Epiſcopus ille poſtremus, in cuius demortui locum quærebatur ſucceſsor, & cui Maternus ipſe tunc ſublectus fuit. A B

IV. Atqui Maternus noſter poſtea denique mortuus eſt Anno Domini Trecenteſimo ſeptimo, die 18. Iulij, vt dicebam Capite 25. Numero 3. Emigdius autem martyrio coronatus eſt Anno Trecenteſimo nono, die 5. Auguſti. Sic enim tradunt Baronius in Annalibus, Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Ferdinandus Vghellus in Italiæ Sacræ Tomo Primo, nimirùm in Aſculanis ſeu Eſculanis in Piceno Epiſcopis, Numero 1. Certè autem ſimul etiam ex Optato Mileuitano, teſte probatiſsimo, Miroclem conſtat Eccleſiæ Mediolanenſi præfuiſſe Anno Trecenteſimo decimo-tertio: quo videlicet Anno primus inter alios quindecim Epiſcopos Italos Concilio ſubſcripſit Romano, per Melchiadem Papam congregato pro diſcutienda Donati atque Cæciliani cauſa. Quamobrem hinc etiam confirmatur id, quod ego Miroclem dicebam Materno proximè ſuffectum fuiſſe, cuius Epiſcopales Anni communiter vigintiduo numerantur; ſicut etiam hinc ex aduerſo refelluntur ij omnes, qui Materno Miroclem ordine temporis & Epiſcopatus antepoſuerunt. Reliquum igitur nobis iam eſt, vt tempus, quo Emigdius obijſſe fertur, componere ſtudeamus cum eo, quo Mediolanenſem Mirocles Eccleſiam regebat. Qua in re ſi fortè nimias in anguſtias à me redigi tempus videtur illud, quo Emigdius Epiſcopatum Aſculanum adminiſtrauerit; meliora eiquè protrahendo commodiora proferant ij, quibus ego non ſatisfecero. Per me quidem à decima-octaua Iulij die, qua Maternus occubuit Anno Trecenteſimo-ſeptimo, vſque ad quintam diem Auguſti, qua Emigdius Trecenteſimo nono decollatus fuit, biennium & aliquid amplius aſsignatur. Sic igitur circa C D

biennij eiuſdem initia Mirocles potuit eligi conſecrarique Mediolanenſis Archiepiſcopus: dehinc Emigdius ab ipſo Sacerdos ordinari, ac poſtea Epiſcopus Aſculanus à Marcello Papa, cui Epiſcopalis eius Ordinatio adſcribi ſolet, quique tunc etiam temporis Romanæ præſidebat Eccleſiæ: reliquum verò biennij ac dierum potuit Emigdius exercitatione officij Epiſcopalis tranſigere, ac rebus præclarè geſtis longa temporum ſpatia tantò laudabiliùs æquare. Sed meliuſculè profectò mea hæc ſupputatio ſeſe habet eam quoque ob cauſam; quia neminem adhuc nactus ſum, qui certa temporis menſura Epiſcopatum Emigdij definierit. Ne Petrus quidem de Natalibus hoc egit, cùm Libro 7. Capite 24. ſcriberet eius Vitam vberiùs, quàm cæteri omnes, quos ego legere adhuc potuerim. Eiuſdem verò meminit etiam Romanum Martyrologium die quinta Auguſti, necnon etiam ibi Baronius in Notis. Congruenter autem ad ſuperius Vaticani Codicis teſtimonium, quo Emigdius dicebatur trigeſimo ætatis ſuæ anno in Sacerdotem ordinatus, ego tandem ſuperaddam, eum anno circiter trigeſimo-ſecundo coronam martyrij conſecutum eſſe. Sicut autem mortalis olim ac Mediolani degens tantam Populi noſtratis multitudinem verbo & exemplo conuertit ad Chriſti Fidem; ſic etiam ſuppliciter ego ipſum nunc precor & obteſtor, vt immortalis iam & incola Cæli factus Vrbem noſtram ſuis precibus in primæua illa Chriſti Fide conſeruet vnà cum cæteris è Cælo Tutelaribus noſtris. Me profectò piget atque etiam pudet, ipſum tanto iam ex tempore nobis ignoratum fuiſſe: quem alioqui, tam benè de nobis noſtraque ſalute meritum, decebat ſemper & oportebat in animis viuere noſtris, nec vnquàm è maiorum noſtrorum memoria excidere.

A B C

V. Sed quæris à me tandem, ac moræ impatiens, vt opinor, quæris, vbinam eſſet Oratorium illud Sanctorum Nazarij & Celſi, vbi Emigdium adhuc vidimus Sacerdotio inſignitum: mequè profectò viciſsim piget, quòd ex voluntate tua meaquè certum aliquid reſpondere non poſsim. Quippe inter omnes noſtræ Vrbis Eccleſias, quarum ſitus mihi adhuc innotuerint, has tantùm reperi quatuor, quæ Sancti Nazarij aut Celſi nomen prætulerint. Prima eſt Sancti Nazarij Maioris IN PORTA ROMANA, ſeu in BROLIO, quæ antehac APOSTOLORVM BASILICA vocabatur: ſecunda eſt Sancti Nazarij IN CAMPO, tertia Sancti Celſi; & hæ quidem ambæ intra Portæ Ludouicæ fines conſiſtunt, ſibiquè inuicem contiguæ ſunt: quarta Sancti Nazarij AD PETRAM SANCTAM, in Porta Cumana. Primam verò planè conſtat, & per nos liquidiùs poſtea conſtabit, à Sancto Ambroſio Antiſtite conſtructam fuiſſe, quinetiam Sancti Nazarij titulum adeptam ex eo tantùm tempore, quo eiuſdem Nazarij corpus aſſecuta fuit Ambroſij beneficio. Secundam pariter ac tertiam in progreſſu præſentis Operis videbimus conſtructas tantummodò, poſtquàm ſacra eorumdem Martyrum Corpora illic inuenta fuerunt. De quarta igitur tantùm quæri poteſt, an ea tempore Miroclis extiterit.

D

VI. Paulus

VI. Paulus Morigia, in Ciuitatis ac Diœceſis Mediolanenſis Sanctuario, Eccleſiam illam cenſuit ædificatam poſteaquàm prælium illic atrox & cruentum à Sancto Ambroſio vnà cum Catholicis commiſſum aduerſùs Arianos fuiſſet, ac victoria de ipſis non abſque ingenti miraculo reportata eſſet. Eo igitur certamine victoria & miraculo narratis, hæc addidit: *Et perche in diffenſione di Sant' Ambrogio, e della Fede Catolica ne morſero in quella bataglia parecchi di Caſa Pietra-Santa, è di Caſa Rhò; perciò l'vn' e l'altra furono priuilegiate da Sant' Ambrogio. Ne voglio laſciar' di dire, come in quel luogo, doue fù commeſſa queſta ſcaramuccia, i noſtri antichi ci fabricarono vna Capelletta, e ci miſero vna ferrata auanti* CON VNA LASTRA DI MARMO, CHE STAVA RIPOSTA SOPRA L'ALTARE DI DETTA CAPELLA, *con lettere ſcolpite, che dicono* DEVS IN ADIVTORIVM MEVM INTENDE. *E ciò fecero à perpetua memoria di tanto miracolo: la qual' Capella eſſendo ſtata quiui da mille ducent' anni, fu gittata à terra da Don Ferrante Gonzaga l'Anno* 1549. *quando egli attendeua ad abellire la Città, e leuar' gl' impacci dalle ſtrade; eſſendo eſſa nel corſo della via.* QVIVI ANCORA CI FV FABRICATA VNA CHIESA SOTTO IL NOME DI SAN' NAZARO, E SOTTO IL COGNOME DI QVELLA PIETRA, CHIAMANDOLA SAN' NAZARO PIETRA SANTA. *Et era Chieſa Parochiale: la quale nell' Anno* 1578. *alli ſei Ottobre in Lunedì fù data alli Scuolari ſotto il titolo di San' Girolamo dal Beato Carlo Borromeo: i quali gittarono à terra la Chieſa vecchia, e rifecero quella che hora ſi vede:* E LA DETTA ANTICAGLIA DI QVELLA PIETRA SI VEDE AL VASO DELL'ACQVA BENEDETTA. *E di già fù conceſſo à detta Pietra anticamente da Sommi Romani Ponteſici trè anni e trè quarantene d' Indulgenza. E Gherardo Landriano, Veſcouo di Como, e Cardinale ampliſſimo, eſſendo Legato à Latere della Sede Apoſtolica ſotto il Papato di Eugenio Quarto, conceſſe alla detta Pietra, poſta in quella Capella, cento giorni d'Indulgenza.* Hæc ad verbum Morigia typis primùm edidit Mediolanenſibus Anno Domini 1603. Quibus quidem verbis inter alia nos edocet, Petram illam Sanctam non aliam fuiſſe, quàm tabulam illam marmoream, cui eſſet inſculptum DEVS IN ADIVTORIVM MEVM INTENDE, quamquè tunc etiam cerni affirmabat ad Vas Aquæ luſtralis: in Eccleſia videlicet ipſa Sancti Nazarij, ad quam tranſlata fuit poſt ſublatam è medio Cappellulam illam, in qua priùs extabat. Verè igitur præſenti etiam tempore illa viſitur in eadem Eccleſia. In eius enim latere, per anteriorem portam ingredientibus ſiniſtro, aliquantùm è pariete proſtat ſemicolumna marmorea, & ſatis antiqua, in cuius vertice vas ipſum Aquæ luſtralis exſcalptum eſt. Supernè verò parieti eidem conſita eſt vetuſta è lapide tabula, non illis tamen quæ Morigia dicebat, ſed hiſce verbis inciſa: DIVVS. AMBROSIVS. DVM. ARIANOS. FAMILIÆ. PETRASANCTORVM. MANV. HIC. EXPVGNAT. GRATO. IN. ÆVVM. TESTIMONIO. VICTORIÆ. LOCVM. A. GENTE. IPSA.

IPSA PETRASANCTAM NOMINAVIT. Rurſuſque ſupra tabulam ipſam è pariete pendet altera, ſed linea & mobilis, hunc in modum inſcripta: *Indulgenze conceſſe à queſta Pietra, ſopra la quale ſalì Sant' Ambroſio, combattendo contra li Ariani: prima da Sommi Pontefici, viſitandola, gli conceſſero trè anni e trè quarantene d'Indulgenza: ſecondo dall' Illuſtriſſimo Ghierardo Landriano, Veſcouo di Como, Cardinale ampliſſimo, eſſendo Legato à Latere della Sede Apoſtolica ſotto il Papato di Eugenio Quarto, gli fù conceſſo cento giorni d'Indulgenza.* Quibus quidem rurſus verbis indicatur, Petram eiuſmodi Sanctam non fuiſſe tabulam illam, quam Morigia dicebat; ſed eam potiùs columnæ partem, quam ego ſubiectam eidem tabulæ conſpicatus fui; quaſi verò Sanctus Ambroſius eiuſmodi columnam illic ſtantem inſcenderit concionabundus, vt Catholicos in eo certaminis diſcrimine ad prælium aduersùs Arianos animaret, contra quos ipſemet etiam eſſet armatorum ductor. Certè quidem Auctor etiam Chronici *Flos Florum*, qui ſuos eiuſmodi flores colligebat Anno Domini 1399. in eandem ſententiam ſic ſcripſit folio 81. pagina 2. *Interim Beatus Ambroſius manu armata contra Arianos inſurgit: bellum committitur, & Catholici proſternuntur in loco, vbi dicitur* TERRA AMARA, *vbi nunc eſt Eccleſia Sancti Fomei* (hoc eſt Thomæ Apoſtoli) IN TERRA AMARA. *Item congregato exercitu iterùm dimicatur, & Ariani per Beatum Ambroſium proſternuntur:* ET IN LOCO PVGNÆ LAPIDEM IN MEMORIAM TANTÆ VICTORIÆ EREXIT, QVI VSQVE HODIE DICITVR PETRA SANCTA, *iuxta Eccleſiam Sancti Nazarij* AD PETRAM SANCTAM. Sic etiam Gualuaneus Flamma, qui florebat Anno Domini 1330. & quo neminem adhuc legi vetuſtiorem, qui talia tradiderit, hunc in modum ſcribebat in Chronico Maiori Capite 115. ſecundùm exemplar Vrbani Secretarij: *Interim Beatus Ambroſius manu armata contra Arianos inſurgit: pugna committitur, diu dimicatur, tandem Beatus Ambroſius ſuperatur, Catholici interficiuntur. Vnde ille locus dictus eſt* TERRA AMARA, *ſiue amaritudinis vſque hodie de Rota ſanguinis. Iterùm Beatus Ambroſius congregato exercitu ex tota Italia, audito quòd Valens Imperator Arianus apud Viennam in lecto, dolo Arbogaſtis & Eugenij Comitum Palatinorum, fuiſſet interfectus, iterùm contra Arianos dimicauit: quos exterminans & conculcans extra Ciuitatem eiecit:* ET IN LOCO VICTORIÆ LAPIDEM IN TITVLVM EREXIT: ET VSQVE HODIE PETRA SANCTA NOMINATVR. En igitur ambo etiam hi Auctores in id conſentiebant, vt PETRA illa SANCTA non eſſet tabula, ſed lapis in memoriam & in titulum erectus; atque adeò columna potiùs illa, quam ego commonſtrabam: vtque Ambroſius illam non inuenerit erectam inſcenderitque ante pugnam, ſed poſt pugnam & victoriam erexerit. His autem magis etiam conſentaneum eſt, vt dicamus, eandem illam PETRAM SANCTAM familiæ Petraſanctorum appellationem atque cognomentum communicaſſe potiùs, quàm ab ea accepiſſe. Interim verò nos nihil etiam

videmus

videmus repugnans, quominùs ea Sanċti Nazarij Eccleſia priùs ibi extare potuerit, antequàm illic aduersùs Arianos pugnaretur, & illic è regione in titulum PETRA illa SANCTA erigeretur. Quid enim vetat, quominùs ex ea poſtmodùm erecta nouam illam potuerit appellationem accipere, vetuſquè illic Eccleſia recenter appellari AD PETRAM SANCTAM? A

VII. Inter hæc autem fatebor ego quidem, Ambroſij tempore cruenta fuiſſe aliquando inter Catholicos & Arianos certamina, multorumquè cædes, dum ſuam illi Fidem, hi perfidiam tuerentur; ſed Catholicorum hac in parte anteſignanum auctorem ac ducem nutritoremquè fuiſſe Ambroſium, ſicut popularis inter noſtrates homines venditat opinio, id ego iam negaui ore rotundò, iterumquè nego. Negandi verò cauſas & rationes copioſiſsimè oſtendam infra Capite 54. ex ipſiuſmet Ambroſij doctrina, pluribus in locis ab ipſo tradita, & ab omnibus recepta. B

VIII. Materni porrò & Miroclis mentio à me facta hoc depoſcit, vt huic Capiti ad memoriam conſignem, quæ de ipſis apud Claudium Robertum & apud Ennodium Epiſcopum Ticinenſem obſeruaui. Ille ſiquidem in ſuæ Galliæ Chriſtianæ Archiepiſcopis Remenſibus, Numero 6. Sanctum enumerans Maternianum, ſic etiam de ipſo ſcribit: FERTVR FVISSE FRATER MATERNI ARCHIEPISCOPI NONI MEDIOLANENSIS. Ennodius autem in Vita Sancti Epiphanij, Ticinenſis itidem Epiſcopi, non procul ab initio, ſic narrabat: *Igitur præfatus vir inſignis Epiphanius oriundo Ticinenſis Oppidi indigena fuit, patre Mauro generatus, & matre Focaria editus*, QVÆ SANCTI ETIAM MIROCLETIS, CONFESSORIS ET EPISCOPI TANGEBAT PROSAPIEM, *hominibus ex liquido ingenuitatis fonte venientibus*. Quem tamen in locum eruditiſsimè, more ſuo, ſic in Notis Iacobus Sirmundus ad eam dictionem, SANCTI MIROCLETIS, adiecit: *Epiſcopi Mediolanenſis: qui iudex inter alios ſedit in cauſa Cæciliani, temporibus Conſtantini, vt narrat Optatus Libro primo.* MIROCLETIS *ſæculi vitio dictum pro* MIROCLIS, *quo vſus eſt Mirocles ipſe in Epigrammate, quod Beato Anatholoni Epiſcopo prædeceſſori ſuo poſuit, clauſitquè hoc diſticho:* C

HIC TITVLVM, ET PICTO VENERANDOS PARIETE VVLTVS
MIROCLIS REDDIT PRÆSTITIS ALMA FIDES. D
MIROCLES EPISCOPVS.

Atque hinc profectò corrigendus eſt etiam Carolus à Baſilicapetri, cùm in Hiſtoria Mediolanenſi, ſeu in Mirocle Archiepiſcopo (ſicut etiam ipſe computabat) Nono, poſtremum illud carmen, tamquàm ex Andrea Alciato, ita prorsùs exſcripſit:

MIROCLES REDDIT, PRÆSTITIT ALMA FIDES.

Legendum enim eſt & MIROCLIS, & PRÆSTITIS, quod ſonat idem ac *Antiſtitis*. Cæterùm Carolus paulò antè nihilominùs ita etiam ſcripſerat: *Illud quoque Sancti Ambroſij inſigne eſt; quòd nominans tres Epiſcopos, eius anteceſſores, quorum hæreditatem ſe numquàm traditurum affirmat*, MIRO-

V CLEM

CLEM *in his numerat*: MIROCLEM, *inquam*, *& non* MIROCLE- A
TEM; *cùm ita dicat Sanctus Ambroſius*. Concepta ipſius verba nos iam
ſupra recitauimus: quibus hac in parte conſentiebant etiam ſuperiora
illa Sancti Emigdij Acta. Quocirca etiam prudenter in poſtrema nu-
peraquè Breuiarij noſtri editione mutatum eſt MIROCLETIS nomen
in MIROCLIS.

IX. Quòd verò attinet ad vetuſtiſsimam Mediolani familiam Petraſanctam:
ea quidem in præſentem vſque diem nobiliſsima perſeuerat & eﬄoreſ-
cit in Attilio & Cæſare, fratribus, erga me profectò humaniſsimis.
Attilius (antehac in Baptiſmate nomen Franciſci ſortitus) iterùm Ab-
bas nunc eſt celeberrimi hac in Vrbe Monaſterij Ambroſiani: primaquè
vice ſimul etiam fuerat Ciſtertienſis in Italia Congregationis Præſes, in B
omnem poſteritatem Ordini celebrandus vniuerſo; quippe cuius præ-
cipuum columen & decus. Sed & præterea priùs Romæ fuerat Mo-
naſterij Sanctæ Crucis in Ieruſalem Abbas, idemquè Sancti Officij (vt
communiter vocant) Qualificator. Theologus verò etiam eſt præſtan-
tiſsimus, in regendo prudentiſsimus ac moderatiſsimus, diſciplinæ re-
gularis tenaciſsimus, in tractandis porrò negotijs acerrimus, ſed mira
cum dexteritate ſimul & comitate, boniſquè tandem omnibus amabi-
liſsimus. Cæſar autem auitum poſsidet ac ſumma cum laude adminiſ-
trat ampliſsimum Canturij, Mediolanenſis Oppidi nobiliſsimi, & ſu-
biectorum ei municipiorum, Comitatum, iam inde ab Anno Domini
1475. à Galeatio Maria Sfortia Mediolani tunc Duce traditum Franciſ- C
co (è quo primæuum nomen Attilius velut hæreditarium acceperat)
Petraſanctæ, ſuis è Maioribus vni, & ſpectabili quidem Militi, atque
Celſitudinis ſuæ Camerario à Camera; ſic enim Diplomate, tunc tem-
poris in id decima-quarta Martij die atque Indictione octaua dato,
deſcribitur. E quo quidem Diplomate (à me inſpecto, eodemquè au-
thentico) Iubet etiam explicare, quemadmodùm Dux illi eiuſquè filijs
& deſcendentibus, maſculis & legitimis, & de legitimo matrimonio
lineaquè maſculina natis & naſcituris, tam inſignem Comitatum ac
Feudum tradiderit. Illis quippe tradidit Oppidum ipſum Canturij *cum
territorio, iuribus & pertinentijs ſuis, ac mero & mixto imperio, gladij po-
teſtate, & omnimoda iuriſdictione in feudum rectum, honorificum, nobile &* D
*gentile, ac iure feudi recti, honorifici, nobilis & gentilis, cum omnimoda im-
munitate & exemptione tam datiorum pedagiorum & gabellarum, quàm alio-
rum quorumcumque onerum, ſiue illa ordinaria ſint, ſiue extraordinaria, rea-
lia, perſonalia, vel mixta, & quocumque nomine nuncupentur.*

X. De familiæ verò Petraſanctæ nobilitate pariter ac vetuſtate legi poteſt
Paulus Morigia, Hiſtoriæ Mediolanenſis Libro 4. Cap. 21. Beatum ta-
men Antonium Petraſanctam, quem ille conijciebat in Sancti Ambroſij
tempora, nos Capite poſtea 38. Num. 12. in longè poſteriora conijcie-
mus. Verè autem ibi mox ille lapideam & veterem commemorabat
arcam, in Baſilicæ Ambroſianæ Cœmeterio, ſiue Atrio, ſiue Cortina,

nunc

nunc etiam ſub porticu extantem , humoquè ſupereminentem , ac pa- A
rieti adhærentem, quinetiam ei conſitam ex parte, necnon hac Inſcrip-
tione ſimul cum inſignibus gentilitijs in operimento conſignatam :

IACET DOMINVS PAGANVS PETRASANCTA
MILES ET CAPITANEVS FLORENTINORVM
QVI OBIIT ANNO DOMINI DCCC.
AD CVIVS FVNVS INTERFVERVNT QVATVOR CARDINALES.

Quos ego videlicet interpretor non alios fuiſſe , quàm Eccleſiæ Medio-
lanenſis Cardinales, quos nunc communiter Canonicos Ordinarios ap-
pellamus. Tanta tunc temporis erat eorum exiſtimatio & dignitas, ra-
ruſquè ac ſingularis ad funera congreſſus.

CAPVT XXXVII. B

Sanctus Ambroſius, Mediolani Archiepiſcopus, Sanctis Apoſtolis Baſilicam ædificat circiter Annum Domini Trecenteſimum octuageſimum-ſecundum, quæ poſtea Nazarianæ cognomentum obtinuit. Et hic multa ſcitu digna de illius ſitu, dequè Brolio, & propinquo Arcu Romano.

I. A Sanctorum Nazarij & Celſi Oratorio , quod Miroclis Ar-
chiepiſcopi tempore Mediolani extabat , nunc ad Ambroſij C
pariter Archiepiſcopi tempora progredior : intra quæ diui-
nitùs factum eſt , vt Sanctorum Protaſij & Geruaſij ac Na-
zarij & Celſi corpora ſuis è tumulis in lucem prodierint,
perquè varia & innumera miracula ſummam ſui fecerint admirationem,
quæ iure merito ad noſtra vſque tempora perſeuerat.

II. Ambroſium autem curſim hoc loco ſupponimus natum Anno Chriſti
Trecenteſimo trigeſimo-tertio , ac proinde vndetrigeſimo poſt Sanctæ
Soteris, conſanguineæ ſuæ nobiliſsimæ, martyrium : eumdemquè ſup-
ponimus in Gallijs natum; cùm genitor ipſius, origine Romanus, &
nomine pariter Ambroſius, illic earum Præfecturam adminiſtraret. Sic
enim benè docuerunt Baronius in eiuſdem Ambroſij noſtri Vita, & D
Theophilus Raynaudus in eruditiſsima & amæniſsima illa ſua Lucu-
bratione, inſcripta: *Ambroſius, Succus cæleſtis, vbi Galliarum expreſſus:*
ſiue *De Beati Ambroſij, Mediolanenſium Antiſtitis, natali in Gallijs ſolo*. Quo
autem ille natus eſt tempore , pueritiam Satyrus eius frater agebat,
grandiuſculaquè iam erat amborum ſoror Marcellina ; itaut ea ſimul
cum patre ac matre in area Prætorij deambularet , quando Ambroſio
infantulo, in cunabulis ore aperto dormienti , portentoſum illud exa-
men apum aduolauit . Quocirca etiam ipſemet Ambroſius poſtea, in
Oratione de obitu Satyri agens de ſua trium ætate , ſic aiebat : *Quis
igitur non miretur Virum* (Satyrus hic erat) *inter fratres duos , alteram*

Virginem (nimirùm Marcellinam) *alterum Sacerdotem* (nempè ſemetipſum) *ætate medium, magnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præſtitiſſe, vt alterius caſtitatem, alterius ſanctitatem referret, non profeſsionis vinculo, ſed virtutis officio?* A

III. Adoleſcentiam deinde bonarùm artium diſciplinis perdiſcendis Ambroſiùs tranſegit. Rhetoricæ in primis ac Philoſophiæ operam dèdit, earumquè notitia egregiè imbutus eſt, atque in auditorio etiam Præfecti Prætoriani cauſas agere cœpit. Notus igitur inde ac dilectus & admirationi habitus à Probo, Viro Clariſsimo, & in Præfectum Prætorij electo, electus etiam ipſe fuit in id munus, vt Prouincias nobiliſsimas, Inſubriam, Liguriam, & Aemiliam conſularibus cum inſignibus regeret. Atque hæc ipſius electio, ſecundùm eiuſdem Baronij ſupputationem, in Annum incidit Chriſti Trecenteſimum ſexageſimum-nonum. B

IV. Per hanc igitur muneris obeundi occaſionem cùm Ambroſius aliquando veniſſet Mediolanum, atque Ciuitatem inueniſſet factionum ſtudijs diuiſam, popularibus exagitatàm turbis, iamquè ad cienda bella ciuilia concitatam, propter varias de noui Epiſcopi electione altercationes (quippe Catholici ex vna parte, Ariani verò ex altera, ſibi quiſque vnum è ſuo cœtu depoſcebant) ipſemet tandem Ambroſius, licet adhuc Cathecumenus, diuino planè ſuffragio, vt notiſsimum eſt, in Epiſcopum ab vtraque partium eligitur; Anno nimirùm Chriſti Trecenteſimo ſeptuageſimo-quarto; nec multò pòſt à Catholicis baptizatur die trigeſima Nouembris; cumquè omnia Eccleſiaſtica officia impleſſet, octaua inde die, ac Decembris ſeptima, in Epiſcopum conſecratur. In his verò probatam pariter Baronio alijſquè multis Chronologiam nos ſectamur. C

V. Inter alia verò muneris Epiſcopalis geſta nonnullas Ambroſius Baſilicas in ſuburbijs ædificaſſe traditur communi Scriptorum noſtrorum conſenſu: & quatuor nominatim, è quibus vnam Sanctis Apoſtolis dicatam: quæ deinde Nazarianæ nomen obtinuit ob ipſius Nazarij corpus, ab eodem Ambroſio illuc illatum: quæquè adhuc nobiliſsima perſeuerat. Sicut autem ille ipſam ædificaſſe fertur Anno Chriſti Trecenteſimo octuageſimo-ſecundo; ſic etiam temporis ordo & ratio à nobis poſtulat, vt in præſenti agamus de ipſius ædificatione, dequè alijs nonnullis ad eam pertinentibus, quæ ſcitu profectò commemoratuquè digna ſunt. D

VI. Quorum primum illud eſt, quòd vbi nunc Baſilica illa extat, illic antea extitiſſe fertur amplum ac nobile quoddam ædificium, cui nomen Ergaſterium. Gualuaneus Flamma, è Sacro Prædicatorum Ordine Religioſus, in Euſtorgiano huius Vrbis Conuentu florebat, vt iam diximus, Anno Domini 1330. Multa verò Mediolanenſis Hiſtoriæ conſcripſit Opera, & vnum nominatim, quod Chronicam inſcripſit Extrauagantem: quam ego adhuc videre tantùm potui in Ambroſiana Bibliotheca, videlicet initio Gualuaneani eius Chronici Maioris, quod ibidem aſſeruatur. Eiuſmodi ergo Chronicæ Extrauaganti multa inſunt de publicis

Mediolani

Mediolani ædificijs, hic ad æmulationem Vrbis Romæ, Gentium Dominæ, conſtructis: & hæc quidem nobis ad præſens inſtitutum è Capite 40. ſuppetunt: *Ergaſterium fuit ædificium altiſsimis muris circumſeptum, diuerſis cameris & ſtabulis diſtinctum: in quibus erant tauri indomiti, leenæ, vrſi, & tigrides. Vbi certis diebus, aſpiciente vniuerſo Populo, iuuenes ſiue tyrones noſtræ Vrbis adueniebant: & cum beſtijs pugnabant, gratia furoris, ſed non criminis.* IN ISTO LOCO NVNC EST ECCLESIA SANCTI NAZARII IN BROLIO. Felix profectò permutatio: qua tantæ religionis Baſilica in eius Ergaſterij feralis & profani locum ſucceſsit. A

VII. Quid porrò Brolium illud fuerit, in quo Apoſtolorum Baſilica conſtructa fuit, & cuius loci appellatio perſeuerat in præſentem vſque diem, Gualuaneus ipſe Flamma copiosè nobis explicauit in eo Chronici Maioris exemplari, quod paulò ante dicebam in Ambroſiana Bibliotheca cuſtoditum. Ibi enim Capite 68. ſex enumerans Thuſcorum conſuetudines, hanc quoque commemorabat: *Quinta conſuetudo fuit, quòd extra muros, ſiue extra mœnia, propè murum conſtruxerunt Pomerium, ſiue Pomœrium, ſpatium ſiquidem rotundum, arboribus pomiferis inſitum, in tanta denſitate, quòd nemoris ſiue luci obſcuritatem incurrebat. Et muro alto cingebatur: in quo nulli licebat habitare, vel arare, vel quodcumque opus vel mercaturam exercere. Ibi aut originaliter aut per cuniculos fons ſcaturiebat. Et erat locus Augurum: in quo Sacerdotes de futuris præcinebant. Et dicitur iſtud Pomerium apud nos Brolium, quando erat magni ambitus: vel Broletum; quando fuit paruæ capacitatis; ſicut in Ciuitate iſta vſque hodie talia loca conſpiciuntur.* Rurſus autem Capite 73. *Iſto* (inquit) *tempore Meſapus Rex, curuli ſellæ inſidens, faſciatus cum lictoribus more Orientali, Palatium conſcendit, & Populo iura tribuit. Eodem tempore fabulæ Proſerpinæ confictæ ſunt. Tunc temporis propè murum Ciuitatis conſitum fuit Pomerium, quod dicitur Brolium, ex omni genere arborum & fructuum, in tanta denſitate, quòd nemoris denſitatem* (legendum videtur *obſcuritatem*, ſicut etiam mox eiuſdem Gualuanei Capite 68. legebamus) *incurreret. Vbi nulli perſonæ nec habitare nec arare licitum fuit. In medio fuit fons viuus: vbi Flamines in curribus arcuatis conueniebant: & loti priùs fonte, augurijs & diuerſis præſtigijs de futuris præcinebant. Et iſtud fuit primum Fanum, quod vnquàm in Ciuitate Mediolani conſtructum fuit. In proceſſu temporis pro Regina paruum Pomerium conſtructum fuit: quod diminutione, per reſpectum ad Brolium magnum, dictum fuit Broletum. Vbi etiam per auguria Flamines futura phantaſtico ſpiritu prædicebant.* Denique verò Capite 256. *In latere Ergaſterij* (quo in loco Apoſtolorum ſiue Nazarij Baſilicam proximè dicebamus ædificatam) *erat Pomerium, ſiue Brolium, in loco, vbi vſque nunc dicitur* BROLIVM. *Ex aduerſo erat Broletum. De ijs duobus ædificijs* (Brolio nempè ac Broleto) *habetur ſupra Capitulo 68. & Capitulo 73.* B C D

VIII. Quanam verò Ambroſius occaſione Baſilicam illic Apoſtolorum conſtruxerit ac dedicauerit, non alium mihi nunc depoſco teſtem, quàm

Landul-

Landulphum Seniorem, Libro 1. Capite 6. tametſi nulla cæteroqui ſit eius apud me fides in ijs rebus, quæ ad controuerſiam pertinent Anno Domini Milleſimo quinquageſimo-ſexto excitatam, & ab Eccleſia Romana propugnatam contra Clericos Ambroſianos, per ea tempora vxoratos; quibus videlicet ille nimiùm fauit. Scribebat autem circiter Annum Milleſimum octuageſimum, & quatuor Hiſtoriæ Mediolanenſis Libros poſteritati reliquit. Bina eorum exemplaria manuſcripta reperiuntur in Capituli Metropolitani Bibliotheca: è quibus vnum eſt, quod in fine Libri quarti & vltimi ſic denique habet: *Explicit Liber Hiſtoriarum Landulphi Hiſtoriographi*; cùm alioqui proprium eius nomen non ſatis in principio, vbi aliquatenùs per litteram L indicatur, diiudicari poſſit. Ipſum verò Seniorem appellabam, vt ea ipſum nota diſcernerem ab altero Landulpho, qui poſterior ætate fuit, quiquè *De Sancto Paulo* cognominatus eſt: quo teſte vti ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis incœpi Numero 281. Annoquè Milleſimo nonageſimo-tertio. Sic igitur Landulphus ille Senior Libro 1. Capite 6. narrabat: *Reuertens Beatus Simplicianus* (interim Eccleſiæ Mediolanenſis Archidiaconus) *ab Vrbe Roma ad Beatum Magiſtrum & Reuerendiſsimum Ambroſium, reliquias particulæ Apoſtolorum Petri & Pauli curioſè ſummaquè deuotione ei obtulit. Quo facto, Beatus Ambroſius ſummo gaudio ſummaquè lætitia omnium aliorum Apoſtolorum reliquias ſtudioſè adquiſiuit. Quibus adquiſitis, honeſtiſsimam Baſilicam ad modum Crucis in Romana parte*, INTER PORTAM QVÆ ROMANA VOCATVR, ET ARCVM QVI ROMANVS TRIVMPHALIS DICITVR, *honorificè condidit. In qua omnium Apoſtolorum reliquias ſumma cum diligentia ſummoquè ſtudio, magnoquè concurſu Epiſcoporum, Clericorum, Laycorum, mulierum, iuuenum, & ſenum, Vrbium vicinarum appoſuit. Vnde vſque hodie* BASILICA APOSTOLORVM *vocitatur. At quòd idem Sanctus Ambroſius ſuper hanc Eccleſiam dictauerit, & in Sancti Nazarij honorem verſificauerit ore proprio, audiendo cognoſce.*

A B C D

Condidit Ambroſius Templum, Dominoquè ſacrauit
Nomine Apoſtolico, munere, relliquijs.
Forma Crucis Templum eſt, Templum victoria Chriſti.
Sacra triumphalis ſignat imago locum.
In capite eſt vita Templi (aliter, *Templi vita*) *Nazarius almæ,*
Et ſublime ſolum Martyris exuuijs.
Crux vbi ſacratum caput extulit orbe reflexo,
Hoc caput eſt Templum (aliter, *Templo*) *Nazarioquè domus,*
Qui fouet æternam victor pietate quietem.
Crux cui palma fuit, Crux etiam ſinus eſt.
Tertia ſed media mors impedit edita cuncta.

Hæc ibi Landulphus: quæ non modò conditam explicant & conſecratam Baſilicam, ſed etiam translatum & in ea collocatum Nazarij corpus: qua de re poſtea nos ex ordine temporis agemus. Cæterùm poſtremus ille verſiculus ab ipſomet Landulpho, & parùm aptè, ſuperadditus

dicus fuit. Quocirca etiam prætermiſſum ab alijs omnibus ego adhuc A
vidi, quotquot adhuc viderim Epigramma illud recitantes. E Iani
Gruteri Monumentis Chriſtianis idipſum, tam quàm Ambroſij aucto-
ris, recitatur etiam ab eruditiſſimo Iacobo Sirmundo in ſuis ad Enno-
dium Ticinenſem Notis. Fontana in ſuis Additamentis ad noſtrorum
Archiepiſcoporum Catalogum, qui penes Aloyſium Eccleſiam meritiſ-
ſimum noſtræ Vrbis Secretarium erat, hoc idem recitaturus ſic præfa-
batur: *Ex Andreæ Alciati Antiquario. Fragmentum eſt in Fornice Aediculæ
Craſſorum, litteris maiuſculis: quod à Diuo Ambroſio Nazario Martyri poſitum
Alciatus memorat*. Ad eius verò finem legit etiam, *Aurelius Ambroſius
Epiſcopus*: ac demùm addit, *Sic etiam vetus Codex*: in quo videlicet hoc
Epigramma ſimiliter legeretur. B

IX. Quòd autem Baſilicam illam Landulphus aſſerebat conditam fuiſſe IN-
TER PORTAM QVÆ ROMANA VOCATVR, ET ARCVM
QVI ROMANVS TRIVMPHALIS DICITVR: id vtique veriſſimum
eſt. Ac Portam quidem Romanam nos infra oſtendemus ibi olim fuiſſe,
vbi nunc eſt Eccleſia Sancti Victoris AD PORTAM ROMANAM,
non procul ab Eccleſia Sancti Ioannis AD CONCHAM. Ex altera
verò parte in Arcus Romani notitiam nos adducit in primis Otho Mo-
rena, in Rerum Laudenſium Hiſtoria. Cùm enim deſcriberet obſidio-
nem, qua Fridericus Imperator Aenobarbus Vrbem ſibi noſtram ſub-
egit Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo-octauo; ita ſcriptum
reliquit: *Poſtea ſequenti die Mercurij, quæ fuit Anno Milleſimo centeſimo* C
*quinquageſimo-octauo, Indictione ſexta, & quæ fuit tunc ſexta die menſis
Auguſti, equitauit Dominus Federicus Imperator vnà cum Rege Bohemiæ, &
Cremonenſibus, atque Papienſibus, necnon & Laudenſibus, aliorumquè Prin-
cipum maxima multitudine, ac ſuper Mediolanum caſtrametatas fuit. Itaque
ipſo die Mercurij ipſemet Dominus Imperator apud Eccleſiam, quæ dicitur*
OMNES SANCTI (hanc ego interpretor fuiſſe illam, quæ nunc
SANCTI BABYLÆ appellatur, quamquè olim appellatam fuiſſe con-
ſtat CONCILIVM SANCTORVM) *quæ eſt Eccleſia Templi, & extat
ipſa Eccleſia* IN CAPITE BROLII (de quo iam diximus) IVXTA
IPSVM BROLIVM: *Rex verò Bohemiæ intra Monaſterium Sancti Dio-
nyſij hoſpitatus eſt. Cæteri autem Principes ab ipſo Sancto Dionyſio* VSQVE D
AD PVSTERLAM SANCTÆ EVPHEMIÆ *iuxta Mediolanum hoſpi-
tati ſunt. Tunc autem Mediolanenſes armauerunt* TVRREM, QVÆ DI-
CEBATVR ARCVS ROMANVS, *quæ valde erat magna, & ad vi-
dendum mira*: ET QVÆ ÆDIFICATA ERAT IN CAPITE BVR-
GI PORTÆ ROMANÆ. *Super quam ipſi Mediolanenſes aſcenderunt,
& eam ferè per octo dies ab exercitu Imperatoris defenderunt. Theutonici ve-
rò, eam toto die expugnantes, cum malleis & ſecuribus ſub aream ipſius Tur-
ris maxima vi intrauerunt, & eam firmiter diſſipabant. Hi verò, qui ſuper
ipſam Turrim erant, videntes eam funditùs deſtrui, nec ampliùs ſe defendere
valentes: valde etiam timentes, ne in terram cum ipſa Turri deijcerentur,*

nec

nec eis Mediolanenſes darent nec dare auderent aliquod ſubſidium ; Imperatori ſe continuò tradidere. Deinde Imperator Mediolanenſes de ipſa Turri deſcendere, ſuoſquè aſcendere iuſsit: ſcalaſquè ad ipſam Turrim fecit apponi. Poſteaquè ſuper eam fabricari fecit quandam optimam petreriam (bellicum erat inſtrumentum, quo lapides eiaculabantur) *quæ intra Portam, quæ propè Eccleſiam Sancti Nazarij fabricata erat, lapides maximos iactabat. Ipſi equidem Mediolanenſes, duas petrerias alias intra ipſam Portam habentes, quandoque ſuper ipſam Turrim quandoque etiam ſatis vltra proijciebant.* Et rurſus aliquantò pòſt: *Alio quodam die Mediolanenſes exierunt armati* PER PORTAM QVÆ ERAT PER MEDIVM ARCVM ROMANVM &c. Hæc ipſa verò etiam Porta, de qua proximè loquebatur Morena, citra dubium non erat Murorum & Mœnium Porta (quæ multùm ab ea Baſilica diſtabat) ſed Foſſati, quæ veriſsimè propè ipſam erat, & intra quam ipſa, ſicut & intra Foſſati ambitum, continebatur. Hæc igitur Foſſati Porta, ſicut etiam Sancti Nazarij Eccleſia, certè ſita erat inter Romanam ad Muros Portam, & Arcum illum Romanum. Et hinc faciliùs etiam dignoſcitur, quàm veraciter Landulphus ijs verbis deſcripſerit Apoſtolorum Baſilicæ ſitum.

X. Si quis autem de Arcu illo tunc expugnato plura noſſe cupit; in promptu ſunt Radeuicus Friſingenſis *De Rebus geſtis Friderici* Libro 1. Cap. 38. Guntherus Libro 8. Ligurini Poematis, ſiue De Rebus itidem Friderici geſtis in Liguria: Triſtanus Chalcus in Hiſtoria Patria, & Carolus Sigonius *De Regno Italiæ*, ad eum ipſum Annum Milleſimum centeſimum-quinquageſimum-octauum. Ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 416. Gualuaneum Flammam his Arcum illum verbis deſcribentem proferebam: *Erat autem Arcus triumphalis quædam Turris ex lapidibus viuis, politis opere mirifico: in cuius pede erant quatuor arcus: & erat ſituata in loco,* VBI EST HOSPITALE LEPROSORVM, ANTE PORTAM ROMANAM. In vnicam ſcilicet Turrim redactus iam tandem videbatur hic Arcus; cùm alioqui longè aliter olim ſe habuerit.

XI. Idem profectò Flamma in Ambroſianæ Bibliothecæ Codice Maiori eum aliter deſcripſit: nec iniucundum erit, ipſum à me rurſus teſtem hic produci. Siquidem in Politia Nouella Mediolani, è qua Codex ille incipit, Capite 125, enarrans, quemadmodùm Romani Ciuitatem Mediolanenſem amplificauerint, hoc etiam recenſet: *Arcum triumphalem in medium pontis, qui ſuper flumina fabricantur, erexerunt* EXTRA PORTAM ROMANAM, *longum per duo milliaria, hinc inde altiſsimis muris communitum, altum à terra quantùm poterat haſta militaris attingere.* Deinde autem in Chronica Extrauaganti, Capite 44. eundem Arcum multò vberiùs in hunc deſcribit modum: *Arcus triumphalis fuit ædificium longum per duo milliaria, in alto aere columnis ſuſtentatum, amplum non multùm, hinc inde muris altiſsimis vallatum: in quibus erant feneſtræ obliquæ, ampla interiùs, & ſtrictæ exteriùs, quæ dicuntur archeriæ. In medio erat coclea, id eſt* Turris

Turris rotunda, in tantum alta, quòd totum planum Lombardiæ faciliter aſpi- A
ciebatur. Quotieſcumque aliquis hoſtis inuadebat Ciuitatem, cui non poterant
reſiſtere in campo, ne Ciuibus noſtris poſſet imputari quòd eſſent obſeſsi; ſuper
Arcum aſcendebant, qui erat extra Ciuitatem protenſus; & poſiti in alto fa-
ciliter reſiſtebant. Capto Arcu, ſtatim Ciuitas ſubijciebatur hoſtibus. In iſto
Arcu erat ſcriptum: QVI VVLT MODICO TEMPORE VIVERE,
MEDIOLANVM INHABITET, VBI VIRES PRO LEGIBVS,
ET IVRA IN OSSIBVS DESCRIBVNTVR. *Hic Arcus poſitus erat*
in loco, VBI NVNC EST HOSPITALE SANCTI LAZARI, SIVE
LEPROSORVM. *Vnde vſque hodie dicitur* LEPROSIS, QVI SVNT
DE ARCV TRIVMPHALI, SIVE ROMANO. *Iſte Arcus pluries fuit*
deſtructus, ET NVNQVAM IN PRIMA MAGNITVDINE RE- B
FORMATVS. Talia Gualuaneus in Politia Nouella. Quibus ſimilia
item habet in Chronico Maiori, Cap. 264. his verbis: *In Porta Romana,*
QVÆ TVNC ERAT IN LOCO, VBI EST ECCLESIA SAN-
CTI VICTORIS AD PORTAM ROMANAM, *incipiebat extra Por-*
tam Ciuitatis (quæ videlicet altera Porta erat ad Foſſatum) *quidam Ar-*
cus longus versùs Romam per duo milliaria. Et erat frequentiſsimis columnis
ſuſtentatus, non multùm altum à terra, quanteam poterat haſta militis attingere.
Et erant hinc inde muri merlati, pleni feneſtris obliquis, quæ dicuntur arche-
riæ. In medio erat vna Turris rotunda, dicta Coclea, altiſsima, in tantum,
quòd totum planum Lombardiæ aſpiceret. Quotieſcumque Imperator, vel Rex,
vellet Ciuitatem obſidere; ne videretur Ciuitas obſidionis opprobrium ſuſtinere, C
omnis Populus ſuper Arcum concurrebat armatus; & faciliter, in ea altitudine
communitus, omnibus hoſtibus reſiſtebat. In iſto Arcu Principes Romanorum,
mores Mediolanenſium diligenter rimati, inſcribi iuſſerunt per iſta verba: QVI
VVLT MODICO TEMPORE VIVERE, MEDIOLANVM IN-
HABITET, VBI VIRES PRO LEGIBVS, ET IVRA IN OSSI-
BVS DESCRIBVNTVR. *Quære ſupra, Capitulo 145. & Cap. 254.* Hæc
item ibi Gualuaneus. In Chronico verò Extrauaganti, Capite 39. deſ-
cribens Vrbis noſtræ Amphitheatrum, ſic etiam inquit: *Amphitheatrum*
fuit ædificium rotundum, altiſsimo muro circumſeptum: in quo erant duæ portæ:
vna versùs Oriens, altera versùs Occidens. Et quotieſcumque inſtabat ali-
cuius quæſtionis controuerſia, vel criminis impoſitio: non requirebatur Iuriſta, D
aut Lex; ſed illi duo, inter quos erat quæſtio, in equis albis cum galeis aureis,
alter per portam Orientis, alter per portam Occidentis, calcaribus vrgentes deſ-
trarios, in tantum haſtis & gladijs perſeueranter dimicabant, quouſque in alte-
rius mortem proſiliret. Vnde in iſta Ciuitate antiquitùs non fuit opus Lege, vbi
inſaniens gladius diſputabat. Et iſta fuit cauſa, quare Romani in Arcu Trium-
phali inſcribi fecerunt: QVI VVLT MODICO TEMPORE VIVE-
RE, MEDIOLANVM INHABITET, VBI VIRES PRO LEGI-
BVS, ET IVRA IN OSSIBVS DESCRIBVNTVR. *Erat autem iſtud*
ædificium fundatum vbi nunc eſt Brolium. De quo quidem Brolio paulò
ante dicebamus Numero 7. & 9.

XII. Quòd verò ad ipſum Arcum attinet: ego quidem ipſum arbitror deſtructum tandem, nec vmquàm poſtea reformatum, poſtquàm Fridericus eum in poteſtatem ſuam redegit Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo-octauo. Quocirca non modò in altera deinde obſidione, qua Fridericus Anno ſexageſimo-ſecundo, poſt multa etiam in ſuburbijs prælia, noſtram ſibi ſubegit Vrbem, ac demùm funditùs euertit, ſed ne poſterioribus quidem annis vnquàm ego pugnatum adhuc legi ad Arcum Romanum, quo potiri hoſtes niterentur. Quòd ſi ſuperiora etiam Othonis Morenæ verba diligenter examinentur; certè ipſa etiam non obſcurè mihi ſignificant, eum Arcum tunc temporis, quo illam Hiſtoriæ partem ſcribebat, non extitiſſe, proptereaquè vocatum Turrim, QVÆ DICEBATVR ARCVS ROMANVS, QVÆ VALDE ERAT MAGNA, ET AD VIDENDVM MIRA, ET QVÆ ÆDIFICATA ERAT IN CAPITE BVRGI PORTÆ ROMANÆ. En vt præterito tantùm tempore, non autem præſenti, ſtatum eius tunc expreſſerit, quando ſcribebat. Certè autem ſcribebat ante ſecundam Mediolani deditionem Friderico factam; ſicut ex Acerbo Morena conſtat, eius filio; qui propterea tunc Hiſtoriam Laudenſem, à Patre inchoatam, proſequebatur hanc ob cauſam, quia ille iam obijſſet, aut ſaltem ab incœpta ſcriptione deſtitiſſet; ſicut ego quoque Numero 434. obſeruabam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. Quod igitur in eiſdem Monumentis Numero 432. Gualuaneus ipſe Flamma tempore ſecundæ obſidionis Arcum illum ſupponebat ſuperſtitem, atque ab Exercitu Friderici occupatum; id mihi non ſatis probabile iam videtur; & hac præſertim ratione, quia nulla prorsùs mentio eius fiat tunc temporis in Morenarum Hiſtoria; in qua tamen omninò fieri debuiſſet. A B C

XIII. Gualuaneo tamen in eo planè conſentio, quod ſcribebat, Arcum illum fuiſſe in loco, VBI NVNC EST HOSPITALE SANCTI LAZARI, SIVE LEPROSORVM &c. quia nimirùm eidem Arcui valde propinquum eſſet, vt oſtendam. Cùm enim ſuburbani extra Portam Romanam Monaſterij Chareuallenſis olim, nunc Clareuallenſis, Monumenta luſtrarem; peramplum inueni Codicem, in charta pergamena conſcriptum, quo plurimorum Inſtrumentorum, ad Monaſterij Grangias, ſiue villas & prædia, ſpectantium, mentio continetur, diſtributa per Claſſes & Capitula. Quod autem poſtremum ibi eſt Capitulum, & inſcriptum *Inſtrumenta pertinentia ad Grangiam de Vicomaiori*, ſic incipit: *Milleſimo trigeſimo-octauo, octauo Kalendas Decembris, Indictione ſecunda. Placuit atque conuenit inter Obertum de Concorezio, & Sirardum, & Obizonem, & Anſelmum; & Nazarium, & Stephanum, & Petrum, & Zaprinam, & Ermelinam, & Alcandam, & Bellexorem*, DE HOSPITALE DE ARCV ROMANO (cuius videlicet Hoſpitalis adminiſtratores ipſi erant, vt ex ipſomet conſtat Documento) *necnon & inter Petrum, filium quondàm Ottonis, qui dicitur de Mama, de Ciuitate Mediolani &c.* Sicut igitur per ea tempora tam Hoſpitale quàm Romanus Arcus extabant; D

bant; ſic etiam ſuum ſeparatim habebant locum, ſed propinquum ita, A
vt Hoſpitale cenſeri non debeat ipſiuſmet Arcus fundamentis aut ſitui ſuperſtructum. Percommodè autem ſe res habet; quòd illud etiam hodie perſeuerat, Sanctiquè adhuc Lazari Xenodochium & Hoſpitale pro Leproſis vocitatur; neque multum ab hodierna diſtat & nobiliſsima Deiparæ Virginis Eccleſia, propè alteram Sancti Celſi conſtructa; proindequè ne multùm quidem ab eo diſtat horto, vbi Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi ſepulta fuerunt & inuenta. Ex ipſius itaque Hoſpitalis ab vna parte, ab altera verò è Portæ Romanæ ſitu coniectare nobis licebit Romani ſitum Arcus. Illud Aenobarbi etiam tempore vergebat ad confinia Puſterlæ, quæ tunc Sanctæ dicebatur Euphemiæ (vt ſupra iam didicimus ex Otthone Morena) quæquè poſtea Ludouicæ cognomentum à Ludouico Duce noſtro accepit, & in præſenti etiam retinet. B Arcus autem ad confinia Portæ Romanæ pertinebat ita, vt in eius Burgi capite ſitus eſſet, vtquè ab eius Foſſati Porta recto itinere ad ipſum tenderetur; ſicut ex eiuſdem Morenæ Hiſtoria paulò ante intelligebamus. In eius igitur Burgi capite (ſicut ego interpretor) Turris ipſa ſtabat, & ſubtùs eam tranſitus per ampliſsimam portam patebat. Hinc inde verò ſeſe in longum bina protendebant æqualiter eius latera, ex eo ſaltem tempore, quo tanta erat ipſius Arcus longitudo: eiuſdemquè latus venientibus ad Vrbem ſiniſtrum pertingebat ad eum fermè locum, quo Xenodochium illud ſtetit, & ſtat adhuc; eiquè propterea proprium ex Arcu Romano cognomentum reliquit. C

XIV. Et hæc ſatis de Arcu etiam Romano, per occaſionem, qua Landulphus Apoſtolorum Baſilicam nobis conſtructam deſcribebat inter Portam Romanam & Arcum illum tam inſignem. Sicut autem hac in re multum mihi lucis attulit Chareuallenſe illud Documentum, è quo paucula illa recitabam; ſic etiam ingenuè indicandum ad minus mihi ſupereſt, cuius beneficio tam illud quàm cætera eius Monaſterij Monumenta videre potuerim. Tanto me videlicet commodo & honore per ſummam humanitatem dignatus eſt, ſuperioris Anni quadrageſimi-quinti menſe Octobri, benigniſsimus eius Abbas, Domnus Bonauentura Piola, non modò Ciſtertienſis Ordinis verùm etiam Vrbis noſtræ decus: qua profectò Vrbe digniſsimum ſemper ſe Ciuem, conuenienter ad ſuos D natales, adhuc geſsit, cùm propria etiam ſui Ordinis officia tractaret. Quamobrem Lombarda etiam Sancti Bernardi Congregatio inter lectiſſimos Regiminis ſui Patres cum ſibi Caput eſſe meritiſsimè gloriatur. Tanto igitur Præſuli ego inter alia hoc etiam debeo, quòd Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo octuageſimo-octauo, ex antiquiſsima nobiliſsimaquè Triuultiorum familia, cui me fateor deditiſſimum, & hoc item Opere meo vtcumque profiteor, vnum inuenerim Vrbis noſtræ Conſulem, quinetiam inter alios tunc Conſules primarium. In Chareuallenſis enim Monaſterij Archiuo archetypum pariter Documentum extat, eo confectum Anno, die Mercurij, tertio Kalen-

das Ianuarij, Indictione ſexta: in quo Mediolani tunc Conſules hoc ordine numerantur: *In Ciuitate Mediolani Sententiam protulit Onricus*, QVI DICITVR DE TRIVVLCI, *Conſul Mediolani, & cum eo Marchiſius Vicecomes, & Guilielmus Calzagriſia, & Burgus Porcmeionus, ſimiliter Conſules, ſocij eius, de lite, quæ vertebatur inter Fratrem Stephanum, Conuerſum Monaſterij de Clerauallè, nomine ipſius Monaſterij, per ſuum Miſſum, Quintauallem de Mama, de Ciuitate Mediolani: & ex altera parte Andream, qui dicitur Budellus, de Loco Conſonno* &c. A

XV. Conſequens nunc eſt, vt Annum inquiramus, quo Apoſtolorum Baſilica per Sanctum Ambroſium condita & conſecrata fuit. Vetus autem traditio, ab eiuſdem Baſilicæ Clero in hanc vſquè diem perenniter conſeruata, publiciſquè pergamenæ chartæ conſignata tabulis, in eius medio è pariete hinc inde pendentibus, Populoquè commodè ad legendum expoſitis, Italicæ vni, alteri Latinæ, ſic habet: *Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-ſecundo dicta Eccleſia ædificata fuit per Sanctum Ambroſium in honore Apoſtolorum*. Et paulò pòſt: *Et ibi recondita ſunt Reliquiæ duodecim Apoſtolorum per Sanctum Ambroſium, & maximè brachium vnum Sancti Petri*. De quo tamen brachio nihil ego in præſenti contendam. Satis enim mihi nunc eſt Annus ille, quo Baſilica hæc affirmatur in honorem Apoſtolorum condita ob ſacras ipſorum Reliquias, qualeſcumque tandem illæ fuerint. Sin autem Paulinum in Ambroſij Vita conſulamus; ipſe profectò nobis id vnum atteſtatur; eiuſmodi nempè Baſilicam multò ante Apoſtolis dicatam fuiſſe, quàm Sancti Nazarij Corpus in eam transferretur. TRANSLATO ITAQVE (Paulinus inquiebat) CORPORE MARTYRIS (Nazarij) AD BASILICAM APOSTOLORVM, VBI PRIDEM SANCTORVM APOSTOLORVM RELIQVIÆ SVMMA OMNIVM DEVOTIONE POSITÆ FVERANT &c. Eodem autem Paulino teſte, Corpus illud huc translatum fuit intra poſtremos tres annos, quos Ambroſius Imperatori Theodoſio Seniori ſuperuixit, hoc eſt, ab Anno ſupra Trecenteſimum nonageſimo-quarto vſque ad nonageſimum-ſeptimum. Ipſemet igitur Ambroſius aliquantò magis certum ac definitum indicat eius rei tempus. Ad Marcellinam enim Sororem ſcribens (Epiſtola hæc eſt 54.) quemadmodùm Corpora Sanctorum Protaſij ac Geruaſij Martyrum inueniſſet, inuentaquè tranſtuliſſet in Ambroſianam Baſilicam, & hanc ipſis dedicaſſet; ſic incipit: *Quoniam nihil eorum, quæ hic te abſente geruntur, Sanctitatem tuam celare ſoleo; ſcias etiam Dilectiſſima Soror, Sanctos Martyres à nobis repertos. Nam* CVM EGO BASILICAM DEDICARE VELLEM; *multi tamquàm vno ore interpellare cœperunt, dicentes:* SICVT IN ROMANA, SIC BASILICAM DEDICES. *Reſpondi:* FACIAM; SI MARTYRVM RELIQVIAS INVENERO. *Statimquè ſubijt veluti cuiuſdam ardor præſagij. Quid multa? Dominus gratiam dedit* &c. Sic enim ſe habet ſincerus genuinus & verus illius Epiſtolæ textus: quem nobis editio Romana, per Sixtum Papam Quintum,

antequàm

antequàm eſſet Pontifex, elaborata, & Anno 1585. Pontificatus ſui primo, approbata, pijſquè ac doctis Viris commendata (ſicut etiam Capite 7. Num. 3. præmonebam) ſuppeditat. Quocirca miſeret me profectò eorum, quibus editio tantùm anterior, & multis in locis mendoſa, in promptu & ad manus erat: meque miſeret Caroli præſertim à Baſilica Petri, Patricij noſtri Mediolanenſis, ac denique Nouarienſis Epiſcopi. Etenim ſuorum Hiſtoriæ Mediolanenſis Fragmentorum initio, cùm de hac ipſa diſſereret Apoſtolorum Baſilica; ſic ex ea editione mendoſa legit, & ex alieno mendo traxit etiam mendi ſui occaſionem; ſic, inquam, ipſe legit: *Nam* CVM BASILICAM DEDICASSEM, *multi tamquàm vno ore interpellare cœperunt, dicentes ſic*: IN ROMANA BASILICA DEDICES. Quam quidem lectionem Robertus Cardinalis Bellarminus Libro 3. De cultu Sanctorum Cap. 5. in eo tantùm variauit: *dicentes*: SIC IN ROMANA BASILICA DEDICES. Laurentius autem Surius vndeuigeſima Iunij die hunc in modum recitauit: *dicentes*: SIC IN ROMANA BASILICAM DEDICES. Sed re vera corruptus ac degener erat textus, qualicumquè modo ex his tribus legeretur: quinetiam ſibimetipſi diſcors erat & repugnans. Si enim Ambroſius Baſilicam iam dedicarat; ergo alteram dedicarat præter illam Romanam, quam, vel in qua, vt dedicaret, interpellabatur. Cùm igitur reſpondit, HOC FACIAM, SI MARTYRVM RELIQVIAS INVENERO; tunc vtique promittebat, ſe facturum id, de quo fuerat interpellatus: atque adeò (ſi proximas eius Epiſtolæ attendamus lectiones) promittebat, ſe dedicaturum in Romana Baſilica, vel Baſilicam in Romana, nempè Porta: quorum tamen vtrique textus aduerſatur illicò ſubſequens. Subdit enim Ambroſius: *Statimquè ſubijt veluti cuiuſdam ardor præſagij*: quo nimirùm proximè futuram præſagiuit ſacrorum Corporum inuentionem. *Quid multa? Dominus gratiam dedit*: qua nempè Ambroſius facere poſſet, quod promiſerat: eamquè Dominus tunc dedit, quando Sanctorum Protaſij & Geruaſij Corpora ipſi reuelauit; ſicut ipſemet ibi protinùs enarrat. Certè autem Corpora illa inuenta non in aliam tandem Baſilicam tranſtulit, quàm in Ambroſianam. Inquit enim: SEQVENTI DIE TRANSTVLIMVS EA IN BASILICAM, QVAM APPELLANT AMBROSIANAM. Sic etiam non alibi ea condidit, quàm ſub eiuſdem Baſilicæ Altari, quemadmodùm ipſemet Ambroſius Marcellinæ recenſuit per eam Epiſtolam, perquè inſitum Sermonem, quem die illo ad Populum Mediolanenſem habuerat. En igitur vt Ambroſius, hiſce Sanctorum Corporibus inuentis, non aliam ipſis Baſilicam dedicat, quàm ſuam, cognomento Ambroſianam. Ergone iam dicemus, Ambroſium non id feciſſe, de quo fuerat interpellatus: & à promiſsione ſua turpiter defeciſſe? Abſit à nobis, vt de tanto Antiſtite tantum dedecus credatur. Quidni ergo vice verſa potiùs ex ipſius facto, de quo dubitari non poteſt, intelligamus, eum pariter interpellatum tunc fuiſſe, vt non aliam dedicaret,

quàm

quàm Ambroſianam: & ſolam huius dedicationem ab ipſo tunc promiſſam interpellantibus, & à ſemetipſo etiam priùs, quàm interpellaretur, deſtinatam & optatam? Hunc ipſum ergo ſenſum pro rei veritate præfert recitatus à me poſterioris illius Epiſtolæ contextus: ſecundùm quem Ambroſio etiam in exemplum ac ſtimulum proponebatur Apoſtolorum Baſilica, quam ille in Romana, nempè Porta, ſiue intra ſuburbanos eius limites, iam ante dedicauerat ob ipſorum Apoſtolorum Reliquias, ſumma omnium deuotione ibidem collocatas; ſicuti nos è Paulinò nuper etiam recitabamus. Sed ipſummet audire Carolum præſtat, ſuperiora illa interpretantem verba cùm Paulini tum Ambroſij, qualia ipſe recitauerat. Sic enim protinùs adiecit: *Romana eſt appellata* (loquebatur autem de ipſamet Apoſtolorum Baſilica) *quemadmodùm Porta, quæ proxima eſt, Romam versùs. Apoſtolorum poſtea dicta, vt ex verbis Paulini, modò recitatis. Reliquias verò Apoſtolorum fuiſſe brandea, ſeu velamina, quæ demùm à Beato Carolo inuenta & recondita ſunt, alibi diximus.* Innuit autem ipſius Sancti Caroli Borromæi Vitam, Latinè olim à ſe conſcriptam. Ibi enim Libro Quinto, Capite ſexto, de his Apoſtolorum Reliquijs abundè in eam ſententiam diſſeruerat: editumquè typis euulgauerat Anno Domini Milleſimo quingenteſimo nonageſimo-ſecundo. Sed ne propterea quidem nobiliſsimum ac ſapientiſſimum eius Baſilicæ Collegium venerari, tamquàm Principis Apoſtolorum Petri, deſtitit quoddam cranij fragmentum, cute adhuc & hiſpidis & denſis caniſquè capillis obtectum, quod in Sacrario ſiue Sacriſtia & ſacræ ſupellectilis Conditorio, ex immemorabili tempore ac Maiorum traditione ſeparatim aſſeruabatur. Id enim, argentea partim cryſtallinaquè theca perhonorificè incluſum, in præcipuis etiamnùm ſolemnitatibus ad venerandum exponunt. Quocirca etiam congruenter ad ſuam eiuſmodi opinionem proferre illud poſſent, quod eruditiſsimus Ioannes Molanus *De Hiſtoria Sanctarum Imaginum & Picturarum* Libro 3. Cap. 21. recitabat è Claudiani Epigrammate in Iacobum Magiſtrum Equitum: in quo ſic illum cœpit obteſtari:

Per cineres Pauli, PER CANI LIMINA PETRI,
Nec laceres Verſus Dux Iacobe meos.

Sed hinc ad eundem Interpretem Carolum reuertamur, ita proſequentem: *Inuenit quidem Sanctus Ambroſius tunc Reliquias Martyrum, Sanctorum Geruaſij & Protaſij; verùm ijs hanc Baſilicam* (Romanam) *non dedicauit* (en, vt Ambroſio notam inurit illam, quam ego deteſtabar, eius etiam contextui, nedùm dignitati, aduerſantem) *ſed Ambroſianam, quæ etiam ipſo viuente ſic appellata eſt; vt idem ipſe refert in Epiſtola memorata* (ad Marcellinam) *quam etiam* NOVAM BASILICAM *dicit*. Memoria tamen in hoc lapſus ille fuit. Nuſquàm enim Ambroſius Ambroſianæ ſuæ Baſilicæ cognomentum indidit NOVÆ; quippequi Baſilicam ipſam NOVAM ſimul etiam nominauit INTRAMVRANAM & MAIOREM; ſicut ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis iam oſtendi

oſtendi Numero 5. Sic autem rursùm proſequitur: *Ex quo videtur con-* A
ſtare, eam Baſilicam (Ambroſianam) *ab ipſo ædificatam. Eo enim tempore*
Templa ædificabantur, quæ Baſilicæ dicebantur: nominaquè ab ijs qui ædifica-
bant, ſeu à locis alijſuè, ſortiebantur. Sic Baſilica Portiana primò dicta à Por-
tio, vt traditum eſt, Philippi illius pij Viri Mediolanenſis filio: quæ etiam
EXTRAMVRANA *à Sancto Ambroſio dicitur: deinde* SANCTI VIC-
TORIS *ab eius corpore, ibi recondito. Ambroſiana tamen nomen retinuit*
etiam poſt recondita ibi Martyrum Geruaſij & Protaſij Corpora, ob Sancti An-
tiſtitis præſtantiam. Et hæc quidem illi ego quoque vltroneus conſentio.
Quod ſummopere non tantùm damno ſed etiam miror, illud eſt, quod
his conceptum ſequitur verbis de Baſilica rursùs Apoſtolorum: *Igitur*
hanc Baſilicam poſtea (ſiue poſt Ambroſianæ dedicationem) *dedicauit Am-* B
broſius, inuento & illato in eam Corpore Sancti Martyris Nazarij, à quo no-
men poſtremò accepit. Id quod etiam his Carminibus ſignificatur, de hac Baſi-
lica ſcriptis, & à Triſtano recitatis Libro 3. Hiſtoriæ: Quà ſinuata cauo &c.
Facti videntur Verſus ad memoriam operis Serenæ, Vxoris Stiliconis: quæ
Eccleſiam lapidibus ſtrauit, qui adhuc manent. Hactenus Carolus à Baſilica
Petri. Quaſi verò ad eam Baſilicam Sanctis Apoſtolis dedicandam ſatis
Ambroſio non fuiſſent ſacroſanctæ ipſorum Reliquiæ, per eum ibi tan-
ta omnium deuotione collocatæ: atque etiam quaſi iam ante commu-
niter appellaretur Apoſtolorum Baſilica, tametſi needùm fuiſſet Apoſ-
tolis dedicata. Carmina porrò illa, per Triſtanum Chalcum recitata,
nihil eius errori ſuffragantur; ſicut etiam liquidiſsimè poſtea conſtabit, C
cum à me pariter in medium mox proferentur. Ne quid autem dubi-
tationis interea ſuperſit; Lectorem ad ſuperiores remitto Verſus, ipſimet
Ambroſio auctori adſcriptos, quos Landulphus & alii nobis recitabant
Numero 8. Hoc igitur iam tandem nobis tamquàm certum & explora-
tum ſuppo atur: Apoſtolorum Baſilicam priùs ab Ambroſio dedica-
tam ipſis fuiſſe, quàm ipſamet Ambroſiana Sanctis Protaſio ac Geruaſio
dicaretur. Hanc autem in ipſius Monumentis ego Numero 2. comme-
mini, & in præſenti Opere non multò pòſt commonſtrabo, dicatam
illis fuiſſe Anno ſuperiore, quàm ſacrum Baptiſmum Auguſtinus è
manu Sancti Ambroſij ſuſciperet, hoc eſt, Anno Dominicæ Natiuitatis
Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo. Quocirca ſatis etiam probabile D
mihi videtur, quod vetus illa traditio, ſuperiùs commemorata, palàm
& fidenter ſignatis enunciare tabulis adhuc non ceſſat, eandem Apoſ-
tolorum Baſilicam Trecenteſimo & octuageſimo-ſecundo Anno ædifi-
catam in honorem ipſorum fuiſſe, ac ſacris ipſorum Reliquijs ditatam,
proindequè tunc etiam ipſis dedicatam.

XVI. Placet autem hoc etiam loco recitare Scriptum alterum, quod veteri pa-
riter acceptum traditione conſeruatur adhuc in eiuſdem Baſilicæ Apoſ-
tolorum Archiuo in memoriam Translationis, qua ſacræ illæ Apoſto-
lorum Reliquiæ ad Vrbem noſtram fuerunt allatæ. Sic enim ſe habet
ad verbum:

MEMORIA

MEMORIA FESTI TRANSLATIONIS BEATISSIMORVM APOSTOLORVM. A

Legitur, quòd, quando Beatus Ambroſius fuit ſublimatus in Sede Archiepiſco-
patus Mediolani, audiuit de quadam diſcordia nuper orta in Populo Romano.
Tunc ipſe compatiens illis, & timens, ne per hoc Romani deſtruerentur; acce-
pit Sanctum Simplicianum, tamquàm prudentem hominem & ſanctum; &
miſit eum Romam ad ſedandam diſcordiam, quæ erat inter illos. Quæ cùm re-
formata fuiſſet per ipſum; ipſi, nolentes eſſe ingrati tanto beneficio, duxerunt
eum ad ærarium ſuum, vt acciperet de pecunia Communitatis ſuæ quantum
volebat. Qui nihil voluit accipere; ſed eos rogauit, vt ipſum ducerent in
Sancta Sanctorum, vt ibi poſſet habere aliquid de Reliquijs Sanctorum. Tunc
ipſi ſuper hoc facto habuerunt conſilium; videntes beneficium ab eo acceptum, B
ſtatuerunt vnanimiter hoc ei eſſe faciendum; & ita ſtatim factum fuit. Et
tunc duxerunt eum in Sancta Sanctorum: & ibi accepit de omnibus Reliquijs
duodecim Apoſtolorum (Landulphus aliter ſcribebat Numero 8.) *& maxi-*
mè brachium integrum Beati Petri Apoſtoli. Et tunc ipſe, accepta licentia ab
eis, arripuit iter ſuum, veniens versùs Mediolanum. Cùm fuiſſet iuxta
SANCTVM DONATVM (pagi nomen hoc eſt, nobis adhuc notiſsi-
mi) *citra Laude; Beatus Ambroſius, exiſtens in camera ſua, per inſpiratio-*
nem diuinam habuit, quòd Sanctus Simplicianus appropinquabat cum Reliquijs
iſtis, & maximè cum brachio Sancti Petri. Et ſtatim Sanctus Ambroſius
conuocauit Clerum Mediolanenſem, & iuit vnà cum Clero obuiam ei. Cùm
fuiſſet Beatus Ambroſius iuxta SANCTVM DONATVM*: & videns* C
Sanctum Simplicianum venientem; ſtatim proiecit ſe de equo ad terram, &
adorauit Reliquias, quas Beatus Simplicianus ſecum ferebat. Quod cùm Beatus
Simplicianus vidiſſet: ſciens, quòd aliquis de Mundo neſciebat quod ſecum fe-
rebat; exclamauit, dicens: Noli Pater facere; quia non ſum dignus tanta re-
uerentia. Credebat enim, quòd hoc faceret propter ſui reuerentiam, & propter
pacem, quam reformauerat inter Romanos. Tunc Beatus Ambroſius dixit Sancto
Simpliciano: Iſtud, quod facio, frater mi, non facio propter te, ſed propter re-
uerentiam Reliquiarum, quas nobis portaſti, & propter brachium Beati Petri
Apoſtoli, ſicut tantummodò reuelatum eſt mihi. Et tunc venerunt cum magna
Proceſsione & lætitia vſque ad Burgum Portæ Romanæ. Cùm fuerunt ibi;
leproſi, qui erant AD SANCTVM LAZARVM (de quo nos iam D
diximus à Numero x. vſque ad XIII.) *hoc audientes à tranſeuntibus, om-*
nes, qui potuerunt ſe remouere, venerunt ſtatim cum fiducia magna obuiam
Reliquijs; & cum ſpe liberationis proiecerunt ſe ad terram. Qui ſtatim libe-
rati ſunt à lepra illa. Tunc iſti, de tanto beneficio non ingrati, redierunt AD
SANCTVM LAZARVM*: &, quomodo erant penitùs à lepra mundati,*
eis, qui remanſerant, narrauerunt. Qui ſtatim leuauerunt voces, laudantes
Apoſtolos Sanctos, & ſtatim liberati fuerunt. Beatus autem Ambroſius, vnà
cum Beato Simpliciano, & cum omni Clero & Populo, intrauerunt Portam Ro-
manam (hoc eſt, Foſſati Portam, quam Numero 9. indicabamus) *ſem-*
per magnificantes Beatos Apoſtolos. Quando fuerunt AD SANCTVM NA-
ZARIVM,

ZARIVM (quo ſcilicet nomine Baſilica deinde illa iugiter nuncupata fuit) *& ibi honorificè in quodam altari repoſuerunt illas Reliquias*. ET HOC EST FESTVM, QVOD FACIVNT CANONICI SANCTI NAZARII SEMPER OCTAVO DIE MADII, SECVNDVM QVOD BEATVS AMBROSIVS ORDINAVIT. *Deo gratias*. Quod quidem feſtum etiam in præſenti ab eiuſdem Canonicis celebratur: nobis vtique diei ac menſis illius indicium, quo Tranſlatio eiuſmodi ac Baſilicæ Dedicatio peracta fuit. A

XVII. Coniecturam nunc profero ſubincertam: quæ, neſcio quo inſtinctu, tam tenaciter animo meo inhæſit, vt eam, tametſi multoties reiectam, nihilominùs adhuc diſpellere non potuerim, quin identidem recurſarit ac recurſet. Sermonem illum in feſto Dedicationis Eccleſiæ, inter Antiſtitis noſtri Ambroſij Sermones poſtremum, ego lubenter interpretarer habitum in huius Baſilicæ Apoſtolorum Dedicatione. Tenuia ſunt quidem indicia, quibus innitor; ſed ea tamen in hanc potiùs Baſilicam congruunt, quàm in quamcumque aliam, quam nouerim ab Ambroſio dedicatam. Comitem in primis illum, cui præſertim auctori Ambroſius eam tribuit, ego quidem credidi Arbogaſtem fuiſſe per id tempus, quo & fidelis erat Imperatori ſuo, & Ambroſio amicus. Ad quod profectò tempus ea referri debent, quæ Paulinus in Ambroſij Vita narrabat his verbis: *Per idem tempus Arbogaſtes Comes aduerſùm gentem ſuam, hoc eſt Francorum, bellum parauit: atque pugnando non paruam multitudinem manu fudit, cum reſiduis verò pacem firmauit. Sed cùm in conuiuio à Regibus gentis ſuæ interrogaretur*, VTRVM SCIRET AMBROSIVM: *& reſpondiſſet*, NOSSE SE VIRVM, ET DILIGI AB EO, ATQVE FREQVENTER CVM ILLO CONVIVARI SOLITVM; *audiuit*; IDEO VINCIS COMES; QVIA AB ILLO VIRO DILIGERIS, QVI DICIT SOLI: STA, ET STAT. *Quod ego ideò poſui* (ſubdit Paulinus) *vt, cuius fama fuerit Vir Sanctus etiam apud Barbaras Gentes, legentes agnoſcant. Nam & nos referente iuuene quodam Arbogaſtis, admodùm religioſo, cognouimus, qui tunc interfuit. Erat enim in tempore, quo hæc loquebatur, vini miniſter*. Fortaſsis autem poſtea etiam Serena, Stiliconis Comitis vxor, eandem Apoſtolorum Baſilicam, quia Comitalis eſſet, peculiariter adamauit & coluit, ſterniquè polito marmore iuſsit; vti iam innuimus, & ſuo tempore luculenter explicabimus. Quòd autem Ambroſius eiuſdem Baſilicæ, quam tunc dedicauit, ſtructuram Vitaliano item ac Maiano adſcribebat; hos ego ſuſpicor fuiſſe illos, quorum corpora Capite 48. Numero 10. & Cap. 146. Num. 4. videbimus à Sancto Archiepiſcopo noſtro Carolo Borromæo inuenta in arca, propè loculum Sancti Nazarij ſita. Sed Ambroſium ipſum ſermocinantem audiamus. *Legimus* (inquit) *in Sancto Euangelio, cùm Centurionis cuiuſdam ſeruus, qui erat illi pretioſior, graui paralyſis ægritudine laboraret, & per Seniores Iudæorum ille Centurio rogaret Saluatorem, vt eius doloribus mederetur* (*erat enim, vt ait Scriptura, moriturus*) *inter* B C D

cætera ad maiorem commendationis gratiam Seniores dixiſſe Domino: Dignus eſt, vt hoc illi præſtes; diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis. Si ergo commendatur Domino qui ædificauit Synagogam; quantò eſt commendatior qui ædificauit Eccleſiam? Et ſi is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præſtitit; quantò maiorem meretur gratiam, qui religioni domicilium præparauit? Et ſi ille cæleſti miſericordia viſitatur, qui conſtruxit locum, vbi Chriſtus ſemper negatur; quantò magis viſitandus eſt, qui fabricari fecit tabernaculum, vbi Chriſtus quotidie prædicatur? In Centurione enim Dominus, non quid operis fecit, ſed qua mente operatus ſit, comprobauit. Nam qui tempore, quo nondùm Chriſtiani erant, ſollicitè Synagogam fecit: ſi fuiſſent vtique Chriſtiani; intelligitur, quòd multò ſollicitiùs feciſſet Eccleſiam. Sed tamen, licet Synagogam ædificet, Chriſtum prædicat; in ipſo enim opere B *commonet Phariſæos, debere illos ſuſcipere Saluatorem; & demonſtrat propterea, ſe tabernaculum amplius edidiſſe, vt multipliciter Domini gloriam loquerentur. Si enim credit in Chriſtum Conditor Synagogæ; multò magis credere debet Habitator ipſius Synagogæ. Centurio ergo ſi iuſtificatus eſt propter opus fragile vel terrenum; iuſtificandus planè Vir Clariſſimus & prouidentiſſimus* COMES NOSTER *propter opus tam perpetuum vel cæleſte: qui* COMES *ſicut eſt Centurione dignitate potior, ita & fide debet eſſe deuotior.* SAPIENS VIR, ET RELIGIOSVS COMES: *qui, quantùm in bello Imperatori militat, tantùm & in pace militat Saluatori: &, quantùm feſtinat de hoſtium manibus captiuos eruere, tantò magis feſtinat à Diaboli ſe ſacrilegio liberare. Ibi inimicos terreni Regis interficit, hic aduerſarios Domini cæleſtis inſequitur:* C *ibi Barbaros vincit, hic Dæmones.* SAPIENS, *inquam:* QVI SICVT COMES IMPERATORIS EST, ITA ET COMES CHRISTI ESSE DESIDERAT. *Nam benè vtique & religiosè agendo dignitatem ſuam cupit eſſe perpetuam; ſecundùm quod ſcriptum eſt in Propheta (*Hierem. *26.) Et vos, ò boni Reges, bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra: & audite vocem Domini Dei veſtri; & pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt aduersùs vos. Ergo cùm Centurio rogaret Dominum, vt de morte erueret ægrotantem: & vellet Dominus ad domum Centurionis pergere, in qua ſeruulus decumbebat; ait Centurio: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Excuſat igitur Centurio: &, ne ſub tectum eius ingrediatur Dominus, indignum ſe dicit. Ecce dignus eſt* COMES NOSTER, *ſub cuius tectum* D *hodie Saluator ingreditur. Videamus, ipſa Centurionis excuſatio quam habeat gratiam. Ait enim: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed dic tantùm verbo, & ſanabitur puer meus. O Fides Chriſtiana, quæ cum humilitate totum impetrare conſueſti! Ecce religioſus Centurio ad accipiendam ſalutem dignior fit, dum ſe profitetur indignum: & dum ædes ſuas iniurioſas putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magna enim & perfectæ fidei Vir, qui intelligeret Chriſtum Cælorum eſſe, dum verebatur, ne hoſpitij ſui eum anguſtia non acciperent. Ergo, contradicente Centurione, non pergit ad domum Dominus. Non pergit Dominus, ſed pergit Domini medicina: non viſitat ægrum Saluator, ſed viſitat ſanitas Saluatoris.* DE FRATRIBVS

VERO

VERO NOSTRIS, SANCTIS VIRIS VITALIANO ET MAIANO, QVID DICAM? *Scio, illos gloriam ab hominibus non quærere, niſi à ſolo Deo; ſed tamen laudem eorum etſi ego taceam, ipſa opera loquuntur.* AD IPSORVM ENIM LAVDEM PERTINET QVIDQVID IN ALIIS PAVLO ANTE LAVDAVIMVS. *Nam hoc tabernaculum etſi plurimi conſtruxerunt; hi tamen ſumptu operati ſunt vno aſſenſu. Et quo tandem ſumptu; cùm ſint in ſæculo mediocres & tenues? Illo ſcilicet, de quo ait Apoſtolus: Abundantia fidei, & diuitijs ſimplicitatis. Eſt enim ſanctis Viris ſemper diues ipſa paupertas. Vnde credo, hos beatos hanc Eccleſiam non minùs orationibus, quàm impendijs, fabricaſſe. Sic enim oportebat, vt opus Chriſti precibus magis creſceret, quàm cæmentis. Totam enim ſubſtantiam in huius facturam operis expenderunt: & ipſis certè nihil deeſt. Ipſa planè eſt, ſicut diximus, diues locupleſquè paupertas, quæ expendit omnia, & poſſidet omnia. Sed hæc à Deo benedicta eſt, ſicut illa vidua, de qua dicit Dominus in Euangelio: Mulier hæc vidua pauper plus, quàm omnes, miſit. Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei; hæc autem totum victum ſuum, quem habuit, miſit.* Hactenùs ille Ambroſij Sermo in feſto Dedicationis Eccleſiæ; hoc enim prænotatus eſt titulo. A B

XVIII. Certè autem Vitaliani & Maiani mentio illa tam honorifica, per Ambroſium facta, memoriam & amorem mihi renouauit duorum eiuſdem ſpiritus ac pietatis hominum, quos ego ætate mea noſtraquè in Vrbe quàm optimè noui: quoſquè per hanc occaſionem poſteritati omni meritiſsimè commendandos exiſtimo. Fuerunt autem Petrus-Martyr Trincherius, & Ioannes Baptiſta Marentius: ille Lauretanæ extra Portam Orientalem Eccleſiæ (quam nunc auſpicatò Reformati excolunt Ciſtertienſes) primus auctor & promotor: hic verò Eccleſiæ ad Sancti Barnabæ Fontem intra Laurentianæ Paroeciæ noſtræ fines inchoatæ. Mirum profectò eſt, quo animi ardore opus eiuſmodi ſuum ambo peregerint; tametſi fortunæ iam tandem mediocris eſſent. Trincherius originem ſibi vendicabat ex ea ipſa familia, qua ortus fuiſſe Sanctus Antiſtes noſter Magnus traditur Numero 27. in Catalogo noſtrorum Antiſtitum, inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ*. Mirificè verò affectus erat erga Deiparæ Virginis Aedem in Piceno Lauretanam; quocirca etiam pedes ad ipſam multoties peregrinatus fuit. Extra Portam Orientalem, ſecùs viam militarem, illi erat domus cum adnexo prædiolo, ſatis oblongo, ſed anguſto, & in acutum deſinente: quod propterea FASCIAM vulgò vocitabant. Cùm igitur prouectus ætate iam eſſet, ac ſolitæ illi peregrinationi fermequè annuæ iam impar: cùmquè alioqui feſtis ſaltem diebus ad ſuburbanum illud ſuum ſecederet ex Orientali Clericorum Seminario, cui ratiocinatoriam operam Calculator egregius præſtabat; tum verò id conſilij cepit, vt Aediculam illic in propinquo biuio antiquitùs conſtructam, & vetuſtate fatiſcentem, demoliretur, alteramquè conſtrueret ampliorem, quæ Lauretanæ ipſi Ædi perſimilis eſſet. Itaque totus etiam in hoc opere, quantùm poſſet, C D

promouendo poſtea fuit, quamdiu ſuperuixit; ſicut etiam profectò Marentius quoque fuit in ſuo. Propè Baſilicam Euſtorgianam conſpicuus & notiſsimus erat Sancti Barnabæ Fons; ſed vnica tantùm vetuſtiſsimaquè Ædicula ſuperſtructa indicatus. Marentius, è Parœcia noſtra vnus, non procul inde habitans, hoc arbitratus indignum Fonte, in quo primi noſtræ Vrbis Chriſtiani ſacroſanctum Baptiſmatis Sacramentum è manu Apoſtoli noſtri Barnabæ ipſiuſquè Miniſtrorum ſuſcepiſſent: nihil non egit, vt eidem Fonti atque Cappellulæ nobilis adſtrueretur Eccleſia, vtquè propinqua illi domus iuſto pretio in hunc finem quantocyùs emeretur. Tametſi verò propterea grauem ille inſenſumquè habuit aduerſarium, atque per calumniam ſemel in carcerem coniectus fuit, necnon etiam pugione grauiter in capite per ſicarium vulneratus; nihilominùs à propoſito nunquàm deſtitit; quinetiam Bergomum, Brixiam, Mantuam, & alias Vrbes impauidus peragrauit, vt aliqua Sancti Barnabæ ac ſociorum, vel etiam diſcipulorum, hinc inde monumenta colligeret. Certè tamen fautores habuit, in omne diſcrimen & opus paratiſsimos, generoſiſsimum illum Cardinalem Archiepiſcopumquè noſtrum Federicum Borromæum, & piiſsimos pariter ac nobiliſsimos noſtræ Vrbis Decuriones: à quibus etiam ingentem pecuniæ numeratæ ſummam, & pretioſiſsimam pro Sacris Myſterijs obeundis ſupellectilem obtinuit. Idem porrò Marentius fertur etiam primus fuiſſe auctor, vt vniuerſi noſtræ Vrbis Cantores collatis in vnum operis feſtiuitatem Sanctæ Cæciliæ, Tutelaris ac Patronæ ſuæ, quotannis celebrare inciperent in auguſtiſsima & ampliſsima noſtra Sancti Laurentij Baſilica; quippe binis porticibus, vna ſuper alteram, intus circumdata, Muſicisquè varios in Choros diſtribuendis opportuniſsima, & concentibus mirabiliter aſſonanti: eiuſquè inuentum fuiſſe dicitur Organum illud vitreum, multis lampadibus accenſis refertum, quod vna cum eiuſdem Virginis ac Martyris ſimulachro ea die apud nos in medio eiuſdem Baſilicæ ſuſpenditur, & circumquaque micans gratiſsimum ſpectaculum præbet. A B C

CAPVT XXXVIII.

Sancti Matroniani Eremitæ Corpus à Sancto Ambroſio in Apoſtolorum Baſilicam translatum. Quis ille fuerit, & vndenam translatus. De Monaſterio item Sancti Ambroſij Ad Nemus: & vtrùm alumnus eius fuerit Iouinianus Hæreſiarcha cum primoribus aſſeclis ſuis. D

I. POST Apoſtolorum Baſilicam & conſtructam & ſolemniter dedicatam congruum mihi videtur, vt qua pompa huc translatum fuerit Sancti Matroniani Corpus deſcribam; quod vtique fateor huc translatum ab Ambroſio; ſed, quo præcisè

præciſè Anno translatum fuerit, ſimul etiam fateor me neſcire. A

II. Breuiarium quidem noſtrum Ambroſianum die decima-quarta Decembris (qua die coli antiquitùs etiam ſolebat Matroniani celebritas) nihil eius habebat proprium: ac ſolummodò ex editione Anni 1625. hanc obtinuit & adhuc retinet Lectionem Matutinam: *Matronianus, cognomento Eremita, diu in ſolitudine fuit, ibiquè ſanctè vita functus eſt. Eius mortale corpus, ceſpite contectum, diu nemus occultarat: demùm Gulielmus Bocardus, ex nobilitate Mediolanenſi, id reperit effoditquè, cùm ſyluas eas fortè pererraret. Iuxta corpus tabellæ repertæ ſunt, in quibus ſcriptum erat, multos annos egiſſe Matronianum in ea ſolitudine, cæleſti victitantem pane, quem Angelus ei offerret. Tunc Gulielmus, collecta ex vicinis pagis multitudine, ſuſtulit cadauer, & honeſtiſsimè in Vrbem deportauit. In Baſilica Sancti Nazarij* B *id collocauere; cùm, Romana Porta ingredientes, illuc perueniſſent. Ibi etiam Sacellum, & in eo aram honori nominiquè eius poſuere. Miracula deinde cùm ibi multa fierent; inde Sancti veneratio, non ſolùm apud Populum Mediolanenſem, ſed apud exteras quoque gentes increbuit.* Nuſquàm itaque hic videmus Antiſtiti noſtro Ambroſio adſcriptam eiuſmodi Eremitæ tranſlationem ad Baſilicam Apoſtolorum, quæ deinde Sancti Nazarii appellationem obtinuit.

III. Atqui Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hoc ipſum diſertiſsimè expreſsit eadem Decembris die decima-quarta. Sic enim Sancti huius Vitam ibidem Anno 1613. contextam ediderat: *Matronianus, Mediolani nobili genere natus, ac à parentibus piè enutritus Deoquè* C *dicatus, factus grandior Dei verbum prædicare cœpit. Vt autem Deo liberius, omnibus curis abſolutus, inſeruiret; Patria omnibuſquè relictis, in ſolitudinem Angelo duce ſe recepit: vbi cæleſtem vitam in aſsiduis precibus & cæleſtium rerum contemplationibus agens, ab eodem Angelo mirabiliter paſcitur: à quo etiam, cùm nullus Sacerdos in ijs locis adeſſet, Sanctiſsimam Euchariſtiam accepit, ac vita functus ſepultus eſt. Cùm autem corpus eius diu latuiſſet; à quodam, nomine Gulielmo, qui accepta à Sancto Ambroſio benedictione ad venationem exierat, inter venandum inſolito canum latratu deprehenſum eſt Anno Salutis Trecenteſimo ſexageſimo-quarto; feretroquè impoſitum, Clero comitante, Mediolanum delatum, in Aede Sancti Nazarij ab ipſomet Sancto Ambroſio conditum fuit.* Talia Ferrarius de Sancto Matroniano; & hæc, vt protinùs ſubdebat, *ex eius Vita, in Eccleſia memorata depicta.* D

IV. In ipſa quippe Sanctorum Apoſtolorum ſiue Sancti Nazarij Eccleſia, in Cappellæ Maioris latere ingredientibus dextero, Cappella extat, in cuius pariete perantiquis expreſſa picturis cernitur Matroniani Vita, ſicut etiam eius Corpus ibidem in altari conquieſcit. Eiuſmodi picturarum duo ſunt ordines: quorum ſuperior ſeptenas habet tabellas, parieti appictas cum ſuis ſingillatim inſcriptiunculis; inferior verò ſenas tantùm habet conſpicuas; quippe cùm tres harum hinc inde media diſcriminentur tabula lignea, eleganter picturata; & à pariete ſeparata, & iuxta medium altaris collocata. Talium verò inſcriptiuncularum nonnullæ (nimirùm

ſecunda,

ſecunda, tertia, & quarta) vetuſtate vel alio infortunio euanuerunt; A
ſed, quales tamen eæ forent, ſatis ex ipſis diſcerni picturis poteſt; præterquamquòd eædem tabellæ ſimul ac inſcriptiunculæ Anno Domini 1619. in Odæo Eccleſiæ Sancti Ambroſij AD NEMVS efformatæ fuerunt, eædemquè adhuc quàm optimè apparent. Prima igitur inſcriptiuncula, primæ tabulæ ſuperpicta (idemquè de cæteris intelligi par eſt) ſic habet: *Hæc eſt Matroniani natiuitas*. Secunda: *A parentibus Deo dicatur*. Tertia: *Spiritu Sancto docente, verbum Dei ſeminat*. Eſt autem matura iam ætate, indutuſquè religioſo ferruginei coloris habitu, vulgò *tanè*: ac duobus Regibus, vni etiam Cardinali, vniquè pariter Epiſcopo, multiſquè alijs concionatur è ſuggeſtu: ac ſupra humerum ſiniſtrum habet columbam, ſibi alloquentem ad aurim. Quarta: *Angelo duce ſolitudinem aggreditur*. Quinta: *Ab eodem pane cæleſti paſcitur*. B
Pictura verò Deum exprimit ex alto benedicentem Matroniano: paulò autem inferiùs Angelum, panno lineo tres tenentem panes, benè candidos, ac tali largitore dignos, eoſquè illi porrigentem. Sexta: *Eodemquè miniſtrante, Sacramentum Dominicum ſumit*. Ibi ergo pictus eſt Deus, è ſupremo cælo benedicens: infra verò Angelus, Matroniano dextera porrigens hoſtiam, & ſiniſtra calicem: atque vnum hinc, alterum inde habens Angelum, accenſa intortitia geſtantes, ad tanti reuerentiam Sacramenti. Septima: *Morte præuentus, ab Angelis ſepelitur*. Hic ergo vnus Angelorum in alto Matroniani animam Deo ſiſtit remuneratori: alius ad caput defuncti corporis, duo ad humeros, totidemquè ad pedes, corpus ipſum ſuſtinent in alto, velut inferendum C
foſſæ: ad cuius foſſæ latera duo pariter extant canes, velut eam pedibus anterioribus effodientes. Ipſe verò interim Matronianus manu dextera chartaceam tenet faſciolam, pectori adhærentem, ac exteriùs inſcriptam, *Vita eius*. Quamobrem credere item par eſt, talem ipſius Vitam nonniſi Angelorum miniſterio conſcriptam fuiſſe. Octaua: *Gulielmus Bocardus à Sancto Ambroſio benedicitur*. Nona: *Idem latratu canum valde admiratur*. Decima: 364. *Matroniani corpus inuenitur*: & hoc quidem cum faſciola item illa pectori ſuperna, & ſuperſcripta, *Vita Sancti Matroniani*: cum qua etiam poſtea translatum ac tumulo rurſus illatum fuit. Vndecima: *Superquè feretro ponitur*. Duodecima: *A Sancto Ambroſio cum Clero aſportatur*. Multiquè hic viſuntur Eccleſiæ Ambroſianæ D
Cardinales, proprijs purpurei coloris indumentis amicti. Decimatertia: *Ab eodem in Sancto Nazario ſepelitur*. Hinc verò colligeret fortaſsè aliquis, Nazarij corpus iam fuiſſe in eam Eccleſiam translatum, antequàm illuc Matronianus transferretur. Sed creditu etiam verè facillimum eſt, Eccleſiam illam in hac poſtrema inſcriptiuncula ſic eſſe nominatam ex vſu tunc temporis communiſsimo, quando Cappella illa talem in modum picta fuit. Itaque tempus ego illud adhuc in ambiguo relinquendum arbitror, quo Ambroſius poſt Baſilicæ Apoſtolorum dedicationem huc tranſtulerit Matroniani Corpus. Ex huiuſmodi

ergo

ergo tabulis, in ea Cappella pictis, Ferrarius Matroniani geſta colligebat. A
Nec immeritò quidem ille poſtea mox adiecit hanc quoque Annotationem: *Fieri non poteſt, vt Sancti Matroniani corpus Anno Domini Trecenteſimo ſexageſimo-quarto à Sancto Ambroſio conditum fuerit; cùm nondùm eſſet eo tempore Epiſcopus. Siquidem Anno Domini Trecenteſimo ſeptuageſimo-quarto ad Epiſcopatum euectus eſt, ex Annalibus Eccleſiaſticis.* Cui quidem ſupputationi ego quoque iamdudùm conſenſi, quemadmodùm etiam ſupra profitebar. Sed profectò chronologicus hic error benignè condonandus eſt eorum temporum obſcuritati, quibus hæc ipſa Matroniani acta illic pingebantur.

V. Gualuaneum item Flammam nunc audire præſtat, nonnulla magis explicatè tradentem. In Chronico enim Maiori (ſecundùm exemplar hu- B
maniſsimi erga me Aloyſij ab Eccleſia, Vrbani Secretarij, meritiſsimè mihi nunquàm ſine laude gratiarumquè actione nominandi) Capite 119. cùm Sanctorum Corpora enumeraret, à Sancto Ambroſio inuenta, ſic narrabat: *Item reperit Corpus Sancti Matroniani Eremitæ de Boccardis in hunc modum. Erat illo tempore in Ciuitate Mediolani vir nobilis, nomine Gulielmus de Boccardis, deditus auium venationi. Cui ait Beatus Ambroſius, diuina inſpiratus reuelatione: Fili Gulielme hodie mihi dabis de tua venatione partem. Quod gratanter accepit. Illo die in nemore, dum accipitrem ad rapinas relaxaret, canes & equi facti ſunt immobiles. Vbi terram fodit, & Corpus Sancti Matroniani reperit. Quod cùm ad Ciuitatem deferret; omnes campanæ, nullo tangente, pulſauerunt; & Beatus Ambroſius illud Corpus Sanctiſ- C
ſimum in Eccleſia Apoſtolorum, ſiue Sancti Nazarij, ſepeliuit, in Capella Sanctæ Margaritæ.* Quæ quidem ad verbum repetijt deinde Auctor etiam Chronici *Flos florum*, folio 83. pag. 1. excepto quòd eam Sanctæ Margaritæ Cappellam non nominauit.

VI. Sin autem hoc pariter loco recolere placet, quæ Ioſephus ſcripſerit Ripamontius Anno Domini 1617. mihi quidem nonnulla in eis improbantur. Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Libro Quarto Decadis Primæ, pag. 301. Leontij Syluam ille dixerat tractu longo & amœno pertinuiſſe antiquitùs à Portæ Romanæ confinio vſque in eum locum, ybi nunc ſunt clauſtra Diui Ambroſij, quibus ab circumiecto quon- D
dàm nemore cognomen manet: quæ nimirùm Clauſtra communiter appellantur Monaſterium Sancti Ambroſij AD NEMVS. Eam igitur Syluam olim Apoſtolo noſtro Barnabæ gratiſsimam ſedem fuiſſe: multoſquè illic ab ipſo per tuguria collocatos homines, qui cæleſtem illic vitam traducere vellent ex ipſius inſtituto ac diſciplina. In eadem verò etiam Sylua & Eremo Matronianum vixiſſe affirmabat: & hoc tamquàm è litterarum monumentis, quæ à Monaſterij poſtea illic per Sanctum Ambroſium conſtructi Monachis recenter accepiſſet. Sic enim narrationem ſuam proſequebatur Ripamontius; *Inſuper ea ſic habent. Matronianum ex nobilitate Mediolanenſi fuiſſe diuini ſpiritus adoleſcentulum. Hunc ſæculi tædio ſeſe abdidiſſe in Syluam: ac euectum eò ſanctitatis & gratiæ,*

vt ſumeret Chriſti ſapè Corpus ex Angeli manu, idquè ipſi familiare miraculum eſſet. Poſtea, cùm deuexa iam ætate diem obijſſet extremum, iaceretquè mortuus in deuio ſpecu, venaticos canes, qui circum ea loca feras inſectabantur, flexa illuc repente ſagacitate ſuſtuliſſe inſolitos latratus; ita corpus inuentum; magnoquè, ſicuti cæremoniæ temporum eorum erant, apparatu ſitum in Baſilica Nazariana. Qua in Aede picta caſus effigies cernitur, haud abſimilis narrationi. Pontificem Ambroſium vnius admiratione commotum, vt omnes, quotquot agebant in illa ſolitudine, coleret impenſiùs ac foueret, congregaſſe vnam in ſedem Eremitas: quorum præcipui fuerint Alexander Cribellus, Albertus Beſutius, Antonius Petraſancta. Hanc eſſe originem Ordinis Ambroſiani: qui mox indignos eo nomine Iouinianum & aſſeclas dedit. Subinde igitur eleganter & accuratè Ripamontius deſcripſit Iouiniani mores perditos, antequàm religioſa clauſtra deſereret: quos tamen, vt verum ac mihi exploratum fatear (tunc enim ego cum Ripamontio familiariter in Clericorum Seminario verſabar: amboquè iam eramus illic Sacerdotes, & cubiculis etiam coniuncti) quos tamen, inquam, deſcripſit, non tam ex ipſius Iouiniani, quàm ex aliorum quorumdam tunc eius Monaſterij Fratrum, quos ambo quàm optimè noueramus, perdita viuendi ratione: qua tandem meruerunt, vt Ordo etiam ipſe vniuerſus à Pontifice Romano, Innocentio Decimo, deletus in perpetuum extinctuſquè fuerit. A B

VII. Quòd tamen idem Ripamontius Iouinianum eiuſquè aſſeclas cenſebat indignam & degenerem fuiſſe Monaſterij AD NEMVS Ambroſiani ſobolem: ita planè cenſuerat etiam Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum die 7. Decembris: & hoc tamquàm inſinuatum Ambroſij ad Vercellenſes Epiſtola, in exemplari, quo Baronius vtebatur, vigeſima-quinta Libri tertij. Sed & hoc ipſum, tamquàm eadem illa Ambroſij Epiſtola demonſtratum, affirmauerat in Annalibus ad Annum 382. & 390. (in Epitome Spondani vtrobique Art. 7.) idemquè ſimiliter aſſeruerat de ijs omnibus eius aſſeclis, quos videre licet nominatos in Epiſtola Siricij Papæ ad Eccleſiam Mediolanenſem, itemquè Ambroſij & aliorum cum ipſo Epiſcoporum ad eumdem Siricium: quæ quidem ambæ inter cæteras Ambroſij Epiſtolas mihi ſunt ſexta & ſeptima Libri primi. Sic autem ibi poſt Iouinianum nominabantur: *Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Pontinus* (ſiue ſecundùm Ambroſij Epiſtolam *Protinus*) *Martianus, Ianuarius*, & *Ingenioſus*. Hi nimirùm, ſicut habetur in Epiſtola Siricij, *incentores nouæ hæreſis & blaſphemiæ inuenti ſunt*. Ambroſius porrò in illa ad Vercellenſes Epiſtola duos tantùm expreſsè nominat, & à ſuperioribus illis diuerſos: hoc eſt, *Sarmationem* ac *Barbatianum*, qui Vercellis errores diſſeminarint, Iouiniani erroribus conſimiles. De his igitur duobus negari non poteſt, quin Ambroſius fateatur, eos fuiſſe Monaſterij ſui Monachos. De cæteris verò, ac ſingillatim de Iouiniano, ego quidem longè aliter, quàm Baronius ac Ripamontius, cenſuerim: & hæc mihi ſuppetunt interim argumenta. C D

VIII. Sanctus

VIII. Sanctus Auguſtinus in Libro De Hæreſibus, Hæreſi 82. ſic inquit: *Ioui-* A
nianiſtas quoque apud iſtum reperi (loquebatur autem de Opuſculi cuiuſ-
dam Auctore, ſibi ignorato) *quos iam noueram. A Iouiniano quodam Mo-*
nacho iſta hæreſis orta eſt ÆTATE NOSTRA, CVM ADHVC IVVE-
NES ESSEMVS &c. *Virginitatem etiam Sanctimonialium, & continentiam*
ſexus virilis in Sanctis eligentibus cælibem vitam, coniugiorum caſtorum atque
fidelium meritis adæquabat; itaut quædam Virgines Sacræ, prouectæ iam ætatis,
IN VRBE ROMA, VBI HÆC DOCEBAT, *eo audito nupſiſſe di-*
cantur &c. *Citò tamen iſta hæreſis oppreſſa & extincta eſt: nec vſque ad de-*
ceptionem aliquorum Sacerdotum potuit peruenire. De hac ipſa verò hæreſi,
dequè Virginibus illis, Romæ ad matrimonium contrahendum ſeduc-
tis, egit idem Auguſtinus Libro 2. Retractationum, Capite 22. Ex his B
ergo Auguſtini verbis talia nobis coniectamenta eruuntur. Primò nam-
que videtur indicare, Iouinianiſtas ex eo iam tempore ſibi cognitos
fuiſſe, quo ipſe iuuenilem adhuc ætatem agebat. Et tamen, cùm ipſe
trigeſimum & ſecundum ætatis ageret annum, iamquè ſuæ ad Fidem
Catholicam conuerſioni immineret, ad eamquè acriter à Potitiano ac-
cenderetur; in eam vſque diem nihil ipſi de Ambroſiano Mediolani
Monaſterio, cuius alumnus vnà cum aſſeclis ſupponitur Iouinianus, in-
notuerat. *Et erat* (inquit Libro 8. Confeſsionum, Capite 6.) *Monaſte-*
rium Mediolani, plenum bonis fratribus (numquid etiam fortaſsè Iouinia-
num & aſſeclas, tot iam hæreſibus infames, inter bonos eiuſmodi fratres
computabat?) *extra Vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore; & non noueramus.* C
Ad hæc rursùs etiam indicare mihi videtùr Auguſtinus, Iouinianum
primitùs in Vrbe Roma ſuas hæreſes diſseminaſse. Quod ipſum Sanctus
Thomas Aquinas apertiùs ſignificat in eo Tractatu, quem contra de-
tractores Religionis edidit. Capite namque ſexto ſic de ipſo ſcribebat:
Sciendum eſt, Hæreticum quendam fuiſſe Romæ antiquis temporibus, IOVI-
NIANVM *nomine, qui in hunc errorem lapſus eſt, vt diceret* &c. Longè
verò vlteriùs progreſsus Gabriel Prateolus De Vitis Hæreticorum Libro
9. Verbo *Iouinianus*, ipſum diſertiſsimè aſſerit Romanæ Vrbis Mona-
chum extitiſse. Quocirca vel hinc etiam, teſte Auguſtino, nedùm An-
gelico Doctore, ac Prateolo, concludimus, Iouinianum nullatenùs
alumnum fuiſse Mediolanenſis ſub Sancto Ambroſio Monaſterij. Lega- D
tur verò attentè Siricij Papæ ad Eccleſiam Mediolanenſem, ſiue ad
Ambroſium & Prouinciæ Mediolanenſis Epiſcopos, Epiſtola; inde pro-
fectò deprehendes, illas Iouiniani & aſseclarum hæreſes, quæ primùm
Romæ diſseminatæ fuerant, & conſcriptione temeraria publicatæ, conuo-
cato protinùs per Pontificem Concilio damnatas vnà cum ſuis ipſarum
auctoribus fuiſse. Lege verò ſubinde viciſsim Ambroſij & aliorum Epiſ-
coporum, conciliariter cum ipſo congregatorum, Epiſtolam ad eun-
dem Syricium; inde ſimiliter conſtabit, hæreticos illos homines, vbi ſe
viderunt Romæ damnatos, Mediolanum aduenifse, qua fortè in Vrbe,
tunc Imperatoris Sede, aliquod ſibi patrocinium ſperarent; proptereaquè

etiam Syricium ſuas huc litteras illas ad hanc Eccleſiam direxiſſe. Huc ſine dubio tendit illud Ambroſij propè finem Epiſtolæ, poſtquàm multa aduersùs hæreſes illas apud tantum Præſulem, tamquàm diſcipulus apud magiſtrum, diſseruiſset. *Sed quid plura* (inquit) *apud Magiſtrum atque Doctorem? cùm iam dignum præmium retulerint illi perfidiæ ſuæ* (in Vrbe ſcilicet Roma iam damnatæ) QVI IDEO VSQVE HVC VENERVNT, NE SVPERESSET LOCVS, IN QVO NON DAMNARENTVR, QVI VERE SE MANICHÆOS PROBAVERVNT. Et paulò poſt: *Quam* (Manichæorum impietatem) *& Clementiſsimus execratus eſt Imperator*: ET OMNES, QVI ILLOS VIDERVNT, QVASI QVÆDAM CONTAGIA REFVGERVNT; *ſicut teſtes ſunt fratres & Compresbyteri noſtri* (quos vtique Syricius cum ſuis litteris ab Vrbe Roma huc miſerat) *Creſcens, Leopardus, & Alexander, ſancto feruentes ſpiritu: qui eos, omnium execratione damnatos, Mediolanenſi ex Vrbe, quaſi profugos, repulerunt.*

IX. Sed ecce nobis alterum è Sancti Hieronymi teſtimonio argumentum. Libro primo aduersùs Iouinianum (pag. mihi 495. E. F.) ſic ipſum deſcribebat: *Cùm Monachum eſſe ſe iactitet:* ET POST SORDIDAM TVNICAM, ET NVDOS PEDES, ET CIBARIVM PANEM, ET AQVÆ POTVM (quemadmodùm ſcilicet antea in Monaſterio victitarat) *ad candidam veſtem, & nitidam cutem, ad mulſum, & elaboratas carnes, ad iura Apitij & Paxani, ad balneas quoque ac fretellas & popinas ſe conferat; manifeſtum eſt, quòd terram Cælo, vitia virtutibus, ventrem præferat Chriſto, & purpuram coloris eius putet Regna Cælorum. Et tamen iſte formoſus Monachus, craſſus, nitidus, dealbatus, & quaſi ſponſus ſemper incedens, aut vxorem ducat, vt æqualem virginitatem nuptijs probet: aut, ſi non duxerit, fruſtra contra nos verbis agit; cùm opere nobiſcum ſit.* Et rursùm in rem noſtram explicatiùs poſtea Libro ſecundo aduersùs eundem (pagina mihi 536. E. F.) *Ante nudò eras pede; modò, non ſolùm calciato, ſed & ornato. Tunc pexa tunica,* ET NIGRA (huc attende Lector) SVBVCVLA *veſtiebaris, ſordidatus, & pallidus,* ET CALLOSAM OPERE GESTITANS MANVM; *nunc lineis & ſericis veſtibus, & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium frontemquè tornantur, protenſus eſt aqualiculus, inſurgunt humeri, turget guttur, & de obeſis faucibus vix ſuffocata verba promuntur.* Subucula igitur nigra, Monachus dum eſſet; hoc eſt ſecundùm ſuimet Ordinis ac Monaſterij inſtitutum, induebatur Iouinianus. Atqui Monaſterij Ambroſiani Fratres non alio veſtiebantur colore, quàm ferrugineo, ſiue, vt Italicè loquimur, *taneto*; quemadmodum etiam in præſentem vſque diem communiter vtuntur, cautumquè inſuper eſt in eorum Conſtitutionibus Capite 10. Quòd ſi quis forrè dixerit, ipſos antiquitùs nigra ſaltem ſubucula vſos fuiſſe, ſed à primæuo illo veſtium colore, ſicut & à pedum nuditate, atque ab opere manuum, deflexiſſe; hoc ipſummihi priùs ille probet; alioquin Hieronymi conuictus interea teſtimonio tenetur.

netur. Quamquàm etiam, quòd attinet ad pedum nuditatem, fortè ne illa quidem in vſu tunc erat Monachis noſtris Ambroſianis. Et hoc etiam fortaſsè illo Auguſtini dicto innuitur Libro 9, Confeſsionum, Capite 6. de ſuimetipſius & Alipij Baptiſmo: *Vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret; relicto Rure Mediolanum remeauimus. Placuit & Alipio renaſci in Te* (Deum alloquebatur) *mecum, iam induto humilitate Sacramentis tuis congrua, & fortiſsimo domitore corporis, vſque ad Italicum ſolum glaciale nudo pede obterendum*, INSOLITO AVSV. Quid ſi autem fortaſsè INSOLITO, non ipſi tantùm Alipio, ſed etiam Viris, qui per ea tempora ſanctiorem viuendi normam Mediolani profiterentur? A

X. Nego igitur iterùmquè nego, Iouinianum fuiſſe Ambroſiani huius Monaſterij Monachum: quales tamen cæteroqui dolenter ſimul ac ingenuè fateor fuiſſe Sarmationem illum ac Barbatianum, de quibus loquebatur Sanctus Ambroſius in illa ad Vercellenſes Epiſtola, quæ mihi pariter habetur in Libro 3. vigeſima-quinta. Ex qua quidem mihi hæc producere placet: *Audio, veniſſe ad vos Sarmationem & Barbatianum, vaniloquos homines: qui dicunt, nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam virginitatis gratiam; pari omnes æſtimari pretio; delirare eos, qui ieiuniis caſtigent carnem ſuam, vt menti ſubditam faciant*. Et in hoc quidem homines illi ſine dubio Iouinianenſis perfidiæ aſſeclas ſe prodebant. Sequitur paulò pòſt Ambroſius: &, cuius illi conditionis ac ſtatus eſſent, luculenter deſcribit ac fatetur. *Quæ iſtos* (inquit) *Epicureos noua ſchola miſit? non Philoſophorum, vt ipſi aiunt, ſed imperitorum: qui voluptatem prædicent, delicias ſuadeant, caſtimoniam nulli vſui eſſe dicant*. Quæ porrò ſequuntur verba, hæc Baronius intellexit de Iouiniano, eiuſquè aſſeclis, in Epiſtola Syricij Papæ ad Ambroſium & Ambroſij viciſsim ad ipſum nominatis; ego verò de ſolis Sarmatione ac Barbatiano interpretor. Quòd ſi de alijs etiam illis interpretarer; hinc etiam profectò colligerem, Iouinianum longè aliter in Monaſterio vixiſſe, quàm Ripamontius narrauit. Sic ergo Ambroſius proſequitur: *Fuerunt nobiſcum, ſed non fuerunt ex nobis: Neque enim pudet dicere, quod dicit Euangeliſta Ioannes*. SED HIC POSITI IEIVNABANT, INTRA MONASTERIVM CONTINEBANTVR: NVLLVS ERAT LVXVRIÆ LOCVS, INTERDICTA LVDIBRIOSÆ DISPVTATIONIS LICENTIA. *Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt: deinde volentes redire, non ſunt recepti. Pleraque enim audieram, quæ deberent caueri. Monueram; nihil profeci. Efferueſcentes itaque diſſeminare illa cœperunt, quibus incentores eſſent vitiorum omnium. Miſerabiles. Perdiderunt itaque quòd ieiunauerunt: perdiderunt, quòd ſe aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico ſtudio inuident aliorum operibus bonis, quorum ipſi fructu exciderunt*. B C D

XI. Quòd verò Ripamontius itidem aſſerebat Matronianum in ea Sylua, quæ deinde Ambroſiani AD NEMVS Monaſterij ſedes fuit, vixiſſe, ibidemquè mortuum ac tandem inuentum, indequè in Baſilicam translatum Nazarianam: longè profectò aliter ex antiquiſsima traditione ipſimet

Nazariani Sacerdotes affirmant. Portæ Romanæ finibus obuerſus extat Pagus, ſex millibus paſſuum diſtans, Sextum nomine Vltraianum. A Prædia itidem Capituli Nazariani præcipua in eo tractu circiter ad ſex mille perticas extant: mediumquè locum in ijs habet Cappellula Sancto Matroniano ſacra, & recenter eiuſdem Capituli ſumptibus reſtaurata. Vetuſtiſsima igitur traditio eſt, apud incolas etiam eius Pagi aliosquè finitimos conſeruata, vaſtiſsima illic nemora olim fuiſſe, ac Matronianum in ea ſolitudine diu vixiſſe, ipſiuſquè tandem Corpus in eo Cappellulæ ſitu inuentum & effoſſum fuiſſe: quinetiam circumiecta ei loco prædia olim fuiſſe Gulielmi eius Boccardi propria, & ab eo donata Baſilicæ Apoſtolorum, in honorem atque cultum eiuſdem Matroniani, cuius Corpus in eam translatum fuiſſet. Hinc igitur opportunè factum B eſt etiam, vt Gulielmus collecta ex vicinis Pagis multitudine ſuſtulerit Cadauer, atque per Portam Romanam honeſtiſsime in Vrbem deportarit; ſicut in matutina Breuiarij noſtri Lectione narrabatur: quæ tamen collectio & per Portam Romanam deportatio penitùs importunæ fuiſſent; ſi Matroniani corpus in eo inuentum fuiſſet Ambroſiani Monaſterij nemore, cuius fines Ripamontius è ſuo cerebro, abſque omni vetuſtatis teſtimonio, circumſcribebat è Portæ Romanæ confinio vſque in eum locum, vbi nùnc ſitum eſt Monaſterium Sancti Ambroſij AD NEMVS. Illud enim Nemus tam propinquum erat Vrbi, vt ex ipſa potiùs, quàm è vicinis Pagis, colligi multitudinem oporteret. Illud etiam vſque adeò Portarum Cumanæ ac Vercellinæ finibus cohærebat, vt per eas C Matroniani corpus longè commodiùs, quàm longo circuitu per Portam Romanam, deportari in Vrbem poſſet.

XII. Sed ne illud quidem pro vero admiſerim, quod idem Ripamontius ſe profitebatur ex iiſdem illis accepiſſe litterarum monumentis: hoc eſt, Eremitarum, in ea Sede à Sancto Ambroſio congregatorum, præcipuos fuiſſe Alexandrum Cribellum, Albertum Beſutium, Antonium Petraſanctam. Hòc, vt opinor, accepit Ripamontius è Pauli Morigiæ Italica Religionum Hiſtoria, Capite 45. vel ex ipſius Hiſtoria Mediolanenſi, Libro 4. Cap. 21. Sed veriùs Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die 3. Septembris, Albertum nominatim Beſutium (è cuius tempore coniectare de cæteris eius Collegis licet) vixiſſe tradit tempore D Ioannis Papæ Vigeſimi-ſecundi, ac tandem obijſſe Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo-nono. Et hoc aliaquè multa de ipſo tradit *ex Monumentis Eccleſiæ Sanctæ Catharinæ, quam Fratres, Sancti Ambroſij ad Nemus apud Mediolanum appellati, poſsident, à Populis Lacum Verbanum incolentibus frequentatam: ex quibus Beati Alberti Hiſtoria extracta, typis excuſa fuit Papiæ Anno Domini* 1601. Sic enim concludit ibi Ferrarius poſt enarratam ipſius Beati Alberti Vitam. Eiuſdem verò Vitam ego quoque apud me habeo, à Fratre Franciſco Maria Guazzio Italicè contextam, & Mediolani typis editam Anno 1625. In cuius Capite primo Albertus dicitur vixiſſe Anno Domini Milleſimo trecenteſimo decimo-ſexto,

cimo-ſexto, cùm Pontifex Romanus eſſet Ioannes Vigeſimus-primus, A
aliter Vigeſimus-ſecundus; atqui temerè poſtea & inconſultè aſſeritur
mortuus Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, ſub
Pontificatu Nicolai Quinti, poſteaquàm pœnitens quadraginta in eremo
annos tranſegiſſet.

XIII. Quemadmodùm verò Sanctus Ambroſius ad eiuſmodi Nemus aliquando
ſecederet: id quidem à Franciſco etiam Petrarcha teſtatum fuit Libro 2.
De Vita Solitaria, Sectione 3, Capite 2. qui quidem Petrarcha obijt ſep-
tuagenarius Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo-quarto,
ſicuti conſtat ex eius Vita, & ſicut à Roberto Cardinali Bellarmino fuit
obſeruatum in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Sed hoc ipſum præte-
rea teſtatum fuit à Gregorio Papa Vndecimo, Pontificatus ſui Anno B
Quinto, Chriſti autem Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo, per Pri-
uilegium, rogatu Simonis Archiepiſcopi noſtri conceſſum Fratribus Ec-
cleſiæ Sancti Ambroſij *Ad Nemus*, tertio Idus Decembris, cùm Pontifex
Auenione tunc eſſet.

XIV. Quid, quòd etiam in eodem illo Nemore fuiſſe Monialium Monaſte-
rium crediderunt Bernardinus Corius, & Iſidorus Iſolanus? Corius enim
Prima Parte Hiſtoriæ Mediolanenſis, loquens de Sancto Martino Turo-
nenſi Epiſcopo, ſic ſcribebat: *Tronò il glorioſo Corpo di San Steffano l'Anno
della noſtra Salute Trecento nouantaſette, eſſendo Imperatore Valentiniano Se-
condo. Nel cui tempo Giuſtina Arriana fù molto perſeguitata da Ambrogio, noſ-
tro potentiſsimo Patrone* (immò verò illa hunc infenſiſsimè perſecuta eſt) C
*il quale da Roma fù mandato dal Senato Romano per Senatorē à Milano, come
à Città ſottopoſta all'Imperio, l'Anno del Saluatore Trecento ſeſſantaſei.* Et poſt
paucula: *In proceſſo di tempo, per li ſantiſsimi meriti di Ambrogio, Valenti-
niano Vnghero* (ſiue Senior, & Iuſtinæ maritus) *che è ſepolto à Bilinzona,
facendo vn Concilio di molti Veſcoui, de Catecumeni eleſſe Ambrogio Veſcouo
della Città l' Anno di Chriſto Trecento ſettantacinque: nella qual dignità perſe-
uerando con ſomma religione, conduſſe Giuſtinà, moglie di Valentiniano, à farſi
Monaca nel luogo nominato* AL NEMO, *doue hora è vn nobiliſsimo Tempio,
dedicato al glorioſo Ambroſio.* Iſidorus itidem Iſolanus, Ordinis Prædica-
torij Religioſus, in Panegyrico De Patriæ Vrbis Mediolani laudibus,
quem Cremonæ dixit Anno 1518. quiquè poſtea typis Mediolanenſi- D
bus Anno 1629. editus fuit, cùm tempora Sancti Ambroſij celebraret,
de illo hæc adiecit: *Iuſtinam quoque, Valentiniani Cæſaris coniugem, Mo-
naſterium ingredi perſuaſit eo in loco, vbi noſtra tempora Templum Diui Am-
broſij* AD NEMVS *conſpiciunt*. Quidquid verò ſit de illo ibi Monia-
lium Monaſterio; Iuſtinam profectò illam ego credere non poſſum ſeſe
in illud recepiſſe. Citra dubium enim ſeſe illuc non receperat priùs,
quàm, ſibi filioquè ſuo Valentiniano timens à Maximo Tyranno, cele-
riter vnà cum eo confugeret ex Vrbe Mediolano ad Theodoſium Se-
niorem, in Orientem. Certè autem (ſicut ego quoque dicam infra, ſiue
Capite 54. Num. 13.) illuc ad eum confugit Anno Trecenteſimo oc-
tuageſimo-

Digitized by Google

tuageſimo-ſeptimo, poſteaquàm Sectæ Arianæ fauore Ambroſium acerrimè vexauiſſet. Certè itidem Anno poſtero in Oriente mortua eſt; vt ad eumdem Baronius Annum ſcitè obſeruauit è Sozomeni Libro 7. Capite 14. Fortè igitur Iuſtina potiùs Virgo illa fuit, cuius ſacrum Corpus in Ambroſiana Baſilica quieſcere traditum communiter eſt. A

CAPVT XXXIX.

Sanctus Ambroſius Anno Domini 387. *cùm grauiter ab Arianis vexaretur, diuinitùs admonetur, vbinam iaceant Corpora Sanctorum Protaſij ac Geruaſij Martyrum, & vt Baſilicam illis ædificet. Hanc ergo protinùs ædificare aggreditur, quæ deinde cognomentum Ambroſianæ obtinuit. Simul autem hic agitur etiam de Baptiſmo & Conuerſione Sancti Auguſtini: de alterno Pſalmorum & Hymnorum cantu in Eccleſia, per Sanctum Ambroſium inſtituto: de Auctore Hymni* Te Deum laudamus*: de Mediolanenſi Chronico Datij: deque Theodori Speculo Matutinalis Officij Ambroſiani.* B

I. EX Apoſtolorum Baſilica tranſeo nunc ad Ambroſianam. In eius verò Monumentis, Numero 2. ipſam obiter aſſerebam fuiſſe à fundamentis conſtructam Anno Chriſti Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo, ſiue Anno anteriore, quàm Sanctus Auguſtinus Baptiſmum ſuſciperet: addebamquè, hoc ipſum à me alibi peraccuratè iam oſtenſum fuiſſe; ſic enim tacitè tunc indicabam Diſſertationem Hiſtoricam *De Baptiſmo Sancti Auguſtini, è manibus Sancti Ambroſij ſuſcepto*. Quoniam igitur illa needùm typis edita eſt; iccircò ex ipſa, quod probationis in rem præſentem opus eſt, hoc iam loco depromemus. C

II. Auguſtinum ego igitur ſuppono baptizatum Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-octauo, quemadmodùm Sapientiſsimi etiam ætatis noſtræ Scriptores plerique cenſuerunt. Baronius quidem in Sancti Ambroſij Vita baptizatum exiſtimauit Auguſtinum Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſexto; ſed in Annalibus, re maturiùs conſiderata, Trecenteſimum & octuageſimum-octauum ei Annum adiudicauit. Huius pariter ſententiæ iudicijquè fuit amiciſsimus etiam meus Gabriel Pennottus in Hiſtoria tripartita Sacri Ordinis Clericorum Canonicorum, Parte Prima, Capite 4. alijquè multi, quos breuitatis gratia prætermitto. D

III. Sic etiam eumdem ſuppono baptizatum in Sabbato Maioris Hebdomadæ, ſiue in Vigilia Paſchatis ac Dominicæ Reſurrectionis. Atque hoc ipſum eſſe interpretor illud, quod Poſsidius (aliter Poſsidonius) in eius Vita ſcribebat Capite 1. *Proficiendi in religione eidem* (Auguſtino) *amoris ardor*

innatus

innatus eſt, QVO, PROPINQVANTIBVS DIEBVS SANCTIS PAS- A
CHÆ, SALVTIS AQVAM PERCIPERET. *Et factum eſt, diuina
præſtante opitulatione, vt per illum talem ac tantum Antiſtitem Ambroſium, &
doctrinam ſalutarem Eccleſiæ Catholicæ, & diuina Auguſtinus perciperet Sacra-
menta.* Scitè autem Bellarminus in Libro *De Sacramento Baptiſmi*, Capi-
te 26. inter alias Baptiſmi cæremonias hanc item quinto connumerauit
loco: *Quinta eſt, tempus Paſchale & Pentecoſtes. Etſi enim quouis tempore
dari poſsit Baptiſmus, ſi neceſsitas vrgeat; tamen veteres diligentiſsimè ſer-
uauerunt hanc cæremoniam, vt ſolùm in Sabbathis Paſchæ & Pentecoſtes ordi-
nariè baptizarent. Extant de hac re Epiſtolæ Decretales, Siricij, 1. Cap. 2. &
Leonis Primi Epiſt. 4. & Epiſt. 80. & Gelaſij Epiſt. 1. Cap. 12. vbi ſeueriſsi-
mè reprehendunt Epiſcopos quoſdam, qui audebant extra caſum neceſsitatis B
Baptiſmum conferre in Epiphania, aut feſtis diebus Martyrum: & iubent, vt
ſeruetur antiqua conſuetudo, vt ſolùm in Paſchate & Pentecoſte detur Baptiſ-
mus. Eſſe item hanc antiquam & vniuerſalem conſuetudinem, patet ex Cate-
cheſibus Cyrilli: quæ ideò in Quadrageſima habitæ ſunt; quia præparabant ad
Baptiſmum in Paſchate celebrandum. Item ex Hieronymo in Epiſtola ad Pam-
machium, aduersùs errores Ioannis Ieroſolymitani: & ex illis verbis Auguſti-
ni, Libro De Cura pro mortuis, Cap. 12. Venit Paſcha, dedit nomen inter alios
competentes* &c. Cui quidem doctrinæ lubentiſsimus adhæſit etiam Pen-
nottus Capite illo quarto, §. 5. necnon etiam Ioſephus Vicecomes, Am-
broſiani Collegij Doctor, & accuratiſsimus Rituum Sacrorum Tracta-
tor, Libro 1. *De antiquis Baptiſmi Ritibus*, Cap. 19. vbi hanc ipſam con- C
ſuetudinem in Eccleſia Mediolanenſi, quo illa tempore à Sancto Am-
broſio regebatur, ſeruatam fuiſſe, luculenter eiuſdem Ambroſij teſtimo-
nio confirmat. Ego autem idipſum pro Vigilia ſaltem Paſchatis confir-
mauerim è Paulino in ipſius Ambroſij Vita propè finem, cùm loquere-
tur de infantibus in eadem Vigilia baptizatis, quibus Ambroſius poſtea
mortuus conſpicuum ſeſe ſub varijs dedit ſpeciebus.

IV. Secundùm Tabulas porrò Paſchales, communiùs à Viris doctis compro-
batas, Vigilia Paſchatis Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-octa-
uo incidit in octauum Aprilis diem, ſicut etiam deinde Anno proximo
incidit in Martij poſtremum. Quocirca Pennottus §. illo quinto, tum
etiam Cap. 42. §. 5. & rursùs Notatione 17. in Officia propria Sancto- D
rum ſui Ordinis, non immeritò Baronium refellebat & Galeſinium; eo
quòd in ſuo quiſque Martyrologio aſſeruiſſent, Sancti Auguſtini Con-
uerſionem idcircò quinta Maij die in Eccleſia Catholica celebrari, quia
Sanctus Ambroſius ipſum ea die baptizarit. Teſte ſiquidem Baronio, vt
ſupra dicebam, ipſum baptizauit Anno Trecenteſimo octuageſimo-oc-
tauo, ac tempore Paſchali: teſte autem Galeſinio in ſuis ad ſuum Mar-
tyrologium Notationibus, baptizauit Anno ſubſequente. Quibus tamen
Annis, vt è mox dictis intelligi datur, ne Vigilia quidem Pentecoſtes
in quintam Maij diem incidere potuit. Cur ergo nihilominùs hac ipſa
die celebretur Auguſtini Conuerſio, hanc ego potiùs rationem adſtrue-
rem.

rem. Vigilia ipſa Paſchatis, in qua baptizatus ille re vera fuit, dies abſque dubio erat eiuſmodi celebritati minùs idonea & opportuna. Cùm igitur in alienam diem transferri oporteret; in eam tranſtulerunt, quæ celebritatem Sanctæ Monicæ matris proxima ſubſequeretur; cuius vtique matris potiſsimum lachrymis conſilio & exemplo factum eſt, vt Auguſtinus ad veram ſeſe Religionem conuerterit. Sic igitur occaſione Matris, quarta Maij die ad celebrandum propoſitæ, talem quoque filij Conuerſionem poſtera die conuenienter celebrandam cenſuerunt. A

V. His breuiter hunc in modum præmunitis, ab Anni Trecenteſimi octuageſimi-octaui Paſchate retrocedo ad Annum anteriorem, quo ædificatam præſabar Ambroſianam Baſilicam, Sanctis vtique Protaſio ac Geruaſio Martyribus dedicandam: quodquè plurimùm ad fidem intereſt, ita retrocedo, vt vnum ſequar Auguſtinum ducem. Ille ſiquidem Libro 9. Confeſsionum Cap. 6. ſic ad verbum tradidit: *Inde vbi tempus aduenit, quo me nomen dare* (pro Baptiſmo nimirùm ſuſcipiendo) *oporteret; relicto Rure, Mediolanum remeauimus. Placuit & Alipio renaſci in te* (Deum alloquebatur) *mecum, iam induto humilitate Sacramentis tuis congrua, & fortiſsimo domitore corporis, vſque ad Italicum ſolum glaciale nudo pede obterendum inſolito auſu. Adiunximus etiam nobis puerum Adeodatum, ex me natum carnaliter de peccato meo &c. Sociauimus eum coæuum nobis in gratia tua, educandum in diſciplina tua:* ET BAPTIZATI SVMVS, *& fugit à nobis ſolicitudo vitæ præteritæ. Nec ſatiabar illis diebus* (poſt Baptiſmum videlicet ſuſceptum) *dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilij tui ſuper ſalutem generis humani. Quantùm fleui in Hymnis & Canticis tuis, ſuauè ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Et protinùs Capite 7. NON LONGE COEPERAT MEDIOLANENSIS ECCLESIA GENVS HOC CONSOLATIONIS ET EXHORTATIONIS CELEBRARE, *magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus.* NIMIRVM ANNVS ERAT, AVT NON MVLTO AMPLIVS, *cùm Iuſtina, Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſeruo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, ſolicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore ſpiritus tui, excitabamur tamen Ciuitate attonita atque turbata. Tunc, Hymni & Pſalmi vt canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, ne Populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus Gregibus tuis & per cætera Orbis imitantibus.* TVNC MEMORATO ANTISTITI TVO PER VISVM APERVISTI, QVO LOCO LATERENT MARTYRVM CORPORA PROTASII ET GERVASII: QVÆ PER TOT ANNOS INCORRVPTA IN THESAVRO SECRETI TVI RECONDIDERAS, *vnde opportunè promeres ad coercendam rabiem fœmineam,*

(Margin letters: B, C, D)

mineam, ſed regiam. CVM ENIM PROPALATA ET EFFOSSA A
DIGNO CVM HONORE TRANSFERRENTVR AD AMBROSIA-
NAM BASILICAM, *non ſolùm quos immundi vexabant Spiritus, confeſ-
ſis eiſdem Dæmonibus ſanabantur: verùm etiam quidam plures annos cæcus,
Ciuis, Ciuitatiquè notiſſimus, cùm Populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet
atque audiſſet; exiluit; eoquè ſe vt duceret, ſuum ducem rogauit. Quò per-
ductus, impetrauit admitti, vt ſudario tangeret feretrum pretioſæ in conſpectu
tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque admouit oculis, confeſ-
tim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes tuæ feruentes lucentes:*
INDE ILLIVS INIMICÆ (Iuſtinæ) ANIMVS, ETSI AD CRE-
DENDI SANITATEM NON APPLICITVS, A PERSEQVENDI
TAMEN FVRORE COMPRESSVS EST &c. *Et tamen tunc, cùm ita* B
*fragraret odor vnguentorum tuorum, non currebamus poſt te; & ideò plus fle-
bam inter cantica Hymnorum tuorum, olim ſuſpirans tibi, & tandem reſpirans,
quantùm patet aura in domo fænea.* Hactenus Auguſtinus. Ipſo igitur aſ-
ſertore indiceque certiſſimo, ex eo tempore, quo Iuſtina Imperatrix
Ambroſium proſequi cœpit, vſque ad illud, quo ipſe Baptiſmum ſuſ-
cepit, nonniſi annus iam effluxerat, vel non multò amplius. Interea
verò, cum vigeret adhuc perſecutio, Ambroſius illum Hymnorum ac
Pſalmorum cantum introduxit, ac prætereà etiam poſtea Corpora illa
Martyrum inuenit ac ſolemniter tranſtulit. Hæc itaque tria ſine dubio
ſecundùm Auguſtini aſſertionem facta ſunt intra ſuperiorem illum An-
num, aut non multò amplius; & proinde facta ſunt intra Trecenteſi- C
mum & octuageſimum-ſeptimum Chriſti Annum. Ex eius enim octauo
Aprilis die integer ille Annus deducebatur, vti iam diximus. Sic etiam
ſpatium illud temporis non multò amplius, quod ſupra & ante inte-
grum illum Annum iam excurriſſet, certè nonniſi excurrerat ante octa-
uum illum eiuſdem Aprilis Anniquè diem. Quamobrem ſi perſecutio
illa iam incœpiſſet ſuperiore menſe Ianuario; certè ipſa etiam intra Tre-
centeſimum & octuageſimum-ſeptimum illum Chriſti Annum re vera
incœpiſſet. Sed hæc planiùs & diſtinctiùs etiam poſtea nobis ex Am-
broſij teſtimonijs conſtabunt.

VI. Eodem Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo, ſecundùm Tabulas
illas Paſchales paulò ante collaudatas, Paſcha Dominicæ Reſurrectionis D
incidit in Aprilis diem decimam-quintam. In anteriore autem Quadra-
geſima, & præcipuè in poſtrema eius hebdomada, grauiter Ambroſius
à Iuſtina & ab Arianis fuerat vexatus; cùm Baſilicam ſibi vnam vendi-
carent atque per vim extorquere conarentur, in qua ſuus ipſorum Epiſ-
copus ſacra miniſteria perageret; cumquè Ambroſium ipſum ex Vrbe
in exilium diſpellere molirentur. Ambroſium ipſum audiamus, Mar-
cellinæ Sorori hæc narrantem Epiſtola 14. *Quoniam* (inquit) *omnibus
ferè Epiſtolis ſollicitè quæris de Eccleſia; accipe, quid agatur. Poſtridie, quàm
accepi litteras tuas, quibus ſignificaueras, quòd te exagitarent ſomnia tua,*
MOLES INQVIETVDINVM GRAVIVM COEPIT MOVERI.

NEC IAM PORTIANA, HOC EST EXTRAMVRANA BASILICA, PETEBATVR, SED BASILICA NOVA, HOC EST INTRAMVRANA, QVÆ MAIOR EST. *Conuenerunt me primò Viri Comites Conſiſtoriani, vt & Baſilicam traderem, & procurarem, ne quid Populus turbarum moueret. Reſpondi, quod erat mei Ordinis: Templum Dei tradi à Sacerdote non poſſe. Acclamatum eſt ſequenti die in Eccleſia: etiam Præfectus eò venit: cœpit ſuadere, vt Baſilica Portiana cederemus. Populus reclamauit. Ita tunc diſceſſum eſt, vt intimaturum ſe Imperatori diceret. Sequenti die (erat autem Dominica) poſt Lectiones atque Tractatum dimiſsis Catecumenis*, SYMBOLVM ALIQVIBVS COMPETENTIBVS IN BAPTISTERII TRADEBAM BASILICA. *Illic nunciatum eſt mihi comperto, quòd ad Portianam Baſilicam de Palatio Decanos miſiſſent, & vela ſuſpenderent: Populi partem eò pergere. Ego tamen manſi in munere: Miſſam facere cœpi &c. Condemnationes illicò grauiſsimæ decernuntur, primò in corpus omne mercatorum*. ITAQVE SANCTIS DIEBVS HEBDOMADIS VLTIMÆ (nimirum Quadrageſimalis) *quibus ſolebant debitorum laxari vincula, ſtrident catenæ; imponuntur collo innocentium: exiguntur ducenta pondo auri* INTRA TRIDVVM. *Reſpondent aliqui, ſe tantum, aut duplum, ſi peteretur, daturos; dummodò ſeruarent Fidem. Erant pleni carceres negotiatoribus* &c. Reliqua ſubinde proſequitur, Ambroſius, quæ intra tres aut quatuor proximos illius Hebdomadæ Sanctioris dies hinc inde dicta vel geſta ſunt. Ac demum propè finem Epiſtolæ ſic addit: *Nec mora, nunciatur Imperatorem iuſsiſſe, vt recederent milites de Baſilica: negotiatoribus quoque, quod exactum de condemnatione fuerat, redderetur. Quæ tunc Plebis totius lætitia fuit? qui totius Populi plauſus? quæ gratia?* ERAT AVTEM DIES, QVO SESE DOMINVS PRO NOBIS TRADIDIT (ſiue feria ſexta Sanctioris Hebdomadæ) *quod in Eccleſia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nunciare milites: irruentes in altaria oſculis ſignificare pacis inſigne. Tunc agnoui, quòd Deus vermen antelucanum percuſſerat* (de quo proximè Ambroſius diſſeruerat è Iona Propheta) *vt tota Ciuitas ſeruaretur. Hæc geſta ſunt, atque vtinam iam finita. Sed grauiores motus futuros, plena commotionis Imperialia verba indicant. Ego Tyrannus appellor, & plus etiam quàm Tyrannus. Nam cùm Imperatorem Comites obſecrarent, vti prodiret ad Eccleſiam: idquè petitu militum facere ſe dicerent; reſpondit: Si vobis iuſſerit Ambroſius; vinctum me tradetis. Quid poſt hanc vocem ſuperſit, conſidera. Quam vocem omnes cohorruerunt. Sed habet à quibus exaſperetur* &c. Hæc Ambroſius ad Marcellinam ſororem.

VII. Priùs tamen pleraque illorum, quæ in ſuperiori Epiſtola continentur, non minùs luculenter Ambroſius explicauerat in Concione interim ad Fideles ſuos habita *De Baſilicis non tradendis Hæreticis*. E qua quidem Concione præterea conſtat, quemadmodùm Hymnorum cantum & ſolamen inter illos perſecutionis æſtus ac mœrores iam inſtituiſſet. Quocirca etiam lepidè Arianorum ſuper eo querimoniam refellebat in hunc modum: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum Populum ferunt. Planè:*

plané: nec hoc abnuo. GRANDE CARMEN ISTVD EST, ET QVO NIHIL POTENTIVS. QVID ENIM POTENTIVS, QVAM CONFESSIO TRINITATIS, QVÆ QVOTIDIE TOTIVS POPVLI ORE CELEBRATVR? CERTATIM OMNES STVDENT FIDEM FATERI: PATREM ET FILIVM ET SPIRITVM SANCTVM NORVNT VERSIBVS PRÆDICARE. FACTI SVNT IGITVR OMNES MAGISTRI, QVI VIX POTERANT ESSE DISCIPVLI. Quibus quidem verbis certum aliquem Ambroſius mihi videtur indicaſſe Hymnum, qui diſertiſsimam Sanctiſsimæ Trinitatis confeſsionem contineret, quiquè totius populi ore ſingulis diebus caneretur. Quocirca hinc etiam eò magis adducor, vt credam, eiuſmodi poſtea Hymnum nullatenùs perijſſe, ſed apud poſteros Ambroſianos perenni etiam vſu conſeruatum fuiſſe, quinetiam in præſentem vſque diem conſeruari. A B

VIII. Quòd ſi fortè res ita ſe habet; ecce tibi, quouſque rursùs coniectando progrediar. Eouſque nimirùm progredior, vt opiner, talem Hymnum non eſſe alium, quàm notiſsimum illum & celeberrimum, cuius eſt initium TE DEVM LAVDAMVS: quiquè videtur etiam in eum concinnatus finem, vt à Fidelibus quotidie caneretur; hucquè propterea Verſiculi ſpectarint illi: *Per ſingulos dies benedicimus te:* ac *Dignare Domine die iſto ſine peccatis nos cuſtodire*. Nec enim alius quiſpiam ex Hymnis Ambroſianis, quotquot adhuc nobis ſuperſint, talem illam continet Trinitatis confeſsionem, qualem Ambroſius innuebat. Illud etiam huc accedit, quòd veteres Ambroſiani hunc appellabant Hymnum DE FIDE CHRISTIANA; ſicut è Beroldi Codice dignoſcitur in principio Pſalterij; ac nos etiam infra recitabimus Capite 97. Num. 8. Fides autem Chriſtiana, ſiue Catholica, ſicut in Sancti Athanaſij Symbolo profitemur, in eo præſertim conſiſtit, *Vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*. Similiter etiam HYMNVM DE CHRISTI FIDE nominauit eum Auctor illius Sermonis *De Baptiſmo Sancti Auguſtini*, quem nonnulli Doctores (à quibus tamen ego, vnà cum Bellarmino, Baronio, Pennotto, & alijs, diſſentio) Ambroſio adiudicarunt; eumquè propterea inter ipſius Sermones nonageſimum-ſecundum computarunt. C

IX. Quoniam tamen Ambroſius eiuſmodi Concionem habuit (vt dicebam) Anno circiter ante, quàm Baptiſmum Auguſtino impertiret; hinc profectò illud etiam ſequeretur, vt Hymnus ille iam fuerit ab Ambroſio compoſitus, & Fidelibus ad canendum traditus, deinde autem memoriæ itidem ab Auguſtino mandatus; itaut hic ſtatim à Baptiſmo eum alternis vnà cum Ambroſio verſibus decantare potuerit; eumquè tantus Eccleſiæ Doctor ſibi quodammodò communem cum Ambroſio ita effecerit, vt æqualiter vtrique iam tandem ab Eccleſia & Romana & Ambroſiana velut auctori adſcribatur. D

X. Quòd autem præuideo fore, vt multi è Scriptoribus recentioribus hac in re mihi, tamquàm potiſsimum cauſæ ſuæ præſidium agminatim oppo-

 nant

nant Sanɛti Datij, Archiepiſcopi noſtri; Chronicum Mediolanenſe; ni- A
hil ego quidem hinc expaueſco. In Diſſertatione ſiquidem De Baptiſmo
Sanɛti Auguſtini, è Sanɛti Ambroſij manibus ſuſcepto, euidenter iam
oſtendi, Chronicum illud re vera non eſſe Sanɛti Datij, Archiepiſcopi
noſtri, qui nobis vnicus hoc nomine fuit; ſed alterius Datij longè poſ-
terioris, quinetiam partùm fide digni; qui Anno Domini Milleſimo oc-
tuageſimo ſcribebat, & vxoratis per ea tempora Sacerdotibus intempe-
rantiſsimè fauebat; quiquè ſolemne illud mendacium vel primus con-
finxit, vel ſaltem acerrimè promouit, quo Sanɛtus Ambroſius diceba-
tur Sacerdotibus permiſiſſe ſuis, vt vnam ſibi vxorem aſſumerent.

XI. Hæc autem oſtendebam è Gualuanei præſertim Flammæ Chronico, pro-
ut in Ambroſianæ Bibliothecæ Codice deſcriptum eſt: ac præterea è B
Chronico *Flos florum*, itidem manuſcripto, quod penes Aloyſium erat
Eccleſiam, Vrbis noſtræ Secretarium. In his enim Chronicis continen-
ter è Sanɛti Ambroſij, quinetiam à Sanɛti Anathalonis, qui Sanɛto Bar-
nabæ Apoſtolo noſtro proximus ſucceſsit, immò verò etiam è Principum
Romanorũ, qui noſtram Vrbem amplificauerint ſupraquàm Galli Senones
fecerant, temporibus vſque ad Gregorij Papæ Septimi tempora identi-
dem producitur Datiani eius Chronici teſtimonium. Gualuaneus verò
inſuper Capite 397. ipſamet Datij recitat verba, quibus ille diſertiſsimè
pariter ac impudentiſsimè mentiebatur, Ambroſium Sacerdotibus per-
miſiſſe, vt vnam ſibi vxorem ducere poſſent: mendacium profeɛtò San-
ɛto Archiepiſcopo noſtro Datio indigniſsimum, nec ei ab vllo ſanæ men- C
tis homine adſcribendum. Quamobrem Sacra etiam Indicis Congrega-
tio meritiſsimè illud cenſuit è Bernardini Corij Chronico abolendum &
oblitterandum eſſe: dequè ſuo eiuſmodi decreto Federicum Cardinalem
Borromæum Archiepiſcopum noſtrum admonuit Anno Domini 1621.
die 16. menſis Martij per Epiſtolam, quæ fideliter ad perpetuam me-
moriam in Ambroſiana Bibliotheca cuſtoditur, & è qua ego quoque
mihi exemplar deſcripſi, charumquè admodùm mihi conſeruo. Sed ipſa-
met Datij de tam fœdo mendacio verba hoc etiam loco depromamus.
Sic enim à Gualuaneo ad extremum Capitis eius 397. recitabantur:
CHRONICA DATII: *In Synodo Damaſi Primi, centum quinquaginta
Epiſcoporum, celebrata in Conſtantinopoli*, VBI BEATVS INTERFVIT D
AMBROSIVS, *grauiſsima diſſenſio exorta eſt inter Sacerdotes vxoratos ex
vna parte, & inter Sacerdotes ſine vxore viuentes ex altera parte. Qui Sa-
cerdotes ſine vxore dicebant, Sacerdotes vxoratos ſaluari non poſſe.* SVM-
MVS PONTIFEX HANC QVÆSTIONEM COMMISIT BEATO
AMBROSIO. QVI SIC AIT: PERFECTIO VITÆ, NON IN
CASTITATE, SED IN CHARITATE CONSISTIT, *ſecundùm
illud Apoſtoli, ſi linguis hominum loquar & Angelorum &c.* IDEO LEX
CONCEDIT, SACERDOTES SEMEL VIRGINEM VXOREM
DVCERE, SED CONIVGIVM NON ITERARE. SI AVTEM,
MORTVA PRIMA VXORE, SACERDOS ALIAM DVXERIT;

SACER-

SACERDOTIVM AMITTIT. Hæc ad verbum Gualuaneus ex eo A
Datij Chronico: quod ego propterea Sancti Archiepiſcopi noſtri Datij
re vera non eſſe, ne penes illa quidem, quæ ipſius obitum anteceſſerunt,
quæquè cæteroqui per ipſius ætatem ab ipſo litterarum monumentis
conſignari potuiſſent, contendebam. Confirmationis verò etiam gratiâ
huc aſciſcebam è Belgio & è Societate Ieſu Ioannem Bollandum, ex
Vrbe autem noſtra & è Barnabitarum Ordine Bartholomæum Gauantum,
recentes atque celeberrimos æui noſtri Scriptores. Bollandus namque
in Actis Sanctorum menſis Ianuarij, quæ recenter edidit, duobus
ingentis molis Voluminibus comprehenſa, cùm die decima-quarta Vitam
Sancti Archiepiſcopi noſtri Datij colligeret: cumquè §. 1. Num. 3.
accuratè ac ſolerter ſcrutaretur, an ille Chronicum ſcripſerit Mediola- B
nenſe, quia nempè Relationes quaſdam ſcripſiſſe traditur à quibuſdam
fidei probatæ Hiſtoricis; ad extremum ita concludit: POSSINT TAMET
HÆ RELATIONES VIDERI FORTASSIS EPISTOLICÆ
NARRATIONES. Quoniam verò prædictorum Bollandi Voluminum
exemplar in Vrbe noſtra nullum fortaſsè nunc extat (quod enim commodatum
mihi fuerat, aliò poſtea tranſmiſſum fuit; nec aliquod aliud
ſcio huc aductum) propterea iuuat etiam hoc loco vniuerſum eius hac
de re ſermonem recitando proſequi. Sic autem ille ibi diſſerebat. *Hiſtoriam
ſui temporis ſcripſiſſe Datium & Vitas Prædeceſſorum ſuorum, aſſerit
Ioannes de Deis. Annalium Libros ab eo compoſitos, memorant Acta Eccleſiæ
Mediolanenſis, Puteanus, & alij. Poſſeuinus noſter* (in Apparatu Sacro, C
Verbo *Dacius Epiſcopus Mediolanenſis*) *Chronicon appellat: in quo præter
alia teſtetur Libro 1. Cap. 10. à Sanctis Patribus Ambroſio & Auguſtino, ſtatim
à Baptiſmo eiuſdem Auguſtini, toto Populo obſtupeſcente, Canticum illud,*
TE DEVM LAVDAMVS, *alternatim & ex tempore cantatum fuiſſe; inde
verò ab vniuerſa Eccleſia frequentari cœpiſſe. Hæc Poſſeuinus, atque ex eo
Voſsius de Hiſtoricis Latinis. Meminit & Relationum Datij Anaſtaſius Bibliothecarius,
De Vitis Pontificum, in Syluerio. Tunc obſeſſa (inquit) eſt Ciuitas
annum vnum, & Portus Romanus à Gothis. Patricius verò Beliſarius pugnando
vicit Gothos: & poſtmodùm fugerunt Gothi Rauennam poſt annum
vnum. Eodem tempore tanta fames fuit per vniuerſum Mundum, vt Datius,
Epiſcopus Mediolanenſis, Relatione ſua hoc euidenter narrauerit; eo quòd in* D
*partibus Liguriæ mulieres filios ſuos comediſſent penuria panis; quas retulit ex
Eccleſiæ ſuæ fuiſſe familia. Eadem de fame hac & Datij Relatione habentur
Libro 16. Hiſtoriæ Miſcellæ, Cap. 15. Præter belli inſtantiam augebatur inſuper
Romæ panis penuria. Tanta ſiquidem per vniuerſum Mundum eo anno, maximequè
apud Liguriam, fames excreuerat, vt, ſicut Vir Beatiſsimus Datius,
Mediolanenſis Antiſtes, retulit, pleræque matres infelicium natorum comederent
membra.* Sed ex his omnibus quidnam eſt illud tandem, quod Bollandus
concludit? POSSINT TAMEN (concludit) HÆ RELATIONES
VIDERI FORTASSIS EPISTOLICÆ NARRATIONES. En
igitur in hanc ille ſententiam propendet, vt Sanctus noſter Archiepiſ-

copus

copus Datius nullum Chronicum elaborauerit. Gauantus porrò (hic autem prætereà erat Sacræ Rituum Congregationis Romanæ Conſultor) in Theſauro Sacrorum Rituum, ſeu Commentarijs in Rubricas Miſſalis & Breuiarij Romani, Parte Secunda, Sectione 5. Cap. 19. Num. 1. longè animoſiùs ac ſecuriùs ſcripſit, & ita prorsùs ſentiendum cenſebat: *Hymnus*, TE DEVM, *à Sanctis Ambroſio & Auguſtino compoſitus fuiſſe dicitur, quando Sanctus Auguſtinus baptizatus fuit Anno Trecenteſimo octuageſimo-octauo, vt ſcribit Sanctus Datius, Epiſcopus Mediolanenſis, Libro 1. Cap. 10. Chronici*. QVOD TAMEN CHRONICVM NON EST DACIANVM, SI ERVDITIORIBVS EST CREDENDVM MEDIOLANENSIBVS: QVI ETIAM MELIVS CENSENT, TOTVM HYMNVM VNI AMBROSIO DEBERI; *cùm ille Dialogiſmo careat*. Et hæc ſatis in præſenti ſint pro coniectura illa, quam è ſuperioribus Ambroſij verbis eliciebamus. A B

XII. Sin autem quiſpiam hoc loco ſimul etiam ſcire cupit, qualibus interim quantiſquè Viris aduerſari nos oporteat; hi ſunt, quos ego quidem hactenùs legerim; videlicet Iacobus Perez de Valentia, ex Auguſtiniano Eremitarum Ordine Chriſtopolitanus Epiſcopus, in Cantici TE DEVM LAVDAMVS Expoſitione, Dauidicorum Pſalmorum & aliorum quorumdam Canticorum Expoſitioni ſuperaddita; Bartholomæus de Vrbino in ſuo Sancti Auguſtini Milleloquio veritatis, in Prologo; Ioannes Manriquez De Fratrum Eremitarum Origine, Cap. 5. §. 12. Ioſeph Pamphilus in Chronico Ordinis eorumdem Fratrum; Ioannes Gonzalez in Compendio Hiſtoriali, Hiſpanicè conſcripto, De Vita Sancti Auguſtini Cap. 1. Ludouicus de Angelis De Vita & laudibus eiuſdem Sancti Auguſtini, Libro 3. Cap. 5. & 6. Cornelius Lancilottus in Sancti pariter Auguſtini Vita, Libro 2. Cap. 1. Ioannes Riuius in eiuſdem Sancti Patris Vita Libro & Capite 1. §. 31. ex Nicolai Cruſen Parte 1. Cap. 5. Monaſtici Auguſtiniani; Ambroſius Staibanus in Hiſtoria inſcripta *Templo Eremitano*, Cap. 5. Gabriel Pennottus in Cenſura Sermonum, Diuo Auguſtino ſuppoſitorum, ad Eremitas, Cap. 17. & Notatione 17. in Hiſtoriam Conuerſionis eiuſdem Sancti Auguſtini, inter Officia propria Sanctorum ab eius Ordinis Canonicis recitanda; Ioannes Stephanus Durantus, De Ritibus Eccleſiæ Catholicæ Cap. 16. Num. 6. Robertus Cardinalis Bellarminus Libro 1. De bonis Operibus in particulari Cap. 14. & De Scriptoribus Eccleſiaſticis, propè finem Obſeruationis in Opera Sancti Ambroſij; Ioannes de Deis in Catalogo noſtrorum Archiepiſcoporum, inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ Apoſtoli in Eccleſia Mediolanenſi*, Num. 28. Petrus Galeſinius in eorumdem Archiepiſcoporum Tabula, Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſita, Num. 29. Erycius Puteanus, Hiſtoriæ Inſubricæ Libro 1. in Commentario, pag. 80. Num. 5. Antonius Poſſeuinus in Apparatu Sacro, Verbo *Datius, Epiſcopus Mediolanenſis*; Oliuerius Bonartius de Horis Canonicis, Capite 29. Num. 26. Gerardus Ioannes Voſsius De Hiſtoricis Latinis, Libro 2. Capite 19. C D

Ioſephus

Ioſephus noſter Ripamontius, Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Decade Prima, Libro 5. pag. 239. Ioannes Caramuel in ſua Theologia Regulari, Num. 1167. Iacobus Marchantius in Opere, cuius inſcriptio eſt *Virga Aaronis Florens*, Tractatu 3. Lectione 17. Num. 5. qui tamen alioquin ſe quandoque miratum profitetur, quòd nihil tale repererit neque apud Sanctum Auguſtinum in Confeſsionibus, cùm de Baptiſmo ſuo agit; neque apud Baronium, de hoc eodem Auguſtini Baptiſmo tractantem. Hi ergo omnes Sanctum Archiepiſcopum noſtrum Datium, tamquàm eius Chronici Auctorem, hac in re ſibi teſtem aſciuerunt. A

XIII. Quod tamen plus negotij faceſſit, eiſdem ſanè omnibus velut anteſignanus prænumerari debere videbitur alicui fortaſsè. Landulfus ille, cuius mentio facta iam eſt Capite 37. Num. 8. & cuius Hiſtoriæ manuſcriptæ in charta pergamena, & quatuor Libris comprehenſæ, atque L. Baſilicæ Metropolitanæ Archipresbytero nuncupatæ, legi poſſunt in Bibliotheca Metropolitani hac in Vrbe Capituli. Datius, vt dicebam, vſque ad Gregorij Papæ Septimi tempora ſcribendo peruenit. Gregorius autem, Anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo-tertio creatus Pontifex, Anno randem Milleſimo octuageſimo-quinto ad Superos abijt. Rursùs verò poſt Datium (nec multò poſt) Landulfus ille Hiſtorias noſtræ Vrbis conſcripſit: & acerbiore quidem, quàm Datius, animo in eos omnes, qui Sacerdotibus vxoratis ſeſe per ea tempora oppoſuerant: è qua rerum mutatione ſe multa & grauia paſſum damna & incommoda conquerebatur in Prologo. Totus erat in eos furor ac fremitus & mendacia & calumniæ. Nè Sacroſanctæ quidem pepercit Eccleſiæ Romanæ, Romaniſquè Pontificibus, ac nominatim Alexandro Secundo, & Gregorio Septimo. Sanctum item Arialdum (cuius aliquam ego feci mentionem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 259. 260. 266. 273. 274.) eam ob cauſam contumelijs ſemper & obiurgationibus, tamquàm hominem perfidum, ingratum, ſuperbum, audaciſsimum, diſcordiarum ſatorem, Chriſtianæ charitatis euerſorem, perditiſsimum Eccleſiæ Ambroſianæ hoſtem, lacerauit. Atqui ne propterea quidem ipſum adhuc credere potui tam effrontem atque impudentem, vt Datij Chronicum, quod tam recenter compoſitum fuerat, tantæquè nouitatis conuinci facillimè poterat, auſus fuerit Sancto Archiepiſcopo Datio affingere, qui tot ante ſæculis ex hac vita migrauerat. Er tamen in eius Libro primo tria extant Capita, penè ad verbum è Datij Chronico exſcripta, in quorum titulis eadem Archiepiſcopo noſtro Datio adſcribuntur. Capitis enim ſecundi titulus ſic ſe habet: *Expoſitio Ordinum Sancti Ambroſij, edita à Sanctæ memoriæ Datio, Epiſcopo Mediolanenſi.* Capitis autem duodecimi: *De Chriſmon Sancti Ambroſij, ſecundùm Datium, Archiepiſcopum Mediolani.* Capitis denique decimi-tertij: *De Crucis Antiphona, ſecundùm Datium; Epiſcopum Mediolani.* Ego igitur ita potiùs exiſtimo, vt additamentum illud Antiſtitis noſtri Datij fuerit adſcriptum, non ab ipſomet Landulfo, ſed ab aliquo potiùs Amanuenſi, qui poſt longa temporum B C D

porum ſpatia eas ipſius Hiſtorias excripſerit, ignarus, quale cæteroqui A
fuerit Chronicum illud Datij, quantiquè temporis res geſtas compre-
henderit; cùm alioqui non alium fortaſſe Datium, alicuius litteraturæ
ac nominis hominem, è ſuperiorum temporum memorijs vel ex ore fa-
mæ agnouiſſet; quàm Sanctum illum Antiſtitem; à quo etiam fortaſſe
conſcriptum aliquod fuiſſe Opus hiſtoricum, ſiue Relationes, aliquando
legiſſet vel audiſſet; vt propterea tantò faciliùs ei adſcribere potuerit
earum narrationem rerum, quæ ad Sancti Ambroſij tempora pertine-
bant. Certè ne Landulfi quidem cenſeri poteſt eſſe titulus, Capiti poſ-
tremo Libri tertij præfixus. Eſt enim huiuſmodi: *Qualiter Arialdus à per-
fidis martyrio coronatur*. Sic etiam ne Landulfo quidem tribui poſſunt alia
multa, primæuo pariter ac titulis illis conſimili charactere in ora mar- B
ginali conſcripta, quæ ad eiuſdem Sancti Arialdi, vel etiam Sancti Her-
lembaldi eius collegæ, pertinent commendationem, quam ille tantopere
oderat ac deteſtabatur. Hinc igitur ego Landulfum ijs non connumero
Scriptoribus, qui Datium, Chronici Mediolanenſis auctorem, confu-
derunt cum Sancto Datio, Archiepiſcopo noſtro.

XIV. Auctor profectò etiam Chronici *Flos florum* aliquoties Datium produ-
cebat teſtem (videlicet fol. 97. pag. 1. fol. 122. pag. 1. & 2. fol. 132. pag.
1. fol. 133. pag. 1. & hoc poſtremo loco in tempus Sancti Gregorij Papæ
Septimi) neque tamen vnquàm Sancti Epiſcopi vel Archiepiſcopi Me-
diolanenſis ei titulum ſuperaddidit; qui tamen, ſicut ad maiorem fidem
faciendam opportuniſsimus erat, ſic etiam nullatenùs fuiſſet ſilentio tran- C
ſigendus. Hoc ipſum religioſiſsimè ſeruauit etiam Gualuaneus Flamma:
qui tamen ipſum longè frequentiùs produxit, quiquè duobus ipſius
exemplaribus in contexendo ſuo Chronico vſum ſe profitebatur non
procul ab eiuſdem Chronici initio. Vnum enim nominauit in exem-
plari Bibliothecæ Ambroſianæ, alterum verò in exemplari Secretarij
Vrbani. Hæc vtique ſunt loca, in quibus ego Chronicum illud Datij à
Gualuaneo productum eſſe in prædicto Ambroſianæ Bibliothecæ Codi-
ce obſeruaui. Nimirùm Capite 59. 99. 130. 145. 229. 249. 397. 398.
403. 407. 468. (& hic apertiſsimè Gualuaneus Datium, eius Chronici
Auctorem, diſtinguit ab Archiepiſcopo noſtro Datio, cuius itidem geſta
hic narrat) 480. 486. 503. 517. 550. 604. 690. 692. 706. 712. 720. D
730. 746. 763. 764. 782. 783. 789. Quo tandem Capite Gualuaneus,
iamquàm ex Anno Chriſti Milleſimo ſeptuageſimo-quarto, ex eodem
Datij Chronico deſcribit Gregorij Papæ Septimi electionem, & quem-
admodùm illi Henricus Imperator Antipapam ſuum oppoſuerit, eum-
demquè Romam deduxerit; Gregorium verò ipſum, ab eodem Impera-
tore carceri mancipatum, Guiſcardus poſtea Rex ex aduerſo liberaue-
rit. Poſt hanc enim narrationem non alibi deinceps Datij Chronicum
inueni ab eodem Flamma in eo Codice productum in teſtimonium.

XV. Quid, quòd etiam Proceſſum (quippe ſolito vtar Notariorum vocabu-
lo) ego legi, confectum Anno Domini Milleſimo ducenteſimo vnde-

nonageſimo

nonageſimo (cuius teſtimonijs vtar etiam infra Capite 112.) in quo id ipſum ſimiliter ſeruabatur, vt Auctori eius Chronici Datio numquàm tamen adderent Epiſcopi vel Archiepiſcopi appellationem? Pro Archipresbytero ac Decumanis Baſilicæ Metropolitanæ confectus ille fuit contra Præpoſitum & Canonicos Ambroſianæ, ſupra quos primatum ſibi vendicabant: mihiquè per ſummam humanitatem commodatus fuit ab eiuſdem Metropolitanæ Sacerdotibus, quos nunc trito iam vocabulo Beneficiales appellamus, quiquè in eorum Decumanorum prouentus & onera ſucceſſerunt. In eo autem Proceſſu duo præſertim Teſtes (tertius videlicet ac ſextus) in atteſtationis ſuæ confirmationem proferebant Datium, ſiue Datij Chronicum, prior à ſemetipſo lectum, alter auditum, cùm legeretur à Primicerio Vrbis Mediolani, & in noſtra quidem Sancti Laurentij Canonica, vbi habitabat, & cuius itidem Præpoſitus erat, iſquè Dominus Ardizonus de Comite vocabatur: cùmquè Datium ita proferrent; numquàm tamen ipſum aliter appellabant, quàm *Datium*, vel *Datium De Antiquitatibus Ciuitatis Mediolani*; quia videlicet liber ille ita eſſet inſcriptus. Eumdem verò ſic etiam prior ille Teſtis deſcribebat: *Erat vnus liber maioris voluminis, quàm liber Pſalterij communis.* Alter verò: *Intendo, quòd ille liber eſſet viginti quaternorum, vel plus, ſecundùm quod videbatur.*

XVI. Vtinam verò ille nobis etiam in præſenti ſuppeteret! atque vtinam felix exitus demùm reſpondiſſet accurratiſsimæ ſaltem diligentiæ, qua illum Federicus Cardinalis & Archiepiſcopus noſter Borromæus, tam librorum quàm bonarum Artium Curator incomparabilis, perquirendum curauit. Ipſe ſiquidem ille liber ſe ſolo quæſtionem hanc noſtram diſſolueret; nec aliter, quàm ex noſtra ſententia; cùm nempè ſuam Hiſtoriæ ſeriem, vſque ad Gregorij Septimi Pontificatum ab vno eodemquè Auctore continuatam, exhiberet.

XVII. Hæc ego de Hymno Chronicoquè illo iam ſcripſeram eo animo, vt plura hoc loco non adderem; cùm noua me neceſsitas ſuperaddere alia coegit. Amicum enim meum, eumdemquè doctiſsimum, fortè fortuna ex improuiſo comperi ſe profeſſum hac eſſe opinione, vt ne Sanctus quidem Ambroſius noſter eum Hymnum compoſuerit. Pater eſt autem Theophilus Raynaudus in Libro, quem ſuperiore Anno quinquageſimo-tertio Lugdunenſibus typis edidit, inſcriptum *Erotemata de malis ac bonis Libris, dequè iuſta aut iniuſta eorumdem confixione*. Marginali enim Numero 189. ſic ille ſcriptum reliquit: *Ambroſio communiter ac Sancto Auguſtino tribuitur Hymnus Dominicalis. Sic enim Alcuinus Libro de Officijs appellat Canticum vulgatum* TE DEVM LAVDAMVS: *quod olim ex vſu Romanæ Eccleſiæ in ſolis Pontificum Natalitijs concini ſolitum, teſte Amalario in Libro De Ordine Antiphonarij Capite 2.* (verè autem in Prologo) *poſtea ex Sancti Benedicti præſcripto in quibuſuis Dominicis, etiam Aduentus & Quadrageſimæ, decantatum eſt, non ſine aliqua offenſione Præſulum; vt ſcribit Radulphus Glaber* (hic à me potiùs nominatur Glaber Rodulphus) *Hiſtoriæ*

 (videlicet

(videlicet Francorum) *Capite* 3. *Hunc igitur Hymnum paſſim tribuunt San-* A
ctis Ambroſio & Auguſtino, ex auctoritate Sancti Dacij, à Diuo Gregorio 3.
Dialogorum Cap. 4. *laudati: qui ita ſcripſit in ſuo Chronico Libro* 1. *Cap.* 10.
referente Bellarmino Libro De Scriptoribus in Dacio, & Libro De Oratione
Cap. 12. & 14. & *Oliuerio Bonarſio* (mihi Bonartio) *Libro* 1. *De Horis Ca-*
nonicis Cap. 29. *Num.* 26. *Verùm Opus, quod Sancto Dacio adſcribitur, eius*
reuera eſſe, non omnes conſentiunt, præciſeque negat Hugo Menardus in Notis
ad Ritum antiquum Vnctionis Regum Francorum: quem ſubtexuit Sancti Gre-
gorij Libro Sacramentorum. Et ſane ſtylus, quo Liber ille, Sancto Dacio ad-
ſcriptus, exaratus eſt, non redolet tempora Iuſtiniani, quibus Sanctus Dacius
florebat; eaque loco, qui allegatus eſt, narrantur de geſtis in Sanctorum Am-
broſij & Auguſtini alloquio, quæ planè aduerſantur ipſi Sancto Auguſtino atque B
Poſsidio. Quare Hymnus ille Dominicalis alium videtur habuiſſe auctorem,
quàm Sanctos Ambroſium & Auguſtinum: nec ante Sanctum Benedictum, qui
in Regula Capite XI. *eius vſum præſcripſit, vſpiàm de eo aliquid legitur.*
Memoratur tamen poſtea frequenter, & in effuſæ lætitiæ vel gratiarum actionis
argumentum decantatus legitur in dicto Libro De Vnctione Regum Francorum,
& in Coronatione Caroli Calui, & in Actis Ludouici Pij, cùm de recepto Rhe-
mis Stephano Papa, & in reſtitutione Elbonis Rhemenſis, & in Sancti Germa-
ni Pariſienſis translatione ſub Pipino Duce Francorum. Talia Raynaudus.

XVIII. Præcipua ergo ipſius ratio hæc fuit: vt, quia falsò aſſeritur, Chroni-
cum illud à Sancto Archiepiſcopo noſtro Datio compoſitum fuiſſe, id-
circò ne Hymnus quidem ille fuerit à Sanctis Ambroſio & Auguſtino C
compoſitus: quæ tamen ratiocinandi formula mihi quidem non proba-
tur. An enim propterea ne Auguſtinus quidem fuit ab Ambroſio bap-
tizatus? An propterea falſa itidem fuerunt omnia, quæ Chronico illo
narrabantur? Pronunciatum ergo illud, quo Sancti Ambroſius & Au-
guſtinus Hymnum compoſuiſſe illum in eo Chronico aſſerebantur, teſ-
timonio re vera caret Archiepiſcopi noſtri Sancti Datij, quod magni
profectò momenti ad conciliandam ei fidem eſſet; atqui non illicò fal-
ſitatis damnandum eſt. Cùm itaque inueſtigari præterea opporteat, an
aliunde ſatis habeat fidei; ne hoc quidem illi ego deeſſe arbitror; ſi ve-
terem præſertim attendamus Ambroſianæ pariter ac Romanæ traditio-
nem Eccleſiæ (vt benè obſeruauit etiam è Ioanne Lorino in Pſalmum D
27. Ioannes Bona, Capite 16. §. 12. Num. 3. ſui Tractatus, *Pſallentis*
Eccleſiæ Harmonia ſiue *De Diuina Harmonia* inſcripti, Romaniſquè typis
editi Anno tantùm ſuperiore quinquageſimo-tertio) ac niſi fortè aliqua-
tenùs ex parte Auguſtini coniectura obſtet illa, quam ego Num. 7. & 8.
proponebam in examen, an prima eius Hymni compoſitio ſoli fortè Am-
broſio adſcribi poſsit. Eccleſiaſticæ quidem illi traditioni non parùm
adſtipulantur Auctores etiam ij omnes, qui Canticum illud abſolutè aſ-
ſeruerunt à Sanctis Ambroſio & Auguſtino, alternatim canentibus, com-
poſitum fuiſſe. Quo ex genere in memoriam ſe mihi nunc offerunt in-
fraſcripti: videlicet Honorius, Presbyter Auguſtudunenſis, in Speculo
Eccleſiæ,

Eccleſiæ, ſiue in Sermone de Sancto Auguſtino: Iacobus de Voragine A
in Legenda Sanctorum, quæ Lombardica nominatur Hiſtoria, Cap. 119.
in eiuſdem Sancti Auguſtini Vita, vbi etiam producto prædicti Hono-
rij teſtimonio ſic etiam ſuperaddit: *In aliquibus autem libris antiquis titu-
lus talis præponitur, Canticum, ab Ambroſio & Auguſtino compilatum:* Gu-
lielmus Durandus Libro 5. *De Diuinis Officijs*, Cap. 3. Num. 31. Gual-
uaneus Flamma in Manipulo Florum, Cap. 40. non procul ab initio.
Auctor Chronici *Flos florum*, fol. 81. pag. 2. Rodulfus, Decanus Tun-
grenſis, in Libro *De Canonum Obſeruantia*, Propoſitione 13. non procul
ab initio: Auctor Catalogi noſtrorum Archiepiſcoporum, quem, ve-
tuſtiſsimo ex Chronico excerptum, Michael Pizolpaſſus Anno 1438.
graphicè in pergamena charta exſcribendum curauit, quique in Ambro- B
ſiana Bibliotheca conſeruatur: eidem igitur ſententiæ Auctor etiam illo
fauet in Ambroſio Epiſcopo: eidemquè communiter conſentiunt cæteri,
etiam generis eiuſdem Catalogi manuſcripti, & vberiuſculè contexti,
quos ego hactenùs legerim: Sanctus Antoninus, Florentinorum Archie-
piſcopus, Chronicorum Parte Secunda, Titulo 10. Cap. 8. §. 1. vbi
etiam Petrus Maturus in Annotationibus Datium allegat Mediolanenſis
Chronici Libro 1. Cap. 10. Donatus Boſsius in Chronico Mediolanenſi
ad Annum Chriſti 365. Bernardinus Corius ad Annum 387. Iacobus
Philippus Bergomenſis in Supplemento Supplementi Chronicarum, ad
Annum Chriſti 390. Marcus Antonius Coccius Sabellicus Aenneadis
Septimæ Libro nono: Bernardus Zane, Patricius Venetus, & Spala- C
tenſis Archipræſul, non procul ab initio Orationis, quam in fine Seſ-
ſionis Primæ habuit in Concilio Lateranenſi Quinto, Oecumenico, in-
choato ſub Iulij Secundi Pontificatu die 10. menſis Maij, Anno Do-
mini 1511. Paulus Morigia Hiſtoriæ Mediolanenſis Libro 2. Capite 5.
quinetiam Breuiarium ipſum Romanum (nedùm Ambroſianum) Pij
Quinti & poſteriorum in hanc vſque diem Pontificum iuſſu & aucto-
ritate editum: in quibus Breuiarijs Hymnus ipſe, TE DEVM LAV-
DAMVS, hanc in fronte præfert inſcriptionem, HYMNVS SAN-
CTORVM AMBROSII ET AVGVSTINI. Quocirca non immeritò
hæc ſententia credi poteſt Eccleſiaſticæ item traditionis teſtimonio com-
probata. D

XIX. Illud etiam huc accedit; quòd, vt fatebatur Raynaudus (neque tamen
ſatis à me dignoſcitur ex Auctoribus ab ipſo productis) hoc Canticum
*olim ex vſu Romanæ Eccleſiæ in ſolis Pontificum Natalitijs concini ſolitum &c.
poſtea ex Sancti Benedicti præſcripto in quibuſuis Dominicis, etiam Aduentus
& Quadrageſimæ, decantatum eſt.* Illud igitur ante Regulam Sancti Bene-
dicti iam erat in vſu Eccleſiæ Romanæ. Quocirca nihil etiam mihi of-
ficit, quòd ante Sancti Benedicti Regulam nullibi aliquid de ipſo lega-
tur. Satis enim ſuperquè mihi eſt, quòd priùs in Eccleſia illud Roma-
na vſitatum iam fuiſſe Raynaudus concedat. Sancti porrò Benedicti Re-
gula quadrageſimo ſaltem Anno Chriſti ſupra Quingenteſimum condita

iam erat, vt ex Matthæi Laureti Adnotationibus in eiuſdem Cœnobiar- A
chæ Vitam, à Sancto Gregorio Papa Magno compoſitam, & Leonis
Oſtienſis Chronico Caſsinenſi præfixam, colligi poteſt in Caput 36. Ex
altera verò parte Canticum illud Sanctus Ambroſius iam compoſuerat
Anno Chriſti ſeptimo vel octauo ſupra Trecenteſimum octuageſimum.

XX. Sed ne illud quidem mihi placet, quod Raynaudus de Chronico ipſo
Datij addebat: *Eaquè loco, qui allegatus eſt, narrantur de geſtis in Sanctorum
Ambroſij & Auguſtini alloquio, quæ planè aduerſentur ipſi Sancto Auguſtino at-
que Poſsidio.* Non enim video, quænam eo loco illa ſint. Præ cæteris
Auctoribus, apud quos talia Chronici Datiani verba ego adhuc recita-
ta viderim, non alium habeo vetuſtiorem atque prolixiorem Iacobo illo
de Valentia, cuius mentionem Num. 12. faciebam. Antequàm enim B
Canticum illud exponere aggrederetur, cùm ſummatim recenſuiſſet Au-
guſtini Conuerſionem ac Baptiſmum; tùm verò Datij teſtimonium ſic
adiecit: *Hoc autem myſterium refert Beatus Datius, Quartus* (quo tamen in
numero ille fallitur) *ab Ambroſio Mediolanenſis Archiepiſcopus, in ſua Chro-
nica, ſub his verbis, dicens: Eodem tempore, ſcilicet duodecimo Theodoſij
Maioris Anno, contigit, vt quidam magnus Sapiens, tunc Manichæorum errore
ſeductus, nomine Auguſtinus, argumentis dialecticis & ſophiſticis armatus, ve-
nit ad Beatum Ambroſium, non cauſa audiendi, ſed reprehendendi gratia. Sed
cùm Beatum Ambroſium de Incarnatione prædicantem inueniſſet; oblitus ſui &
litterarum omnium ac cognitionum, pallens ac tremens, omnibus videntibus qui
ibi aderant, obriguit. Ac etiam finita oratione & admonitione, quam ad Po- C
pulum Beatus Ambroſius adminiſtrabat, primùm ad ipſum Auguſtinus peruenit.
Ac Beatus Ambroſius, cognita eius ſcientia, patefactaquè eius diſciplina, quid in
Arte valeret, qualiterquè in Fide Catholica diſſentiret, per Spiritum Sanctum
cognoſcens, qualiterque Fidelis & Catholicus futurus eſſet; placidiſsimè & mul-
tùm charitatiuè eum ſuſcepit. Itaque lætabatur Beatus Ambroſius ſuper eum,
ſicut in Euangelio de quodam patre legitur, qui cadens ſuper collum filij ſui,
quem perdiderat, oſculabatur eum. Tandem non poſt multos dies, nutu diuino,
ſicut multis videntibus & ſibi conſentientibus palàm aberrauerat, ſic in Fonti-
bus, qui Beato Ioanni adſcribuntur, Deo opitulante, à Beato Ambroſio, cunctis
Fidelibus aſtantibus & videntibus, in nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis
baptizatus & confirmatus eſt. In quibus Fontibus, prout Spiritus Sanctus da- D
bat eloqui illis,* TE DEVM LAVDAMVS *decantantes, cunctis, qui ade-
rant, audientibus & videntibus ſimulquè mirantibus, poſteris ediderunt, quod
ab vniuerſa Eccleſia Catholica vſque hodie tenetur, & religiosè decantatur: &
quaſi ditati multis diuitijs & ineſtimabilibus margaritis, mutuò in Deo delec-
tantes, cum gratiarum actione cibum ſumentes, & magno gaudio gauiſi, confor-
tati ſunt. Hæc Datius* 10. *Libro ſuæ Chronicæ, Cap.* 1. Sed ego legendum
potiùs eſſe arbitror *Libro* 1. *ſuæ Chronicæ Cap.* 10. ſicut etiam legit Bellar-
minus, & alij.

XXI. Talibus autem Datij verbis in eamdem prorsùs ſententiam conſenſit
Landulfus etiam ille Senior, quem Num. 13. nominabam, quemquè
paulò

paulò poſt Datium Hiſtorias ſcripſiſſe ſuas affirmabam. Quarum quidem Hiſtoriarum duo in Bibliotheca Metropolitanj Capituli extant exemplaria: & in eorum quidem altero (nempè illo, cui ego numeros Capitum non adſcripſi) iuxta primam mentionem Fontium Sancti Ioannis, ſic eſt in ora marginali adnotatum, & ſatis antiquo charactere: *Fuit ergo Beatus Auguſtinus baptizatus in Eccleſia Sancti Ioannis* AD FONTES, *quæ erat inter Eccleſiam Maiorem, & Sanctæ Thecle.* Ac verè id quidem obſeruatum; ſicut ego quoque infra oſtendam; & ſicut aliquatenùs iam oſtendi in Sancti Laurentij Littæ Archiepiſcopi noſtri Vita, Cap. 33. Num. 13. Quod vtique obſeruatione dignum eſt contra Donatum noſtrum Boſsium in Chronico, ad Annum Chriſti 365. & contra Librum illum manuſcriptum, quem Capite 127. producam, itemque contra alterum, Anno 1515. typis Mediolanenſibus impreſſum, cuius teſtimonio vtar infra Capite 135. quinetiam contra eum in Ambroſiana Bibliotheca Catalogum noſtrorum Archiepiſcoporum, Anno 1318. elaboratum, cuius mentionem faciebam Capite 25. Num. 2. Auguſtinum enim Catalogus hic, ſiue ipſius Auctor, aſſerebat baptizatum in Ambroſiana Baſilica; Liber autem ille vterque ac Boſsius, in altera illa Eccleſia, eidem Baſilicæ propinqua, quæ ad veterem Ambroſiani Monaſterij portam conſtructa & ipſimet Auguſtino eiuſquè Baptiſmo ſacra eſt. A B

XXII. Ibidem verò in eiuſdem Codicis margine, iuxta ea verba, *quod ab vniuerſa Eccleſia Catholica vſque hodie tenetur, & religiosè decantatur*, ſic etiam eſt adnotatum: *Non hodie cantatur per Clericos Ambroſianos, pro ingenti eorum confuſione.* Quæ quidem de Clero tunc Ambroſiano querimonia ſine dubio ibidem adiecta fuit, antequàm Franciſcus Pizolpaſſus, ab Anno Chriſti ſupra Milleſimum quadringenteſimum trigeſimo-tertio vſque ad quadrageſimum-primum Archiepiſcopus noſter, ſuum promulgaret de Oſſicij Ambroſiani reformatione Decretum. Eius exemplar mihi vnum eſt, ex Ambroſiani Monaſterij Maioris Archiuo depromptum. Sic autem Archiepiſcopus ille inter cætera ibi præfabatur: *In primis namque videmus, in principio Pſalterij Ambroſiani deſcribi per ſingulas Eccleſias & contineri illud glorioſum laudabile & deuotiſſimum Canticum*, SEV SYMBOLVM (quo nempè SYMBOLO Catholica de Trinitate Fides, in vnum breuiter collecta, contineretur: idquè diligenter attendendum eſt etiam congruenter ad eam coniecturam, quam ego Num. 7. & 8. ex ipſiuſmet Sancti Ambroſij verbis eliciebam) *quod incipit* TE DEVM LAVDAMVS: *opus quidem illius Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſij, præexcellentiſſimi & eloquentiſſimi Doctoris Eccleſiæ, ac glorioſi & excellentiſſimi etiam Eccleſiæ Doctoris Auguſtini, in illo ſacratiſſimo ſui Baptiſmatis actu compoſitum, & alternis vicibus per illos Sanctos Patres decantatum: plenum quidem omni diuina laude, dulcedine, & deuotione; ſed (quod certè non libenter referimus) tam celebris & deuota laudatio tantorum Pontificum, duorum clariſſimorum luminarium in Dei Eccleſia, Ambroſij & Auguſtini, prætermiſſa plurimum* C D

rimum

rimùm videtur & neglecta, &c. Tum verò ſic etiam ille præcipiebat: *Hanc igitur tantam negligentiam* (qua Clerus Mediolanenſis vſum illius Cantici prætermiſerat) *ſolicitudine quoque noſtra abolere volentes, imitando quod aliàs ſuper hoc ſalubriter fuerat inſtitutum per clariſsimæ & recolendæ memoriæ Dominum Iohannem Vicecomitem, prædeceſſorem noſtrum; ſtatuimus & perpetuò ordinamus, quòd de cætero in ſingulis Eccleſijs Collegiatis & Conuentualibus, ac alijs, in quibus Horæ Canonicæ decantari ſolent vel etiam debent; tam Ciuitatis quàm Diœceſis, vniformiter de cætero immediatè poſt Lectiones Matutinales diebus Dominicis, & alijs feſtiuis & ſolemnibus, alacri & deuoto iubilo cantetur illud ſuauiſsimum & delectabile Canticum* ET SYMBOLVM *Doctorum in Eccleſia Dei clariſsimorum, Ambroſij & Auguſtini*, TE DEVM LAVDAMVS, *cætera ex more complendo. Idem etiam obſeruare teneantur, qui Officium dicunt ſine cantu: vt videlicet ipſum Canticum ſuo in loco deuotè dicant.* Quod igitur antea decreuerat Ioannes Archiepiſcopus, huius nominis Primus (ab Anno nempè Chriſti ſupra Milleſimum treceteſimum quadrageſimo-ſecundo vſque ad quinquageſimum-quartum) idipſum deinde confirmauit Franciſcus hic Pizolpaſſus: videlicet, vt inter Officia Diuina protinùs poſt Matutinas Lectiones recitaretur Hymnus ille TE DEVM LAVDAMVS; cùm alioqui poſt illas antiquitùs, vt ego arbitror, non recitaretur. Quocirca etiam nulla vnquàm ipſius mentio extat in Matutini Ambroſiani Expoſitione, quæ communiter Archiepiſcopo noſtro Theodoro adſcribitur, & de qua proximè nunc ego diſſeram; ne videlicet in eius quoque Auctoris notitia deinceps à vero aberremus. Hinc autem ad ea me recipio, quæ continuata Operis huius ſerie iam ſcripſeram.

XXIII. Certè quidem, quod in tranſitu commemorare lubet, mihiquè polliceor fore vt ne Lectoribus quidem noſtris diſpliceat, paucis ab hinc diebus ego legi *Theodori Speculum Matutinalis Officij Ambroſiani:* quod communiter Archiepiſcopo noſtro Theodoro, huius nominis Secundo, adſcribi ſolet: ſtatimquè certiſsimè comperi, non ipſius eſſe poſſe; ſi tamen ipſius re vera ſunt, & non ab alio deinde ſuperaddita, quæ mihi negotium faceſſunt. Illud autem ipſi adſcribunt Gualuaneus Flamma in Manipulo Florum Cap. 115. & in Libro *De Archiepiſcopis Mediolani, & alijs memorabilibus eiuſdem Eccleſiæ, ad Ioannem Vicecomitem, Archiepiſcopum* (videlicet tunc electum) *ac Dominum Mediolani, Anno* 1339. Numero 43. Auctor Chronici *Flos florum*, fol. 109. pag. 1. Catalogus noſtrorum Archiepiſcoporum, manuſcriptus vnà cum Notis Fontanæ, Numero 44. Petrus Caſola, Baſilicæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius, in limine prædicti Speculi Matutinalis: quod ille Anno Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo typis Mediolanenſibus imprimendum deniqque curauit vnà cum Breuiario Ambroſiano, in folijs grandioribus tunc impreſſo: Petrus Galeſinius in Tabula Archiepiſcoporum Mediolani, Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſita, Num. 45. Sanctus ipſe Carolus, Cardinalis & Archiepiſcopus noſter, in Epiſtola ad vniuerſum Clerum

Mediolanenſem,

Mediolanenſem, quam in fronte collocauit Breuiarij Ambroſiani, Anno Milleſimo quingenteſimo octuageſimo-ſecundo eius iuſſu recogniti atque editi: Auctor Catalogi, inſcripti *Succeſſores Sancti Barnabæ:* Ioannes Franciſcus Beſutius in Hiſtoria Pontificali, Numero 45. Sic igitur Auctores hi vnanimes cenſuerunt. A

XXIV. Eumdem verò Theodorum Archiepiſcopum ex hac vita migraſſe ante Annum Chriſti Septingenteſimum ſexageſimum, concors eſt eorum omnium ſententia, qui, quoto ille migrauerit Anno, expreſſerunt, mihiquè adhuc ad manus peruenerunt. Ex altera verò parte verus illius Speculi auctor in eo exemplari, quod ego legi, quodquè à Caſola editum eſt, quinetiam in altero quoque in charta pergamena manuſcripto, quod poſtea mihi ad manus accidit; in eo, inquam, vtroque exemplari teſtem ſæpiùs produxit Amalarium *De Officijs*. Hic autem Amalarius florebat Anno Domini Octingenteſimo trigeſimo, vt benè probauit Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Quid, quòd etiam Libros illos *De Officijs* (nimirùm Eccleſiaſticis) nonniſi poſt Annum Octingenteſimum vigeſimum conſcripſit? Hoc enim ex ipſiuſmet ſcriptis euidenter collegit Melchior Hittorpius in Præfatione ad Lectorem, quæ circumfertur præfixa Volumini *De Catholicæ Eccleſiæ Officijs ac Miniſterijs varijs vetuſtorum ferè omnium Eccleſiæ Patrum ac Scriptorum Libri;* quod Volumen typis impreſſum eſt Romæ Anno Milleſimo quingenteſimo nonageſimo-primo. Quocirca reliquum eſt, vt verus illius Speculi auctor non fuerit Theodorus Archiepiſcopus noſter, hoc nomine Secundus; ſed alter quiſpiam Theodorus, eo ſaltem poſterior tempore, quo in publicum prodierat Amalarij Opus illud *De Officijs*. Illud autem communiter Amalario tribuitur Fortunato, Epiſcopo Treuerenſi, & quatuor Libris continetur. Sed nobis eadem ratio valet etiam; ſi quis dixerit, Opus illud non eius Epiſcopi fuiſſe Treuerenſis, ſed alterius Amalarij Diaconi, qui, Epiſcopo illi ætate ſuppar, Opus illud iuſſu Ludouici Imperatoris contexuerit; vt Iacobus Sirmundus adnotauit in Sanctum Ennodium Ticinenſem, ad Cerei Benedictiones. Digreſſionem porrò hanc ego quidem fateor longè prolixiorem, quàm pro præſentis instituti ratione mihi ab initio propoſueram. Sed hoc condonetur, obſecro, rerum veritati, quam è tenebris in lucem proferre tuerique cupiebam. Nunc ad ſeriem argumenti noſtri magis propriam propiùs reuertor. B C D

XXV. Quemadmodùm ſuperiore Numero ſexto vidimus, Quadrageſimale tunc erat tempus, quando Ambroſius ab Arianis Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo vexabatur. Interim verò ille ieiunijs & orationibus eò intentiùs vacabat, opemquè à Deo Superiſquè obnixè precabatur: quinetiam noctes aliquando in Baſilicis orando tranſigebat. Baſilica Philippi (quam vtcumque indicauimus Capite 25. Num. 1.) eo etiam titulo celebris tunc erat, quia Sanctorum Martyrum Naboris & Felicis Corpora ibidem condita eſſent. Cùm enim Sancta Sauina, nobilis Matrona,

trona, ex Vrbe Laudenſi Mediolanum illa aduexiſſet; eadem Sanctus Maternus Archiepiſcopus ibidem honorificè condidit. Ibi ergo nonnunquàm pernoctabat Ambroſius, ante Martyrum illorum Corpora ſupplex; & ecce tertia demùm nocte diuinitùs admonetur, quonam præcisè in loco ſepulta conquieſcerent Martyrum Corpora, iam pridem occultata; ibi nempe, vbi tunc ipſe conſiſtebat orans; & in eum prorsùs admonetur modum, quem ab ipſomet deſcriptum videbamus Capite 7. Num. 5. ijs verbis: *In diebus tranſactæ nuper Quadrageſimæ, cùm Dominus mihi donaſſet, vt ieiunantium & orantium me faceret eſſe participem; in oratione poſito ita mihi ſomnus obrepſit* &c. Atqui ne tunc quidem indicata ipſi fuerunt Martyrum nomina; ſed prænunciatum ſolummodò, vt eorum notitiam reſeruaret Libello, quem ad eorum capita inuenturus eſſet; vtquè in nomine illorum Eccleſiam fabricaret. Sicut autem hanc eſſe, non Dæmonum ludificationem, ſed veracem atque diuinam reuelationem, Ambroſius (vt mihi videtur) denique credidit; ſic etiam dubium mihi nullum eſt, quin protinùs, quam iuſſus fuerat, Eccleſiam illis fabricare incœperit (ſi tamen illam priùs ſponte ſua non incœperat) & quanta poſſet celeritate proſequendam curauerit. Hæc autem illa eſt, quæ deinde appellationem Ambroſianæ obtinuit: quamquè PROPRIO AMBROSII STVDIO ÆDIFICATAM Gregorius Turonenſis *De Gloria Martyrum* Cap. 47. aſſerebat, tamquàm ſingulare aliquod Ambroſij ea in re ſtudium deſignans. Eadem verò etiam, priuſquàm Corpora illorum Martyrum inuenirentur, & ante vndeuigeſimam ſubſequentis Iunij diem, redacta iam erat in eum ſtatum, vt dedicari iam tandem poſſet; ſicut ex Ambroſij ad Marcellinam Epiſtola 54. non multò pòſt cognoſcemus. Quamobrem vel hinc ſtudium & celeritatem metiri poſſumus, qua eam illicò Ambroſius ædificandam curauit, vt Sancti Pauli mandatum quantocyùs exequeretur.

XXVI. Nolo tamen quiſpiam exiſtimet, hæc à me dici, quaſi verò iam tum Ambroſius opinione mea Baſilicam illam extruxiſſet, tota quanta nunc eſt. In eius enim Monumentis iam oſtendi, rei veritatem longè aliter ſe habuiſſe. Satis ergo fuerit, ſi credamus, ab ipſo iam tum extructam fuiſſe medietatem illam, quæ hodiernum Chorum ac primarium Altare ambitu ſuo includit: quæquè veterem pariter Chorum, ante Altare olim diſpoſitum, includebat.

CAPVT

CAPVT XL. A

Sanctus Ambroſius conuocatis ad ſe Vrbium vicinarum Epiſcopis communicat reuelationem ſacrorum Corporum ſibi factam; vnaquè omnes ea inquirere aggreſsi, re ipſa quoque inueniunt.

I. HOC item loco recolenda nobis ea ſunt Ambroſij verba, quæ Capite 7. Num. 5. ad extremum recitauimus. Videlicet: *Conuocans itaque omnes per circuitum Fratres & Coepiſcopos Vrbium vicinarum, referens vniuerſa quæ videram & audieram, ipſis coram poſitis primus ego terræ foſſor acceſsi: cæteri Epiſcopi proſecuti ſunt.* &c. B

II. Talibus autem Ambroſij verbis ſuccedat ipſius Epiſtola 54. ad Marcellinam Sororem: cui quidem iam antea, vt mihi videtur, per litteras ſignificauerat, quemadmodùm reuelata ſibi ea Corpora fuiſſent. Sic ergo deinde ipſi poſt eorum inuentionem ſcripſit: *Quoniam nihil eorum, quæ hic te abſente geruntur, Sanctitatem tuam celare ſoleo; ſcias etiam Dilectiſsima Soror, Sanctos Martyres à nobis repertos. Nam cùm ego Baſilicam dedicare vellem* (quam nimirùm Sancti Pauli monitu recenter ædificauerat) *multi tamquàm vno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sicut in Romana* (nempè Porta, intra cuius fines Baſilicam dedicauerat Apoſtolorum propter ipſorum Reliquias ibidem collocatas) *ſic Baſilicam* (hoc eſt, hanc nouam C & recentem) *dedices. Reſpondi: Faciam; ſi Martyrum reliquias inuenero.* Certè autem hic Ambroſius non in vniuerſum loquitur de Martyrum reliquijs; ſed præcisè de illis, quarum inuentionem ſibi iam ante Sanctus Paulus promiſerat; neque tamen ipſe adhuc tentare auſus fuerat. *Statimquè ſubijt veluti cuiuſdam ardor præſagij:* ſubdit Ambroſius: & huius quidem ardoris vi eum credidi veniſſe in hanc ſententiam, vt vicinarum quoque Ciuitatum Epiſcopos iam tandem conuocaret.

III. Ecce autem, quid exinde factum illicò narret. Proſequitur enim: *Quid multa? Dominus gratiam dedit. Formidantibus etiam Clericis iuſsi* (quippe cùm ipſe nihil hac in parte formidaret) *eruderari terram eo loci, qui eſt ante cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris. Inueni ſigna conuenientia: adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret* (ſeu energumenis) *Sic* D *Sancti Martyres eminere cœperunt, vt adhuc nobis ſilentibus arriperetur vrna, & ſterneretur prona ad locum ſancti ſepulchri.* INVENIMVS MIRÆ MAGNITVDINIS VIROS DVOS, VT PRISCA ÆTAS FEREBAT. *Oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum.* Hæc ibi Ambroſius de horum Martyrum inuentione.

IV. De ipſa verò Sanctus etiam ſcripſit Auguſtinus Libro 9. Confeſsionum, Capite 7. Sed nos eius verba iam recitauimus ſuperiore Capite 39. Numero 5. Quamobrem illuc remittimus Lectorem; ſed cum hac tamen conditione, vt quantocyùs nobiſcum veniat ad Paulinum, à quo vberiùs deſcripta res eſt.

V. In Ambroſij enim Vita ſic ille narrabat: *Hoc in tempore* (quo nimirùm Ariani, maiore accenſi amentia, Baſilicam Portianam inuadere nitebantur, vt proximè dixerat) *primùm Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt. Cuius celebritatis deuotio vſque in hodiernum diem non ſolùm in eadem Eccleſia, verùm per omnes penè Occidentis Prouincias manet. Per idem tempus* (erat autem Quadrageſimale, vt repetere iuuat) *Sancti Martyres Protaſius & Geruaſius ſe Sacerdoti* (Ambroſio) *reuelarunt. Erant enim in Baſilica poſiti, in qua ſunt hodie Corpora Naboris & Felicis Martyrum. Sed Sancti Martyres Nabor & Felix celeberrimè frequentabantur:* PROTASII VERO ET GERVASII MARTYRVM VT NOMINA, ITA ETIAM SEPVLCHRA INCOGNITA ERANT: *in tantum, vt ſupra ipſorum ſepulchra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos peruenire, quibus Sanctorum Naboris & Felicis Martyrum ab iniuria ſepulchra defendebantur. Sed vbi Sanctorum Martyrum Corpora ſunt leuata, & in lecticis poſita, multorum ibi ſanata ægritudines perdocentur.* Et per hæc quidem verba Paulinus noſtro præſentis Capitis inſtituto ſatisfacit. Reliqua enim Capite ſubſequenti proſequemur. A B

CAPVT XLI.

Sanctus Ambroſius inuenta Martyrum Protaſij & Geruaſij Corpora è Baſilica Philippi transfert ad Baſilicam Fauſtæ, ibiquè nocturnas peragit Vigilias: poſteraquè die ad Baſilicam ea transfert Ambroſianam. C

I. CVM ergo Ambroſius Martyrum eorum Corpora inueniſſet, extractaquè protinùs ex arca ſepulchrali collocaſſet in lecticis (nimirùm duabus: hæ autem humeris geſtari ſolebant) cùmquè præceps iam eſſet in veſperam dies; eadem inde, cum ſuo Epiſcoporum & Clericorum Populiquè frequentis (vt credere fas eſt) comitatu reuerenter tranſtulit ad Baſilicam Fauſtæ; vt illic ea tantùm nocte cuſtodirentur in craſtinum, quo denique ſumma cum celebritate transferenda forent in Ambroſianam, eorum nomini dedicandam. Huius autem translationis ad Baſilicam Fauſtæ ſolus ipſe Ambroſius mentionem feciſſe legitur in ſuperiore ad Marcellinam Epiſtola. Superioribus enim eius verbis, per nos recitatis; hæc ſtatim attexuit: *Ingens concurſus Populi per totum illud biduum* (loquitur autem de biduo, quo tunc effodienda humo laboratum eſt, vt ſacra Corpora inuenirentur) *Quid multa? Condiuimus integra, ad ordinem tranſtulimus,* VESPERE IAM INCVMBENTE AD BASILICAM FAVSTÆ VENIMVS, IBI VIGILIÆ TOTA NOCTE, MANVS IMPOSITIO: hoc eſt, ſupra obſeſſos à Dæmone. D

II. Quænam verò & vbi eſſet Baſilica Fauſtæ, ſatis iam diximus Capite 25.

Num.

Num. 2. & in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 19. & à Numero 75. vſque ad 80. A Baſilica Philippi diſtabat triginta circiter paſſus, ab Ambroſiana verò circiter denos: ſicut etiam Sancti Vitalis Eccleſia, inter Baſilicam Philippi & Ambroſianam ſita, vicenos circiter paſſus ab vtraque diſtabat. Quare autem Sanctus Ambroſius ſub eius diei veſperam ea Sanctorum Corpora tranſtulerit ad Baſilicam Fauſtæ potiùs, quàm Sancti Vitalis: vel quare potiùs ea in craſtinum non reliquerit in ipſamet Philippi Baſilica: quæ alioqui frequentis etiam Populi capax tunc erat, ſicut etiam olim fuerat, cùm Sanctus Maternus in Archiepiſcopum illic eligeretur; ego quidem nihil certi adhuc inuenire potui; ſatiſquè viſum eſt adhuc reſpondere poſſe, prudentiſsimum Ambroſium ita cenſuiſſe. Sin autem coniecturæ locus aliquis datur; fortè ita cenſuit Ambroſius; quia interim Baſilica Philippi ante Corpora Sanctorum Naboris & Felicis valde impedita eſſet propter humum altè ibi effoſſam, vbi Corpora Sanctorum Protaſij & Geruaſij iacuerant; itaque tam propter foſſam ipſam, quàm propter egeſtam inde humum, deſeruire commodè non poſſet tantæ hominum multitudini, quanta ſupponi poterat ad craſtinam ſolemnis translationis celebritatem conuentura. Fortè etiam Sancti Vitalis Eccleſia tunc erat minùs ampla, quàm Baſilica Fauſtæ. Denique verò etiam ſatis erat rationi conſentaneum, vt, quando transferenda erant ea Corpora è Baſilica Philippi patris, ad Baſilicam potiùs Fauſtæ, ipſius filiæ, transferrentur.

III. Quòd autem Sanctus Ambroſius addebat, Vigilias tota illa nocte actas in Baſilica FAVSTÆ: vel hinc dignoſcere datur, quemadmodùm iam tum in vſu eſſet ritus ille, quem poſtea Rabanus Maurus commeminit ſeruatum antequàm dedicarentur Eccleſiæ; ſicut & Ambroſiana hæc iam tandem dedicanda erat. Libro enim ſecundo, Capite 45. quod eſt *De Encenijs* (ſiue De Eccleſiarum Dedicatione) *& vnde omnis ordo ille originem duxerit*, hæc ad verbum ſcripta poſteritati reliquit: *Quòd in Dedicatione Templi* IN NOCTE PRÆCEDENTE DIEM DEDICATIONIS RELIQVIÆ SANCTORVM FERETRO CONDITÆ IN TENTORIO (cuius vicem Ambroſio ſupplebat Baſilica Fauſtæ, concamerata, & illi quidem non abſimilis) VIGILIIS CVSTODIVNTVR; *quid aliud demonſtrat, quàm quòd Arca Teſtamenti cum Sanctis, quæ in ea erant, in Tabernaculo Moſaico ante ædificationem Templi per excubias Leuitarum ſeruabatur? Et quòd in tempore Dedicationis, multitudine vndiquè conuocata, feretrum cum Reliquijs Sanctorum per Sacerdotes de Tentorio ad Templum defertur; quid aliud intimat, quàm quod Liber Paralipomenon* (Liber vtique ſecundus Capite 5.) *narrat, quòd venerunt omnes viri Iſrael ad Regem Salomonem in die ſolemni, & portauerunt Leuitæ Arcam Fœderis Domini cum omni apparatu Tabernaculi: & intulerunt eam Sacerdotes in locum ſuum, id eſt, Oraculum Templi, in Sancta Sanctorum*. Hæc Rabanus: quæ mox videbimus abſolutè atque omni ex parte peracta in Baſilicæ huius Ambroſianæ Dedicatione. Hoc ſolummodò admonuerim priùs, quàm

è Baſilica Fauſtæ diſcedamus : me ſtudioſè perquiſiſſe quotcumque A
exemplaria & manuſcripta & impreſſa ſuperioris ad Marcellinam Epiſ-
tolæ; ſi fortè FAVSTÆ nomen aliter alicubi legeretur ; neque tamen
inueniſſe vnquàm. Quocirca è Fauſta Philippi filia nomenclaturam il-
lam ei fuiſſe inditam, conſtantior hoc etiam loco pronunciare auſim.

IV. Proſequitur Ambroſius Epiſtolam ſuam : & factam inde ſacrorum Cor-
porum translationem breuiter deſcribit hunc in modum : *Sequenti die*
tranſtulimus ea in Baſilicam, QVAM APPELLANT AMBROSIANAM.
Dum transferimus, cæcus ſanatus eſt. Paulinus hæc ipſa, ſed paulò vbe-
riùs: *Sed vbi Sanctorum Martyrum corpora ſunt leuata, & in lecticis poſita,*
multorum ibi ſanatæ ægritudines perdocentur. Cæcus etiam, Seuerus nomine,
qui nuncuſque in eadem Baſilica, QVÆ DICITVR AMBROSIANA, B
IN QVAM MARTYRVM CORPORA SVNT TRANSLATA,
religioſè ſeruit, vbi veſtem Martyrum attigit, ſtatim lumen recepit. Obſeſſa
etiam corpora, à Spiritibus immundis curata, ſumma cum gratia domum repe-
tebant. Sed ijs beneficijs Martyrum in quantum creſcebat Fides Eccleſiæ Ca-
tholicæ, in tantum Arianorum perfidia minuebatur. Denique ex hoc tempore
ſedari cœpit perſecutio, quæ Iuſtinæ furore accendebatur, vt Sacerdos (Am-
broſius) *de Eccleſia pelleretur.* Quippe illum ab Eccleſiæ Mediolanenſis
regimine in exilium pellere moliebantur. De hac ipſa Translatione mi-
raculiſquè relegi poſſunt ea etiam, quæ nos Capite 39. Numero 5. reci-
tauimus è Sancti Auguſtini Libro 9. Confeſsionum, Capite 7. Sed ne
illa quidem diſplicebunt, quæ ipſe rursùs aſſeruit in Sermone de Sanctis C
Protaſio & Geruaſio ad Populum Hipponenſem: qui Sermo inter Ser-
mones *De Diuerſis* eſt trigeſimus-nonus. *Cæcus* (aiebat) *notiſsimus vni-*
uerſæ Ciuitati, illuminatus eſt: cucurrit, adduci ſe fecit; ſine duce reuerſus eſt.
Nondùm audiuimus, quòd obierit: fortè adhuc viuit. IN IPSA EORVM
BASILICA, VBI SVNT CORPORA, TOTAM VITAM SVAM
SERVITVRVM SE ESSE DEVOVIT. *Nos illum gauiſi ſumus viden-*
tem, reliquimus ſeruientem. Sed inſuper etiam Libro 22. *De Ciuitate Dei,*
Capite 8. cùm ageret *De miraculis, quæ vt Mundus in Chriſtum crederet*
facta ſunt, & fieri Mundo credente non deſinunt, miraculum quoque iſtud
cæci ſanati commemorauit. *Miraculum* (verba ſunt ipſius) *quod Mediola-*
ni factum eſt, cùm illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum no- D
titiam potuit peruenire; quia & grandis eſt Ciuitas; & ibi erat tunc Impera-
tor; & immenſo Populo teſte res geſta eſt, concurrente ad Corpora Martyrum
Protaſij & Geruaſij. Quæ cùm laterent & penitùs neſcirentur, Epiſcopo Am-
broſio per ſomnium reuelata, reperta ſunt: vbi cæcus ille, depulſis veteribus
tenebris, diem vidit. Eiuſdem porrò inuentionis Corporum, & cæci
ſanati mentionem fecit etiam in Libro *De vnitate Eccleſiæ*, Cap. 19. &
Libro primo Retractationum, Cap. 13.

V. Ex his autem, quæ dicta ſunt hactenùs, ſimul etiam in vnum colligi par
eſt, quanta fuerit eiuſmodi Translationis celebritas. *Digno cum honore*
factam teſtabatur Auguſtinus Libro 9. Confeſsionum Cap. 7. Sic etiam
immenſo

immenſo Populo concurrente, Libro 22. De Ciuitate Dei Cap. 8. Quis verò dubitet, quin affuerint etiam vicinarum Ciuitatum Epiſcopi, qui heri Sacrorum Corporum inuentioni non affuerant modo, verùm etiam prompti adlaborauerant? De vniuerſo item Vrbis noſtræ Clero quis ambigat? Quanta verò itidem Catholicorum lætitia & applauſus? Quantus Arianorum fremitus? cùm tam multa & tam manifeſta miracula cernerentur; & in primis notiſsimus ille cæcus, tam repentè ac mirabiliter ope Martyrum reſtitutus luci. Sed liquidiùs hæc deinceps conſtabunt etiam ex ipſiuſmet Ambroſij teſtimonio. A

CAPVT XLII.

Sanctus Ambroſius, depoſitis in Ambroſiana Baſilica Corporibus Martyrum, eaquè ipſis ritè dedicata, Pſalmiſquè decantatis, Sermonem ad Populum habet. Ipſa verò Corpora mox tumulo conditurus, Populi rogatu in craſtinum differt. B

I. AMbo Martyres vt ſua quiſque ſeparatim lectica deferebantur; ſic etiam ſeparatim depoſiti fuerunt in Ambroſiana Baſilica; itaut Ambroſius illic inter ſermocinandum potuerit vnum in latere ſibi dextro, alterum in ſiniſtro commonſtrare. Citra dubium verò ſolitis per ea tempora cæremonijs Baſilica protinùs ipſis ritè dedicata fuit, Pſalmiquè ſic etiam illic decantati fuerunt, ac nominatim decimus-octauus: *Cæli enarrant gloriam Dei* &c. Quocirca etiam ex illo denique Ambroſius argumentum deſumpſit ſui ad Populum Sermonis. Hunc ille ad Marcellinam in Epiſtola ſuperiore integrum conſcripſit: nec ego eumdem hic repetere grauabor; ne Lector ipſum inter Ambroſij Opera (quæ non omnibus ſuppetunt) exquirere ac legere cogatur. *Talis mihi ad Populum fuit Sermo:* inquit ergo Ambroſius, eam proſequens Epiſtolam. C

II. CVM TAM EFFVSAM TAMQVE INAVDITAM CONSIDERAREM CONVENTVS VESTRI CELEBRITATEM, *& diuinæ gratiæ munera, quæ in Sanctis Martyribus refulſerunt; imparem me (fateor) huic muneri iudicabam; nec fieri poſſe, vt ſermone abſoluerem, quod vix poſſimus animo intendere, oculis comprehendere. Sed vbi Sanctarum legi cœpit ſeries Scripturarum, largitus eſt Spiritus Sanctus, qui locutus eſt in Prophetis, quòd dignum aliquid* TANTO COETV, *& expectatione veſtra, Martyrumquè Sanctorum meritis proferamus.* D

III. *Cæli enarrant (inquit) gloriam Dei. Cùm legitur hic Pſalmus, occurrit, quòd non tam elementa materialia, quàm cæleſtia merita dignum Deo præconium deferre videantur. Hodierna tamen fortuita lectione patuit, qui Cæli enarrant gloriam Dei.* ASPICITE AD DEXTERAM MEAM, ASPICITE AD SINISTRAM RELIQVIAS SACROSANCTAS: *videtis cæleſtis*

conuerſationis

conuerſationis Viros, ſpectantes animi ſublimis trophæa. Iſti ſunt Cæli, qui enarrant gloriam Dei: hæc opera manuum eius, quæ annunciat firmamentum. Non enim eos ſæcularis illecebra, ſed diuini operis gratia ad firmamentum ſacratiſsimæ paſsionis euexit. Multoquè ante morum virtutumquè documentis annunciauit in his martyrium, quòd aduersùs lubricum ſæculi huius ſtabiles permanſerunt. A

IV. *Cælum erat Paulus, qui ait: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Cæli erant Iacobus & Ioannes: denique Filij tonitrui nuncupantur: & ideò quaſi cælum Ioannes Verbum apud Deum vidit. Ipſe Dominus Ieſus perpetui luminis erat cælum, cùm enarraret Dei gloriam; ſed eam, quam nemo ante conſpexerat. Et ideò dixit: Deum nemo vidit vnquàm: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Opera quoque manuum Dei ſi quæris; audi Iob dicentem; Spiritus diuinus, qui fecit. Et ideò aduersùs Diaboli tentamenta firmatus, inoffenſæ veſtigium conſtantiæ reſeruauit.* B

V. *Sed veniamus ad reliqua. Dies (inquit) diei eructat verbum. Ecce veri dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies, pleni luminis & fulgoris æterni: qui non perfunctorio ſermone verbum Dei, ſed intimo corde eructarunt, in confeſsione conſtantes, in martyrio perſeuerantes. Alius Pſalmus lectus dicit: Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Reſpexit ſanè humilia Dominus, qui latentes ſub ignobili ceſpite Reliquias Sanctorum ſuæ Eccleſiæ reuelauit: quorum anima in cælo, corpus in terra. Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem; quos videtis, vt eos cum Principibus Populi ſui collocarit. Principes Populi quos alios, niſi Sanctos Martyres, æſtimare debemus? quorum iam in numerum diu ante ignorati Protaſius Geruaſiuſquè proferuntur:* QVI STERILEM MARTYRIBVS ECCLESIAM MEDIOLANENSEM, IAM PLVRIMORVM MATREM FILIORVM, LÆTARI PASSIONIS PROPRIÆ FECERINT ET TITVLIS ET EXEMPLIS. C

VI. *Nec hoc abhorreat à vera fide: Dies diei eructat verbum: anima animæ, vita vitæ, reſurrectio reſurrectioni. Et nox nocti indicat ſcientiam: hoc eſt, caro carni: quorum paſsio veram fidei ſcientiam omnibus indicauit. Bonæ noctes, noctes lucidæ, quæ habent ſtellas. Sicut enim ſtella à ſtella differt in clarirate; ita & reſurrectio mortuorum. Non immeritò autem plerique hanc Martyrum reſurrectionem appellant. Videro tamen, vtrùm ſibi an nobis certi Martyres reſurrexerint.* D

VII. *Cognouiſtis, immò vidiſtis ipſi multos à Dæmonijs purgatos: plurimos etiam, vbi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, ijs quibus laborabant debilitatibus abſolutos: reparata vetuſti temporis miracula, quo ſe per aduentum Domini Ieſu gratia terris maior infuderat, vmbra quadam ſanctorum Corporum pleroſquè ſanatos cernitis.* QVANTA ORARIA IACTITANTVR, *quanta indumenta, ſuper Reliquias ſacratiſsimas, & tactu ipſo medicabilia, repoſcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere: & qui contigerit, ſaluus erit.*

VIII. *Gratias tibi, Domine Ieſu; quòd hoc tempore tales nobis Sanctorum Martyrum ſpiritus excitaſti, quo Eccleſia tua præſidia maiora deſiderat. Cognoſcant omnes,*

quales

quales ego Propugnatores requiram: qui propugnare poſsint, impugnare non ſoleant. Hos ego acquiſiui tibi, Plebs Sancta: qui proſint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio Defenſores: tales Milites habeo: quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia ſunt. Horum etiam illis ipſis, qui mihi inuident, opto præſidia. Veniant ergo, & videant Stipatores meos: talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. A

IX. *Eliſæum Scripturæ Diuinæ ſeries refert, cum ab Exercitu Syrorum eſſet obſeſſus, dixiſſe timenti ſeruulo, ne timeret; quia plures (inquit) pro nobis ſunt, quàm contra nos. Et, vt hoc probaret, petiſſe, vt oculi Giezi aperirentur: quibus innumeros adeſſe vidit Prophetæ exercitus Angelorum. Nos etſi eos videre non poſſumus; ſentimus tamen. Erant clauſi iſti oculi, quamdiu obruta Sanctorum Corpora deliteſcebant. Aperuit oculos noſtros Dominus: videmus auxilia, quibus ſumus ſæpè defenſi. Non videbamus hæc, ſed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis quaſi dixerit Dominus: Aſpicite, quantos vobis Martyres dederim: ita reſeratis oculis gloriam Domini ſpeculamur, quæ eſt Martyrum paſſione præterita, & operatione præſens.* B

X. *Euaſimus, Fratres, non mediocrem pudoris ſarcinam. Patronos habebamus, & neſciebamus? Inuenimus vnum hoc, quo videamur præſtare maioribus. Sanctorum Martyrum cognitionem, quam illi amiſerunt, nos adepti ſumus. Eruuntur nobiles Reliquiæ ſepulchro ignobili: oſtenduntur cælo trophæa. Sanguine tumulus madet; apparent cruoris triumphalis notæ: inuolutæ Reliquiæ, loco ſuo & ordine repertæ, auulſum humeris caput. Nunc ſenes repetunt, audiſſe ſe aliquando horum Martyrum nomina, titulumque legiſſe.* PERDIDERAT CIVITAS SVOS MARTYRES, QVÆ RAPVIT ALIENOS. *Et ſi hoc Dei munus eſt; tamen gratiam, quam temporibus Sacerdotij mei Dominus Ieſus tribuit, negare non poſſum. Quia ipſe Martyr eſſe non mereor; hos vobis Martyres acquiſiui.* C

XI. *Succedant Victimæ triumphales in locum, vbi Chriſtus hoſtia eſt. Sed ille ſuper Altare, qui pro omnibus paſſus eſt; iſti ſub Altari, qui illius redempti ſunt Paſſione.* HVNC EGO LOCVM PRÆDESTINAVERAM MIHI. DIGNVM EST ENIM, VT IBI REQVIESCAT SACERDOS, VBI OFFERRE CONSVEVIT. SED CEDO SACRIS VICTIMIS DEXTERAM PORTIONEM: LOCVS ISTE MARTYRIBVS DEBEBATVR. *Condamus ergo Reliquias Sacroſanctas, & dignis ædibus inuehamus, totumquè diem fida deuotione celebremus.* Hactenus hodiernus Ambroſij Sermo. D

XII. Eo igitur erat Ambroſius animo, vt Martyrum Corpora ſub eius diei veſperam è Populi conſpectu auferret, eaquè ſub Altari à ſe conſtructo reconderet. Sed quid Populus viciſsim ad hanc poſtremam eius ſententiam & vocem? *Acclamauit Populus* (ſic enim ab ipſomet Ambroſio protinus ad huius Sermonis finem teſtatum eſt in eadem ad Marcellinam Epiſtola) *vt in Dominicum differretur diem Martyrum depoſitio.* Sin autem rurſus Ambroſium conſulamus, quid exinde ſecutum; en vt ille Mar-

cellinam

cellinam ſtatim admonet, nobiſquè ſic etiam ſatisfacit. *Sed tandem ob-* A
tentum (ſubdit) *vt ſequenti fieret die*. Hæc verò erat Sabbati dies; eademquè menſis Iunij decima-nona, vt infra oſtendam. Quamobrem mirum profectò mihi videtur, quòd Ambroſius Populi precibus non indulſerit, vt etiam in proximam differretur diem Dominicam, ſicut ab ipſo rogabatur: ex altera verò parte nonniſi grauem aliquam ob cauſam ita denique deliberatum interpretari cogor. Quid ſi fortè Ambroſius impium aliquid & ſacrilegum in ea Corpora timebat ab Arianis, propter tam inſignia & multa ipſorum miracula efferatis, & immaniter frementibus? Quid ſi fortè cupiebat etiam, vicinarum Ciuitatum Epiſcopos, ad eiuſmodi celebritatem à ſe conuocatos, quantocyùs ad ſuarum regimen Eccleſiarum remeare? Quid ſi potiùs vna cum Epiſcopis, B
hic congregatis, proximam diem Dominicam non alibi, quàm in Baſilica tunc temporis Metropolitana, Noua videlicet Intramurana & Maiori, celebrare cupiebat? Quòd ſi nulla prorsùs harum cauſarum ſatiſfacit; factum ipſum ſatisfaciat, ab Ambroſio deliberatum, & à Populo tandem comprobatum. Ego me ad examinandas recipio nonnullas ſuperioris Sermonis particulas.

XIII. In primis autem illam obſeruo, quam Numero 5. recitabam, de Sanctis Martyribus iſtis pronunciatam: QVI STERILEM MARTYRIBVS ECCLESIAM MEDIOLANENSEM, IAM PLVRIMORVM MATREM FILIORVM, LÆTARI PASSIONIS PROPRIÆ FECERINT ET TITVLIS ET EXEMPLIS. Pſalmus Dauidicus, quem C
Ambroſius huc adaptabat, eſt centeſimus duodecimus, in quo denique ſic habetur: *Qui habitare facit ſterilem in domo; matrem filiorum lætantem*. Quæ verba Bellarminus ad purum & ſincerum explanans, ita inquit: *Quòd autem ad verba attinet, cùm dicitur, Qui habitare facit ſterilem in domo; per domum intelligitur familia, ſiue abundantia filiorum; vt ſenſus ſit, Qui facit, vt ſterilis, quæ manebat ſolitaria, iam habitet inter multas proles, in magna familia. Id quod explicatur per verba ſequentia, Matrem filiorum lætantem. Id enim eſt habitare in domo, eſſe matrem filiorum; ac per hoc eſſe lætantem per filiorum multitudinem, quæ erat mæſta ob ſterilitatem & ſolitudinem*. Ambroſio igitur teſte, Protaſius & Geruaſius effecerunt, vt Eccleſia Mediolanenſis, antea Martyrum ſterilis & improlis, iam tandem D
plurimorum filiorum ſiue Martyrum facta mater, lætata fuerit. Hoc verò effecerunt paſsionis propriæ titulis & exemplis; quippe qui, tamquàm primogeniti ex hac Eccleſia Vrbequè Martyres, tali eam ſterilitate liberauerunt; ac poſteriores Martyres titulis & exemplis propriæ paſsionis anteceſſerunt, incitarunt. Tunc verò rursùs etiam idipſum effecerunt, quando ſua reuelarunt Corpora, inuentaquè tot ac tantis miraculis honeſtarunt. Sic enim hæc Ambroſij verba paulò vberiùs ex ipſius mente congruenter ad eum Pſalmi Verſiculum videntur explicanda. Certè autem Mediolani Eccleſiam hoc iam tempore, quo Martyrum illorum inuenta ſunt Corpora, plurimorum eſſe filiorum ſiue

Martyrum

Martyrum matrem: idipſum iudicio meo nullam patitur ambiguitatem; A
quinimmò apertiùs etiam conſtabit infra ex ipſius Ambroſij Sermone de Sanctis Nazario & Celſo. Tunc enim eum audiemus declamantem: EXVLTANT FELICES SINGVLARVM VRBIVM POPVLI, SI VNIVS SALTEM MARTYRIS RELIQVIIS MVNIANTVR. ECCE NOS MARTYRVM POPVLOS POSSIDEMVS. Atqui, quomodo ante Protaſij ac Geruaſij martyrium eadem Eccleſia ſterilis eſſet Martyrum, ſiue nullos eorumdem adhuc genuiſſet; id quidem non ita faciles & expeditos habet explicatus. Sancti enim Vitalis & Valeria, Protaſij ac Geruaſij parentes, & abſque dubio Mediolanenſes, & Mediolani baptizati, iamdudùm ante ipſorum martyrium Martyres glorioſiſsimi occubuerant; vt nos iam vidimus è Libello Philippi, & ante nos Ambroſius ipſe iam viderat pridie illius diei, quo ſuperiorem illum Sermonem ad Populum habuit. Baronius verò ſic etiam ipſe ſibi ſimul & Ambroſio cogeretur inſuper obijcere martyrium Sanctarum Virginum ac Sororum Fidei Spei & Charitatis, è Sancta Sophia genitarum. Hæ ſiquidem Ciuitate Mediolanenſes fuerunt. Licet enim Metaphraſtes in earum Actis, à Surio recitatis prima die Auguſti, Sophiam inducat Præfecto Vrbis Romæ reſpondentem indefinitè: *Genus duco ex ijs, qui primos Magiſtratus geſſerunt in Italia, in qua etiam ſum nata*; nihilominùs graues alij Scriptores eas diſertiſsimè affirmant Ciues fuiſſe Mediolanenſes. Eiuſmodi eſt in primis Ioannes ille Presbyter Mediolanenſis, B
qui pariter earum Vitam conſcripſit apud Mombritium Tomo 2. Littera P, Verbo *Piſtis, quod eſt Fides* &c. quiquè in eius Vitæ fine Lectorem ſic affatur: *Obſecro vos, omnes legentes & audientes: vt nulla ſit in veſtro animo dubitatio. Quia, ſicut vidimus geſta Sanctarum, ita ſcripſimus.* Priùs autem de ipſarum Patria loquens, ſic in primis non procul ab initio ſcripſerat: *Quædam Matrona, nomine Sophia, ex Vrbe Mediolanenſi, quæ omnium Matronarum decus dignoſcebatur, omni Ciuica ei ſubiacente Prouincia. Cùm eſſet igitur Primario Ciuitatis iugo maritali ſuccumbens; contigit, vt, amiſſo Marito, cùm eſſet ab ipſis cunabulis Chriſtiana, ſoluta dominatione Viri, venderet omnia bona, quæ ſuæ licentiæ ſubiacere dignoſcebantur* &c. Et aliquantò pòſt: *Proficiſcentibus illis* (Matre nimirùm ac Filiabus) *de Ciuitate Mediolanenſi ad Vrbem Romam, angelicum quotidie ſentiebant comitatum.* Et rurſus ex ore Sophiæ ad Præfectum Vrbis: *Sophia dicor. Perfecto autem nomine Chriſtiana ſum, de primis & glorioſis Italiæ. Ciuis autem ſum Mediolanenſis. Quæ cùm eſſem in Ciuitate, qua gloriabar, liberata de iugo dominantis Mariti, impleto præcepto Domini mei Ieſu Chriſti, qui dicit Vende quæ habes, & da pauperibus, hæc feci: & ad hanc Ciuitatem veni cum paruulis meis, à Deo donatis; vt caſtificatas & ipſas, triumphum martyrij, hoſtiam & odorem ſuauitatis ei offeram.* Hæc Ioannes ille Presbyter Mediolanenſis. Petrus autem Galeſinius in Martyrologio, Calendis Auguſti non minùs expreſsè ſic inquit: *Romæ præterea Sanctarum trium Virginum Elpis Piſtis Agape* (vocabula enim earum Græca retinere Galeſinius maluit) C D

luit) *& Matris earum : quæ, Ciues Mediolanenſes, in Hadriani perſecutione martyrium ſubierunt*. Benè autem Galeſinius & veraciter addebat, eas ſub Hadriano Imperatore paſſas : atque communis hæc eſt Scriptorum ſententia, Martyrologio item Romano comprobata. Hadrianus autem imperauit ab Anno Chriſti Centeſimo decimo-nono vſque ad Centeſimum quadrageſimum. Itaque ſecundùm Baronii ſententiam, quæ Protaſij ac Geruaſij martyrio adſcribebat Annum Chriſti Centeſimum ſexageſimum-nonum, negari non poteſt; quin anterius multò fuerit earum Virginum martyrium. Quid, quòd etiam eodem conſentiente Martyrologio Romano, pridie Calendas Auguſti, Sanctus Calimerius, Archiepiſcopus noſter, martyrium paſſus eſt ſub Antonino? qui pariter imperauit ab Anno Centeſimo quadrageſimo vſque ad ſubſequentem ſexageſimum-tertium. Cùm igitur hæc ita ſe habeant; conſequens videtur, vt Eccleſiæ Mediolanenſi ſterilitatem Martyrum abſtulerint opinione quidem noſtra Sancti Vitalis & Valeria; opinione autem Baronij abſtulerint Sanctæ illæ Virgines ac Sorores, vel etiam Sanctus Calimerius; non autem Sancti Vitalis ac Valeria; & multò minùs Sancti Protaſius & Geruaſius, eorum filij; qui poſt decem ab eorum martyrio annos martyrium ipſi quoque ſubierunt; quibuſquè cæteroqui Sanctus Ambroſius hac in re primatum tam luculenter ac diſertè aſcribere videbatur. Talibus argumentis reſponderet fortaſsè aliquis hunc in modum Ambroſio, congruenter ad eius Pſalmi Verſiculum, ſermonem fuiſſe de Mediolanenſi Eccleſia, tamquàm de muliere ſterili, quæ facta deinde multorum mater filiorum, cum ipſis eadem in domo lætanter cohabitet. Sic igitur intelligendum etiam eſſe de Martyribus, quos ipſa non modò genuerit, ſed etiam vnà ſecum velut in eadem domo habeat, poſſideat, atque conſeruet. Vitalem porrò, ſicut necatus Rauennæ fuit, ſic etiam ibidem quieſcere, ac velut in aliena domo ſeparatim à matre habitare: ſimiliterquè Romæ Sanctas illas Sorores. Quamobrem neque illum, neque has eſſe computandas inter Martyres, de quibus intelligi volebat Ambroſius, cùm indicaret eos, qui Mediolanenſi Eccleſiæ ſterilitatem illam abſtulerint. Sed hæc reſponſio plenè non ſatisfacit. Quid enim vetat, quominùs inter tales illos Martyres, tamquàm ex Ambroſij ſententia, computari debeant Valeria & Archiepiſcopus noſter Calimerius? Illa nimirùm Ciuitate fuit Mediolanenſis : illa hic baptizata, hic martyrio conſummata, hic denique ſepulta. Calimerius autem Corpore item ſuo hic requieſcit: ac ſi natione fuit extraneus; certè tamen Eccleſiæ noſtræ Antiſtes ac Sponſus fuit, & in hac parte Ciuibus etiam noſtris præferendus. Præſentis itaque difficultatis ſupereſt adhuc aliquid, quod & Baronio & nobis incommodat : magiſquè Baronio, quàm nobis. Quippe ſolum Valeriæ martyrium nobis incommodat; Baronio autem martyrium prærerea Calimerij. Ego igitur iam tandem reſpondere auſim, Ambroſij ſenſum, ijs conceptum verbis, non eſſe hunc, vt Protaſius & Geruaſius fuerint primi; qui martyrio ſuo martyricam ſterilitatem

rilitatem Mediolanenſi Eccleſiæ abſtulerint; ſed hunc potiùs, vt ipſi A
quoque ſuo tempore illam ſuo martyrio fœcundam oſtenderint ac læti-
ficarint: & quidem propter ſemetipſos hic martyrio coronatos, hic ſe-
pultos, ac tandem inuentos. Mulier profectò etiam illa, per Pſalmo-
graphum in eo Verſiculo deſcripta, & è ſterili fœcunda, fœcunditatem
ſuam non prioribus tantùm filijs, abiecta ſterilitate, depromit, ſed etiam
poſterioribus: neque tantùm propter priores, verùm etiam propter
poſteriores, in eadem domo ſecum manentes, lætatur. Quòd ſi ne talis
quidem reſponſio placet alicui; proferat ipſe meliorem. Nos vtique il-
lam lubentiſsimè auidiſsimeque accipiemus.

XIV. QVANTA ORARIA IACTITANTVR? aiebat item Ambroſius
Numero 7. Per ORARIVM autem hoc loco intelligebat mantile, vel B
ſudarium, ſiue linteum ori tergendo aptatum. Eodem ſenſu dictionem
Ambroſius illam accepit etiam in Oratione De Obitu Satyri fratris, cùm
de ipſo, in periculo naufragij conſtituto, ſic narraret: *Etenim ligari fecit*
(diuinum illud fidelium Sacramentum, Euchariſtiam) *in* ORARIO,
& ORARIVM *inuoluit collo: itaque ita ſe deiecit in mare*. Nec aliter ac-
cepit Auguſtinus Libro 22. De Ciuitate Dei, Cap. 8. Deſcribens enim
Sanctorum Protaſij ac Geruaſij miraculum, quod ego quoque infra re-
cenſebo, ſic aiebat: *Tunc, ſicut potuit, oculum lapſum atque pendentem, loco
ſuo reuocatum, ligauit* ORARIO: *nec niſi poſt ſeptem dies putauit eſſe ſoluen-
dum*. Quem in locum legi poſſunt Commentaria doctiſsimi ac religio-
ſiſsimi Viri, Leonardi Coquæi, Eremitæ Auguſtiniani, ac Doctoris C
Theologi Pariſienſis: quibus ille Commentarijs vniuerſos eiuſdem Au-
guſtini Libros De Ciuitate Dei mirum in modum illuſtrauit Anno Do-
mini 1613. Mihi autem ſicut erat humaniſsimus amiciſsimuſquè; ſic
etiam lachrymas vberes elicuit mortuus Anno 1616. nimirùm paulò
pòſt quàm noſtra in Vrbe ſuum Antimornæum typis edidiſſet. Cuius
quidem editionis emendationi ego quoque nonnihil adlaboraueram iuſſu
Cardinalis Archiepiſcopiquè noſtri Federici Borromæi. Præterquam-
quòd enim ad fauendum litteratis Viris ipſe per ſe promptiſsimus erat;
hac de re rogatus etiam fuerat à Sereniſsima Magnæ Etruriæ Duciſſa,
Chriſtiana Lotharinga; cui tunc inſignis ille Pater à Sacris Confeſsio-
nibus erat. Cæterùm de alijs ORARII ſignificationibus conſuli etiam D
poſſunt Aduerſaria Sacra Ioannis Ludouici de la Cerda, Cap. 64. Num.
4. & Cap. 105. Num. 11. itemquè Gregorij de Valentia Liber De legi-
timo vſu Euchariſtiæ, Cap. 8.

XV. Illud præterea diſcuſsionem à nobis aliquam requirit, quod Numero 1.
legebamus: PERDIDERAT CIVITAS SVOS MARTYRES, QVÆ
RAPVIT ALIENOS. Ecquos verò contra ius faſquè Ciuitas noſtra
Martyres vnquàm rapuit alienos, ſibiquè indebitos? Ego quidem nihil
tale adhuc vſpiàm legi, vel aliter intellexi. Sed Ambroſius fortaſſe mi-
tiorem atque honeſtiorem in partem accipiebat verbum illud RAPVIT
(nec enim credendus videtur voluiſſe tunc rapinæ probrum Mediola-

ingoſibus exprobrare) eoquè ſolum volebat indicare auiditatem, qua noſ- A
tra Ciuitas, pro ſua ſingulari erga Sanctos pietate, Martyres ſibi promp-
tiſsima excepit etiam illos, qui aliunde huc profecti martyrium hic to-
leraſſerit, vel quorum Corpora vtcumque huc allata fuiſſent. Qua ego
ratione vltroneus fatebor, nonnullos Martyres per eiuſmodi rapinam ex
alienis iam eſſe noſtros. Hac vtique ratione dici poſſent à Maioribus
noſtris rapti, Nazarius ex Vrbe Roma, Celſus è Gallia, Victor Nabor
Felix è Mauritania: & ſi qui generis eiuſdem Martyres tunc temporis
in Vrbe noſtra ſepulti quieſcebant, quando Ambroſius talia loquebatur.

XV. Extremum nunc eſt, vt comprehenſa Numero XI. curſim examinemus.
HVNC EGO LOCVM PRÆDESTINAVERAM MIHI: aiebat
Ambroſius: iſquè locus citra dubium erat ſub Altari. Quippe tunc B
temporis, ex quo nimirùm Baſilicam monitu Sancti Pauli ædificare in-
cœperat, Martyrum Corpora, quæ inuenturus eſſet, in alio collocare
loco deſtinabat. Tunc itaque licitum erat Sacerdotibus, & præſertim
Epiſcopis, ſub Altari ſepeliri. DIGNVM EST ENIM, VT IBI RE-
QVIESCAT SACERDOS, VBI OFFERRE CONSVEVIT. Qua
quidem Ambroſius ratione inſinuare in vniuerſum volebat vſitatum
pariter ac primarium Sacerdotis miniſterium, quod eſt offerre incruen-
tum Corporis & Sanguinis Dominici Sacrificium in Altari; non autem
peculiarem aliquam frequentiam, qua ipſe iam tum in eo Altari offerre
conſueuiſſet; vt Amicus quidam meus aliquando concludebat. Etenim
Altare illud ea tantùm die fuerat ſimul cum Baſilica dedicatum. Ex C
altera verò parte vetitum erat (vt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis
Numero 19. monebam) in Baſilicis & Altaribus needùm ritè dedicatis
offerre. Ad ſummum igitur Ambroſius ea tantùm die in eo Altari ac
Baſilica offerre Sacrificium Miſſamquè celebrare incœperat. Quoniam
verò Sanctos Martyres, quibus ea mox dedicata erant, quammaximè
colebat; idcircò ne dubium quidem vllum mihi eſt, quin ibi etiam de-
inceps Sacrificium frequenter offerre meditaretur. SED CEDO SA-
CRIS VICTIMIS DEXTERAM PORTIONEM: ſubdit Ambroſius,
re nimirùm maturiùs conſiderata, mutatoquè conſilio. Sicut enim cum
ſub Altari locum antea ſibi vni deſtinauerat in ſepulchrum; ita nunc
Martyres ibidem in conſortium admittere ſtatuit; ſed cum ea tamen D
prærogatiua, vt primarium illis ac dexterum latus cedat, ſibi verò ſiniſ-
trum reſeruet. Hoc enim eſt dexteram illis cedere portionem; ſicut ego
iam expoſui Numero 19. è Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis paulò
ante commemorato. Quo quidem Numero idipſum etiam exemplo
Sancti confirmabam Satyri fratris: quem idem Ambroſius eodem Anno
Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo, Septembri menſe (vt ſuo tempore
in hac etiam Diſſertatione recenſebo) intra vnum idemquè ſepulchrum
ſepeliuit ad Sancti Victoris Martyris ſiniſtram. LOCVS ISTE MAR-
TYRIBVS DEBEBATVR. Veriſsimè quidem id etiam Ambroſius.
Eos ergo ibi demùm recondidit: eiuſdemquè tenax ſententiæ, ritum

propterea

propterea eumdem alibi etiam poſtea per alias generis eiuſdem occa- A
ſiones conſtanter ſeruauit: ac Florentiæ nominatim, de qua teſtes ha-
bemus locupletiſsimos: videlicet Ambroſium ipſum in Hortatione ad
Virginitatem, non procul ab initio, & in Epiſtola 55. Paulinum in
eiuſdem Vita, & ſic etiam Baronium: ac præterea Ioannem Archipreſ-
byterum Aretinum in Sancti Zenobij Florentinorum Epiſcopi Vita, è
varijs Auctoribus paulò poſt Annum Domini 1439. collecta, & à Surio
recitata die 25. Maij: & alios. Florentiæ ſiquidem Ambroſius Sacras
Reliquias, tam Sanctorum Vitalis & Agricolæ, quàm Sancti Marci Pa-
pæ, ſub Altaribus condidit diuerſis in eadem Sancti Laurentij Baſilica:
quam Ciues nominarunt Ambroſianam, propterea quòd eidem Marty-
ri ab ipſomet Ambroſio dedicata eſſet. Quàm conuenienter autem Cor- B
pora & Reliquiæ Martyrum ſepeliri ſub Altaribus ſolerent, inter alios
æui noſtri Doctores conſulatur per me quidem Cornelius in primis à
Lapide in ſuis Apocalypſeos Commentarijs, in ea ſexti Capitis verba:
Et cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtùs Altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant: §. *Pro quo notu.*
Nec plura ego pro præſenti Capite, proquè die primo, quo Sanctorum
Protaſij & Geruaſij corpora Populo expoſita quieuerunt in Ambroſiana
Baſilica.

CAPVT XLIII.

Poſtera die, quæ Iunij menſis fuit decima-nona, Sanctus Ambroſius ad Populum rurſus habet Sermonem, quo præſertim Arianorum mendacia & calumnias refellit. Denique verò Sanctorum Protaſij & Geruaſij Corpora ſuo in tumulo ſub Altari recondit. C

I. SAcra interim Corpora ibidem in publico expoſita perſeue-
rabant: Catholicique interim diu noctuquè ijs aſsiſtebant,
precibus & ſacrarum lectioni Scripturarum intenti; cùm
Ambroſius poſtera die Concionem aggreditur, & præſertim
aduerſus Arianos, à quibus miracula Martyrum per ca- D
lumnias & mendacia irrideri contemniquè audierat. Licet autem idip-
ſum ex ipſius Concione liquidò conſtet; Paulinum tamen priùs audire
iuuat, paulò expreſsiùs loquentem. *Sed ijs* (inquit) *beneficijs Martyrum in quantum creſcebat Fides Eccleſiæ Catholicæ, in tantum Arianorum perfidia minuebatur. Denique ex hoc tempore ſedari cœpit perſecutio, quæ Iuſtinæ furore accendebatur, vt Sacerdos* (Ambroſius) *de Eccleſia pelleretur. Tamen intra Palatium multitudo Arianorum, cum Iuſtina conſtituta, deridebat tantam Dei gratiam, quam Eccleſiæ Catholicæ Dominus Ieſus meritis Martyrum ſuorum conferre dignatus eſt: Venerabilemquè Virum Ambroſium narrabat pecunia*

comparaſſe

comparaſſe homines, qui ſe vexari ab immundis Spiritibus mentirentur: atque ita ab illo, ſicut & à Martyribus, ſe torqueri dicerent. A

II. Ambroſius ergo, ad Marcellinam ſcribens, poſt primæ diei geſta ſic ſubdit: *Sequenti die talis mihi ad Populum iterùm Sermo fuit: Heſterno tractaui Verſiculum* &c. Inter eius verò Sermones quintus numero nunc eſt, & ſeparatim ab Epiſtola illa editus, & ad verbum ſic ſe habet: *Heſterno die tractaui Verſiculum Pſalmi, Dies diei eructat verbum, prout noſtri captus tulit ingenij. Hodie mihi non ſolùm ſuperiore tempore, ſed præſenti quoque prophetaſſe videtur Scriptura Diuina.* NAM CVM DIEBVS AC NOCTIBVS CONTINVATAM VIDEAM SANCTITATIS VESTRÆ CELEBRITATEM; *iſtos eſſe dies Prophetici Carminis, oracula declararunt, heſternum atque hodiernum; de quibus opportuniſsimè dicitur, Dies diei eructat verbum; & iſtas noctes, de quibus aptiſsimè diſputatur, quia nox nocti indicat ſcientiam. Quid enim aliud* HOC BIDVO *niſi verbum Dei intimo eructaſtis affectu: & ſcientiam vos habere Fidei probauiſtis?* B

III. *Cui tamen celebritati veſtræ, qui ſolent, inuident. Et quia celebritatem veſtram inuidis animis ferre non poſſunt; cauſam celebritatis odere; atque in tantum amentiæ prodeunt, vt negent Martyrum merita, quorum opera etiam Dæmones confitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta eſt incredulorum perfidia, vt tolerabilior ſit Diaboli plerumque confeſsio. Dicebat enim Diabolus: Ieſu, Fili Dei viui, quid veniſti ante tempus torquere nos? Et cùm audirent Iudæi; ipſi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audiſtis clamantes Dæmones, & confitentes Martyribus, quòd pœnas ferre non poſsint, & dicentes: Quid veniſtis, vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Ariani dicunt: Non ſunt iſti Martyres, nec torquere Diabolum poſſunt, nec aliquem liberare; cùm tormenta Dæmonum, ipſorum voce probentur; & beneficia Martyrum remedijs cæcorum, & abſolutorum indicijs declarentur.* C

IV. *Negant, cæcum illuminatum; ſed ille non negat, ſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus eſſe deſiui: & probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt: publicis, cùm valeret, mancipatus obſequijs: Seuerus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium, poſtquàm inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines, quorum ante ſuſtentabatur obſequiis. Eos indices ſuæ viſitationis accerſit, quos habebat teſtes & arbitros cæcitatis. Clamat, quia, vt contigit fimbriam de veſte Martyrum, qua Sacræ Reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen ſit. Nonne ſimile iſtud eſt atque illud, quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus Auctoris: nec intereſt, vtrùm opus ſit, an munus; cùm & muneretur in opere, & operetur in munere. Quod enim alijs faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eius operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudæos, cùm viderent in illo cæco ſanitatis remedium, requiſiſſe parentum teſtimonium. Interrogabant: Quomodo videt filius veſter? cùm ille diceret: Cæcus cùm eſſem, modò video. Hoc & iſte dicit: Cæcus fui, & modò video: Interrogate alios; ſi mihi non creditis: Interrogate extraneos; ne adſtipulari mihi parentes putetis. Deteſtabilior iſtorum, quàm Iudæorum, pertinacia. Illi, cùm* D

dubitarent,

dubitarent, vel parentes interrogabant: iſti occultè interrogant, palàm negant: A
iam non operi increduli, ſed Auctori.

V. Sed quæro, quid non credant. Vtrùm à Martyribus poſſint aliqui viſitari? Hoc
eſt Chriſto non credere. Ipſe enim dixit: Et maiora his facietis. An ab iſtis
Martyribus? quorum merita iamdudùm vigent, Corpora dudùm reperta ſunt.
Quæro hic: vtrùm mihi, an Sanctis Martyribus inuideant. Si mihi; numquid
à me aliquæ virtutes fiunt? Numquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi
inuident, quod meum non eſt? Si Martyribus (reſtat enim, vt, ſi mihi non
inuident, Martyribus inuidere videantur) oſtendunt, alterius Fidei fuiſſe Mar-
tyres, quàm ipſi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inuiderent; niſi
Fidem in his fuiſſe eam, quam ipſi non habent, indicarent; Fidem illam, Ma-
iorum traditione firmatam, quam Dæmones ipſi negare non poſſunt, ſed Ariani B
negant.

VI. Audiuimus hodie dicentes eos, quibus manus imponebatur, neminem poſſe eſſe ſal-
uum, qui Patrem & Filium & Spiritum Sanctum negaret, qui Trinitatis om-
nipotentem virtutem non crederet. Confitetur hoc Diabolus; ſed Ariani nolunt
fateri. Dicit Diabolus: Sic torqueatur, quemadmodùm ipſi à Martyribus tor-
quebantur, qui Spiritus Sancti deitatem negarit. NON ACCIPIO DIA-
BOLI TESTIMONIVM, SED CONFESSIONEM. Inuitus dixit Dia-
bolus, & exactus, & tortus. Quod nequitia ſupprimit, extorquet iniuria.
Cedit Diabolus plagis: & adhuc cedere neſciunt Ariani. Quanta perpeſſi ſunt:
&, quemadmodùm Pharao, malis ſuis indurantur? Dicebat Diabolus, vt
ſcriptum legimus; Scio te, quis ſis: tu es Filius Dei. Dicebant Iudæi: Neſci- C
mus, quis ſit. Dicebant hodie & ſuperiore die vel nocte Dæmones: Scimus,
quia Martyres eſtis. Et Ariani dicunt: Neſcimus, nolumus intelligere, nolumus
credere. Dicunt Dæmones Martyribus: Veniſtis perdere nos? Ariani dicunt:
Non ſunt Dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria.

VII. Audiui, multa componi: hoc nemo vnquàm fingere potuit, vt Dæmonem ſe eſſe
ſimularet. Quid illud, quòd ita exagitari eos videmus, quibus manus imponi-
tur? Vbi hic locus fraudi eſt? Vbi ſuſpicio ſimulandi? Sed non ego ad ſuffra-
gium Martyrum vſurpo vocem Dæmoniorum. Beneficijs ſuis ſacra paſsio com-
probetur. Habet iudices, ſed purgatos: habet teſtes, ſed abſolutos. Melior
vox eſt, quam ſanitas loquitur eorum, qui debiles aduenerunt. MELIOR
VOX EST, QVAM SANGVIS EMITTIT. Habet enim ſanguis vo- D
cem canoram, quæ de terris ad cælum peruenit. Legiſtis, dicente Domino: San-
guis fratris tui clamat ad me. Et hic ſanguis clamat coloris indicio: ſanguis
clamat operationis præconio: ſanguis clamat paſsionis triumpho.

VIII. Satisfactum eſt petitioni veſtræ: vt condendas heſterno, in hodiernum diem
differremus Reliquias. Sicut igitur his denique verbis Ambroſius præſen-
tem concluſit Concionem; ita dubium eſſe non debet, quin ſacras eiuſ-
modi Reliquias protinùs in loco deſtinato aptatoquè condiderit; hoc
eſt, ſub Ambroſianæ Baſilicæ Altari, tunc vnico, nunc primario. Quem
quidem locum ſatis etiam fuiſſe amplum, indicio eſt; quòd Ambroſius
in eo non tantùm bina illa decenter collocauit Martyrum Corpora,

ſicut

ſicut erant, & integra, & perinde ac recenter mortua; & miræ magnitudinis; ſed etiam ſemetipſum, quando mortuus eſſet, volebat ibidem tumulari ad ſiniſtrum eorum latus; vti iam vidimus. A

IX. Hic ipſe verò ſecundus dies (vt ſuperioris Capitis Numero 12. me pollicebar probaturum) erat Sabbati, & vndeuigeſimus Iunii menſis. Quadrageſimali nimirùm tempore Ambroſius per indicium diuinitùs immiſſum intellexerat, quonam præcisè in loco Martyrum Corpora laterent. Poſt Paſcha verò, vt ea perquireret, vicinarum Epiſcopos Ciuitatum conuocauerat. Effodienda humo, iiſquè tandem inueniendis, & ad Baſilicam Fauſtæ deferendis abſumptum eſt biduum. Eadem rursùs per biduum expoſita publicè manſerunt in Ambroſiana Baſilica, & ſub ſecundæ diei veſperam conditorio incluſa ſub Altari fuerunt. Et hæc B quidem omnia ſatis iam conſtant è prænarratis. Ex Ambroſianis autem Calendarijs antiquioribus, & in charta pergamena conſcriptis, certo pariter conſtat, vndeuigeſimam Iunij diem, non martyrio, ſed Tranſlationi horum Martyrum eſſe ſacram. Quocirca idipſum ego vidi luculenter tribus etiam illis teſtatum Calendarijs, quæ Capite 22. Numero 6. indicabam, multiſquè alijs: ac nominatim etiam duobus, in Baſilica noſtra Laurentiana cuſtoditis: & præterea tertio, quod in domo mea mihi eſt, manuſcriptum Anno Domini 1381. quodquè in eam diem ſic habet: *Tranſlatio Sanctorum Martyrum Protaxij & Geruaxij. Iacent ad Sanctum Ambroxium.* Quid ſi ergo vndeuigeſima Iunij dies Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo, quo factam oſtendimus eiuſmodi Tranſlationem, non in aliam incidit, quàm Sabbati, diem? Ita C profectò ſe res habet: atque Paſchalibus etiam Tabulis, apud Viros doctos receptioribus, commonſtratur. Eo ſiquidem Anno Paſcha Dominicæ Reſurrectionis in diem incidit Aprilis vigeſimam-quintam. Sin verò ex hac die fiat calculatio vſque ad vndeuigeſimam Iunij diem; illam profectò reperiemus eo Anno in Sabbatum incidiſſe. Quocirca en vt Ambroſius Tranſlationis huius feſtiuitatem illi addixerit diei, quo Sacroſancta Martyrum Corpora in tumulum denique intulit. Quòd ſi rursùs ordine retrogrado hinc ad anteriora nos recipere velimus; ecce iridem, quemadmodùm ille terram pro inueniendis Corporibus effodere incœperit ſuperiore Mercurij die; die verò Iouis ea inuenerit, & D ſub veſperam tranſtulerit in Baſilicam Fauſtæ; ac demùm die Veneris eadem tranſtulerit in Ambroſianam, in qua demùm expoſita manſerunt vſque ad Sabbati veſperam. Interim verò (ſi benè computemus dies, à Paſchate ad vndeuigeſimum Iunij elapſos) prima excurrebat hebdomada poſt Pentecoſtes celebritatem. Itaque vicinarum quoque Ciuitatum Epiſcopos ego interpretor ita præmonitos ab Ambroſio fuiſſe, vt ſtatim poſt celebratam eiuſmodi ſolemnitatem, ſeſe itineri ad hanc Vrbem darent Mediolanum.

X. Quòd verò attinet ad mendacia & calumnias Arianorum, quæ ſuperiore Ambroſius Sermone refellebat; videndum præterea nunc ſupereſt, quemadmodùm

quemadmodùm ea confutarit etiam Paulinus, quinimmò Deus etiam ipſe Omnipotens, & hic edito in hunc finem miraculo. Sic enim Paulinus Hiſtoriæ ſuæ ſeriem proſequebatur, ex ijs deductam verbis, quæ nos præſentis Capitis Numero 1. recitabamus: *Sed hoc Iudaico ore loquebantur Ariani, ſuppares ſcilicet eorum. Illi enim de Domino dicebant, quoniam in Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia: iſti de Martyribus vel de Domini Sacerdote* (Ambroſio) *loquebantur, quòd, non Dei gratia, quæ per ipſos operabatur, immundi Spiritus pellerentur, ſed accepta pecunia ſe torqueri mentirentur. Clamabant enim Dæmones: Scimus, vos Martyres. Et Ariani dicebant: Neſcimus, eſſe Martyres. Iam hoc & in Euangelio legimus, vbi dixerunt Dæmones ad Dominum Ieſum: Scimus te, quia ſis Dei Filius. Et Iudæi dicebant: Hic autem vnde ſit, neſcimus.* SED NON HIC TESTIMONIVM ACCIPITVR DÆMONVM, SED CONFESSIO. *Vnde miſeriores Ariani vel Iudæi: vt, quod confitentur Demones, illi negent.* Hactenùs Paulini reſponſio. Quæ quidem congruit cum ſuperiore Ambroſij Sermone, necnon etiam ex ipſo mutuata videtur. Quomodò autem Deus ipſe talem Arianorum perfidiam confutarit: hoc item mox è Paulino liquet. Addit enim: *Deus tamen, qui gratiam Eccleſiæ ſuæ augere conſueuit, non paſſus eſt, diu inſultare perfidos Sanctis ſuis. Vnus itaque ex ipſa multitudine, ſubitò arreptus à Spiritu immundo, clamare cœpit, ita optare ſe, torqueri eos, vt ipſe torquebatur, qui negarent Martyres: vel qui non crederent in Trinitatis vnitatem, quam docet Ambroſius. At illi hac voce confuſi, qui conuerti debuerant & dignam tali confeſſione agere pœnitentiam, in piſcinam demerſum hominem necauerunt, perfidiæ homicidium adiungentes. Deduxit enim illos ad hunc finem digna neceſſitas. Sanctus verò Ambroſius Epiſcopus, maioris humilitatis vir factus, donatam ſibi à Domino gratiam reſeruabat; creſcebatquè quotidie fide & amore coram Deo & hominibus.*

A B C

CAPVT XLIV.

De miraculo ſanguinis, qui palam & vbertim è Sanctorum Protaſij & Geruaſij Corporibus in Ambroſiana Baſilica effluxit: dequè Reliquijs ipſorum, per varias Orbis Chriſtiani partes diſtributis. D

I. SVperiori finem Sermoni Ambroſius tandem impoſiturus, veritatem miraculorum, quæ Martyres illi iam tum verè patraſſent, ita demùm comprobabat, ſicut in præcedenti Capite, Numero 7. audiuimus, & intentiori rurſus animo nunc perpendere iuuabit: *Sed non ego ad ſuffragium Martyrum vſurpo vocem Dæmoniorum. Beneficijs ſuis ſacra paſſio comprobatur. Habet iudices, ſed purgatos: habet teſtes, ſed abſolutos.* MELIOR VOX EST, QVAM SANITAS LOQVITVR EORVM, QVI DEBILES ADVENERVNT. Atque id quidem primum eſt argumentum, & effi-

cacisſimum, quo Ambroſius illam Martyrum cauſam tutatur. Sed ecce nobis & alterum, nihilò minoris faciendum, cùm protinùs addit: MELIOR VOX EST, QVAM SANGVIS EMITTIT &c. E Martyrum igitur ſanguine Ambroſius, tamquàm è nouo recentiquè miraculo, veritatem aliorum comprobat miraculorum, quæ illi patrauerant. Quomodò autem illorum ſanguis nouum erat & recenter editum miraculum; niſi quia tunc etiam denuò ſanguis ex illorum Corporibus affluenter emanaſſet? Tali quippe miraculo in conceſsis ſuppoſito, validiſſimum aduersùs Arianos eſt Ambroſij argumentum: quale profectò non eſſet; ſi ex eo tantùm peteretur ſanguine, cuius plurimum Capite 40. Num. 3. videbamus in vrna illa ſepulchrali inuentum. A

II. Hoc igitur ſecundum argumentum Ambroſius mihi quidem traxiſſe videtur ex eo miraculo, quod poſtea Gregorius Turonenſis, ex ore Viri religioſi auditum, neque fide neque ſuis litterarum monumentis, quibus gloriam Martyrum ſeriò pro rei veritate commendare ſatagebat, indignum iudicauit. Libro enim *De Gloria Martyrum*, Cap. 47. poſteritati conſignata hæc reliquit: *In hac Vrbe* (Mediolano, cuius etiam fecerat mentionem in duobus proximis Capitibus) *Beatorum Martyrum Geruaſij Protaſijquè victricia Corpora retinentur: quæ diu*, SICVT IPSA PASSIONIS NARRAT HISTORIA, *ſubfoſſa latuerunt: quæ Beato Ambroſio reuelata, atque ab eodem reperta*, IN BASILICAM, QVAM IPSE PROPRIO ÆDIFICAVIT STVDIO, *oſtenſis miraculis ſunt ſepulta. De quorum Reliquijs quia maximè Turonica Vrbs ſeniores Eccleſias continet illuſtratas:* SED ET PER TOTVM GALLIARVM AMBITVM, DEO PROPITIO, DILATATÆ SVNT; *ſermo quadam vice de his quibuſdam Religioſis eſt habitus; vel qua de cauſa antedictæ Reliquiæ tam condenſæ fuerint per loca ſingula diſtributæ. Et quæ ſuper his, quodam referente, audiui, abſurdum non putaui inſerere lectioni;* QVIA NON CONTINENTVR IN HISTORIA PASSIONIS. *Aiebat enim, quando hæc glorioſa Corpora translata in Eccleſiam illam fuerunt*, DVM IN HONORE IPSORVM MARTYRVM MISSARVM SOLEMNIA CELEBRARENTVR, CECIDISSE E CAMERA TABVLAM VNAM: QVÆ ILLISA CAPITIBVS MARTYRVM, RIVVM SANGVINIS ELICVERIT. *De quo infecta linteamina, vel pallulæ, ſiue vela Eccleſiaſtica, beatus cruor collectus eſt:* QVI VSQVEADEO CONFLVXISSE FERTVR, QVOADVSQVE LINTEAMINA, QVÆ SVSCIPERENT, SVNT REPERTA. *Ex hoc enim eorum Reliquiæ, affatim collectæ, per vniuerſam Italiam vel Gallias ſunt delatæ. Ex quibus & Sanctus Martinus multa ſuſcepit; ſicut Paulini Beatiſsimi narrat Epiſtola*. Talia Gregorius Turonenſis. In quibus miraculum illud ſanguinis ita emicat in aliorum quoque miraculorum confirmationem, vt, ſi ei ſecundum illud Ambroſij argumentum adaptetur, nihil potuerit ab ipſo aptiùs concludi: ſecùs autem nihil ineptiùs. Tacitè igitur Ambroſius ijs verbis (vt ego arbitror) tantum illud miraculum innuebat: illudquè viciſsim tempore Con- B C D

cionis

cionis illius erat vſqueadeò notum, & in oculis Populi circumſtantis A
poſitum, vt ne verbis quidem apertioribus indicari tunc debuerit. Sanctus porrò Gregorius Turonenſis ex hac vita migrauit Anno Domini Quingenteſimo nonageſimo-ſexto, poſteaquàm in eius Vrbis Epiſcopatu vigeſimum-primum compleuiſſet Annum; ſicuti verè concludebat Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Itaque vel etiam ſola tanti Scriptoris auctoritas nos allicit ad præſtandam ei miraculo fidem. Hanc profectò Baronius etiam illi non illibenter adhibuit, vt paulò pòſt videbimus.

III. Recolendum enim priùs eſt, quænam eſſet Camera illa, è qua decidit Tabula: qualiſnam quoque Tabula ipſa foret: de quibus vocabulis nonnihil à me dictum iam eſt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. B
21. Cameram ergo interpretabar eſſe ſuperiorem Baſilicæ partem, quæ concamerata & teſtudineata, ſiue teſtudinis inſtar concaua & incurua eſſet. Itaque VValafridus etiam Strabo (quem hic ſuperaddo teſtem) in Libro *De Rebus Eccleſiaſticis*, propè finem ſexti Capitis, ita inquit: CAMERA *dicitur à curuitate, quæ ſolet in his ædificijs fieri, quæ cementitio opere deſuper concluduntur. Hæc etiam à concauitate ſuperiori, ad ſimilitudinem cuiuſdam animalis*, TESTVDO *nominatur. Græcè enim* CAMYRON CVRVVM *dicitur*. Tabulam ſimiliter illam ego ligneam & ſatis oblongam fuiſſe contendebam: & vnam ex ijs, quæ concamerandæ Baſilicæ recenter inſeruiſſent, quæquè tunc etiam fornici ſuſtinendo inſeruirent, quoaduſque ille ſatis ad firmitatem obdureſceret: cuiuſmodi C
tabulas nos Italicè CENTENI vocitamus. Etenim Baſilica hæc, vti iam diximus, è recenti, ſeu è ſuperiore tantùm tempore Quadrageſimali, vſque ad vndeuigeſimam ſubſequentis Iunij diem fuerat constructa, & in eum redacta ſtatum, quem tunc habebat.

IV. Sequitur nunc, vt videamus, quemadmodùm Gregorij Turonenſis teſtimonium ac ſimul ſanguinis miraculum à Baronio quoque creditum fuerit & approbatum. Id enim non obſcurè Baronius oſtendit, cùm ſolita & admirabili ſua eruditione ac diligentia in vnum colligeret varias Orbis Chriſtiani partes, quibus aliquid è ſacris horum Martyrum Reliquijs impertitum fuit. In Annotationibus enim Martyrologicis, ad vndeuigeſimam Iunij diem ſic ille obſeruabat. *De horum* (Geruaſij & D
Protaſij Corporum) *Inuentione extat Sermo Sancti Ambroſij, quintus De Sanctis: & Libro* 7. *Epiſtola* 53. *&* 54. *editionis Romanæ. Agit de eadem Sanctus Auguſtinus ſæpiùs, vt in Libro* 9. *Confeſſionum Cap.* 7. *Sermone* 39. *De Diuerſis, Cap.* 5. *& De Ciuitate Dei Libro* 22. *Cap.* 8. *Paulinus in Vita Sancti Ambroſij: Auctor Libri De Vita perfecta, apud Hieronymum Tomo* 9. GREGORIVS TVRONENSIS DE GLORIA MARTYRVM *Cap.* 47. *Legi & de ea Hymnum in Breuiario Toletano. Conſtat autem* (atque hoc præſertim eſt illud, quod nos item in præſenti optamus innoteſcere) *prædictorum Sanctorum Martyrum Reliquijs quamplurimas Eccleſias eſſe locupletatas: eorumquè nomine erectas eſſe Memorias. Romæ etenim Veſtina,*

illuſtris fœmina, in ipſorum honorem Baſilicam conſtruxit: quam Sanctus Innocentius Papa dicauit, & Titulo exornauit: Veſtinæquè Titulus, vel Sanctorum Geruaſij & Protaſii, dictus reperitur. De his in Libro De Romanis Pontificibus, in Innocentio Papa, & in Regiſtro Sancti Gregorij, Libro 9. Epiſtola 22. Dicitur hodie Titulus Sancti Vitalis: cuius ornamento inſignitus eſt Presbyter Cardinalis Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Donatus Cæſius, de noſtra Congregatione optimè meritus. Sanctus Paulinus eorumdem Reliquias in Fundana Baſilica, à ſe erecta, collocauit, vt ipſe ſcribit ad Seuerum, Epiſtola 12. Sanctus Gaudentius eadem ſacra pignora condidit in Baſilica, AD CONCILIVM SANCTORVM *dicta, vt ipſe refert in Sermone, de eius Dedicatione habito. Gallia etiam ferè tota iiſdem Reliquijs ditata eſt.* TESTIS EST DE HIS GREGORIVS TVRONENSIS VBI SVPRA, CAPITE 47. *cùm de his agens ait:* PER TOTVM GALLIARVM AMBITVM, DEO PROPITIO, SVNT DELATÆ. *Et paulò pòſt:* EX HOC ENIM EORVM RELIQVIÆ, AFFATIM COLLECTÆ, PER VNIVERSAM ITALIAM ET GALLIAM SVNT DIVISÆ. *Idemquè Libro 10. Cap. 31. Hiſtoriæ Francorum, agens de Eccleſia erecta Turoni, ibi horum Reliquias poſitas, eorumquè nomine eam appellatam eſſe, teſtatur. Pariſijs etiam in Baſilica Sancti Vincentij eas eſſe poſitas, teſtatur Aymoinus Lib. 2. Cap. 20. Ad Noricos vſque eaſdem eſſe delatas, ſcribit Eugipius Abbas in Vita Sancti Seuerini, Noricorum Apoſtoli. Conſtat inſuper, tranſmarinas Africanæ Eccleſiæ oras tantis fuiſſe muneribus exornatas: Cum etenim ſcribat Sanctus Auguſtinus De Ciuitate Dei Libro 22. Cap. 8. in Victoriana Villa nomine prædictorum Martyrum erectam eſſe Memoriam; conſequens eſt, vt eorum Martyrum Reliquijs minimè caruerit. Nam abſque Reliquijs Martyrum in eorum honorem Eccleſias erigi prohibuerat Concilium Africanum Canone 50.* Hactenùs Baronius. Nos verò præterea oſtendemus, eorumdem Reliquias Martyrum tranſmiſſas etiam fuiſſe Florentiam & Conſtantinopolim vnà cum Reliquijs Sanctorum Nazarij & Celſi: quorum Inuentionem infra ſuo tempore deſcribemus: atque ſubinde tunc etiam idipſum oſtendemus.

V. Per occaſionem illius in Victoriana Villa Memoriæ, quam nuper è Sancto Auguſtino memoratam videbamus, perſolui nunc quidem conuenit à me fidem, Capite 42. Num. 14. datam, cùm inſigne miraculum, illicà Martyribus patratum noſtris, & à Sancto Auguſtino narratum, pollicerer. Sic ergo Auguſtinus eo Libro 22. Capite 8. ſcribebat: *Victoriana Villa dicitur, quæ ab Hippone-regio minùs triginta millibus abeſt. Memoria* (ſiue vt Baronius interpretabatur, Eccleſia) *Martyrum ibi eſt Mediolanenſium, Geruaſij & Protaſij. Portatus eſt eò quidam adoleſcens, qui, cùm die medio, tempore æſtatis, equum ablueret in fluminis gurgite, Dæmonem incurrit. Ibi cùm iaceret, vel morti proximus, vel ſimillimus mortuo; ad veſpertinos illuc Hymnos & orationes cum ancillis ſuis & quibuſdam Sanctimonialibus ex more* (ò morem imitandum, & omni commendatione digniſſimum!) *Domina poſſeſſionis intrauit; atque Hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quaſi percuſſus & excuſſus eſt: & tum terribili fremitu Altare apprehenſum*

mouere

mouere non audens, ſiue non valens, tamquàm eò fuerit alligatus aut affixus, tenebat: & cum grandi eiulatu parci ſibi rogans, confitebatur, vbi adoleſcentem & quando & quomodò inuaſerit. Poſtremò ſe exiturum eſſe denuncians, membra eius ſingula nominabat, quæ ſe amputaturum exiens minabatur: atque inter hæc verba diſceſsit ab homine. Sed oculus eius, in maxillam fuſus, tenui venula ab interiore quaſi radice pendebat: totumquè eius medium, quod nigellum fuerat, albicauerat. Quo viſo, qui aderant (concurrerant autem etiam alij, vocibus eius acciti, & ſe omnes in orationem pro illo ſtrauerant) quamuis eum ſana mente ſtare gauderent; rursùs tamen propter oculum eius contriſtati, Medicum quærendum eſſe dicebant. Ibi maritus ſororis eius, qui eum illò detulerat, Potens eſt (inquit) Deus Sanctorum orationibus, qui fugauit Dæmonem, lumen ei reddere. Tunc, ſicut potuit, oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo reuocatum, ligauit ORARIO *: nec niſi poſt ſeptem dies putauit eſſe ſoluendum. Quod cùm feciſſet; ſaniſsimum inuenit.* SANCTI SVNT ILLIC ET ALII, DE QVIBVS DICERE LONGVM EST*:* concludit ibi Auguſtinus de Martyrum iſtorum miraculis*:* & hic nos quoque iis applaudentes, atque opem ipſorum ſuppliciter implorantes, conſiſtimus.

A B

CAPVT XLV.

Qualem quotannis feſtiuitatem Sanctus Ambroſius in honorem Sanctorum Protaſij & Geruaſij Martyrum inſtituerit.

C

I. ID quidem vel è Vigilijs intelligi poteſt, quas eorum Martyrum feſtiuitati anniuerſariæ Ambroſius præmittendas cenſuit. Vigiliarum autem nomine intelligo, non modò pridianum ieiunium, ſed etiam nocturnos ad precandum conuentus, in Baſilicis olim haberi ſolitos, quandocumque præſertim aliqua ex inſignioribus feſtiuitatibus in proximum diem incideret. Tales Ambroſius ipſe Vigilias in vniuerſum inſtituerat in Eccleſia Mediolanenſi, quemadmodùm Capite 44. Num. 4. iam didicimus è Paulini teſtimonio. Eaſdem verò in honorem horum Martyrum ab ipſo pariter commendatas & ſeruatas fuiſſe: hoc mihi per varia Ritus Ambroſiani Calendaria perſuaſum manet. Tria mihi ad manus ſunt Miſſalia vetera, typis impreſſa*:* primum Anno 1488. ſecundum Anno 1505. tertium Anno 1522. In eorum verò Calendarijs, die vndeuigeſimum Iunij diem, Martyribus his ſacrum, antecedente, ſic expreſsè præmonitum eſt*: Vigilia per Sanctum Ambroſium*: ſiue ab ipſo inſtituta. Sic etiam bina mihi ſuppetunt Breuiaria, vnum Anno 1539. alterum Anno 1557. impreſſa. In vtriuſque autem horum Calendario ſimiliter ante horum Martyrum feſtiuitatem legitur*: Vigilia per Sanctum Ambroſium.* Quinetiam in eiſdem Breuiarijs, poſt Calendarium, & poſt dies & Vigilias ex præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ ieiunandas, hæc ſequuntur: *Hæ ſunt Vigiliæ, à Diuo Ambroſio obſeruatæ & commendatæ: Vigilia Sancti Martini, Epiſcopi:*

D

Epiſcopi: Epiphaniæ: Purificationis, Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ: Aſcen- A
ſionis Domini: SANCTORVM PROTASII ET GERVASII *: Sancto-*
rum Naboris & Felicis: SANCTORVM NAZARII ET CELSI. Et
hæc, vt opinor, Maiores illi noſtri è Maiorum itidem ſuorum traditio-
ne, perenniter cuſtodita. Ex inſtituto itaque tanti eius Antiſtitis noſtri
perquàm celebres fuerunt horum Martyrum feſtiuitates. Quamobrem
Robertus etiam Cardinalis Bellarminus, Libro 3. *De Cultu Sanctorum*,
Cap. 17. ſic docebat: *In profeſtis magnorum dierum conſueuerat Eccleſia*
vigilare & ieiunare; ac in primis Vigilia Paſchæ, quæ nocte præcedente Do-
minicam Reſurrectionis agebatur, ſemper celeberrima fuit &c. *De Vigilijs au-*
tem in Sanctorum honorem meminit Baſilius in Pſalmum 114. *Hieronymus in*
Libro aduerſus Vigilantium &c. *Cæterum, quoniam paulatim occaſione noctur-* B
narum Vigiliarum, abuſus quidam irrepere cœperant, vel potiùs flagitia non
rarò committi; placuit Eccleſiæ nocturnos conuentus, & Vigilias propriè dictas
intermittere, ac ſolum in iiſdem diebus celebrare ieiunia.

II. Num verò Sanctus pariter Ambroſius eaſdem poſtea pernoctationes ve-
tuerit: in hoc variant Scriptores. Ioannes Stephanus Durantus, Libro 3.
De Ritibus Eccleſiæ Catholicæ, Cap. 4. Num. 6. poſteaquàm vſum ſacrarum Vi-
giliarum, quæ noctu etiam peragerentur, quamplurimis comprobaſſet ar-
gumentis, ita proſequebatur: *Sanè nonnulli ex Catholicis nocturnas perui-*
gilationes Laicorum, quia diſſolutæ cantiunculæ pro ſacris Hymnis concinehan-
tur, & honeſta religionis ſpecie turpes & ſecretæ libidines committebantur, an-
tiquatas exiſtimauerunt. Quidam ex Concilio Elibertino Can. 35. *Prohiberi pla-* C
cuit, ne fœminæ in Cœmiterio peruigilent; eo quòd ſæpè ſub obtentu orationis ſce-
lera latenter committantur. Alij AB AMBROSIO *: quorum opinio niti vi-*
detur Auguſtini teſtimonio, Sermone 25. *ad Fratres in Eremo. Sed ſcitote*
(inquit) Fratres mei, quòd antiquitùs Patres noſtri Fideles ieiunare conſueue-
runt in Vigilijs magnarum ſolemnitatum vſque ad noctem: quod laudandum
erat, & non bonum. Sed hoc non ſolum: ſed etiam vigilabant per noctem, &
ad Eccleſiam ludendo & chorizando conueniebant: quod deteſtabile erat, &
malum. Tales non ſolùm Romani erant, non ſolùm Papienſes & Rauennates,
SED ETIAM MEDIOLANENSES. *De qua turpi conſuetudine dolebat*
Mediolani Mater illa, quæ me carne & ſpiritu in Chriſto regenerauit. Et inſti-
tutum eſt, ipſa inſtigante, A PATRE NOSTRO SANCTO AM- D
BROSIO, VT VIGILIÆ CASSARENTVR, VEL CESSA-
RENT, A CVNCTIS *: & vt homicidia & fornicationes à Fidelibus de-*
ponerentur. Alij rursùs Bonifacium Primum Vigilias quidem nocturnas abro-
gaſſe; at ieiunia loco Vigiliarum retinuiſſe, prodiderunt; manſiſſeque diem Vigi-
liarum, id eſt, Officij nomen. Sanè in Concilio Antiſiodorenſi, Can. 5. *Vigiliæ*
prorsùs vetitæ videntur. Sed quid in hac opinionum varietate Duran-
tus? *Ego verò* (ſubdit) *ſacras nocturnas Vigilias nuſquàm* AB AMBRO-
SIO, *vel Bonifacio, aut aliquo Eccleſiæ decreto*, ABROGATAS VEL
VETITAS FVISSE, *varijs Sanctorum Patrum teſtimonijs euincam. Pri-*
mùm, Ambroſius ipſe nocturnas Vigilias, nedùm non improbat, quin & valde
probat,

probat, Sermone 60. de Feſto Pentecoſtes, Can. Miſſæ, Diſt. 76. ibi: Tunc enim, ſicut modò fecimus, ieiunauimus, Vigilias Sabbato celebrauimus, orationibus pernoctantes inſtitimus. Idem Ambroſius Epiſtola 85. ad Sororem affirmat, in Inuentione Corporum Sanctorum Geruaſij & Protaſij Martyrum Vigilias tota nocte celebratas. Paulinus in Vita eiuſdem Ambroſij, Hoc in tempore, inquit, primùm Antiphonæ, Hymni, AC VIGILIÆ *in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt.* CVIVS (*addit Paulinus*) CELEBRITATIS DEVOTIO VSQVE IN HODIERNVM DIEM, NON SOLVM IN EADEM ECCLESIA, VERVM PER OMNES OCCIDENTIS PARTES MANET. Et paulò pòſt: *Quòd verò pertinet ad Sermonem Auguſtini vigeſimum-quintum ad Fratres in Eremo; conijcio, Sermonem illum alterius eſſe, quàm Auguſtini; tum ex verbo* CASSARENTVR, *quod barbarum eſt, & quòd Sermo ille phraſim Auguſtini minimè redoleat; tum quòd alibi idem Auguſtinus, Libro 9. Confeſſionum Cap. 7. Mediolani Populum Vigilias celebrare conſueuiſſe, ipſiuſquè Matrem Vigiliarum primas partes tenuiſſe ſcribat. Excubabat (inquit) pia Plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, Seruo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, ſolicitudinis & Vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Tunc Hymni & Pſalmi vt cancrentur ſecundùm morem Orientalium Partium, ne Populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum. Hæc longè multumquè diſſident atque diſcordant, Auguſtini Matre inſtigante Vigilias abrogatas, & Auguſtini Matrem Vigiliarum primas partes tenuiſſe, idquè Mediolani, vbi Ambroſius ſedebat Archiepiſcopus. Accedat, quòd Ambroſius ipſe, quem Auctor Sermonis illius Vigilias caſſaſſe prodidit, vbique Vigilias probat: quod & ipſius & Paulini teſtimonio iam probatum eſt.* Talia igitur erant Duranti argumenta contra Sermonem illum, à nonnullis adſcriptum Auguſtino: & contra illam de antiquatis per Ambroſium noſtrum Vigilijs opinionem. Duranto autem in his conſenſerunt etiam Baronius in Annalibus, ad Annum Chriſti 51. & in Martyrologio, ad quintam Ianuarij diem: ac Gabriel Pennottus in Defenſione Cenſuræ Illuſtriſsimorum Cardinalium Baronij & Bellarmini, Theologorum Louanienſium, & aliorum Doctorum, in Sermones ad Eremitas, Diuo Auguſtino ſuppoſitos: Capite nimirùm XI. Num. 4. Siquidem Bellarminus etiam in Libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Auguſtino, atque Doctores Louanienſes in poſtrema Operum Sancti Auguſtini editione, multiquè alij Viri docti, eoſdem illos Sermones cenſuerunt illegitimos ac ſpurios, & eum nominatim vigeſimum-quintum, de quo nunc quærimus.

A B C D

III. E talibus tamen Duranti argumentis ego illud plurimi facio, quod è Paulini teſtimonio petebatur, affirmantis, Vigiliarum quoque à Sancto Ambroſio inſtitutarum celebritatem perſeueraſſe (videlicet à primo non degenerem inſtituto) in eum vſque diem, quo ipſe Vitam eiuſdem Ambroſij ſcribebat. Etenim hanc ipſe procul dubio ſcripſit aliquandiu pòſt, quàm non modò Sancta Monica, ſed etiam Sanctus Ambroſius ex hac vita diſceſsiſset. Illa vtique diſceſsit Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-

geſimo-octauo, vt Gabriel Pennottus contendit in Hiſtoria Tripartita Sacri Ordinis Canonicorum Regularium, Libro 1. Cap. 5. vel Anno Trecenteſimo octuageſimo-nono, vt Baronius in Annalibus, & in Annotationibus Martyrologicis ad quartam Maij diem. Ambroſius autem obijt Anno Trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo, vt nos item infra obſeruabimus. Quocirca ſi Vigiliæ illæ in eum, quo fuerant inſtitutæ, modum perſeuerabant etiam poſt Ambroſij mortem; non igitur inſtigante Monica eæ fuerant per Ambroſium abolitæ. Si pariter eæ fuerant per Ambroſium inſtitutæ Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo, ſequè tunc ijs ſedula, primaſquè tenens partes, exercebat Monica, vti nos etiam dicebamus Cap. 39. Num. 5. & Cap. 40. Num. 4. quis eaſdem credat tam celeriter à Catholicis illis ac verè Ambroſianis deprauatas eſſe, vt ante obitum Monicæ vetari per eumdem Ambroſium oportuerit? Diſſolutas cantiunculas pro ſacris Hymnis concinere, ad Eccleſiam ludendo & chorizando conuenire (ne quid de cæteris ſceleribus loquar) hoc vtique res erat manifeſta, ſcituquè facillima; ipſiquè præſertim Ambroſio, qui Vigilijs eiſdem Paſtor intererat vigilantiſsimus. Non igitur tam enormes illæ inſtituti ſanctiſsimi corruptelæ potuiſſent ab Ambroſio ignorari, non diſsimulari. Quamobrem ad eas emendandas & abolendas ne Monicæ quidem inſtigatione impulſuquè opus fuiſſet. Tunc etiam temporis Ariani erectis auribus intentiſsimi vigilabant in omnem occaſionem, qua Catholicos & Ambroſium ipſum carpere, atque in inuidiam vocare poſſent. Quomodo igitur tales etiam corruptelas profundo ſilentio inuoluiſſent? Quomodo eas non Ambroſio, non Catholicis opportunè importunè obiectaſſent? Nos ergo aſſentiamur ſanè Paulini teſtimonio illi tam luculento: credamuſquè præterea, nocturnas etiam (nedùm diurnas) fuiſſe Vigilias item illas, quas poſtmodùm Ambroſius in honorem Sanctorum Nazarij & Celſi Martyrum inſtituit, poſteaquàm diuina reuelatione Corpora etiam ipſorum inueniſſet. Hæc nempè inuenit intra poſtremum illud triennium, quod Imperatori Theodoſio Seniori ſuperuixit, vt ſuo ego tempore commemorabo. Vigilias verò in eorum cultum & honorem fuiſſe ab Ambroſio inſtitutas: hoc docemur duobus illis Breuiarijs; nec eo tantùm in loco, quem paulò ante proferebamus; ſed etiam in ambobus eorum Calendarijs. Illic enim vigeſima-ſeptima Iulij die, quæ Martyrum illorum feſtiuitati præuia eſt, ſimiliter legimus, *Vigilia per Sanctum Ambroſium.* Quod quidem pariter eadem die legimus in tribus quoque illis Miſſalium Calendarijs, quæ pro Sanctorum Protaſij & Geruaſij Vigilijs paulò ante in teſtimonium adducebantur.

A B C D

IV. Cæterùm eædem horum Martyrum Vigiliæ mihi videntur ex hortatu potiùs, quàm ex præcepto, fuiſſe. Itaque hac in parte nihil habeo, quod opponam vero ſuperioris eius Sermonis vigeſimi-quinti Auctori, cùm poſtea ſic adiecit: *Aliquod tamen eſt ieiunium deuotionis: vt ieiunare Vigilias Sanctorum Cypriani, compatriotæ noſtri,* ET GERVASII ET PROTASII, *& ſimilia.* Quamobrem hodierna quoque Calendaria, quæ ſeparatim

ad

ad vſum Cleri Ambroſiani quotannis in vnumquemque Annum typis A
imprimi ſolent, mihi quidem benè apteque congruere videntur cum
primæuo Sancti Ambroſij vſu & inſtituto. In his enim ante feſtiuita-
tem Sanctorum, tam Protaſij & Geruaſij, quàm Nazarij & Celſi, præ-
mitti adhuc ſolet: *Vigilia de hortatu*, vel *Vigilia ex deuotione*: ſcilicet, vt
inde intelligamus, ambas eiuſmodi Vigilias non eſſe ex præcepto & ob-
ligatione, ac propterea etiam poſſe ſine peccato prætermitti.

V. Numquid verò Sanctus Ambroſius Hymnum etiam fortaſsè compoſuit ali-
quem, qui publicè in feſto Sanctorum Protaſij & Geruaſij caneretur?
Mihi profectò & antiquiſsimus & auctore dignus Ambroſio videtur ille,
quem in Officio eorum veſpertino matutinoquè concinere ſolemus.

Dionyſius Carthuſianus, in ſua veterum aliquot Hymnorum Eccleſiaſ- B
ticorum Enarratione, probare volens, Ambroſij re vera eſſe Hymnum
illum, qui incipit *Aeterne rerum Conditor*, *Noctem diemquè qui regis*, à
quo nos item Ambroſiani matutinum ſemper Officium auſpicamur; hac
vtebatur ratione, quam multi quoque alij Scriprores poſtea comproba-
runt; *Quòd totus hic Hymnus, quantùm ad ſenſum, immò & quaſi quoad
verba, continetur in eiuſdem Sancti Exameron, in deſcriptione Operum quintæ
diei: vbi de naturis auium & piſcium atque terreſtrium animalium multa pul-
chra conſcribit*: hoc eſt, Libro 5. Cap. 24. Idipſum profectò dicere nos
etiam verè poſſumus de Hymno Martyrum illo, quem innuebamus.
Totus enim quoad ſenſum, immò etiam fermè quoad verba, continetur
in duobus illis Ambroſij Sermonibus, quos ſupra recenſuimus: totuſquè C
ſic etiam ſapit diuinos illos Ambroſij ſpiritus, necnon etiam ipſius me-
tricam rationem: præterquamquòd ne alium quidem illius auctorem
Mediolanenſis Eccleſia agnoſcit. Sed eſto: compoſitus etiam ille fuerit
ab alio, qui Ambroſij perſonam induerit, ſequè penitùs ad illius ſenſa
& ſtylum componere ſtuduerit. Certè quidem perbellè apteque illam
induit, ſequè ad iſta compoſuit. Quocirca, ſi non Ambroſiani noſtra-
tes (quorum in manibus quotidie per Breuiarij & Diurni exemplaria
cæteroqui verſatur) per me quidem hoc Hymno exteri ſaltem fruantur.
Vnicè verò pertinet ad horum Martyrum Inuentionem atque Transla-
tionem; quippe quæ, vti iam docuimus, vndeuigeſimo celebratur Iunij
die: atque ſic ad verbum ſe habet: D

Grates tibi, Ieſu, nouas,
Noui repertor muneris,
Protaſio Geruaſio
Martyribus inuentis, cano.
Piæ latebant hoſtiæ,
Sed non latebat fons ſacer:
Latere ſanguis non poteſt,
Qui clamat ad Deum Patrem.
Cælo refulgens gratia
Artus reuelauit Sacros:

Ff *Nequimus*

A

Nequimus eſſe Martyres,
Sed reperimus Martyres.
Hic quis requirat teſtium
Voces, vbi factum eſt fides?
Sanatus impos mentium,
Opus fatetur Martyrum.
Cæcus recepto lumine
Mortis ſacræ meritum probat:
Seuerus eſt nomen viro,
Vſus miniſter publici.
Vt Martyrum veſtem attigit,
Et ora terſit nubila,

B

Lumen refulſit illicò,
Fugitquè pulſa cæcitas.
Soluta turba vinculis,
Spiris draconum libera,
Emiſſa totis Vrbibus,
Domum redit cum gratia.
Vetuſta Secla vidimus,
Iactata ſemicinctia,
Tactu & vmbra Corporum
Aegris ſalutem redditam.
Gloria tibi Domine,

C

Gloria Vnigenito,
Vnà cum Sancto Spiritu,
In ſempiterna ſecula.
Amen.

V. Eumdem porrò Ambroſium ego ſanè affirmare auſim Clero ſuo Mediolanenſi auctorem fuiſſe, vt inter feſtiua de his Sanctis Martyribus Officia in Veſperis poſt ſuperiorem Hymnum, tamquàm è Sancti Pauli ore (ſicut alibi iam vidimus) hoc etiam canerent Reſponſorium: *Hi ſunt, qui ſecuti ſunt Domini mei Ieſu Chriſti veſtigia. Nihil terrenum nihilquè carnale concupiſcentes, ad hoc pertingere meruerunt, vt Chriſti Martyres fierent.* Et rursùs poſt primam Lectionem Matutinam: *Hi ſunt, qui monita mea* D *ſecuti ſunt: reſpuentes prædia & diuitias, ſecuti ſunt Domini mei Ieſu Chriſti veſtigia.* Hæc ipſa enim Reſponſoria, quæ in præſentem vſque diem à Clero vſitantur Ambroſiano: hæc ipſa, inquam, ſimiliter ad verbum ego in omnibus præſcripta legi etiam manuſcriptis & antiquiſsimis Officij Ambroſiani exemplaribus, quotquot adhuc inuenire potuerim.

VI. Et hæc quidem in præſenti ſufficiant pro Martyrum horum Inuentione ac Translatione, proquè Baſilicæ ſimul Ambroſianæ Dedicatione: quas Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, intra Iunium menſem, factas iam diximus, & coronidis inſtar hoc item loco in memoriam reuocamus.

CAPVT

CAPVT XLVI. A

Sanctus Satyrus, Anno Chriſti Trecenteſimo ſexageſimo-ſecundo diuinitùs è naufragio liberatus, ac denique Mediolanum Anno poſtea octuageſimo-ſeptimo reuerſus, hic menſe moritur Septembri: & ad Baſilicam defertur Ambroſianam prius, quàm in tumulo Sancti Victoris Martyris ad ipſius ſiniſtrum latus ſepeliatur.

I. BAronius eodem hoc Anno Trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, poſt deſcriptam Sanctorum Protaſij ac Geruaſij Tranſlationem, ſubinde narrat, Sanctum Ambroſium paulò pòſt bis à Iuſtina Imperatrice, furijs rurſus agitatâ, clam petitum ad necem, ſed irrito conatu: ac primò quidem per ſicarium, ſecundò autem per maleficum perquè Dæmones ipſius adminiſtros: denique verò Iuſtinam ipſam eò neceſſitatis vnà cum filio ſuo Imperatore adactam, vt Ambroſium ſuæ ipſorum ſalutis arbitrum, & Imperij ſeruatorem profiterentur. Cùm enim Maximus, à quo Gratianus Imperator iam fuerat interfectus, Imperium per tyrannidem occupaſſet, ac venturus in Italiam nunciaretur; Ambroſius à Valentiniano & à Iuſtina rogatus eſt, vt Legatione ſua (ſicut etiam olim fecerat) Maximum, talia conantem, coerceret. Quod quidem ille viciſsim, ſi non obtinuit, certè tamen pro viribus officioſiſsimè tentauit. Hæc igitur eo Anno Baronius narrando ſubtexebat. Ego autem alia quædam hic proſequar, ad eumdem Annum, ad Sanctum Satyrum, & ad inſtitutum noſtrum pertinentia. Quo ex genere in primis eſt ipſius Satyri & interitus, & ad Baſilicam tranſlatio Ambroſianam, & ſepultura in Sancti Victoris tumulo ad illius ſiniſtram. De quibus tamen parcè admodùm hic agemus; quoniam multa iam diſſeruimus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 19. Quamobrem hoc loco anteriora potiùs alta quædam explicabo vberiùs: eaquè à prima etiam Satyri natiuitate curſim exordiar, necnon etiam ex Oratione accipiam, quam de ipſius Obitù Ambroſius habuit.

II. Satyrus (vt Capite 37. Num. 2. dicebam) medius ætate fuit inter Marcellinam primogenitam, & Ambroſium tertio fœtu natum. Sicut autem Ambroſium ibidem aſſerebam natum Anno Domini Trecenteſimo trigeſimo-tertio, cùm grandiuſcula tunc eſſet Marcellina; ſic etiam Marcellinam facilè crediderim natam circiter Annum Trecenteſimum vigeſimum-octauum; Satyrum verò circiter Trecenteſimum trigeſimum.

III. Liberalibus deinde Artibus imbutus, cauſas in Foro Satyrus nonnunquàm agitauit, & ob eloquentiam inſignem commendatus: quinetiam Prouinciarum quandoque regimini præfuit. Hinc Ambroſius in ea Oratione ſic etiam ipſum celebrabat: *Quid ſpectatam ſtipendijs forenſibus*

eius facundiam loquar? Quàm incredibili admiratione in Auditorio Præfecturæ A
ſublimis emicuit? Et poſtea: *Qualis in vniuerſos fuerit, Prouincialium, quibus præfuit, ſtudia docent: qui parentem magis fuiſſe proprium, quàm iudicem, loquebantur: gratum piæ neceſſitudinis arbitrum, conſtantem æqui iuris diſpenſatorem.*

IV. Circiter Annum verò ætatis ſuæ trigeſimum-ſecundum, Chriſti autem Trecenteſimum ſexageſimum-ſecundum, tum verò Satyrus maritimum incurrit naufragium; è quo tamen ope diuina incolumis euaſit. De quo quidem naufragio Ambroſius ita ſcriptum reliquit: *Quid igitur obſeruantiam eius erga Dei cultum prædicem? Qui,* PRIVSQVAM PERFECTIORIBVS ESSET INITIATVS MYSTERIIS, *in naufragio conſtitutus, cùm ea qua veheretur nauis ſcopuloſo illiſa vado, & vrgentibus hinc atque inde* B
fluctibus ſolueretur; non mortem metuens, SED NE VACVVS MYSTERII (aliter MYSTERIIS) EXIRET E VITA, *quos initiatos eſſe cognouerat,* AB HIS DIVINVM ILLVD FIDELIVM SACRAMENTVM POPOSCIT: *non vt curioſos oculos inferret arcanis, ſed vt Fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit* IN ORARIO, *&* ORARIVM *inuoluit collo: atque ita ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage reſoluta tabulam, cui ſupernatans iuuaretur; quoniam Fidei ſolius arma quæſierat. Itaque his ſe tectum atque munitum ſatis credens, alia auxilia non deſiderauit. Simul fortitudinem eius ſpectare licet: qui, fatiſcente remigio, non quaſi naufragus tabulam ſumpſerit, ſed quaſi fortis ex ſeipſo adminiculum ſuæ virtutis aſſumpſerit. Nec deſeruit ſpes; nec fefellit opinio. Denique primus* C
ſeruatus ex vndis, & in portum terrenæ ſtationis euectus, PRÆSVLEM SVVM (ſiue PROTECTOREM) *cui ſe crediderat, recognouit: ſtatimquè, vbi etiam cæteros ſeruulos ſuos vel ipſe liberauit vel liberatos comperit, negligens ſcultatum, nec amiſſa deſiderans, Dei Eccleſiam requiſiuit; vt ageret gratias Liberatori,* ET MYSTERIA ÆTERNA COGNOSCERET; *pronuncians, nullum referendæ gratiæ* (Mombritius in Satyri Vita legebat *referenda gratia*) *maius eſſe officium.* Et paulò pòſt: *Ergo ille, qui naturæ duce diuini rationem operis igneo mentis vigore perceperat, ſciuit, primò omnium Saluatori ſuo gratiam eſſe referendam. Sed quia referre non poterat; habere poterat. Eſt enim huiuſcemodi gratiæ vis, vt, & cùm refertur, habeatur, & habendo referatur. Referebat igitur gratiam, deferebat fidem.* NAM D
QVI TANTVM MYSTERII CÆLESTIS, INVOLVTI IN ORARIO, PRÆSIDIVM FVISSET EXPERTVS; QVANTVM ARBITRABATVR, SI ORE SVMERET, ET TOTO PECTORIS HAVRIRET ARCANO? QVAM MAIVS PVTABAT FVSVM IN VISCERA, QVOD TANTVM SIBI TECTVM ORARIO PROFVISSET? *Sed non ita auidus fuit, vt eſſet incautus. Scimus enim, pleroſque auiditate ſtudij prætermittere cautionem. Aduocauit ad ſe Epiſcopum: nec vllam veram putauit niſi veræ fidei gratiam: percunctatuſquè ex eo eſt,* VTRVMNAM CVM EPISCOPIS CATHOLICIS, HOC EST CVM ROMANA ECCLESIA, CONVENIRET. *Et fortè ad id locorum*

rum in ſchiſmate Regionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim (nempè Calaritanus Epiſcopus) *ſe à noſtra tunc temporis communione diuiſerat* (quod vtique Baronius factum computat Anno Domini Trecenteſimo ſexageſimo-ſecundo) *& quamquàm pro Fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes; non putauit tamen (* Satyrus) *Fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi Fidem erga Deum tenerent; tamen erga Dei Eccleſiam non tenebant, cuius patiebantur velut quoſdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit: & Chriſti Corpus Eccleſia ſit; non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, à quibus euacuatur eius Paſsio, Corpuſquè diſtrahitur. Itaque quamuis gratiæ fœnus teneret, & metueret tanti nominis debitor nauigare; tamen eò tranſire maluit, vbi tutò poſſet exſoluere. Iudicabat enim, diuinæ ſolutionem gratiæ in affectu ac fide eſſe, quam quidem ſtatim, vbi primùm copia liberior Eccleſiæ fuit, implere non diſtulit. Deiquè gratiam & accepit deſideratam, & ſeruauit acceptam.* Hactenus Ambroſius de illo Satyri naufragio, dequè præcipuis ipſius in eo diſcrimine virtutibus. A B

V. Quænam verò Myſteria eſſent illa perfectiora, quibus tunc Satyrus nondùm erat initiatus: mihi quidem ſatis ambiguum & obſcurum videtur. Sacerdotium illa fuiſſe, diceret fortaſsè Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die 17. Septembris, in eiuſdem Satyri Vita. Sicut enim diſertè in ea *Sacerdotes* appellauit illos, quos Satyrus initiatos eſſe cognouerat, & à quibus diuinum illud Fidelium Sacramentum popoſcit; ſic etiam conſequens videretur, vt diceret, Satyrum ex aduerſo perfectioribus Myſteriis nondùm eſſe initiatum; quia nondùm eſſet Sacerdos. Eiſdem namque Myſterijs Ambroſius initiatum negauit eſſe Satyrum, quibus poſteriores illos eſſe initiatos aſſirmauit. Baptiſmi Sacramentum illa fuiſſe, proindequè Satyrum tunc fuiſſe ſolummodò Catechumenum, interpretatus eſt Cardinalis Bellarminus Libro 4. De Sacramento Euchariſtiæ, Cap. 4. vbi etiam locum hunc Ambroſij egregiè contra Petri Pſeudomartyris, hæretici & apoſtatæ perditiſsimi, commenta & calumnias defendit. In eadem verò ſententia fuerat etiam olim & adhuc eſt Eccleſia Mediolanenſis. Etenim ſecundùm Miſſale Ambroſianum, Anno denique 1594. reformatum, atque etiam nuper Anno 1640. recuſum, Miſſam de Sancto Satyro celebrantes, ſic etiam conuerſi ad Aeternum & Omnipotentem Deum præfamur: *Qui tantum fidei cumulum Beato Confeſſori tuo Satyro, glorioſi Pontificis Ambroſij germano, tua gratia præſtitiſti: vt, cùm in mari naufragium pateretur,* QVAMVIS ADDVC NONDVM BAPTISMATE SANCTO PERFVSVS, *de tuo tamen non ſit diffiſus auxilio.* In Miſſali autem Anni 1560. ſic inſuper addebatur: *Nam Sacramentum Dominici Corporis* SVDARIO INDITVM (& ecce hic pro Orario vſitatum Sudarij vocabulum, quod eſt notioris ſignificationis, & ad ea congruentis, quæ nos item Capite 42. Num. 14. obſeruabamus) *collo circumdedit: & ſe tali remigio fultum ſpumanti æquori committere non expauit.* Vtrumque verò hoc in anterioribus etiam Miſſalibus, tam impreſsis quàm manuſcriptis, quæ adhuc ego legerim, C D

videre

videre licet affirmatum: ſicut etiam in Breuiarijs impreſsis Anno 1539. & 1557. videlicet in eiuſdem Sancti tertia Lectione Matutina. A

VI. Ex altera verò parte Ambroſius ipſe me profectò nonnihil hæſitare cogit; quippecùm indicare mihi potiùs videatur, perfectiora illa Myſteria non aliud fuiſſe Sacramentum, quàm Euchariſtiæ; itaut Satyrus quidem iam eſſet Baptiſmo & Confirmatione initiatus, ſed nondum ad Euchariſtiæ vſum ſatis inſtructus, neque admiſſus. Primò enim eiuſmodi Myſteria citra dubium nominantur perfectiora nonniſi per comparationem ad minùs perfecta. Vel igitur minùs perfectis initiatus iam erat Satyrus, vel non erat. Si erat; certè initiatus iam erat etiam Baptiſmo, qui cæterorum eſt ianua Sacramentorum, & ſine quo nullus ad cætera legitimè admittitur. Quòd ſi ne minùs quidem perfectis initiatus erat; quidni ergo Ambroſius hinc potiùs argumentum trahebat ſuum; hincquè potiùs concludebat Satyri obſeruantiam erga cultum Dei? Magis enim hæc elucet, magiſquè prædicanda eſt, ſi exhibeatur ab homine, nondùm Myſterijs, non ſolùm perfectioribus, ſed etiam ne minùs quidem perfectis initiato. Ambroſius itaque hunc potiùs in modum loqui debuiſſet: *Qui priuſquàm minùs perfectis eſſet initiatus Myſterijs* &c. Secundò, præ cæteris Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis hoc propriè maximequè congruit Euchariſtiæ, vt perfectiorum Myſteriorum appellatione nuncupetur; quippecùm Sacramentales ex panis ac vini ſpecies Auctorem omnis gratiæ, Chriſtum Dominum, verè contineant intimè præſentem. Quocirca ipſemet Ambroſius Libro 4. De Sacramentis, Cap. 4. & Libro 5. Cap. 2. ac 3. Euchariſtiam vocat *Cæleſtia & Mirabilia Sacramenta*. Tertiò Satyrus ijs Myſterijs nondùm erat initiatus, quibus refertus, & non vacuus, mori cupiebat: quæquè propterea ſibi popoſcit ab illis, quos talibus cognouerat eſſe Sacramentis initiatos. Ab his autem abſque dubio popoſcit Euchariſtiæ Sacramentum, ad cuius etiam vſum eos iam eſſe admiſſos ſciebat. Quamobrem hoc item Sacramentum ea erat perfectiora Myſteria, quibus ipſe nondùm erat initiatus. Quartò idipſum videtur etiam eo indicatum fine, quo Satyrus, naufragium feliciter iam eluctatus, requirebat Eccleſiam: videlicet, vt non modò gratias ageret Præſuli ac Liberatori ſuo, ſed etiam *vt Myſteria æterna cognoſceret*, hoc eſt, vt eorum notitia informaretur: quæ quidem *Myſteria æterna* mihi videntur eadem cum illis, quæ ſuperiùs nominata fuerant *perfectiora Myſteria*: necnon etiam cum eo, quod infra vocatum fuit *Myſterium Cæleſte*: quo citra omnem dubitationem conſtat ſignificatum fuiſſe Sacramentum Euchariſtiæ. Quocirca etiam tunc denique, quando ad Catholicorum & cum Romana Eccleſia conſentientium Eccleſiam peruenit, tum verò mihi pariter videtur, non Baptiſmum, ſed Euchariſtiam ſuſcepiſſe, quæ vel ex nominis ethimologia eſt Bona Gratia, & Gratiarum Actio: idquè vnum ab Ambroſio ſignificatum eſſe, cùm denique concluderet: *Deiquè gratiam & accepit deſideratam, & ſeruauit acceptam*. Vt enim ſupra dictum fuerat, Satyrus auidè ſimul & cautè Myſterium

B, C, D

illud

illud Cæleſte ore ſumere, ac toto pectoris arcano haurire, atque in viſcera fundere optabat, quod Orario inuolutum ſibi tanto præſidio fuiſſet. Quintò ac poſtremò, ſi tunc Satyrus (tam cæteroqui cautus & prudens, ac diuini cultus obſeruans) nondum fuiſſet baptizatus; certè magis conſentaneum videbatur, vt in eo periculo ſibi ante omnia Baptiſmum depoſceret, ac poſtea Euchariſtiam, ſi non comederet, ſaltem collo geſtandam acciperet. Sed ſatis hactenùs coniecturarum in rem præſentem. A

VII. Franciſcus Suarez in Tertiam Diui Thomæ Partem Tomo 3. Diſput. 62. Sectione 4. varijs argumentis contendit, non in vniuerſa quidem Catholica Eccleſia, ſed tamen in multis Græcorum & Latinorum Eccleſiis antiquitùs hanc viguiſſe conſuetudinem, vt adultis, quinetiam infantulis, Euchariſtia ſtatim poſt Baptiſmum & Confirmationem miniſtraretur. Ioſephus autem Vicecomes, Ambroſiani Collegij Doctor, Libro 5. De antiquis Baptiſmi Ritibus, Cap. 34. & 35. eandem conſuetudinem vniuerſæ quinimmò Eccleſiæ adiudicat. Ambo autem concluſionis ſuæ teſtem producunt etiam Sanctum Ambroſium in Libro De ijs, qui Myſterijs initiantur, Capite 8. Vicecomes verò huc inſuper addit ipſius Librum 4. De Sacramentis, Capite 2. & 3. necnon etiam Beroldum noſtrum in Cæremoniali Ambroſiano manuſcripto, & in Bibliotheca Metropolitani Capituli aſſeruato. Recitans enim Beroldus Orationes, quæ Sabbato Sanctioris Hebdomadæ, Vigilia Paſchatis, in Benedictione Fontis Baptiſmalis adhibebantur, hanc quoque connumerabat; in qua pro Baptizandis ſic etiam orabatur: *Quicquid noxium de prævaricatione contractum eſt, huius gurgitis puritate deponant. Surgant ad requiem, producantur ad veniam;* VT MYSTICO CORPORE ET SANGVINE INNOVATI, ET REDEMPTOS SE NOVERINT, ET RENATOS. Diceret ergo fortaſsè aliquis, talem illam conſuetudinem in Eccleſia quoque Mediolanenſi ſeruatam eſſe Ambroſij ætate: atque adeò Satyrum congruenter ad eam ne baptizatum quidem fuiſſe ante illud naufragium; ſicut ante illud ne Sacramentum quidem ſuſceperat Euchariſtiæ: ipſumquè vice in contrarium verſa, ſicut poſt naufragium, me quoque non diffitente, ſuſcepit Euchariſtiæ Sacramentum, ſic etiam nonniſi tunc baptizatum paulò ante fuiſſe. Verumenimuerò, talem illam conſuetudinem in Eccleſia Mediolanenſi viguiſſe Ambroſij tempore: id ego nondum ex ipſius Ambroſij dignoſco verbis (quibus vtique ſatis eſt, quòd tunc etiam Baptiſmo & Confirmationi Euchariſtia ex ordine ſuccederet) ac multò minùs ex ea Precatione, quam Beroldus recitabat, quæquè nunc etiam in Benedictione Fontis pariter Baptiſmalis vſitatur; ſicut videre licet propè finem Miſſalis Ambroſiani, Anno denique 1640. typis impreſsi. Beroldus autem (ſicut alibi ego iam docui) florebat Anno Domini Milleſimo centeſimo vigeſimo-primo, nec ipſius tempore conſuetudo illa vigebat Mediolani. Quamobrem ne ipſe quidem illam inter eius Sabbati Rubricas recenſuit. Sed Ambroſij tempore viguerit ſanè Mediolani ea conſuetudo: B C D

eandemquè

eandemquè non Ambroſius ipſe primus inſtituerit, ſed à ſuis Deceſſoribus inſtitutam retinuerit; quid hæc ad Satyrum pertinet? Satyrus enim natione Romanus fuit: ac Mediolanum veniſſe non antea videtur, quàm huius Eccleſiæ regimen fuerit Ambroſio demandatum. Quoniam igitur hoc illi demandatum fuit Anno Trecenteſimo ſeptuageſimo-quarto; qua ratione Satyrum par eſt vt Mediolani baptizatum exiſtimemus Anno Trecenteſimo ſexageſimo-ſecundo? Nonne potiùs ille cenſendus eſſet, ſicut Euchariſtia, ſic etiam Baptiſmo & Confirmatione initiatus non valde procul ab Vrbe Calaritana? in eo nempe loco, ad quem inde nauigans appulit, & in quo primùm liberiorem inuenit Eccleſiæ Catholicæ copiam. Scio equidem, Saluatorem Vitalem, Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Religioſum, Sardiniæ Inſulæ Calaritanum, & hac demùm in Vrbe noſtra mihi notum amiciſsimumquè, hac opinione fuiſſe, vt naufragium illud Satyro contigerit, quando denique Mediolanum ex Africa reuertebatur, hucquè reuerſus, non multò pòſt occubuit: quod quidem ipſe pariter vnà mecum argumentabatur eſſe factum Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo. Sic enim ipſe docuit in Propugnaculo Triumphali in Annotationes ſiue Cenſuras Authoris innominati contra Annales Sardiniæ, §. 30. pagina 191. Sed re vera hæc ipſius opinio luculentiſsimè ab ipſomet Ambroſio poſt verba illa, ſuperiùs à nobis recitata, refellitur. Sic enim paucis interiectis ſubdit: *Fortitudinem quoque eius ſi quis pleniùs ſpectare volet; conſideret*, QVOTIENS POST NAVFRAGIVM (de quo nempè nos in præſenti agimus) INVICTO QVODAM CONTEMPTV VITÆ HVIVS, MARIA TRANSFRETAVERIT, DIFFVSASQVE REGIONES OBEVNDO PERAGRARIT: POSTREMO, QVOD HOC IPSO TEMPORE PERICVLVM NON REFVGERIT, SED AD PERICVLVM VENERIT (loquitur autem de poſtremo ipſius ad Vrbem Mediolanum reditu, poſt quem intra breue temporis ſpatium eſt mortuus) PATIENS INIVRIÆ; NEGLIGENS FRIGORIS, ATQVE VTINAM SOLICITVS CAVTIONIS.

VIII. Ambroſio ad regimen Eccleſiæ Mediolanenſis promoto, Satyrus etiam (ſicut paulò ante dicebamus) Mediolanum venit, & hic diu cum ipſo permanſit. Semet enim viciſsim ambo hi fratres quàm maximè diligebant: & quanto minùs fieri poſſet permittebant ſemetipſos ab inuicem ſeparari. Ambroſium ipſum audiamus, in Oratione funebri hæc ipſa recolentem, atque vberiùs explicantem. *Quid te* (inquit non procul ab initio) *mi frater amantiſsime fleam? qui mihi ſic ereptus es, vt eſſes omnium. Non enim perdidi vſum tui, ſed commutaui: ante corpore inſeparabilis, nunc indiuiduus affectu. Manes enim mecum, ac ſemper manebis. Et quidem cùm viueres nobiſcum, nunquàm te Patria* (Vrbs nempè Roma) *eripuit mihi: nec ipſe mihi vnquàm Patriam prætuliſti; & nunc alteram* (videlicet Mediolanum) *præſtitiſti. Cœpi enim iam hic non eſſe peregrinus, vbi melior mei portio eſt. Numquàm enim totus in me fui, ſed in altero noſtri pars maior amborum:*

rum: vterque autem eramus in Chriſto: in quo & ſumma vniuerſitatis, & A
portio ſingulorum eſt. Hic mihi tumulus genitali ſolo gratior: in quo, non natu-
ræ, ſed gratiæ meæ fructus eſt. Et paulo pòſt: *Qui pio ſemper ſolicitus affectu*
latus meum tuo latere ſepiebas: charitate, vt frater: cura, vt pater: ſolicitu-
dine, vt ſenior: reuerentia, vt iunior. Ita in vnius neceſſitudinis gradu
complurium mihi neceſſitudinum officia impendebas: vt in te, non vnum, ſed
plures amiſſos requiram; in quo vno ignorata adulatio, expreſſa eſt pietas.
Infra verò propè finem Concionis hæc item addebat: *Iam iam frater,*
animo meo chariſſime, quamquàm immaturo deceſſeris obitu; beatus tamen, qui
iſta non ſuſtines, nec amiſſum fratrem mærere compelleris: quem abſentem diu
ferre non poteras, ſed recurſu celeri reuiſebas. Quòd ſi tunc ſolitudinis meæ tæ-
dia repellere, mæſtitiam fraternæ mentis ableuare properabas; quantò nunc cre- B
briùs afflictum animum debes reuiſere, & ex te conceptum, per te lenire mæ-
rorem? Sed hinc ad Concionis anteriora relegendo reuertamur. Ante
medium enim ſic etiam dixerat Ambroſius: *Quid igitur nunc agam; cùm*
omnes vitæ iſtius ſuauitates, cuncta ſolatia, cuncta denique ornamenta amiſe-
rim? Tu enim mihi vnus eras domi ſolatio, foris decor: tu, inquam, in conſi-
lijs arbiter, curæ particeps, deprecator ſolicitudinis, depulſor mæroris: tu meo-
rum aſſertor actuum, cogitationumquè defenſor: tu poſtremò vnus, in quo do-
meſtica ſolicitudo reſideret, publica cura requieſceret. Teſtor ſanctam animam
tuam, me in publicis Eccleſiæ id ſæpè veritum eſſe, ne deſplicerem tibi. De-
nique vbi rediſti, obiurgaſti morem. Ita domi foriſquè eruditor quidam & ar-
biter Sacerdotis, vt domeſtica cogitare non ſineres, publica curare cenſeres. Vt C
vereor, ne videar arroganter dicere. Hæc enim laudis tuæ portio eſt, quia ſine
offenſione vlla & gubernaſti fratris domum, & commendaſti Sacerdotium. Et
paulò pòſt: *Quid mihi vmquàm iucundum, quod non eſſet ex te profectum?*
Quid vmquàm mihi ſine te, aut tibi vmquàm ſine me voluptati fuit? Quis
non vſus nobis, & propè viſus ipſe ſomnuſquè communis? Quæ diſcreta vm-
quàm voluntas? Quod non commune veſtigium? Ferè vt, cùm gradum tolle-
rem, vel tu meum, vel ego tuum corpus viderer attollere. Quòd ſi quando
ſine altero prodeundum fuit; intectum latus putares; affectum vultum cerneres;
mæſtum animum iudicares; non aſſueta gratia, non vigor ſolitus prænitebat;
ſuſpecta omnibus ſolitudo metum alicuius ægritudinis afferebat. Ita nouum vi-
debatur omnibus, nos diuidi &c. Sic etiam paulò pòſt: *Quàm nec ipſi nos,* D
frater chariſſime, ſæculi huius delectabant honores, quòd nos à nobis inuicem
diuidebant! Quos ideò adepti ſumus, non quia fuit eorum expetenda perceptio,
ſed ne vilis diſſimulatio videretur. Aut fortaſsè ideò ſunt tributi, vt, quia
immaturo tui obitu noſtræ futurus erat voluptatis occaſus, ſine nobis iam viuere
diſceremus. Et rursùs aliquantò pòſt: *Quid de me loquar? cui neque mori*
licet, ne Sororem (Marcellinam) *relinquam: neque viuere libet, ne à te re-*
uellar. Quid enim mihi ſine te poteſt eſſe iucundum? in quo omnis ſemper fuit
noſtra iucunditas. Aut quid diutiùs in hac vita degere iuuat, atque in terris
morari, in quibus tam diu iucundè viximus, quamdiu ſimul viximus? Etſi
eſſet, quod hic delectare poſſet; ſine te delectare non poſſet. Et ſi quando vo-

buiſſemus impenſè vitam producere; iam tamen ſine te eſſe nollemus. Sed ne A
illa quidem mihi prætermittenda ſunt, quæ paulò pôſt ſequuntur tanti
taliſquè inter hos fratres amoris indicia, tam inſigni etiam oris & cor-
poris inter ipſos ſimilitudine, quam mox videbimus, confirmata. Sic
enim proſequitur Ambroſius: *Nunc verò ipſe meæ vitæ* (Satyro) *ſuper-
ſtes, quod ſine te ſolatium capiam? qui ſolus mœrentem ſolari ſolebas, excitare
lætitiam, mæſtitudinem propulſare. Qualem te nunc ego, frater, aſpicio, iam
nulla mihi verba referentem, iam nulla offerentem oſcula? Quamquàm ita mu-
tuus ſemper vtrique noſtrum inſederit amor, vt interiore potius foueretur af-
fectu, quàm forenſi blanditia diuulgaretur. Neque aliorum quærebamus teſti-
monium, qui tantam noſtri gratiam tenebamus. Ita virilis ſe vtrique noſtrum
germanitatis ſuccus infuderat, vt, non blanditijs probare amorem, ſed conſcia* B
*mente pietatis interno amore contenti, fucum blanditiarum non requirere vide-
remur, quos & ipſa in amorem mutuum imago formaret. Neſcio enim qua
expreſſione mentis, qua corporis ſimilitudine alter in altero videbamur. Quis
te aſpexit, qui non me viſum putaret? Quotiens aliquos ſalutaui, qui, quoniam
te priùs conſalutauerant, ſe à me iam dicerent ſalutatos? Quanti tibi dixerunt
aliquid, qui ſe mihi dixiſſe memorarent? Quæ mihi hinc gaudia, quanta fre-
quenter oborta lætitia, quòd eos errare in nobis cernerem? Quàm gratus error,
quàm iucunda prolapſio, quàm religioſa fallacia, quàm ſuauis calumnia? Ne-
que enim de tuis erat aliquid aut factis aut ſermonibus quod timerem, qui mihi
tua lætabar adſcribi. Tamen ſi vehementiùs contenderent, quòd ſe mihi aliquid
intimaſſe memorarent; reſpondebam ridens & gaudens: Videte, ne fratri dixe-* C
*ritis. Nam cùm omnia nobis eſſent noſtra communia, indiuiduus ſpiritus, indi-
uiduus affectus; ſolum tamen commune non erat ſecretum amicorum; non quò
conferendi periculum vereremur, ſed tenendi ſeruaremus fidem. Sanè ſi con-
ſilio pendenda res eſſet; erat ſemper commune conſilium, non ſemper commune
ſecretum* &c. Et hæc quidem ſatis ſint pro mutuo inter Ambroſium &
Satyrum amore, quinetiam pro mutua corporis inter ipſos ſimilitudine;
adeò, vt multi ſæpè vnum ab altero non ſatis diſcernerent. E quo qui-
dem hominum errore quid ſi ego inſuper indumentorum ſimilitudi-
nem inter ipſos colligere auſim? Si enim Ambroſius extra ſacras fun-
ctiones, atque in communi conuictu & conſuetudine, peculiare aliquod
indumenti genus, Epiſcoporum proprium, geſtare ſolitus fuiſſet; certè D
per illud, vel etiam ſolum, manifeſta cunctis apparuiſſet eius diuerſitas
à Satyro, qui ſolummodò laicus & ſæcularis erat. Tali ergo Ambroſius
procedebat amictus indumento exteriori, quale viro etiam graui ac no-
bili (cuiuſmodi erat Satyrus) tunc temporis inuſitatum non eſſet.

IX. Siculas & Africanas in Regiones poſtrema ſimul & maritima Satyri naui-
gatio fuit; licet Ambroſius hanc ei diſſuaſiſſet. *Quàm virtutes* (inquit
Ambroſius) *tuas tacitus mecum ipſe mirabar? Quàm plaudebam mihi, quòd
tali me Dominus fratre donauerat, tam pudico, tam efficaci, tam innocenti, tam
ſimplici? Vt, cùm tuam innocentiam cogitarem, efficaciam deſperarem: cùm
efficaciam cernerem, innocentiam non putarem. Sed vtrumque mira quadam*

virtute

virtute iungebas: Denique ea, quæ ambo nequiueramus concludere, ſolus impleſti. Plaudebat ſibi, vt audio, Proſper, quòd Sacerdotij mei occaſione redditurum ſe, quæ abſtulerat, non putabat. Sed vehementiorem tuam vnius efficaciam expertus eſt, quàm duorum. Itaque ſoluit omnia, nec moderationi ingratus tuæ, nec illudens pudori: ſed & modeſtiæ gratus, nec inſolens efficaciæ. Sed cui, frater, illa quæſiſti? Nos enim idem volebamus laborum tuorum eſſe præmium, quod documentum erat. PEREGISTI OMNIA: ET VBI PERFVNCTVS OMNIBVS REVERTISTI, TV SOLVS NOBIS, QVI OMNIBVS ES PRÆFERENDVS, ERIPERIS: QVASI IDEO MORTEM DISTVLERIS, VT CONSVMMARES PIETATIS OFFICIVM, PALMAM EFFICACIÆ REPORTARES. Et paulò pòſt: *Et quidem præſagæ mentis agnoſco formidinem, dum repeto, ſæpè quæ ſcripſerim.* REVOCABAM TE, FRATER, NE IPSE AFRICAM PETERES, AC POTIVS ALIQVEM DESTINARES. *Timebam te committere viæ, fluctibus credere: & ſolito metus maior inceſſerat animum. Sed & peregrinationem explicuiſti, & rem ordinaſti: & veteri & ſentinoſo, vt audio, nauigio iterùm te fluctibus credidiſti. Namque, dum celeritatem aucuparis, cautelam prætermiſiſti, auidus noſtræ gratiæ, diſſimulans periculi tui. O fallax lætitia! O incerta humanarum rerum curricula!* EX AFRICA REDDITVM, EX MARI RESTITVTVM, EX NAVFRAGIO SERVATVM, PVTABAMVS IAM NOBIS NON POSSE ERIPI; SED GRAVIORA NAVFRAGIA IN TERRIS POSITI SVSTINEMVS. NAM QVEM NON POTVERANT NAVFRAGIA MARIS AD MORTEM DEDVCERE, STRENVIS NATVRALIBVS EVITATA, EIVS MORS COEPIT NOBIS ESSE NAVFRAGIO.

X. Priuſquàm tamen Satyrus è longinquis illis Regionibus Mediolanum reuerteretur, grauiter ægrotauit: & inuocato Sancti Martyris Laurentij patrocinio adſcriptum eſt, quòd eo ex morbo conualuerit. Hinc Ambroſius aliquantò poſt eius Concionis initium (& hinc præterea intelligemus, nauigationem illam in Siculas etiam fuiſſe Regiones) QVOMODO CONSTERNATA MENS ERAT ÆGRITVDINIS TVÆ NVNCIO? *Væ miſeræ opinioni. Putabamus redditum, quem videmus dilatum. Tuis enim votis apud Sanctum Martyrem Laurentium impetratum eſſe nunc cognoſcimus commeatum: atque vtinam non ſolùm commeatum, ſed etiam prolixum vitæ tempus rogaſſes. Potuiſti annos plurimos impetrare viuendi, qui potuiſti commeatum impetrare veniendi. Et quidem tibi omnipotens æterne Deus gratias ago, quòd vel hæc nobis ſuprema ſolatia non negaſti,* QVOD AMANTISSIMI FRATRIS EX SICVLIS AFRICANISQVE REGIONIBVS EXOPTATVM NOBIS REDITVM CONTVLISTI. ITA ENIM MATVRE, POSTQVAM VENIT, EREPTVS EST, QVASI PROPTER HOC SOLVM VIDERETVR ESSE DILATVS, VT AD FRATRES REDIRET.

XI. Sed & viciſſim Ambroſius ipſe paulò ante Satyri reditum graui correptus

 eſt

eſt morbo. De quo quidem ipſe circa medium Concionis ita teſtabatur: DENIQVE PROXIME CVM GRAVI QVODAM, ATQVE VTINAM SVPREMO, VRGERER OCCASV, HOC SOLVM DOLEBAM, QVOD NON IPSE ASSIDERES LECTVLO, AC VOTIVVM MIHI CVM SANCTA SORORE (Marcellina) PARTITVS OFFICIVM, MORIENTIS OCVLOS DIGITIS TVIS CLAVDERES. Et iterùm propè finem: *Nunquàm nobis fuit vitæ conditio diſcretior: ſemper aut ſanitas aut ægritudo communis; vt, cùm alter ægreſceret, alter in morbum incurreret; cùm alter reualeſceret, vterque conſurgeret. Quomodo ius noſtrum amiſimus?* ET NVNC CONSORTIVM ÆGRITVDINIS FVIT; *quomodo mortis conſortium non fuit?* Per hæc autem Ambroſij teſtimonia mihi quidem ſatis indicatum videtur, eum tali hoc morbo laboraſſe intra menſes Iulij & Auguſti. Satyrus enim poſt morbum non valde diuturnum mortuus eſt decima-ſeptima Septembris die; cùm paucos itidem ante dies Mediolanum ex Africa redijſſet; vti iam vidimus. Marcellina verò, quæ tunc Ambroſio ægrotanti aſsidebat, certè poſt Sanctorum Protaſij ac Geruaſij Tranſlationem, vndeuigeſima Iunij die factam, Mediolano aberat; abſentemque propterea eam per Litteras Ambroſius tunc admonuit de ijs, quæ recenter facta fuerant, poſteaquàm eorum Corpora Sanctorum inuenta fuiſſent. Itaque ſatis etiam maturè Mediolanum illa rediјſſe videtur, ſi circa Iulij menſis initium rediјſſe ſupponatur. Quocirca Satyrum itidem coniectamus huc perueniſſe circiter initium Septembris; cùm alioqui huc tendere ac venire incœpiſſet hyeme ſuperiore, NEGLIGENS FRIGORIS (vt Ambroſius nobis in fine Numeri ſeptimi loquebatur) hoc eſt, temporis illius frigus neglectui habens, nihilquè ſibi ab eo timens. A B C

XII. Inter hæc maximus Italiam inuaſerat horror, ex imminenti Barbarorum incurſione conceptus; neque tamen propterea Satyrus continere ſe voluit, quin Mediolanum in commune periculum veniret, atque deterrentium monita reſpueret. Quamobrem Ambroſius, ipſum alloquens iam mortuum, ſic narrabat: *Qui cùm à Viro nobili reuocareris Symmacho, tuo parente* (ſiue conſanguineo, ſicuti Capite 35. Numero 7. explicabam) *quòd ardere bello Italia diceretur, quòd in periculum tenderes, quòd in hoſtem incurreres; reſpondiſti, hanc ipſam tibi cauſam eſſe veniendi; ne noſtro deeſſes periculo, vt conſortem te fraterni diſcriminis exhiberes.* D

XIII. Mediolanum ergo Satyrus tandem peruenit: nec multò pòſt graui correptus morbo inter aſsidentium Ambroſij & Marcellinæ, fratris & ſororis, obſequia emoritur. De ſuis ipſius erga illum obſequijs Ambroſius ipſe nos faciat certiores. *Nihil mihi profuit* (verba ſunt ipſius) *vltimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus in os inſpiraſſe morienti. Putabam enim, quòd aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te transfunderem. O infelicia illa, tamen dulcia, ſuprema oſculorum pignora! O amplexus miſeri! inter quos exanime corpus obriguit, halitus ſupremus euanuit. Stringebam qui-*

dem

dem brachia; ſed iam perdideram, quem tenebam; & extremum ſpiritum ore legebam, vt conſortium mortis haurirem. Sed, neſcio quo modo, vitalis ille mihi halitus factus eſt, & maiorem gratiam in ipſa morte redolebat. Atque vtinam, ſi tuam nequiui meo ſpiritu vitam producere, vel vltimi anhelitus tui vigor transfundi potuiſſet in meam mentem; & illam tui animi puritatem atque innocentiam noſter ſpiraſſet affectus. Hanc mihi hæreditatem, frater chariſsime, reliquiſſes: quæ non lachrymabili dolore percuteret affectum, ſed memorabili gratia commendaret heredem. A

XIV. Quid, quòd etiam geſtando Satyri feretro, cùm ad ſepulchrum deferretur, humeros Ambroſius etiam ipſe ſuppoſuit? Hinc igitur exclamabat: *O dura oculorum lumina, quæ potuiſtis fratrem videre morientem! O immites & aſperæ manus, quæ clauſiſtis oculos, in quibus plus videbam!* O DVRIOR CERVIX, QVÆ TAM LVGVBRE ONVS, CONSOLABILI LICET OBSEQVIO, GESTARE POTVISTI! B

XV. Satyrum verò Ambroſius primò detulit ad Baſilicam ſuam, cognomento Ambroſianam; ſicut ego in eiuſdem Baſilicæ Monumentis Numero 19. comprobabam ex ipſius Satyri Vita, per Boninum Mombritium & per Hilarionem Monachum ex Auctore antiquiori recitata. Quam quidem, ſicut à Mombritio recitabatur, Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die 17. Septembris, conſcriptam exiſtimauit (ſed ego ei nondùm ſatis acquieſcere potui) à Paulino Presbytero: illo ſcilicet, à quo Vitam quoque Ambroſij conſtat eſſe conſcriptam. In ea ergo Satyri Vita ſic ad verbum legitur: *Translato denique ad cæleſte Regnum Satyro*, MAGNIFICVS PONTIFEX SACROSANCTVM CORPVS IPSIVS AD BASILICAM AMBROSIANAM HONORIFICE DEPORTARI FECIT, PROSEQVENTIBVS INNVMERIS EXEQVIARVM TVRMIS. Quoniam igitur Baſilica hæc Ambroſiana hoc tantùm Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo & constructa & dedicata fuit, vt iam probauimus; hoc ego quidem potiſsimùm argumento me fateor adductum vt crediderim, Satyrum denique mortuum eſſe, non Anno ſuprà Trecenteſimum octuageſimo-tertio (vt Baronius exiſtimauit) quando prima timebatur in Italiam irruptio Maximi, verè quidem Tyranni, & copioſo Barbarorum exercitu ſtipati; ſed octuageſimo-ſeptimo, quando ſecunda. In hunc igitur Annum illa cadunt, quæ Ambroſius fermè in principio funebris de Satyri obitu Orationis profitebatur. *Nihil habeo* (aiebat) *quod querar; ſed habeo, in quo gratias agam; quia ſemper optaui, vt, ſi quæ perturbationes vel Eccleſiam vel me manerent, in me potiùs ac meam recideret domum. Deo igitur gratias;* QVIA IN HOC OMNIVM METV, CVM OMNIA MOTIBVS SINT SVSPECTA BARBARICIS, COMMVNEM MOERORUM PRIVATO DOLORE TRANSEGI, *& in me conuerſum eſt quidquid omnibus timebam: atque vtinam hic conſummatum ſit, vt dolor meus publici doloris redemptio ſit. Nihil quidem habui, Fratres Chariſsimi, in rebus humanis tanto fratre pretioſius, nihil amabilius, nihil charius. Sed præſtant priuatis publica. Ipſius quoque ſi* C D

quis

quis ſententiam ſciſcitaretur; mallet occidi pro alijs, quàm ſibi viuere. Similiter ad eumdem Annum illa quoque pertinent, quæ idem Ambroſius infra, circa medium, his verbis: *Quid in hanc miſeram & ærumnoſam* (Satyrus) *recideret labem, atque in hanc flebilem vitam rediret, quem raptum magis eſſe ex tam imminentibus malis, vrgentibuſquè periculis gaudere debemus? Nam ſi pacato ſæculo belliſquè ceſſantibus raptum Enoch nemo defleuit, ſed magis Propheta laudauit, ſicut de illo Scriptura dixit, Raptus eſt, ne malitia mutaret cor eius; quantò magis nunc iure dicendum eſt, cùm ad Sæculi lubricum vitæ accedat ambiguum,* RAPTVS EST, NE MANVS INCIDERET BARBARORVM? *Raptus eſt, ne totius Orbis excidia, Mundi finem, propinquorum funera, Ciuium mortes, ac poſtremò Sanctarum Virginum atque Viduarum, quod omni morte acerbius eſt, colluuionem videret? Ego verò te, frater, cùm vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate, beatum arbitror. Non enim nobis ereptus es, ſed periculis: non vitam amiſiſti, ſed ingruentium acerbitatum formidine caruiſti. Nam, qua eras ſanctæ mentis miſericordia in tuos, ſi nunc vrgeri Italiam tam propinquo hoſte cognoſceres; quantùm ingemiſceres, quàm doleres,* IN ALPIVM VALLO SVMMAM NOSTRÆ SALVTIS CONSISTERE, *lignorumque concædibus conſtrui murum pudoris? Qua afflictione mœreres, tam tenui diſcrimine tuos ab hoſte diſtineri, ab hoſte impuro atque crudeli, qui nec pudicitiæ parceret, nec ſaluti? Quonam, inquam, hæc modo ferres, quæ nos perpeti, & fortaſsè (quod grauius eſt) ſpectare cogemur, rapi Virgines, & auulſos à complexu parentum paruulos liberos ſupra tela iactari, inceſtari ſacrata Deo corpora, & ſenilem viduæ maturioris vterum in vſus deſuetos onerum redire, non pignorum? Quonam, inquam, modo iſta tolerares, qui etiam vltimo ſpiritu, tui iam fortaſsis oblitus, & adhuc noſtri non immemor,* DE CAVENDA INCVRSIONE BARBARORVM NOS SÆPIVS ADMONEBAS, *commemorans, non fruſtra te dixiſſe, fugiendum: fortaſsè ideò, quòd nos deſtitui tua morte cernebas: quod, non infirmitate animi, ſed pietate faciebas: &, ſi infirmus pro nobis, tamen firmus tibi*. Sed hinc tandem ad Satyri funus reuertamur. A B C

XVI. Non eum quidem Ambroſius in Ambroſiana ſua Baſilica ſepeliuit, ſed in altera, & ad læuam Sancti Victoris Martyris, & in ipſomet eius conditorio. Hæc enim ego in prædictis Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 19. ſatis iam probaui. Quemadmodùm enim Ambroſius, Corpora Sanctorum Protaſij & Geruaſij tumulo recondens, dexteram eis ceſſerat portionem (hoc eſt, dexterum ac nobiliorem ibi locum) ſibiquè ſiniſtram portionem locumquè minùs nobilem reſeruauerat; ſic etiam eodem religionis ac reuerentiæ ſenſu fratrem ſuum Satyrum ad ſiniſtrum Sancti Victoris latus ſepeliuit; & id adiecto etiam Epitaphio concinnè hunc in modum expreſsit: D

VRANIO SATYRO SVPREMVM FRATER HONOREM
MARTYRIS AD LÆVAM DETVLIT AMBROSIVS.
HÆC MERITI MERCES: VT SACRI SANGVINIS HVMOR
FINITIMAS PENETRANS ADLVAT EXVVIAS.

Quòd

Quòd autem illic ego Vranij nomen interpretabar eſſe Satyri epithenon, quo propter diuinos ipſius mores ab Ambroſio *Cæleſtis* appellatus eſſet è Græco Idiomate; me profectò adhuc eius interpretationis non pœnitet. Atqui ne altera hæc quidem alicui fortaſsè diſpliceret, qua diceretur ipſius alterum fuiſſe nomen proprium; itaut duplici ſimul nomenclatura *Vranius Satyrus* nuncuparetur. Apud Surium profectò vigeſima-ſecunda Iunij die legimus Sancti Paulini Nolani Epiſcopi Vitam, *Vranio Presbytero* Auctore contemporaneo conſcriptam. Paulinus autem obijt, vt idem Vranius teſtabatur, Buſſo & Antiocho Conſulibus, hoc eſt, ſecundùm Feſtos Onuphrij Panuinij Conſulares, Anno Chriſti Quadringenteſimo trigeſimo-primo. Sic etiam, teſte Gennadio *De Viris Illuſtribus*, Sanctus Eucherius, Epiſcopus Lugdunenſis (de quo legi poteſt Bellarminus *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad Annum 440.) ad Salonium &.VRANIAM ſcripſit *De Obſcuris Sanctarum Scripturarum Capitulis*. A B

XVII. Veriſsimè porrò Auctor ille vetus, qui Sancti Vitam Satyri contexuit, eum aſſerebat ad Ambroſianam Baſilicam deportatum, *proſequentibus innumeris exequiarum turmis*. Quocirca etiam in Oratione funebri (ad eos vtique habita, qui funus fuerant proſecuti) ſemel iterumquè Ambroſius idipſum indicauit. Non procul enim ab initio ſic in primis ſemetipſum conſolabatur: *Cur ſolus præ cæteris fleam, quem fletis omnes? Priuatum dolorem digeſsi, præſertim cùm meæ lachrymæ nihil proſint, veſtræ autem lachrymæ fidem adſtruant, conſolationem afferant. Fletis diuites* &c. *Fletis ſenes* &c. *Fletis & iuuenes* &c. *Fleuerunt & pauperes: &, quod multò eſt pretioſius multoquè vberius, lachrymis ſuis eius delicta lauerunt* &c. *Itaque, licet priuatum funus, fletus tamen eſt publicus: & ideò non poteſt fletus eſſe diuturnus, qui vniuerſorum eſt affectionibus conſecratus. Nam quid te, mi frater amantiſsime, fleam? qui mihi ſic ereptus es, vt eſſes omnium.* Et iterùm aliquantò pòſt: *Habeo ſanè vobis, Fratres Dilectiſsimi, Plebs Sancta, maximam gratiam; quòd non alium dolorem meum quàm veſtrum putatis; quòd vobis accidiſſe hanc noſtri creditis ſolicitudinem; quòd fletum totius Ciuitatis, ætatum omnium Ordinum omnium vota, noua quadam pietate defertis. Non enim miſericordiæ priuatæ dolor, ſed quoddam publicæ officium & munus eſt gratiæ.* C

XVIII. Sed quid hac item Oratione Ambroſius de Satyri caſtitate? Ex ea enim coniectare mihi lubet, quid cingulo quodam ſignificetur, eius imagini adiecto. Sic ergo ille inquiebat: *In tantum caſtimoniam dilexit vt nec vxorem expeteret; licet in eo non ſolùm caſtitatis appetentia fuerit, ſed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & coniugium diſsimulabat, & iactantiam declinabat. Tantaquè erat diſsimulatio, vt, nobis quoque vrgentibus, differre magis conſortium, quàm refugere, videretur. Hoc vnum itaque fuit, quod nec fratribus crederet; non aliqua cunctationis hæſitantia, ſed virtutis verecundia.* Nec multò pòſt: *Hoc quoque vltimo ſermone ſignauit* (Satyrus) *cùm quos dilexerat commendaret*, SIBI NEC VXORIS ARBITRIVM FVISSE DVCENDÆ, NE A FRATRIBVS DIVELLERETVR. D

Imago

Imago autem illa Satyri, quam innuebam, in Baſilica viſitur Ambroſiana: & propè collum hinc inde proprio notata eſt nomine, SANCTVS SATYRVS. Appicta tergo eſt tertiæ illius in latere dextro pilæ lapideæ, ſiue cæſis è lapidibus conſtructæ, cuius fronti affixa clauo eſt inſignis illa Crux, è regione Serpentis ænei collocata. Perantiqua item illa eſt, & ſatis eleganter elaborata: virumquè repræſentat mediocris ſtaturæ, ſago indutum, & coriaceo nigri coloris cingulo ad renes ſuccinctum, ſed alterum præterea generis eiuſdem cingulum manibus ſeparatim geſtantem. Quid igitur hoc præſertim cingulo, manibus inſtar ſymboli geſtato, ſignificetur, nonnumquàm egò interrogatus, reſpondi, non aliud eo indicatum mihi videri, quàm quæſitiſsimam illam Satyri caſtitatem, quam tantopere (ſicut etiam nuper videbamus) Ambroſius celebrauit. Symbolum quidem caſtitatis eſſe cingulum: id quidem notiſsimum eſt, nec vlla nobis nunc probatione videtur indigere. Vtplurimùm tamen Satyri effigies ita formari ſolet, vt elata manu pixidem cum Euchariſtiæ Sacramento geſtet. Quanam verò ex cauſa id quoque fiat, perſpicuum iam eſſe arbitror ex Ambroſij narratione, quam proximè Numero 4. recitaui. Quid, quod etiam in Eccleſia Sancti Satyri Vrbana, in eius latere ſiniſtro, picta viſitur Deipara Virgo, hinc habens Ambroſium genu flexum, inde verò Satyrum ſtantem, ac manu dextera tenentem in pixide hoſtiam conſecratam, ſiniſtra verò cingulum ei ſimile, quod paulò ante deſcribebam? A B

XIX. Cæterùm in prædictis Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 19. binas ego proferebam obſeruationes, quæ nunc etiam non inutiliter cum aliquo additamento recolendæ videntur. Prima erat de Arca illa, ſub Altari Cappellæ Sancti Satyri exiſtente: in qua Sanctorum Victoris & Satyri corpora conquieſcere videbatur indicatum. Certè autem Monachi pariter Ambroſiani ſeſe poſtea magis in eadem opinione confirmarunt. Cùm enim ad ſanctiorem illius loci cultum (quippecùm ibi crederetur etiam extitiſſe celebre illud Philippi Polyandrium, aut ſaltem potior aliqua ipſius pars, ſicut ego eodem illo Numero 19. iam ante narraueram) cùm, inquam, ſub eodem Altari Confeſsionem (vulgò *Scurolum*) conſtrui vellent: cumquè propterea inde terra effoderetur; certè quidem inuentum eſt ſepulchrum, duorum capax hominum, è lateribus coctis & prægrandibus compoſitum, intrinſecùs autem marmoreis tabulis circumſeptum, ad eum prorsùs modum, quo poſtmodùm Capite 48. Numero 10. videbimus fuiſſe illud, in quo Sanctum Nazarium fuiſſe à Sancto Ambroſio in Apoſtolorum Baſilica tumulatum, Sanctus Archiepiſcopus noſter Carolus alijquè tunc temporis prudentes Viri crediderunt. Illud autem vna ex parte confractum erat: ex ea videlicet, in qua olim iacta fuerant fundamenta, quibus etiam hodie innititur ſecunda è duabus illis columnis, quæ in latere Cappellam ingredientibus ſiniſtro conſiſtunt. Tales enim columnas, ſicut & alias in altero latere binas, liquidò conſtat ibi collocatas multò poſt primam eius C D

antiquiſsimæ

antiquiſsimæ Cappellæ ſtructuram; vt ſuperſtructis hinc inde fornicibus concameratum eius faſtigium Cælumquè aureum, vetuſtate fatiſcens, ſuſtinerent. Tunç igitur ex eo tumulo in Arcam illam marmoream translata fuiſſe Sanctorum Victoris & Satyri corpora, Monachi iam credunt. Quamobrem impenſiore itidem cura Cappellam illam poſtea exornarunt, quinetiam ſuperiore tandem Anno Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo Pallium eius Altari argenteum, pretioſis intermicans lapillis, magno ſumptu appoſuerunt. A

XX. Secunda verò illic obſeruatio mea erat de Sancti Victoris (Mauri nempè noſtriquè) Capite, quod Volaterrani ſua in Eccleſia Cathedrali conſeruent, Calliſti Papæ Secundi munus, ei Vrbi datum: teſtemquè proferebam Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ die 8. Maij, & rursùs die menſis eiuſdem decima-tertia in Catalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, confirmantem idipſum ex eius Eccleſiæ Monimentis, ac præterea è Raphaelis Volaterrani Commentarijs. Re tamen vera nihil tale in eiuſdem Commentarijs inuenitur; cùm alioqui Libro 22. Antropologiæ, ad Annum Chriſti Milleſimum centeſimum vigeſimum, deſcribat eius Pontificis aduentum ad eam Vrbem; ac Sanctorum Petri & Pauli reliquias quaſdam narret ei ab ipſo donatas. Sancti ergo Victoris Caput ei donatum eodem illo Anno Volaterranus aſſeruit in Officio eiuſdem Sancti proprio (ſiue in poſtrema & nona eius Lectione Matutina) quod ipſe compoſuit, quodquè Leo etiam Papa Decimus Anno Milleſimo quingenteſimo decimo-nono, die quinta Nouembris comprobauit. Lectionis eius verba videre licet ab eruditiſsimo Ferdinando Vghello, Ciſtertienſi Abbate meritiſsimo, recitata Tomo Primo Italiæ Sacræ, in Volaterranis Epiſcopis Numero 32. vbi tamen pro *Rogerius Præſul Vrbeuetanus* legendum eſt *Rogerius Præſul Volaterranus*. Ibidem verò etiam ille ad ſincerum è Tabula lignea expreſsit & ob oculos propoſuit, quota Capitis pars eæ ſint Sancti Victoris reliquiæ. Sunt autem cranium, ſiue caluaria: *quæ cùm ex octo* (inquit) *oſsibus inter ſe commiſsis compacta eſſe debeat; aliqua tamen vnà cum ſyncipitis parte ſiniſtra deſiderantur*. Quamobrem hac in re Volaterrani cum noſtris quidem Monachis Ambroſianis conciliari poſſunt; non ſic autem cum Oliuetanis; niſi forte pars eadem ſacri eius Capitis concedatur & Volaterris & Mediolani apud Oliuetanos in Eccleſia Sancti Victoris AD CORPVS extare. Eandem verò ac penitùs ſimilem Capitis illius figuram, penicillo accuratiſsimè delineatam: ſic etiam proprium illud Sancti Victoris Officium, à Raphaele Volaterrano compoſitum, & in Eccleſia Volaterrana vſitatum: quinetiam exemplar Breuis Apoſtolici, quo Leo Papa Decimus illud comprobauit: denique verò exemplar etiam Inſcriptionis, Anno Milleſimo ſexcenteſimo decimo in ea Cathedrali Eccleſia collocatæ, atque in Tabula marmorea inciſæ, per Vghellum item ſed non ſine varijs erratis recitatæ: hæc, inquam, ego quoque omnia iamdudum ex ea Vrbe per Amicum à Ciue Clariſsimo, Medicæque Artis B C D

 peritiſsimo,

peritiſsimo, Iuſto Caualcantio, accepi: qui quidem ſuis etiam verbis A
caluariam illam ita deſcribebat, vt à media fronte ad occiput vniuerſum protenderetur. Itaque licet ex anteriore Capitis parte deſint aliqua, nihil tamen deeſt è poſteriore. Quomodo autem Callixtus ille Pontifex tale Sancti Victoris Caput à Mediolanenſibus accipere potuerit, à quibus eum re ipſa illud accepiſſe aſſeruit Vghellus, & ante ipſum Marius Ioannellus pagina 106. in Chron-Hiſtoria Volaterranæ Vrbis, Italicè conſcripta, Piſiſquè Anno 1613. impreſſa: id quidem colligi facilè poteſt ex ijs, quæ nos in Ambroſianæ pariter Baſilicæ Monumentis recenſuimus Numero 332. Annoquè Chriſti 1120. Accipe verò etiam hic tandem, quid Paulus Iouius, Hiſtoriarum ſui temporis Libro 28. teſtatum de hoc Sancti Victoris Capite reliquerit. Scribens enim de Ferrucio, B
Florentinorum Militum Duce, Volaterris per vim potito, dequè ipſius ſacrilegijs, inter alia ſic tradebat: *Poſtremò Diuorum Vrbis Tutelarium*, OCTAVIANI SCILICET ATQVE VICTORIS, *argentea ſimulachra*, QVIBVS VERA CAPITA IPSORVM MARTYRVM INCLVDEBANTVR, *ad haſtam venalia in Foro propoſuit, ingenti cum luctu Ciuium, mulicrcularumque præſertim crebris eiulatibus: quæ pietatis cauſa conceptis votis eminentem aperto paululum vertice* SANCTISSIMÆ RELIQVIÆ CALVAM *exoſculari conſueuerant* &c. Fallitur tamen in eo Iouius, quòd Sancto illi Octauiano titulum Martyris adſcribebat. Non enim Martyr ille fuit, ſed Confeſſor, vt benè docuit Philippus Ferrarius die ſecunda Septembris in Catalogo Sanctorum, qui non extant in C
Martyrologio Romano, & alij, ab ipſo ibidem producti: quibus inſuper nos addimus prædictum Marium Ioannellum pagina 98.

CAPVT XLVII.

*Theodoſius Imperator Anno Chriſti nonageſimo-quarto ſupra Treccnteſimum Mediolano concedit Priuilegium, ne quis Imperatorum deinceps illud ingrediatur. Itaque pro ipſis Palatium extruitur foris, & iuxta Baſilicam Ambroſianam. De veteri eorum Palatio, dequè San-Georgiana propè ipſum Eccleſia. Quando hæc & à quo ædificata, & qualibus in fronte Inſcrip- D
tionibus inſignita.*

I. NOuam ſcribendi materiam nobis hoc etiam Capite noſtra ſuggerunt Ambroſianæ Baſilicæ Monumenta. In ijs peramplum ego Numero 131. recitaueram Caroli Calui Regis Priuilegium, Anno Chriſti Octingenteſimo octogeſimo conſignatum, & Ambroſiano Monaſterio conceſſum, in quo ſic etiam legebatur: *Et dono ſimiliter Eccleſiam vnam, quæ nominatur Sanctus Michael*, NON LONGE A PALATIO NOSTRO: *& terram*

iuxta

iuxta ipſam Eccleſiam, ad ædificandum Hoſpitale, ad recipiendum pauperes. Et offero eidem Monaſterio TOTAM CVRTEM PALATII IVXTA SANCTVM AMBROSIVM. Subinde autem Numero 132. cupidus indicandi, quodnam eſſet Palatium illud ita deſcriptum, teſtimonio vtebar Gualuanei Flammæ in Chronico Maiori Capite 115. & Auctoris Chronici *Flos florum* folio 82. pagina 1. Qui quidem Auctor, & paulò vberiùs quàm Flamma, ſic narrabat: *Interim Eugenius, Comes Palatinus, mortuo Valente Imperatore in lecto apud Viennam, dolo Arbogaſtis Imperium Mediolani vſurpauit, & quemdam Victorem ſibi in Imperio aſſociauit. Quod multùm Beato Ambroſio diſplicuit. Vnde Theodoſium Iuniorem, Magni Theodoſij filium, Imperatorem Conſtantinopolitanum, aduocauit: cui Imperium Mediolani promiſit. Theodoſius cum forti exercitu Mediolanum properauit, & Eugenium vſurpatorem Imperij proſtrauit. Tunc Beatus Ambroſius in Ciuitatem Mediolani reuertitur.* CVI IMPERATOR CONCESSIT PRIVILEGIVM, QVOD, CVM IN CONSTANTINOPOLI ESSET SEDES IMPERII, DE CÆTERO NVLLVS IMPERATOR CIVITATEM MEDIOLANI INTRARET; CVM EA PER DVCES DE CÆTERO REGERETVR. ET EXTRA CIVITATEM VETEREM IVXTA ECCLESIAM SANCTI AMBROSII ÆDIFICATVM FVIT PALATIVM PERMAXIMVM, VBI IMPERATORES HABITABANT TEMPORE CORONATIONIS SVÆ; QVIA CIVITATEM MEDIOLANI PROPTER REVERENTIAM PRIVILEGIORVM INTRARE NOLEBANT. *Quod ſeruatum fuit vſque ad aduentum Federici Imperatoris, dicti Barbærubeæ, qui Ciuitatem Mediolani deſtruxit Anno Domini Milleſimo centeſimo ſexageſimo-quinto* (veriùs dixiſſet *ſexageſimo-ſecundo*) *licet & ipſe in ſua Coronatione ſeruaſſet, ſed poſt deſtructionem ipſius Ciuitatis illud Priuilegium abſtulit.*

II. Sic igitur & Gualuaneus & Auctor eius Chronici exiſtimarunt, Palatium illud conſtructum fuiſſe Priuilegio Theodoſij Iunioris, eoquè ſimul tempore, quo Eugenius iam eſſet debellatus, & quo Ambroſius Mediolanum rediiſſet: quarum ego rerum veritatem Numero illo 132. diſcutere non curabam, ſicuti ne ſuſcepta quidem tunc inſtituti ratione compellebar. Nunc ergo liberè aperiam, quid item mihi de illis videatur. Sic enim exiſtimo, vt ea ſibi non cohæreant inuicem, ſed irreconciliabiliter aduerſentur. Quo enim tempore Theodoſius Iunior imperare cœpit, Sanctus Ambroſius iam obierat. Sic etiam Eugenius ille, Imperii vſurpator, non à Theodoſio Iuniore, ſed à Seniore proſtratus fuit. Vt enim verè docuit Baronius in Ambroſij Vita, necnon etiam in Annalibus Eccleſiaſticis, eiuſmodi rerum ſeries in hunc modum ſe habuit. Anno Chriſti Trecenteſimo nonageſimo-ſecundo Eugenius è Rhetore factus eſt Imperator ab interfectoribus, non Valentis (vt Auctor ille Chronici aiebat) ſed Valentiniani Iunioris. Idem verò poſtmodùm Anno Sæculi eiuſdem nonageſimo-quarto, die ſexta Septembris, à Theodoſio Seniore victus ingenti ac mirifico prælio, mox captus, &

extremo ſupplicio affectus eſt. Theodoſius ipſe poſtea Mediolanum reuerſus, hic etiam die decima-ſexta Ianuarii obijt nonageſimo-quinto Anno; ſicut & Ambroſius deinde nonageſimo-ſeptimo. Ex altera verò parte Theodoſius Iunior naſcitur Anno Quadringenteſimo primo, & mox à patre ſuo Arcadio, eiuſdem Theodoſij Senioris filio, Auguſtus renunciatur, Annoquè tandem moritur quinquageſimo. Si quis ergo Theodoſius Imperator Ambroſio Vrbiquè Mediolano Priuilegium illud conceſsit; certè non Iunior, ſed Senior Theodoſius conceſsit. Quia tamen Theodoſius Senior non diu vixit poſt Eugenium debellatum; idcircò etiam fortaſsè factum eſt, vt Palatium illud nouum extra Ciuitatem veterem ac iuxta Baſilicam Ambroſianam conſtructum denique fuerit Theodoſio Iuniore imperante; vtquè Gualuaneus Flamma & Auctor illius Chronici traxerint inde ſui erroris occaſionem, quo & conceſsionem illius Priuilegij, & illius Palatij ſtructuram ſoli Theodoſio Iuniori adſcripſerunt. A B

III. Certè autem cum ijs, quæ mox narrata legimus de nouo eiuſmodi Palatio, extra Vrbis noſtræ mœnia condito: certè, inquam, cum ijs aptè congruunt hæc, quæ Ptolomæus Lucenſis, & Epiſcopus Torcellenſis, in ſuis Annalibus, ab Anno ſcilicet Salutis ſupra Milleſimum ſexageſimo vſque ad Trecenteſimum tertium deductis, ac primò editis in lucem Lugduni Anno 1619. ſcribebat his verbis: *Anno Milleſimo octuageſimo-primo, vt habetur in Regiſtro Lucenſis Communitatis, Henricus Imperator conceſsit Lucenſibus Priuilegium de Muris veteribus non deſtruendis*: ITEM DE REGALI SIVE IMPERIALI PALATIO NON ÆDIFICANDO IN CIVITATE, *nec de Caſtro conſtruendo imperiali intra ſex milliaris*. C

IV. Cæterùm ex his, quæ de nouo Palatio imperiali, extra Muros Vrbis Mediolanenſis & iuxta Baſilicam Ambroſianam conſtructo, dicta ſunt hactenùs, conſequens ergo eſt, vt Palatium imperiale antehac eſſet intra Muros Vrbis, ac nominatim Anno Chriſti Trecenteſimo nonageſimo, quando Theodoſius Senior propter immanem illam cædem, ipſius iuſſu Theſſalonicenſibus promiſcuè nullo inter noxios & innoxios diſcrimine illatam, excluſus per Ambroſium fuit ab Eccleſiæ ingreſſu. Natalitius tunc erat Chriſti dies. Eum igitur Ambroſius, vt credere fas eſt, non in alia quàm in Metropolitana tunc temporis Baſilica ſolemniſsimè celebraturus erat. Hæc autem tunc erat illa, quæ MAIOR & NOVA & INTRAMVRANA nuncupabatur, vt ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 5. obſeruabam. Eadem verò pariter, vt ego arbitror, in ea erat Vrbis parte, in qua nunc etiam hodierna Baſilica Metropolitana, retento itidem MAIORIS cognomento, ſita eſt. Quamobrem non ego quidem ijs aſſentior, qui Theodoſium tunc temporis repulſum dictitant à Baſilicæ Ambroſianæ ingreſſu. Intramuranum porrò Palatium illud, in quo Theodoſius tunc habitabat, mihi quidem non aliud fuiſſe videtur, quàm illud, quod propinquitate ſua cognomentum D

mentum indidit, hinc Eccleſiæ Sancti Georgij AD PALATIVM, inde A
autem Vlmo AD PALATIVM; illic nempè, vbi nunc etiam prææalta viget Vlmus, ætate mea emortuæ illic alteri ſuffecta, ad conſeruandam vtique loci eius & cognomenti memoriam. Georgius Merula Libro Primo Antiquitatis Vicecomitum, non procul ab initio, Palatium eiuſmodi cenſuit à Traiano ædificatum: Triſtanus verò Chalcus à Maximiano: quorum ego Hiſtoricorum verba initio Numeri 131. recitabam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. Huic item coniecturæ meæ illud etiam congruere videtur, quod ex Eccleſiaſtica Theodoreti conſtat Hiſtoria, Libro 5. Capite 18. videlicet, inter Palatium in quo Theodoſius habitabat, & Baſilicam in qua feſtiuitatem illius diei celebraturus erat Ambroſius, extitiſſe Forum. In eo tamen Chalcum ibi deceptum fuiſſe B
ſuſpicor, quod aiebat, Palatium illud, quod propinquæ Sancti Georgij Eccleſiæ cognomentum indidiſſet, eſſe illud idem, cuius mentio fiebat in prædicto Caroli Craſsi Priuilegio his verbis: *Et dono ſimiliter* (Ambroſiano Mediolani Monaſterio) PALATIVM, QVOD DICITVR MAXIMIANI, *cum tota terra ex vna parte iacente*, CVM DVABVS TVRRIBVS. Hoc enim Palatium ego credidi non in Vrbe Mediolano extitiſſe, ſed foris in Agro Mediolanenſi, nec valde procul ab Oppidis Antiziago (vulgò INZAGO) & Caſterno, quibus internumeratur; cùm alioqui paulò pòſt continuata ſerie, velut in vnum collecta, connumerentur ea, quæ Mediolano propinqua vel etiam Mediolani exiſtentia donabantur. C

V. Ad hanc verò primam San-Georgianæ AD PALATIVM Eccleſiæ mentionē obnixè mihi precandus eſt Lector, vt patienter vnà mecum ad eamdem diuertat Eccleſiam, vnaquè mecum examinet Inſcriptiunculam præcipuè illam, quæ in eius fronte characteribus exteris inſculpta conſpicitur: & cuius intelligentiam doctiſsimus & antiquitatum ſtudioſiſsimus ille Cardinalis Archiepiſcopuſquè noſter Federicus Borromæus, tametſi modis omnibus etiam per alios eruditiſsimos viros accuratiſsimè ſæpequè inueſtigatam, numquàm tamen aſſequi potuit.


VI. Eccleſiæ autem ipſius conditorem, communior eſt opinio, fuiſſe Sanctum Natalem, Archiepiſcopum noſtrum, & in ea denique ſepultum. Gualuaneus in primis Flamma in Chronico Maiori, Cap. 76. de Sancto item D
Archiepiſcopo noſtro agens Anatalone, qui Sancto Barnabæ primus ſucceſsit, & Anno Chriſti, ſicut ipſe computabat, Quinquageſimo-tertio, hæc habet: *Intra Muros Vrbis propter Paganorum rabiem ædificare non potuit: immò extra Vrbem, iuxta Fontem Sanctum, vitreas aquas emanantem, omnium febrium ſanatiuas, Miſſas & Diuina Officia celebrabat. Aliqui dixerunt, quòd fundauit in Ciuitate Eccleſiam Sancti Georgij in Parazo* (ſiue *in Palatio*) *quæ poſtea facta fuit per Beatum Natalem, Archiepiſcopum.* Sed quàm improbabiliter hoc illi dixerint (niſi fortè ſub alio eam titulo tunc fundatam exiſtimarunt) exinde item conſtare videtur, quòd Anatalonis tempore Sanctus Georgius nondùm fuerat martyrio coronatus; vti Baroni

Notis

Notis ad Martyrologium Romanum colligi poteſt, in Aprilis diem A
vigeſimam-tertiam. Progreditur inde Gualuaneus ad Caput 183. atque
magis aſſeueranter ſic inquit: *Iſte Natalis fundauit Canonicam Sancti Geor-
gij Anno Domini 750. quam priùs paruo ſchemate conſtruxerat Beatus Ana-
thaleon.* Et rursùs Capite 184. *Iſto tempore Beatus Natalis conſtrui fecit Cano-
nicam Sancti Georgij in Parazo, vbi & ſepultus fuit.* Præterea verò etiam
in Manipulo Florum, Cap. 119. *Hic Canonicam Sancti Georgij conſtruxit,
vbi dormit.* Sed & Catalogus Archiepiſcoporum noſtrorum, Addita-
mentis Fontanæ locupletatus, in eodem Natali Archiepiſcopo 45. *Iacet
in Eccleſia Sancti Georgij in Palatio, quam conſtrui fecerat.* Vbi protinùs
Fontana ſic addidit: *Ex Andrea Alciati Antiquario: Natalis Epiſcopi tumu-
lus in Aede Diui Georgij extat, ad quem tertio Idus Maias fit celebratio. Di-* B
citur ipſe ædificaſſe illud Templum. Quocirca etiam in eius Epitaphio,
quod ipſe ſtatim ſubdit, hæc item leguntur:

Condidit hanc, Superis Populiſquè fauentibus, Aulam,
Aedequè conſtructa, plurima dona dedit:
Vnde queant vigiles Domino ſeruire per annum,
Proquè ſuis culpis poſsit habere preces.

Auctor quoque Chronici *Flos florum*, fol. 110. pag. 2. *Iacet in Canonica
Beati Georgij, quam fieri fecit.* Donatus Boſsius in Chronico, ad Annum
Domini 750. *Hic Canonicam Beati Georgij conſtruxit: vbi & dormit.* Et in
Archiepiſcoporum Catalogo: *Iacet in Templo Sancti Georgij in Palatio:
quod conſtruxerat.* Denique verò, vt alios prætercam, Petrus Galeſinius C
in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula, Mediolanenſis Eccleſiæ Actis
conſita, Num. 46. *Sepultus in Baſilica Sancti Georgij, quam is ædificauerat.*
Quocirca etiam credibile mihi admodùm videtur, vetuſtam quoque
illam Eccleſiæ ipſius frontem, quæ in præſentem vſque diem perſeue-
rat, ab eodem pariter Sancto Natali erectam exornatamquè fuiſſe. Tres
ea portas habet: mediamquè ac primariam duabus inſignem Inſcriptio-
nibus, in duos ſemicirculos, vnum altero grandiorem, curuatis, nigro-
que marmori inſculptis, atque etiam recenter deauratis.

VII. Grandior ille, ſituquè ſuperior, quatuor in ſe continet Carmina, hinc
inde bina; & interiecto diuiſa Chriſti nomine, Græcis illis è litteris X
& P, ac pendulis hinc A inde ω, hunc in modum conflato,  D
Quæ quidem Carmina (excepto quòd illic in latere dextero
primum extant & tertium, in ſiniſtro autem ſecundum & quartum) ita
prorsùs ſe habent:

✠IANVA SVM VITÆ: PRECOR OMNES INTRO VENITE:
PER ME TRANSIBVNT, QVI CÆLI GAVDIA QVÆRVNT.
VIRGINE QVI NATVS, NVLLO DE PATRE CREATVS,
INTRANTES SALVET, REDEVNTES IPSE GVBERNET.

VIII. Inferior autem ille minorquè ſemicirculus eam continet Inſcrip-
tiunculam, quæ tam multis alijs ac mihi viſa eſt inexplicabilis,
quæquè talibus eſt efformata characteribus, ac tali ſitu diſpoſitis:

✠

✠YIΘHΔΛΠΩPΘΛΔCΩϤYHPHϽΘYB SYCΘA A

Sed & intra concauum ſemicirculi huius ſpatium pictæ nunc continentur hæ Sanctorum imagines: Sancti Georgij nempè Martyris in medio, Sancti Natalis Archiepiſcopi ad latus dexterum, ad ſiniſtrum verò Sanctæ Latinæ Virginis & Martyris; quippe quorum Natalis & Latinæ Corpora in hac ipſa Baſilica quieſcunt. Nonnullos verò ſenes, & adhuc ſuperſtites, allocutus ego quandoque fui, affirmantes, eiuſmodi picturam ætate tantùm ſua formatam illic eſſe; cùm alioqui priùs ibidem ſola extaret Deiparæ Virginis effigies, eademquè vetuſtate ſatis abſumpta, & parùm admodùm apparens. Quòd ſi etiam vera eſt Sardorum traditio de alijs Sanctorum imaginibus, quæ ibidem ante hodiernas extiterint; B eas profectò fatendum erit extitiſſe ibidem, non ſolùm ante hodiernas, ſed etiam ante vetuſtam illam Deiparæ Virginis effigiem, hodiernis anteriorem. Saluator enim Vitalis, natione Sardus, in ſuo Propugnaculo Triumphali pro ſuis Sardiniæ Annalibus, Libro 3. Cap. 1. §. 6. pag. 148. ſecundùm editionem Anno 1643. noſtra in Vrbe elaboratam, tamquàm ex Epiſtola ſibi ab Amico è Sardinia tranſmiſſa, disertè affirmabat, antequàm recentiores illæ Sanctorum imagines illic pingerentur, extitiſſe alias Sanctorum Dionyſij Mediolanenſis, Luciferi Calaritani, & Euſebij Vercellenſis, Epiſcoporum; ſic enim teſtatum eſſe in perantiqua charta pergamena, quæ illi ad manus accidiſſet. Sed hinc ad propoſitam illam reuertamur Inſcriptiunculam: &, quam eius edocti denique fuimus in- C terpretationem, aperiamus.

IX. Sæpè quidem ac ſæpiùs Inſcriptiunculam illam ego legere ſenſumquè inde aliquem conatus eram elicere: nonnunquàm etiam Viros alios benè doctos rogaueram, vt eamdem vnà mecum inuiſerent; neque tamen aliquid vmquàm profeceram. Superiore igitur tandem Anno 1647. octaua Februarij die hanc inij rationem, vt in rem præſentem reuerterer, & quàm fideliſſimè Inſcriptiunculam ipſam exſcriberem, Romamquè ad Virum aliquem mihi beneuolum, & Idiomatum exterorum, & præcipuè Græci (quo ex genere mihi characteres illi videbantur) peritum, tranſmitterem. Aptiſsimus poſtmodùm ad hoc viſus eſt inclytus ille Vir, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum Canonicus meritiſsimus, D Lucas Holſtenius. Ad eum itaque rem totam menſe tandem Iulio conſcripſi; nec vllatenùs ſpe concepta fraudatus ſum. Sic enim protinùs ille mihi reſcripſit, vt ei planè acquieuerim. Summa verò reſponſionis hæc fuit: vt vocabula illa verè Latina ſint; ſed Græcis, vel potiùs Græcobarbaris, expreſſa characteribus; & his quidem imperitè admodùm ac ineptè, atque duobus his præcipuè in locis. Quod enim expreſſum eſt ΔCΩ, exprimendum fuiſſe ΔЄΩ, ſiue D E V M: quod item ϤYHPHϽΘYB S, exprimendum fuiſſe ϤYHPHϽΘYBYS ſiue QVÆRENTIBVS. Sic igitur ea verbatim eſſe diſtribuenda:

✠ YIΘH ΔΛ ΠΩPΘΛ ΔCΩ ϤYHPHϽΘYB S YCΘA

Latinè

Latinè verò reddita, &, ſicut ſupra dictum eſt, emendata, ſignificationem hanc habere: ✠ VITÆ DA PORTA DEVM QVÆRENTIBVS ISTAM. A

X. Hæc ego ſummatim ex ipſius Holſtenij Epiſtola, eodem Anno 1647. quarto Nonas Auguſti data, qua mihi ad verbum ille ſic etiam de hac Inſcriptiuncula ſcribebat: *Verba autem Latina Græcis characteribus ſcripta ſunt pro Sæculi, vt puto, noni, aut decimi* (octaui quoque addam ego) *genio, hoc eſt, barbarè & inſulsè. Tum enim cum litteris omnes reliquæ artes, litterarum aſſeclæ, iacebant extinctæ. Ideoquè Auctor* (eius Inſcriptiunculæ) *verſui huic leonino ſaltem litterarum Græcarum peregrinitate admirationem conciliare ſtuduit. Satis autem ſuperquè notum eſt, quantopere Græciſmum ea tempora affectarint, cùm Latinè loqui dedidiciſſent. Siue quòd artifices nonniſi* B *Græcos, præſertim ſculptores & pictores, tum haberet Italia; vt videre eſt ex Leonis Oſtienſis Chronico Caſsinenſi, Libro 3. Cap. 29. Siue quòd mortales ab omni æuo Templorum foribus ænigmata apponere conſueuerint. Verùm Sæculi genium barbarum & inficetum hæc Inſcriptio, vt dixi, teſtatur.* Hanc ipſam verò Inſcriptionem aliquantò pòſt ibidem aſſerebat eſſe geminam gemellam ei, quam ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis ex eiuſdem Baſilicæ Odæo iam exhibueram Num. 94. & 97. *niſi quòd illa Græca Græcis litteris, ſed æquè barbaris & ineptis, ſcripta eſt* &c. *hæc autem Latinum verſum, ſed leoninum, Græcis litteris multò ineptioribus exprimit.* Et rurſus in altera Epiſtola, mihi pariter, ſed Italicè, quinto Calendas Octobris conſcripta, ſic ille: *Confeſſo bene, che la curioſità de miei amici, & anco la* C *propria, m'hà fatto acquiſtare qualche facilità in quelle ſcritture del cadente, ò più toſto decaduto Imperio. E n'hò trouato, non ſolo altre Iſcrittioni ſimili Latine in carattere Greco, mà anco delle ſcritture intiere, principalmente à Amalfi e Salerno, fatte all'hora, quando le dette Città haueuano tutto il commercio di Grecia: ò foſſe, che haueſſero quel carattere più pronto: ò per fare le ſcritture, che ogn'vno non l'intendeſſe.*

XI. Talia ergo Vir ille ſapientiſsimus, Holſtenius. Sed & in eiuſdem ſententiam interpretationemquè, ſtatimac ex eius ore auditam, conſenſit etiam illicò amiciſsimus eius, necnon etiam erga me humaniſsimus, ſemperquè colendiſsimus, Leo Allatius, Græcæ Latinæquè peritiſsimus eruditionis. Sic enim teſtatus & ipſe mihi eſt per ſuas itidem Litteras, D eodem Anno datas, ſexto-decimo Calendas Septembris.

XII. Quòd verò ad vlteriorem pertinet Inſcriptionis eiuſdem intelligentiam: benè Holſtenius idem poſteriore illa ſua Epiſtola me admonebat, ſacroſanctæ Crucis ſignum ei (ſicut & alteri ſuperiori) ante omnia præmiſſum abſque dubio fuiſſe ſecundùm antiquam, necnon etiam hodie retentam, Chriſtianorum conſuetudinem, de qua Iacobus Gretſerius Tomo Primo De Sancta Cruce, Libro 2. Cap. 19. Sed hoc tamen obſtare non videtur, quominùs eiuſdem Inſcriptionis Auctor ſignum illud præmiſerit in eum quoque finem, vt inſtar eſſet huius ſyllabæ CRVX, quæ verſiculum ſimul illum in principio perinde integraret, ac ſi fuiſſet ar-

articulatè

articulatè per omnes ſui partes ita inſculptus: CRVX, VITÆ DA PORTA DEVM QVÆRENTIBVS ISTAM. Sic enim ſibi videri reſpondit conſultus à me perſpicaciſsimus & eruditiſsimus ille Marchio, quem velut ex vngue leonem Capite 2. Num. 14. indicabam, Vercellinus Maria Vicecomes. Quòd ſi fortè nobis hoc concedatur; tum verò præterea ſuperaddam, hoc ipſo Crucis ſigno, inſtar nominis collocato, Chriſtum ipſum crucifixum ſubintelligi; ſicut etiam ſcitè Gretſerus obſeruauit eiuſdem Tomi Primi De Sancta Cruce Libro 1. Cap. 61. Quemadmodùm ergo Chriſtus ſecundùm Ioannis Euangelium Capite 10. de ſemetipſo diſertiſsimè pronunciauit: *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit; ſaluabitur*; ſic etiam tam Chriſtum quàm eius Crucem verè nominari poſſe vitæ portam. Quod ſi fortaſsè mihi de Cruce hoc negetur; quidni ſaltem de Chriſto concedatur? Secundùm hanc igitur interpretationem hic erit eius Verſiculi ſenſus: CRVX, VEL SALTEM CHRISTE CRVCIFIXE, PORTA VITÆ, DA DEVM QVÆRENTIBVS ISTAM, HOC EST, VITAM, VEL POTIVS BASILICÆ HVIVS PORTAM. A B

XIII. Quid ſi verò vetus illa Deiparæ Virginis effigies, de qua nuper diximus Numero 8. picta iam extabat, vel ſaltem concauo ei ſpatio deſtinata iam erat eo tempore, quo Inſcriptiuncula hæc inſculpta locoquè ſuo collocata fuit? Numquid eadem Virgo per eam vitæ portam indicata nobis dici poterit? Per me quidem poterit: neque quidquam video, quod repugnet; cùm alioqui Ianuam Cæli Catholica Eccleſia eamdem Virginem prædicare ſoleat. C

XIV. Verior tamen illius Inſcriptiunculæ interpretatio mihi videtur hæc vna eſſe: vt, quemadmodùm in primo ſuperioris alterius Inſcriptionis carmine ipſamet Baſilicæ huius porta ſemetipſam profitebatur vitæ ianuam, & propterea Fideles ad introueniendum inuitabat; ſic etiam vice verſa in hac inferiore Inſcriptiuncula viciſsim à Fidelibus ſermo pariter ad eamdem Baſilicæ huius portam conuerſus fuerit; eaquè pariter exorata, vt tamquàm vitæ porta Deum tribuat quærentibus hanc ipſam vitam, eiuſque vitæ gratia Baſilicam quoque hanc ingredientibus.

XV. Et hæc quidem curioſis antiquitatum inueſtigatoribus in præſenti ſufficiant digreſsione; niſi fortè, grati erga Martyrem Georgium animi perenniter conſeruandi cauſa, hoc inſuper Mediolanenſibus recolere noſtris velimus, quod Gualuaneus Flamma Chronico ſuo Maiori, & in Ambroſiana Bibliotheca cuſtodito, intexuit Capite 290. circiter Annum Chriſti 580. Caput ipſum ſic ille inſcripſerat: *Georgius Martyr liberauit hanc Ciuitatem de obſidione Romanorum*. Tum verò ſic adiecit: *Romani, confortati propter mortem Regis Peridei* (quem Mediolani regnaſſe dixerat) *vlterius progreſſi, Ciuitatem Mediolanenſem vſque ad Muros obſederunt: & quodam die Muros Ciuitatis conſcenderunt, & ferè capta fuit Ciuitas. Sed Dei gratia Beatus Georgius Martyr aduenit, de Cælo ad Terram miſſus. Qui inſidens mirabili dextrario in armis aureis, cum Vexillo albo, habente intus Cru-* D

tem rubeam , ſuper Muros Ciuitatis apparuit : qui Exercitum Romanorum de A
Muris deiecit, & hanc Ciuitatem ſaluauit. Ex tunc Ciuitas noſtra illud Ve-
xillum pro Vexillo Communitatis aſſumpſit vſque in hodiernum diem : & Ro-
mani vſque Placentiam fugerunt, ſpolia relinquentes. Placeinè verò præte-
rea per hanc occaſionem commemorari , quemadmodùm Mediolanen-
ſes hoc ipſum Vexillum Genuenſibus poſtea communicarint ? Ecce no-
bis eumdem Flammam circiter Annum Domini Nongenteſimum vige-
ſimum-primum , & Capite 213. ſed ſecundùm alterum Maioris eius
Chronici exemplar, quod eſt Filiorum & Hæredum Secretarij olim Vr-
bani, Aloyſij ab Eccleſia. Ibi ſiquidem Flamma ita tradidit: *Iſto tempo-*
re in Ciuitate Ianuenſi fons ſanguinis effluxit, & poſt pauca ſua Ciuitas per Sa-
racenos depopulatur. CIVES DE MEDIOLANO MVRVM CIVITA- B
TI (eidem nimirùm Ianuenſi) CINXERVNT, VEXILLVM COM-
MVNITATIS MEDIOLANENSIS EIS DEDERVNT , ET CIVI-
TATIS IANVENSIS PERPETVI CIVES FACTI SVNT.

CAPVT XLVIII.

Poſt obitum Theodoſij Senioris Sanctus Ambroſius , diuina edoctus
reuelatione , inuenit Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi :
relictoquè ibidem Celſi Corpore, Corpus Nazarij ſolemniter, nec
ſine miraculo, ad Baſilicam transfert Apoſtolorum. C

I. TEmpus iam eſt, vt de Sacrorum Nazarij & Celſi Corporum
Inuentione ac poſtea Translatione agamus. Quam quidem
Paulinus vtramque in Ambroſij Vita deſcripſit congruenter
ad ea, quæ ſuiſmet oculis ipſe viderat præſens, & Ambro-
ſium ipſum comitatus. Itaque nihil eſt, cur fideliorem at-
que certiorem hac in re teſtem requiramus . Poſteaquàm igitur dixiſ-
ſet, Ambroſium ab Vrbe Aquileienſi (vbi Theodoſium Imperatorem
conuenerat) rediiſſe Mediolanum , & vno die præceſsiſſe Theodoſium
ipſum, huc pariter venientem ; ita proſequitur : *Nec diu clementiſsimæ*
memoriæ Theodoſius Imperator ſuſceptis filijs (Arcadio & Honorio) *in Eccle-* D
ſia, & traditis Sacerdoti (Ambroſio) *in hac luce fuit. Poſt cuius obitum* (Am-
broſius) *ferè triennium ſuperuixit.* QVO IN TEMPORE (hoc eſt, in-
tra quod ferè triennium) SANCTI NAZARII MARTYRIS COR-
PVS, QVOD ERAT IN HORTO POSITVM EXTRA CIVI-
TATEM, LEVATVM, AD BASILICAM APOSTOLORVM,
QVÆ EST IN ROMANA , TRANSTVLIT . *Vidimus autem in ſe-*
pulchro, quo iacebat Corpus Martyris (QVI QVANDO SIT PASSVS,
VSQVE IN HODIERNVM SCIRE NON POSSVMVS) *ſanguinem*
Martyris ita recentem, quaſi eodem die fuiſſet effuſus. Caput etiam ipſius, quod
ab impijs fuerat abſciſſum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis

atque

atque barba, vt nobis videretur eodem tempore, quo leuabatur, lotum atque A
compoſitum in ſepulchro. Et quid mirùm? quandoquidem Dominus hoc in Euan-
gelio ante promiſit, quòd capillus de capite eorum non periret. Etiam odore tanto
repleti ſumus, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem. Leuato Corpore
Martyris, & in lectica compoſito (quod vtique totum ego interpretor non
minùs tunc temporis fuiſſe recens, & integrum, & incorruptum, &
ſuauè olens, quàm eſſet ſanguis & caput; itaut his etiam omnibus præ-
rogatiuis æqualiter ea teſtarentur, ſemet vnius & eiuſdem hominis ac
Martyris Deo dilectiſsimi eſſe) STATIM AD SANCTVM CELSVM
MARTYREM, QVI IN EODEM HORTO POSITVS EST, *cum*
Sancto Sacerdote ad orationem perreximus. Numquàm tamen illum antea oraſſe
in eodem loco compertum habemus. Sed hoc erat ſignum reuelati Martyris, ſi B
Sanctus Sacerdos ad locum, ad quem nunquàm antea fuerat, oratum iſſet.
Cognouimus tamen à Cuſtodibus loci ipſius, quòd à parentibus illis traditum ſit,
non diſcedere de loco illo per omnem generationem & progeniem ſuorum; EO
QVOD THESAVRI MAGNI IN EODEM LOCO POSITI ES-
SENT. *Et verè magni theſauri, quos non ærugo neque tinea exterminat, ne-*
que fures effodiunt & furantur; quia cuſtos eorum Chriſtus eſt, & locus eorum
Aula Cæleſtis, quibus viuere Chriſtus fuit & mori lucrum. TRANSLATO
ITAQVE CORPORE MARTYRIS (abſque dubio Nazarij, quod
Paulinus in lectica compoſitum, videlicet Translationis ergo, iam ſcrip-
ſerat, quinimmò expreſsè iam dixerat translatum ad Baſilicam Apoſto-
lorum, quæ eſt in Romana) AD BASILICAM APOSTOLORVM, C
VBI PRIDEM SANCTORVM APOSTOLORVM RELIQVIÆ
SVMMA OMNIVM DEVOTIONE POSITÆ FVERVNT, *cùm*
tractaret (ſiue cùm Tractatum & Concionem ad Populum haberet) *Epiſ-*
copus; quidam de populo, repletus Spiritu immundo, clamare cœpit, ſe torqueri
ab Ambroſio. At ille, conuerſus ad eum, ait: Obmuteſce Diabole; quia non te
torquet Ambroſius, ſed Fides Sanctorum, & inuidia tua; quoniam illò vides
aſcendere homines, vnde tu deiectus es; nam Ambroſius neſcit inflari. Quo
dicto, ille, qui clamabat, obmutuit, proſtratuſquè in terram eſt; nec amplius
vocem, qua obſtrepere poſſet, emiſit.

II. Per hæc igitur teſte Paulino, tunc præſente ac ſingula rerum momenta
diligenter obſeruante, nobis illa iam conſtant, quæ præſertim nunc quæ- D
rimus. Ecce enim, quemadmodùm ſacra illa Corpora nonniſi poſt Im-
peratoris Theodoſij (nempè Senioris) mortem inuenta ſint. Ecce item,
quemadmodùm ſolum Nazarij Corpus fuerit ad Apoſtolorum Baſilicam
translatum. De Celſi autem Corpore (quod tunc ſaltem diuinitùs indi-
catum Ambroſio fuit vbinam lateret) quid actum fuerit, ſiue an ipſum
quoque tunc fuerit protinùs effoſſum, vel in aliud tempus (vt ego potiùs
crederem) reſeruatum: Paulinus id quidem non expreſsit; niſi fortè
per ea id voluerit exprimere verba, QVI IN EODEM HORTO
POSITVS EST (aliqui legunt, & fortè meliùs, POSITVS ERAT)
itaut Celſus in eodem fuerit horto poſitus, non ab ijs modò, qui eum

ibi ab initio ſepelierant, ſed ab Ambroſio quoque, poſteaquàm ibi eum A
inueniſſet. Certè tamen aliunde nobis conſtat, eum, poſteaquàm è veteri tumulo extractus eſt, in eodem rurſus horto collocatum, & conſtructa ibidem Eccleſia perhonorificè conditum fuiſſe. Quod inſtituto præſenti ſufficit, illud eſt, quòd Nazario, ad Baſilicam Apoſtolorum translato, Paulinus non aſſociauit Celſum: quem quid obſtabat quin aſſociaret, ſi cum illo translatus illuc fuiſſet? In hoc autem nobis profectò Eccleſia quoque noſtra Mediolanenſis adſtipulatur. Etenim Nazarij Translationem quotannis è traditione antiquiſsima, & (vt credere par eſt) à temporibus Ambroſij deducta, celebrat decimo Maij die: atque tam in Horis eius diei Canonicis, quàm in Miſſa, mentionem ſolius Nazarij facit, nec vnquàm Celſum illuc fuiſſe translatum commemorat: quid, quod etiam eum expreſsè in tertia Lectione matutina excludit? B Hac vtique Lectione vtimur, è Paulino ſic mutuata, vt ea prætermiſſa fuerint omnia, quibus Celſi mentio continebatur: vtquè verbis illis, *Etiam odore tanto repleti ſumus, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem*, adtexta protinus hæc ſint, *Translato itaque Corpore Martyris ad Balicam Apoſtolorum* &c. atque adeò ſolius Martyris Nazarij; ſicut etiam ipſius mentio ſolius facta fuerat in eiuſmodi Lectionis, ita concinnatæ, contextu. Denique verò ipſamet etiam nobis fauet Apoſtolorum Baſilica, quæ poſtmodùm Nazarianæ nomenclaturam obtinuit. Nobiliſsimum enim eius Præpoſiti & Canonicorum Collegium quamuis in Sacrarum ſuarum Reliquiarum memoria & cultu ſit accuratiſsimum; numquàm tamen Celſi Corpus inter Baſilicæ ſuæ Reliquias numerauit, nec C ipſum peculiariter tamquàm proprium & inquilinum Sanctum excoluit; cùm alioqui, vice verſa, eum ita excolat in præſentem vſque diem Celſiana Baſilica, in eo, vt dicebamus, conſtructa horti ſitu, in quo Celſus denique iacuerat. Et hæc quidem indicia teſtimonio Paulini curſim nunc & breuiter & præmaturè ſuperaddita ſint, vt illius veracitatem ac fidem paulò magis illuſtraremus.

III. Paulino nunc in teſtimonium ſuccedat vetus ille Latinus Auctor, quem Boninus noſter Mombritius præ cæteris delegit & approbauit omnibus, à quibus Vitam Sanctorum Nazarij & Celſi conſcriptam eſſe compererat: & cuius Auctoris verba nos tandem Capite 21. Numero 1. recitabamus. D Subinde igitur ſic ille narrare perſeuerabat: *Pòſt verò, cùm Deus Omnipotens pro ſalute Credentium Sanctos ſuos ad noſtram voluiſſet venire notitiam; reuelauit eorum Corpora, quorum animas in Supernis iuſtitiæ corona donauerat, Beatiſsimo Ambroſio, Epiſcopo Mediolanenſi & Confeſſori, imperante Theodoſio* (Paulinum, cui potior adhibenda fides, iam vidimus hoc negantem) *religioſo Imperatore. Qui cum omni Populo accedentes ad locum, quem diuina gratia Sacerdoti oſtenderat, eruderata deſuper terra inuenerunt Sanctum Martyrem Nazarium, quaſi eadem hora poſitum, miro odore fragrantem*: SANCTVM VERO CELSVM, IN EO, QVO POSITVS FVERAT, LOCO OBTECTVM RELIQVIT. BEATI VERO NA-

ZARII

ZARII CORPVS, *vt erat integrum atque incorruptum cum capillis capitis & barba, in lectica compoſitum, cum multitudine inenarrabili, & canticis angelicis*, AD BASILICAM APOSTOLORVM, QVÆ EST IN ROMANA, TRANSTVLIT, ET VENERABILITER TVMVLAVIT. *Cuius odoris ſuauitas quotidianis diebus ad ſepulchrum eius frequentatur inextimabili dilectione, ſatiari nullatenùs quis ambigat. Nam tanta ſigna fecit Dominus Ieſus Chriſtus in gloria Sanctorum ſuorum, cùm Sancti Martyris membra transferrentur, ac ſi eius præſentia efficerentur quæ acta ſunt. Cæci enim poſt multos annos receperunt lumen; claudi ambulauerunt; Dæmonia quicumque à natiuitate habuerunt, mundati ſunt. Quod & facere Dominum Ieſum Chriſtum ad laudem nominis ſui, meritis Sancti Martyris, vſque in præſentem diem nemo dubitat; cùm in eodem loco, vbi pretioſi Corporis theſaurus manet reconditus; & quotidianis diebus infirmantum caterua, varijs languoribus detenta, concurrat; & ſuſcepta ſanitate ſalutis ſuæ, ſecum gaudia reportare cognoſcant.* Hactenùs Mombritius ex ea Sanctorum Nazarij & Celſi Vita, quam ſibi, tamquàm fideliùs & antiquiùs conſcriptam, delegerat. A B

IV. Lectorem nunc precor, vt alios quoque multos patienter ad modicum tempus expectet Scriptores, quos ego infra pro eadem Sanctorum Inuentione aut Translatione proferam. Hoc enim loco ſatius mihi videtur inquirere, an, quando Sanctus Ambroſius hæc inuenit Corpora Sanctorum, ſimul etiam Libellum aliquem ad eorum capita inuenerit, quo deſcriptum eſſet ipſorum certamen; ſicuti Capite 20. Num. 3. Sanctum Syrum vidimus monuiſſe, vt apponeretur; & ſicut appoſitum iam fuiſſe legebamus Capite 19. Num. 4. Talem vtique dubitationem mihi etiam Paulinus ipſe per ea iniecit de Nazario verba: QVI QVANDO SIT PASSVS, VSQVE IN HODIERNVM (& hæc ille ſcribebat nonnullis poſt Ambroſij obitum annis) SCIRE NON POSSVMVS. Si enim aliquis eius generis & argumenti Libellus eo inuentorum Corporum tempore inuentus fuiſſet; certè fuiſſet etiam Paulino ipſi, qui tunc aderat & omnia diligenter inſpectabat, notiſsimus; ex eoque ſic etiam ipſi tempus illud Nazariani certaminis ac martyrij facilè innotuiſſet. Sed ne talis quidem coniectura fidem apud me abrogat iis, quæ Capite 19. ad finem Numeri 4. recitabam. Ibi ſiquidem tale certaminis Scriptum, *ad ipſorum capita reconditum* (cuius nempè bina, ſicut interpretari licet, confecta fuiſſent exemplaria, & vnum ſingillatim fuiſſet occultatum propè cuiuſque illorum caput) diſertè affirmabatur manſiſſe occultum *vſque ad diem reuelationis eorum*. Sequitur ergo, vt ab eadem illa die factum fuerit ex occulto manifeſtum; & ijs maximè, qui tunc aderant è proximo ſpectatores, quemadmodum affuiſſe ſcimus Paulinum. Quocirca etiam ex eodem Scripto deprompta eſſe iam credidi mirabilia illa, quæ de iiſdem Sanctis eo continentur Sermone, quem infra recitabo, quemquè verè Ambroſij eſſe contendam. Sicuti tamen non omnium Sanctorum tempus, quo vixerint, quouè tandem obierint, diſcerni ſatis poteſt ex eorum Vitis, quæ alioqui conſcriptæ circumferuntur; C D

quippe-

quippequæ mancæ ſint & ijs careant rerum circumſtantijs, è quibus certum ac definitum tempus dignoſci certò poſſet: ſic etiam æquè mancum exiſtimari à nobis poteſt illud fuiſſe Scriptum, quo Philoſophus ille, Nazarij aſſectator, expoſuerat ipſius certamen. A

V. Paratis interea omnibus, quæ Ambroſius requirebat, vt Nazarij Corpus, è tumulo iam extractum, & in lectica compoſitum, ſolemniter vnà cum Clero & Populo ad Baſilicam transferretur Apoſtolorum (de qua ſatis iam diximus Capite 37.) illuc etiam pius ille cœtus iter ſuum flexit; & (vt conijci crediquè facilè poteſt) per aliquantam ſaltem itineris partem, flexit ſecùs exteriorem Foſſati ripam, quod, præaltis plenum aquis, primum erat in ea Vrbis parte munimentum aduersùs hoſtium incurſiones (excepto tamen Arcu Romano, de quo iam diſſeruimus B eodem Capite 37.) quodquè Baſilicæ Apoſtolorum & horto, in quo Nazarius adhuc iacuerat, interfoſſum erat, ſicut etiam eſt in præſenti. Quemadmodùm verò peracta fuerit eiuſmodi Translatio, teſtem habeo præterea Codicem illum Septalianum, quo in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis vtebar Numero 19. & 472. quemquè Numero 480. mihi commodatum profitebar ab eruditiſsimo nobiliſsimoquè Ciue, Carolo Andrea Septalio: qui poſtea ſanctiore conſilio Clericatui adſcriptus: nec multò pòſt ab Eminentiſsimo Cardinali Archiepiſcopoquè Cæſare Montio promotus ad Baſilicæ Metropolitanæ Canonicatum, Legali, vt vocant, Præbenda inſignem: deinde autem à Sanctiſsimo Pontifice Romano, Innocentio Decimo, ad eiuſdem Baſilicæ Archipresbyteratum C (qui poſt Archiepiſcopalem prima eſt dignitas) ac tandem ad Epiſcopatum Derthonenſem euectus eſt. In eo igitur Codice ſicuti propriæ continentur Sanctorum Lectiones, in Matutino Ambroſiano recitari olim ſolitæ; ſic etiam pro Translatione Sancti Nazarij, quam ſeparatim decimo Maij die celebrabant, hæ tres habentur, quas ego velut in vnicam contraxi. *In Baſilica* (ſic enim legitur) *Apoſtolorum, quæ in Porta Romana à Sancto Ambroſio facta, fuit translatum Corpus Sancti Nazarij Martyris, & ibidem poſitum.* ERAT ENIM AD TRES MOROS IN HORTO RECONDITVS. *In cuius ſepulchro ſanguis ita recens inuentus eſt, ac ſi eadem die fuiſſet effuſus. Caput Beati Nazarij, quod fuerat ab impijs abſciſſum, ita integrum cum capillis & barba, vt videretur eodem tempore in* D *ſepulchro compoſitum. Odor etiam tantus effragrauit, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem. Quo translato, ad vocem Archiepiſcopi Ambroſij obmuteſcit Dæmon, qui clamabat, ſe torqueri ab Ambroſio Epiſcopo.* SED RANÆ CVM CLAMARENT VLTRA TRES MOROS, DE PRÆCEPTO SANCTI PATRIS, VLTERIVS NE CLAMARENT, VSQVE HODIE IBI NON SVNT AVDITÆ. *Cùm autem peruentum eſſet ante portam Baſilicæ Apoſtolorum; numquàm Corpus Beati Nazarij introduci potuit. Tunc intelligens Beatus Ambroſius, ob reuerentiam Apoſtolorum hæc fieri; à parte poſteriori Baſilicæ introduxit; & ibi reconditus eſt reuerenter.* Hinc autem rursùm dignoſcimus, ſolum Nazarij Corpus, non autem

Celſi, translatum ex eo fuiſſe horto ad Baſilicam Apoſtolorum: ac ſolius Nazarij, & non Celſi, Tranſlationem ab Eccleſia Mediolanenſi olim etiam celebrari eo die conſueuiſſe. Deinde verò bina etiam illa hic agnoſcimus miracula, in eiuſdem Nazarij Tranſlatione diuinitùs peracta: quorum primum à Paulino item innuebatur; ſecundum verò, quod ad ranas pertinet, conticeſcere iuſſas, nobis nunc primùm innoteſcit, atque proliziorem ſibi à nobis ſermonem ac diſquiſitionem requirit. A

VI. Landulfus quoque Senior, Libro 3. Mediolanenſium Hiſtoriarum (quas in Capituli Metropolitani Bibliotheca conſeruari manuſcriptas iam diximus Capite 37. Num. 8. & Cap. 39. Num. 7.) idipſum de ranis miraculum, quod Sancti Ambroſij tempore in Tranſlatione Sancti Nazarij factum fuerit, tamquàm è Sancti Auguſtini teſtimonio, narrabat his verbis, Capite 7. *In qua Tranſlatione cùm Sanctus Ambroſius aduiueret, quid Dominus, Sancto Sacerdote Ambroſio imperante, ſuper ſtrepentes ranas egerit, Sanctum teſtem Auguſtinum affirmantem Lector intellige. Cùm plurima ranarum murmura auribus religioſæ plebis obſtreperent; Sacerdos præcepit, vt tacerent, & deferrent orationi ſacræ reuerentiam. Tunc ſubitò circumfuſus ſtrepitus quieuit. Et vſque hodie paludes ſilent, itaut vix aut vnquàm aliquam ranarum, maximè illo in tempore, crepitantem inueniſſes.* Sic etiam è regione horum verborum in ora marginali ſcriptum rubro legitur charactere: *Miraculum Beati Ambroſij, quod recitat Auguſtinus.* Re tamen vera nihil tale recitat Auguſtinus, inter Opera ſaltem ſua, quæ in præſenti circumferuntur. Quocirca Landulfum ego potiùs arbitror in hoc memoria lapſum eſſe: atque Auguſtinum produxiſſe teſtem in locum & vicem ipſiuſmet Ambroſij, cuius etiam verbis vtitur; vt mox planiùs conſtabit. B C

VII. Quoad hanc ergo partem mihi magis commendatur id, quod in altero Capituli eiuſdem Metropolitani Codice ſcriptum inueni. Codex ipſe titulum præfert huiuſmodi: *Rubrica Breuiarij Reuerendi Caſolæ cum multis alijs.* Inter hæc alia verò multa ſic habetur folio 16. pagina 2. *Hæc ſunt verba Beati Ambroſij in Libro tertio De Virginitate ad Sanctam Marcellinam Sororem: Frequens ſermo eſt: cùm plurima ranarum murmura religioſæ auribus plebis obſtreperent; Sacerdotem Dei præcepiſſe, vt conticeſcerent, ac reuerentiam ſacræ deferrent orationi; tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieuiſſe. Silent igitur paludes; homines non ſilebunt? & irrationabile animal per reuerentiam recognoſcit quod per naturam ignorat, hominum tantam eſſe immodeſtiam, vt plerique deferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati? Fuit ipſe Beatus Ambroſius: qui, cùm portaretur Corpus Sancti Nazarij intra mœnia Ciuitatis Mediolani* (nomine mœnium intellige Foſſatum) *ad Eccleſiam ſuam, vbi nunc eſt: & in Foſſa Ciuitatis, aquarum plena, ita coaxarent ranæ, vt ex murmure impediretur cantus Eccleſiæ, & orationes Populi; ipſo iubente, ſtatim conticuerunt, nec vſque in præſens murmurant ibi ranæ. Et huius miraculi adhuc fama hodie durat.* Hæc ad verbum in eo Codice D

Caſola,

Caſola, nimirùm nomine Petrus. Erat autem Baſilicæ Metropolitanæ A
Canonicus Ordinarius: idemquè Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo typis impreſſum edidit Breuiarium Ambroſianum, ſicut ego iam ſupra commemini Capite 39. Numero 7. & rursùs Anno poſtea nonageſimo-nono edidit Rationale Cæremoniarum Miſſæ Ambroſianæ.

VIII. Verumenimuerò ne tale quidem Petri Caſolæ pronunciatum ſatis à me comprobari poteſt. Licet enim verba illa, quibus eiuſmodi miraculum eſt deſcriptum, vocari vtcumque poſsint Ambroſij verba, quia verè ab ipſo in eo Libro recitantur; verè tamen ibi non recitantur ex Ambroſij ſed ex Liberij Papæ perſona; & ex eo iam tempore, quo Liberius Virgini Marcellinæ velamen ſacrum ſolemniter tradidit; quod quidem illi B
tradidit multò ante, quàm in Epiſcopum Mediolanenſem Ambroſius eligeretur. Hunc enim nos electum ſupponimus Anno Domini Trecenteſimo ſeptuageſimo-quarto; Liberius autem mortuus iam fuerat Anno Trecenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, vt communiter traditur. Quocirca credi nullo modo poteſt, Ambroſium ijs verbis indicare voluiſſe miraculum, à ſemetipſo patratum, cùm Sancti Nazarij Corpus ad Baſilicam transferret Apoſtolorum. Sed Ambroſium ipſum audire præſtat. Sic enim tertium illum De Virginibus Librum ad Marcellinam Sororem fuit exorſus: *Quoniam, quæ habuimus, ſuperioribus duobus Libris digeſsimus; tempus eſt, Soror Sancta*, EA, QVÆ MECVM CONFERRE SOLES, BEATÆ MEMORIÆ LIBERII PRÆCEPTA REVOLVERE; VT, QVO VIR SANCTIOR, EO SERMO ACCEDAT C
GRAVIOR. *Namque is, cùm in Saluatoris Natali, ad Apoſtolum Petrum, virginitatis profeſsionem veſtis quoque mutatione ſignares (quo enim meliùs dic, quàm quo Virgo poſteritatem acquiſiuit?) atque adſtantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent inuicem de tua ſocietate, Bonas (inquit) filia nuptias deſideraſti. Vides, quantus ad Natalem Sponſi tui populus conuenerit: & nemo impaſtus recedet?* &c. Subinde igitur Ambroſius recenſere pergit Sermonem, à Liberio Papa ea occaſione ac die habitum in Romana Principis Apoſtolorum Baſilica. Cumquè tandem argumentum illud, ex admirabili eo ranarum exemplo petitum, produxiſſet, quo Liberius Virginibus ſilentium, & in Eccleſijs præſertim, dum diuina peragerentur miniſteria, commendabat; tum rursùs ad Marcellinam conuerſus ita concludit: *Hæc tecum ſanctæ memoriæ Liberius. Quæ apud alios maiora verbis, apud te minora exemplis; ita omnem diſciplinam non ſolùm virtute adæquaſti, ſed etiam æmulatione viciſti* &c. Liberius igitur ipſe Pontifex, non autem Ambroſius, tale illud ranarum exemplum, & frequenti tunc hominum ſermone celebratum, Marcellinæ ſacriſquè Virginibus ad imitandum propoſuerat; quippe quod, non fabula eſſet, ſed hiſtoria verax, & benè nota. D

IX. Quocirca etiam hoc titulo refellendus nobis iam eſt Anacletus Siccus Libro 3. *De Eccleſiaſtica Hymnodia*, Capite 8. vbi ſic inquit: *Vt deinde*

validiùs

validiùs incitet Sanctus Ambroſius animum illarum Virginum (ad ſilentium) A
VSVRPAT QVANDAM LEPIDAM SIVE FABVLAM SIVE HISTORIAM (en vt hoc in incerto relinquit) *quam aſſerit vulgatam, de ranis quibuſdam, propè Templum intra paludem viuentibus: quæ, à Sacerdote iuſſæ ſilere, conticuerunt, ne orantium preces perturbarent. Inde concludit: Silent igitur paludes; non ſilebunt homines?* Hæc ille. Nos ergo illam, non fabulam, ſed hiſtoriam præcisè nominabimus. Cumquè illa miraculum contineat, multos patratum annos ante, quàm Sanctus Ambroſius pompa ſolemni ſacrum Nazarij Corpus transferret ad Baſilicam Apoſtolorum; ſic etiam ſimile illi miraculum dicemus ab Ambroſio poſtea patratum eo tempore, quo idipſum transferebat. An enim quidquam repugnat; quominus Deus per Ambroſium renouauerit eiuſmodi miraculum, quod antea per innominatum illum Sacerdotem, à Liberio Papa inſinuatum, patraſſet? B

X. Nazarij Corpore in Apoſtolorum Baſilicam tranſlato, dubium eſſe non debet, quin Ambroſius illud ibi ſub Altari condiderit, quemadmodùm & alias alibi Martyrum reliquias, olim à ſe inuentas, condiderat. Quid, quòd etiam in eiuſdem Baſilicæ ac Martyris honorem contexuit Epigramma? Idipſum iam ſupra recitauimus Capite 37. Num. 8. & ex eo planè conſtat, Nazarij Corpus in capite Baſilicæ collocatum fuiſſe. Sed paulò etiam clariùs hoc idem fuit nobis indicatum per Carolum à Baſilica Petri, Epiſcopum denique Nouarienſem. Hic enim, cùm Canonicus eſſet Ordinarius Baſilicæ huius Metropolitanæ, vnà cum Sancto C Cardinali & Archiepiſcopo Carolo Borromæo aſſuerat, omniaquè diligenter inſpexerat Anno Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo; cùm ſacræ illius Templi Reliquiæ recognoſcerentur, ac nominatim Nazarij Corpus. Itaque in eiuſdem Sancti Caroli Vita, Libro 5. Capite 6. Reliquias in primis enumerabat repertas ſub Altari præcipuo, quod in media tunc erat Eccleſia: & vnà cum ijs etiam computabat Apoſtolorum Reliquias, è quibus nomenclaturam hæc Baſilica primam obtinuit. Deinde verò ſic etiam proſequebatur: *Sub alio item præcipuo Altari*, AD CAPVT ECCLESIÆ CONSTITVTO, *quod itidem tollendum & commodiore loco conſtituendum fuit, celeberrimi Martyris Nazarij, vnde præſens nomen Eccleſia accepit, Reliquias inuenimus: quæ altè ſub terram inter tenues* D *quaſdam & politas marmoreas tabulas conditæ erant. Vidi ſuccidum quoddam adhærere inferiori tabulæ: quod equidem veſtigium eſſe recentis ſanguinis putaui, quem à Sancto Ambroſio cum* Reliquijs *huius Martyris mirabiliter repertum Paulinus narrat. Neque enim conijcere potuimus, Corpus ex eo tempore motum eſſe, quo illud Ambroſius condidit. Apud loculum Sancti Nazarij arca inuenta eſt, duorum corporum oſſa continens: quæ quorum fuerint, ignoramus. Ex vtroque autem loco magna odoris ſuauitas, cùm ſepulchra aperirentur, afflata eſt.* Et rursùs in Hiſtoria Mediolanenſi, quam vltra Sancti Dionyſij Archiepiſcopatum non protraxit, hæc item habet in Caio, Archiepiſcopo Tertio: *Nazarij verò Corpus ſub Altari item maiori Eccleſiæ ſuæ, aliàs*

Baſilicæ Apoſtolorum, altè defoſſum erat, quantùm communis eſt hominis longitudo, tabulis marmoreis incluſum, preſſumquè & munitum calce & lateribus vſque ad Eccleſiæ ſolum, extante ſuper ſolum ipſum, poſt Altare, lateritio tumulo. Quo loco ab Ambroſio poſitum, neque vnquàm poſtea motum, mihi quidem fit veriſimile. Cùm autem hoc tempore ipſa Baſilica, ſatis iam vetuſtate deformata, nonnihilquè incommoda ad Eccleſiaſticum vſum, à Canonicis reconcinnanda & ornanda eſſet: ideoquè etiam Altaris locum mutari oporteret, quod propè extremam abſidem erat; Carolus Archiepiſcopus ſepulchrum aperuit, prægrandi lapide tectum, vt plures etiam Presbyteri difficilè illum dimouerent. Eiuſmodi facto & nos interfuimus, vidimuſquè ſacras Reliquias: & quiddam ſuccidum, marmori inhæreſcens, quod ſanguinem credidimus à Paulino commemoratum. Eduxit Reliquias Sanctus Pontifex, Presbyteris adiuuantibus: eaſquè cum alijs, eadem de cauſa motis, tutò in loculis ſignatis aſſeruari mandauit, donec poſt aliquot menſes ſolemniter eas omnes tranſtulit. Qua de re nos item aliquid infra ſuo loco ac tempore dicemus. Per hæc quidem in præſenti ſatis indicatus ſit certus ille Baſilicæ Apoſtolorum locus, in quo Sancti Nazarij Corpus à Sancto primùm Ambroſio collocatum fuit.

XI. De Sancti verò Celſi Corpore, ſicut illud ſuperiore Numero 3. nobis affirmabatur in eadem horti parte relictum & obiectum, in qua fuerat repertum; ſic etiam nunc nihil ambigimus, quin Altare protinùs illi quoque ſuperſtructum fuerit, necnon etiam Eccleſia quantocyùs ibidem in ipſius Sancti honorem conſtructa. *De puero Celſo* (accipe interim, quæ Carolus item à Baſilica Petri, mox productus, in Caio pariter Archiepiſcopo ſcripſerat priùs, quàm Nazarij ſitum in Apoſtolorum Baſilica deſcriberet) *nihil apud Paulinum; quòd fortaſsè etiam ab initio diuerſam ſortitus ſit ſepulturam; vt Ambroſius illius Corpus ſimul eruere non potuerit. Illius Reliquiæ, ſub Altari maiori in Eccleſia eius nomine dicata conditæ, apud nos coluntur: de quarum Tranſlatione annis ab hinc circiter quinquaginta-quinque* (huius ego quoque mentionem in tempore faciam) *memoria eſt*. Celſum igitur ibi denique ſepultum, ibidemquè ab Ambroſio poſtea relictum ego interpretor, vbi Eccleſia nomini eius conſtructa fuit, manetquè adhuc, & in cuius Altari primario Corpus ipſius aſſeruatur. Eumdem verò poſt martyrium in ſepultura denique collocatum fuiſſe à ſepultura Nazarij diuerſa: hoc eſt, intra eumdem quidem hortum, ſed tamen in diuerſa parte, ſepultum eſſe ſatis procul à Nazario: id quidem Paulini verbis apertè mihi videtur declaratum, nec in ambiguo relictum; cùm narraret, Ambroſium, Nazarij Corpore iam effoſſo & in lectica compoſito, ad orandum perrexiſſe alium ad locum, in quo numquàm illum antea oraſſe compererant. Sicut enim poſtea ibi orauit; ſic etiam ibidem Celſum procul dubio è Paulini ſententia inuenit. Conſtans verò etiam viciſsim traditio eſt, Ambroſium quidem ad perpetuam eius horti memoriam, in quo Nazarium & Celſum inuenerat, in eo erigi iuſsiſſe pilam paruam (ſiue altiuſculum parietem) ipſiquè imaginem Deiparæ Virginis appingi eam, quæ tandem varijs illuſtrata miraculis

culis & erga cultores ſuos beneficijs occaſionem dedit conſtruendæ A
illius Eccleſiæ ornatiſsimæ, quæ nunc DEIPARÆ AD SANCTVM
CELSVM (iuxta & propè cuius Eccleſiam eſt) appellatur, & in qua
imago pilaquè ipſa, primori loco immota, ſub eiuſdem Altari Deiparæ
conſiſtit, perquè feneſtellam in anteriore Altaris parte patentem conſpi-
citur. Atqui præter eam pilam ſeparatim etiam intra eiuſdem horti ſpa-
tium conſtructa fuit Eccleſia, quæ SANCTI NAZARII IN CAM-
PO vocata fuit, cuius ego quoque iam feci mentionem Capite 36.
Num. 5. Quocirca ſatis etiam hinc liquet, Nazarianam eiuſmodi Eccle-
ſiam illic exſtructam fuiſſe in memoriam & indicium loci, quo Naza-
rij Corpus tumulatum quieuiſſet ad illud vſque tempus, quo tandem in-
uentum fuit. E Campo autem potiùs, quàm ex Horto, Eccleſiæ illi B
Nazarianæ nomen, vt opinor, indiderunt, vt eam expreſsiùs diſtin-
guerent ab altera Nazariana IN BROLIO, quæ tale ſibi nomen è
tranſlato ad ſemetipſam Nazarij Corpore obtinuit. Brolium enim &
Hortus apud noſtros Mediolanenſes ſynonima erant; vt ex ijs conſtat,
quæ de Brolio iam diximus Capite 37. Num. 7.

XII. Cæterùm Locus & Hortus ille, in quo Nazarius & Celſus capite trun-
cati ac ſepulti fuerunt, appellabatur TRES MOROS, ſiue AD TRES
MOROS; vti iam vidimus Capite 18. Num. 7. & præſenti Capite 48.
Num. 5. vtquè poſtea etiam pluries videbimus, & in Portæ quidem
Romanæ ſuburbano. Quocirca hoc obiter loco mirari etiam ſubit, quo-
modò Carolus à Baſilica Petri (Ioannes Franciſcus tunc appellatus) in C
eo Libro, quem de ſeptem Stationalibus dequè nonnullis alijs noſtræ
Vrbis Eccleſijs Anno Domini 1576. euulgauit, eumdem hunc Hortum
confuderit cum Philippi Horto, citra dubium extra veterem Portam
Vercellinam ſito, vbi nunc Baſilica extat Franciſcana, quæ priùs San-
ctorum Naboris & Felicis nuncupabatur, & in qua Sanctorum Prota-
ſij & Geruaſij Corpora diuinitùs à Sancto Ambroſio inuenta fuerunt.
In eo enim Libro, de Baſilica ipſa ſeparatim ſcribens Franciſcana, pro-
ximequè de Philippi locutus Horto, ſic ſubdit: *Di queſto Horto ſtimo io
che intenda Paulino, quando, hauendo raccontata la Traslatione di San'Nazaro,
& fatto mentione di San'Celſo, i quali erano in vn'Horto riposti fuori della
Città (che fuori della Città era all'hora quella parte) dice così: Intendemmo da* D
*custodi di quel luogo, che haueuano da' maggiori ſuoi di non partire di là mai
per alcuna generatione e diſcendenza de' ſuoi; concioſiache v'erano poſti gran' te-
ſori* &c. Sed hinc ad præſentis rationem inſtituti reuertamur. Quod
ergo eodem illo Capite 18. Num. 17. inueſtigare detrectauimus, illud
nunc tandem, velut opportuniori tempore, inquiremus, ac talis præ-
ſertim nomenclaturæ rationem. Primò autem nos illis non aſſentimur
Scriptoribus (ſi tamen hoc illis potiùs, quàm Typographis, imputari
debet) qui cognomentum ei loco affirmarunt inditum è tribus, non
Moris, ſed Muris: quo ex genere ſunt Iacobus de Voragine, ac Petrus
de Natalibus. Ille ſiquidem in ſua Legenda Sanctorum, quæ commu-

Digitized by Google

niter Lombardica nominatur Hiſtoria, ſiue in ipſorum Nazarij & Celſi Vita, ſic narrabat Capite 97. QVI (Nazarius) EDVCTVS EXTRA PORTAM ROMANAM, IN LOCO, QVI DICITVR TRES MVRI, *cum puero Celſo decollatus eſt*. Similiter etiam Petrus de Natalibus, in Catalogo Sanctorum, Libro 6. Cap. 150. EXTRA PORTAM ROMANAM, IN LOCO, QVI DICITVR TRES MVRI, *ducitur, & ibidem cum Celſo puero decolatur quinto Kalendas Auguſti, circa Annum Domini Quinquageſimum ſeptimum*. Sic etiam ne nobis quidem probatur Andreæ Alciati coniectura, qua Moros in Mauros permutauit. Etenim Libro 3. Hiſtoriæ Mediolanenſis, non procul ab initio, ſic ſcribebat: *Caterùm eadem tempeſtate* (qua nimirùm Marcus & Lucius fratres Romanum Imperium regebant; quæ tamen opinio tacitè iam eſt à nobis exploſa) *Nazarius quoque & Celſus vltimo ſupplicio affecti ſunt, eadem delati noxa, quod Deorum ſacra contemnerent. Teſtis indigniſsimæ eorum necis eſt extra Vrbis Portam, cuius* LVDOVICÆ *nomen in præſentia dicitur* (quæ quando constructa fuerit, hoc eſt Anno Domini 1496. nos item ſuo poſtea tempore dicemus) *locus, qui à veteribus* TRIVM MORORVM *appellationem tenuit, nunc Celſi Delubro ſacer omni populo venerabilis eſt. Antiqui nominis cauſam* TRES MORI ARBORES *quidam opinantur; quod patrum noſtrorum memoria etiam ibi frondeſcerent*. IPSE TRES MAVRORVM IMAGINES LAPIDEAS POTIVS EXISTIMAVERIM. *Nam adhuc in Porta ipſius fornicibus, vicino loco translatæ, illic viſuntur. Arbores enim hoc ætatis viuere, naturæ leges non ſinunt. Quòd ſi miraculum id pro diuino teſtimonio eſt; cur perpetuùm, vt per ora hominum æternùm vigeret, non permanſit? Dij quidem, etſi omnia poſsint, malunt tamen maiore in negotio poteſtati ſuæ indulgere. Et hæc de Nazario dicta ſint ſatis:* concludit ibi Alciatus. Nos igitur talem ipſius coniecturam non admittimus. Primò enim fallitur in eo, quod aſſerebat, tres Maurorum imagines lapideas in Portæ Ludouicæ fornicibus ſuo etiam tempore conſpicuas extitiſſe. Si enim tunc extitiſſent; certè nunc etiam extarent; ſicut etiam fornices ipſi nunc extant integri & illæſi, & ſectis è lapidibus compacti. Hoc ipſo mane, priuſquàm hæc Alciato reſponderem, illuc ego rurſùm perrexi, & vniuerſam Portam, nedùm eius fornices, diligentiſsimè circumſpexi; neque tamen vſpiàm tres illæ mihi Maurorum imagines illic apparuerunt. Alciatum ego ſuſpicor memoria lapſum, & ei Portæ pro errorem adſcripſiſſe facies illas humanas, quæ, ſi non in fornicibus Portæ Ticinenſis, certè tamen in eius dextero exeuntibus latere conſpiciuntur in lapidea tabula excalptæ. Sed hæ quidem præterea ſunt numero quatuor; nec vllo indicio diſcernuntur, Maurorumne potiùs imagines ſint, quàm hominum alterius nationis. Secundò vel ipſa vocabuli proprietas, quam ſine certa ratione deſerere non licet, Alciato quidem hac in parte aduerſatur. Auctores enim, quos & nominabam & innuebam, teſtantes, locum & Hortum iſtum alias appellatum fuiſſe TRES MOROS, vel AD TRES MOROS,

Latinè

Latinè profectò loquebantur. Morus autem Latinè ſimul & propriè, A
non hominem natione Maurum, vel ſaltem colore nigrum (quales Italicè nominare ſolemus MORI) ſed arborem ſignificat illam notiſsimam, de qua Plinius quoque Libro 16. Naturalis Hiſtoriæ, Cap. 25. ſic tradebat: *Serotino quadam germinatu florent, maturantquè celeriter,* SICVT MORVS: *quæ nouiſsimè vrbanarum germinat, nec niſi exacto frigore; ob id dicta* SAPIENTISIMA ARBORVM. *Sed cùm cœpit, in tantum vniuerſa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat, etiam cum ſtrepitu.* Tertiò Morus eſt arbor etiam hortenſis, ſeu in hortis etiam plantari plerumque ſolita. Quamobrem credibilius etiam videtur, eius Horti appellationem fuiſſe deſumptam potiùs è tribus mori arboribus, quæ illic extarent inſignes, quàm è tribus illic lapideis Maurorum imaginibus. Sic B
igitur ego rem hanc coniectando interpretor, vt eiuſmodi appellationem illi Horto ex ore famæ indiderint tres mori arbores, illic exiſtentes, & ſingulari proceritate ac magnitudine memorabiles. Quid autem vetat, quominùs eædem in multos deinde annos ibidem perſeuerare potuerint? Quid item, quominùs, emortuis prioribus, aliæ rursùs in earum locum ac vicem ſubſtitui plantariquè ibidem ab ipſius Horti cultoribus potuerint vſqueadeò, vt etiam patrum Andreæ Alciati memoria ibidem frondeſcerent? Quocirca nullo etiam miraculo nobis eſt opus, vt opinionem hanc noſtram tueamur. Quid, quod etiam ſatis ſuperquè nobis hoc eſſet, ſi tales illæ & perinſignes mori continuata ſaltem ſubſtitutione perenniter eo in Horto extitiſſent ad illud vſque C
tantummodò tempus, quo Nazarius & Celſus obtruncati ac tandem inuenti fuerunt?

XIII. Quoto autem die ac menſe Ambroſius eiuſmodi Sanctorum Corpora inuenerit aut tranſtulerit, & præcipuè Nazarij Corpus: hæc profectò nobis aliquam dubitationem incutiunt. Talem quippe celebritatem Mediolanenſis Eccleſia vſque in præſens quotannis recolit ſexto Idus Maij, ſiue decima menſis eiuſdem die, vti iam diximus; Romana verò Eccleſia illam recolere olim conſueuit ſecundo ſiue pridie Idus Iunij, eiuſdemquè menſis die duodecima. Inde Baronius in ſuis ad Martyrologium Romanum Notationibus, die 28. Iulij, poſt factam Nazarij & Celſi mentionem, ſic addidit: *De his hac die Vſuardùs, & alij. Non-* D
nulli autem ad pridie Idus Iunij: qua die inuentarum Reliquiarum per Sanctum Ambroſium ſolemnis dies celebrabatur. Certè autem in veteri eo Martyrologio Romano, quod, ab eodem Baronio deſideratum, Heribertus tandem Roſuueydus Antuerpiæ Anno Domini 1613. typis edidit vnà cum Adonis Viennenſis Martyrologio, ſic habetur ſecundo Idus Iunij: *Mediolani, Nazarij & Celſi: quorum Inuentio ſecundo Idus Iunij, Martyrium quinto Kalendas Auguſti.* Et rursùs (quod hic à me per occaſionem adiectum ſit) decimo-tertio Kalendas Iulij: *Mediolani, Geruaſij & Protaſij: & Commemoratio Nazarij & Celſi.* Quocirca tunc temporis Eccleſia Romana ter in Anno mentionem Sanctorum Nazarij & Celſi faciebat.

Quinetiam

Quinetiam ipſemet Vſuardus, poſteaquàm ſexto Idus Maii ſcripſiſſet: A
Mediolani, Translatio Corporis Beati Nazarij ad Baſilicam Apoſtolorum; nihi-
lominùs poſtea pridie Idus Iunij ſic item ſcripſit: *Mediolani, Natalis
Beati Nazarij Martyris; ſed feſtiuitas Martyrij agitur quinto Kalendas Au-
guſti.* Ad hæc Ado Treuirenſis (aliter Viennenſis) in Martyrologio,
pridie Idus Iunij hæc habet: *Mediolani, Natale Sanctorum Martyrum Na-
zarij & Celſi pueri. Beati Nazarij pater Aphricanus., mater verò Perpetua,
à Beato Petro Apoſtolo baptizata. Ipſe verò Sanctus Nazarius à Sancto Lino
inſtructus & baptizatus eſt. Quem Anolinus* SVB RABIE PERSECV-
TIONIS, QVÆ PER NERONEM EXCITATA EST, *diu macera-
tum & afflictum in carcere, & cum eo Beatiſſimum Celſum puerum, quem
idem ipſe nutrierat, gladio feriri iuſsit. Quorum Corpora Chriſtiani furati, quin-* B
*to Kalendas Auguſti ſepelierunt foràs Portam, quæ dicitur Romana, in proprijs
hortis. Reuelabant autem ſe Beatiſsimi Martyres cuidam, Careario nomine, cui
vxor Fortunata: & per viſum monuerant ſe occultari* PROPTER RA-
BIEM PERSECVTIONIS, QVAM NERO IMPIVS EXCITAVE-
RAT. *Latuerunt verò vſque ad tempora Honorij & Arcadij Imperatorum*
(ambo hi, vt ſupra etiam dicebamus, fuerunt filij Theodoſij Senioris:
eoquè mortuo, imperare ſoli cœperunt, Arcadius in Oriente, Hono-
rius in Occidente) *quos Beatus Ambroſius, Domino reuelante, reperit. Pate-
facto autem ſepulchro, in quo iacebat Corpus Sancti Nazarij (qui quando paſ-
ſus fuerit, vt ſcribit Sanctus Paulinus, vſque tunc temporis ignorabatur) vi-
derunt ſanguinem Martyris ita recentem, qui præſentes erant, quaſi eodem die* C
*fuiſſet effuſus. Caput etiam ipſius, quod ab impijs fuerat abſciſſum, ita inte-
grum atque incorruptum, cum capillis capitis & barba, vt videretur eo tem-
pore, quo leuabatur, lotum, atque in ſepulchro compoſitum. Etiam odore tanto
repleti ſunt, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem. Quo leuato, & in
lectica compoſito, ſtatim ad Sanctum Celſum Martyrem,* QVI IN EODEM
HORTO POSITVS ERAT, AD ORATIONEM SANCTVS EPIS-
COPVS PERREXIT: *& tranſtulit ad Baſilicam Apoſtolorum, quæ eſt in
Romana.* Certè autem ſolius Nazarij Corpus eò tunc tranſtulit; quippe
quod ſolum adhuc erat leuatum (ſeu è tumulo extractum) & in lecti-
ca compoſitum; nec Ambroſius adhuc erga Sancti Celſi Corpus quic-
quam egerat, quàm quòd oratum perrexerat ad eum locum, in quo D
illud ſepultum latere diuino ſpiritu afflatus didicerat. Sequitur Ado
Treuirenſis: INVENTI AVTEM SVNT PRIDIE IDVS IVNII:
*Feſtiuitas verò agitur de Martyrio, quinto Kalendas Auguſti. Commemoratio
tamen eorum publica & celebris in die Sanctorum Geruaſij & Protaſij à Fide-
libus Populis frequentatur, & venerabiliter excolitur.* Hactenùs Adonis
Martyrologium. Sed ne tacenda quidem mihi ſunt quæ Franciſcus item
Maurolycus in ſuo recenſuit pridie pariter Idus Iunij. Ait enim: *Me-
diolani, Natale Beati Nazarij Martyris: quem Anolinus* SVB RABIE PER-
SECVTIONIS, QVÆ PER NERONEM EXCITATA EST, *diu
maceratum & afflictum in carcere, & cum eo Sanctiſſimum puerum Celſum.*

quem

quem idem ipſe nutrierat, gladio feriri iuſsit. Fuit autem Beati Nazarij pater Aphricanus, mater Perpetua, à Petro Apoſtolo baptizata. Ipſe autem Nazarius à Sancto Lino inſtructus & baptizatus. Horum Corpora, vt ſcribit Sanctus Paulinus, temporibus Arcadij & Honorij Beatus Ambroſius, Deo reuelante, reperit. Martyrij verò recolitur memoria quinto Kalendas Auguſti. Denique verò cùm in eandem ſententiam, tum in alterius rei ſcitu digniſsimæ argumentum, proferre placet Martyrologium, quo Fratres Humiliati, à Pio tandem Papa Quinto, ſaluis tamen Monialibus, extincti, vtebantur. Conſcriptum eſt, & ſatis antiquo charactere, in pergamena charta: è Vigilia item Dominicæ Natiuitatis (è qua videlicet Natiuitate initium cuiuſque Anni ſupputabant) inchoatum eſt: ſic etiam vno eodemquè continetur Codice, quo Regula, quam ſibi è Sancto Benedicto adaptarant. Eiuſmodi verò Codicem humaniſsimè mihi ſuppeditarunt eiuſdem Ordinis Moniales, in Monaſterio Sanctæ Catherinæ, cognomento AD BRAYDAM, degentes. Sic igitur ſecundo Idus Iunij legitur in eo Martyrologio: *Mediolano, feſtiuitas Sanctorum Nazarij & Celſi Martyrum, quando ijdem Beati Martyres à Beato Ambroſio inuenti ſunt & tranſlati, tanta gratia decorati, vt ſanguis eorum* (en vt etiam de Celſo expreſsè illud affirmatur, quod Paulinus tacitè nobis interpretandum reſeruarat) *recentiſsimè effuſus videretur, & capita quaſi eo die abſciſſa fuiſſent: tantumquè omnes ſenſerunt odorem, vt omnium aromatum vincerent ſuauitatem. Feſtiuitas verò Martyrij eorum agitur quinto Kalendas Auguſti.* A B

Hæc autem cùm hiſce modis teſtata ſint; dubium profectò ſupereſſe non debet, quin Eccleſia Romana Inuentionem ac Tranſlationem huiuſmodi Sanctorum celebritate anniuerſaria excoluerit duodecimo Iunij die. Sed an propterea eam cenſuerit à Sancto Ambroſio peractam eo ipſo die, ſicuti Ado Treuirenſis inde mihi videtur argumentatus; ego quidem non ita cum ipſo argumentor. Quamobrem ipſi potiùs errorem hac in re adſcribo, quàm Eccleſiæ Romanæ: quæ, cùm exprimere vellet verum illius Inuentionis ac Tranſlationis diem, hunc ipſum diſertiſsimè aſſeruit eſſe decimum Maij diem, ſicut in hodierno Martyrologio videre licet. Ego igitur ſic exiſtimo, vt Eccleſia Romana Inuentionem ac Tranſlationem hanc olim celebrarit duodecimo Iunij die; non quia eo ipſo die illam verè peractam crediderit (in hoc enim conuicta erroris iam tandem ſua ipſius confeſsione teneretur) ſed aliam ob cauſam, quæ ſibi ſatis congrua & commoda videretur; ſicut etiam Eccleſiæ noſtræ Ambroſianæ qnandoque placuit ac placet, vt alicuius Sancti celebritas è proprio ſui die transferatur in alienum. Verus itaque dies (vt me tandem hinc expediam) quo Sanctus Ambroſius eiuſmodi ſacra Corpora vel inuenit vel tranſtulit, non alius eſt, quàm decimus Maij dies, eidem celebritati ab Eccleſia Mediolanenſi ex antiquiſsima iugiquè traditione deſtinatus. Quamobrem hoc ipſo die inuentum ſaltem iam credidi Corpus etiam Sancti Celſi; quia nempè diuinitùs eodem die Ambroſio indicatum, quo præcisè in loco deliteſceret; necnon C D

etiam quia ſuſis ibidem ab Ambroſio precibus commonſtratum . Non A
enim eodem die illud ex humo extraxiſſe , atque honeſtiore ibidem in tumulo collocaſſe mihi videtur Ambroſius , ſed poſtero die . Quippe tanti rursùs theſauri effoſsio res erat maximi momenti, & flagrantiſsimis optata votis, nec in dies protrahenda.

XIV. Inueſtigatis menſe ac die , quibus horum Corpora Martyrum Ambroſius inuenerit; ſupereſt, vt breuiter Annum quoque inquiramus. Vt autem iam ſupra vidimus, ea verè inuenit poſt Theodoſij obitum Senioris: quem pariter obijſſe iam diximus Anno Domini Trecenteſimo nonageſimo-quinto, decima-ſexta Ianuarij die. Ambroſius item altera ex parte obijt Anno Trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo, quarta die Aprilis. Cùm igitur Ambroſius ea Corpora inuenerit decima die Maij; B
ea certè non inuenit hoc ipſo ſui obitus Anno, ſed alterutro è duobus anterioribus. Inſuper verò quem Ambroſius in horum Natali Martyrum (ſeu vigeſima-octaua Iulij die) Sermonem ad Populum habuit, quemquè nos infra proferemus, eumdem habuit quo tempore Mediolanenſis Eccleſia, licet Nazarium Corpore totum ſibi retinuiſſet, Mundo tamen totum in benedictione iam tranſmiſerat; ſicut ad verbum in eodem legitur Sermone. Ipſum autem illa iam tranſmiſiſſe non videtur tam breui tempore, quantum è decimo Maij die, quo illa Corpora fuerant inuenta, effluxit vſque ad vigeſimum-octauum diem Iulij proximè ſubſequentis. Conſequens ergo potiùs eſt, vt ipſum tranſmiſerit ante vigeſimum-octauum diem menſis Iulij, Anno incluſi poſteriore; ſiue C
Trecenteſimo nonageſimo-ſexto; vtquè propterea eodem hoc die Annoquè Sermonem illum Ambroſius habuerit; necnon etiam vt ſacra hæc Corpora iam inueniſſet Maio menſe nonageſimi-quinti ſupra Trecenteſimum Anni.

CAPVT IL.

Sacrarum Nazarij & Celſi Reliquiarum participes Ambroſius facit varias Orbis Chriſtiani Eccleſias. An Sanctus Antiſtes noſter Simplicianus re vera ſcripſerit Vitam Sancti Zenobij, Florentinorum Epiſcopi. D

I. TAlibus Sanctorũ Martyrum ditatus Reliquijs Ambroſius, non eas tamen ſuis tantùm Eccleſijs retinuit, ſed alijs etiam nonnullis longè poſitis communicauit. Qua de re Carolum in primis à Baſilica Petri audiamus, in Caio Archiepiſcopo Tertio. Ex Ambroſij Vita, per Paulinum conſcripta, deſcripſerat huiuſmodi Sanctorum Inuentionem: ipſamquè tamquàm è Paulini verbis expreſsè dixerat peractam *poſt mortem Theodoſij Imperatoris, & extremis ipſius Ambroſij vitæ annis*. Tum verò protinùs è ſuo ſic adiecit: *De eodem*

eodem (Nazario) *idem Paulinus in Epigrammate, quo Fundanæ Baſilicæ Reliquias recenſet: Martyr & illuſtris ſanguine Nazarius.* A
Item in Natali Felicis:

Hic & Nazarius Martyr, quem munere fido
Nobilis Ambroſij ſubſtrata mente recepi.

Ex quo apparet, cùm facto illi intereſſet Paulinus, vti ipſe refert, eius Reliquias ab Ambroſio dono accepiſſe: quas in Baſilicis ſuis Nolana & Fundana collocauerit. Paulinum quippe Nolanum Epiſcopum Carolus à Baſilica Petri cenſuit eumdem cum eo fuiſſe, qui Vitam conſcripſerat Ambroſij. Sed hunc ab illo diuerſum fuiſſe longè veriùs docuerunt Eminentiſsimi Baronius & Bellarminus Cardinales: hic Libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Sancto Paulino Nolano: ille Præfatione in Paulinianam Ambroſij Vitam, eiuſdem Operibus præfixam. B

II. Veriùs ergo Baronius in Martyrologium quoque, die 28. Iulij, ſic adnotabat: *De adinuentione ipſorum Corporum* (Nazarij & Celſi) *ſcribit Paulinus in Vita Sancti Ambroſij. Cuius liberalitate eorumdem ſacræ Reliquiæ in diuerſas Orbis Chriſtiani regiones diuiſæ ſunt. Accepit eas Sanctus Paulinus: qui in Fundana atque Nolana Baſilica collocauit; vt ipſe ſcribit ad Seuerum Epiſtola 12. & in Natali 9. Sancti Felicis. Sanctus Gaudentius, Brixianus Epiſcopus, eaſdem, ab eodem acceptas, condidit in Baſilica, quam dedicauit; vt ipſe ſcribit in Sermone, in eius Dedicatione habito. Miſit Nazarij Reliquias ad Epiſcopos Africanos, eas expoſcentes, Ennodius Ticinenſis, cuius ad eoſdem extat Epiſtola. Translatæ ſunt etiam in Gallias Ebredunum; ſed ob frequentes Barbarorum incurſus iam obliuione ſepultæ; ac iterùm inuentæ, occaſionem dederunt, vt Gregorius Turonenſis De Gloria Martyrum Cap. 47. rerum geſtarum inſcius, exiſtimaret, dictos Martyres Ebreduni in Gallia eſſe paſſos, ſecutus fidem cuiuſdam Apocryphi. De Baſilica Sancti Nazarij in Gallijs, quam in auguſtiorem formam reſtituit Leontius Epiſcopus, ſcribit Epigramma Venantius Fortunatus Libro 1. De alijs eorumdem Reliquijs, Pariſijs collocatis, Aymoinus Libro 2. De Geſtis Francorum, Cap. 20. Erat & Conſtantinopoli Memoria Sancti Nazarij: cuius Baſilicam, vetuſtate collapſam, reſtituit Baſilius Imperator; vt ſcribit Cedrenus in Compendio, in Baſilio Imperatore.* Hactenùs ex Baronio: quorum tamen aliqua iuſtum eſt vt nos item paulò vberiùs in hoc Opere vel hic vel alibi tractemus. C D

III. Iuuabit autem in primis integra recitare Paulini Epiſcopi teſtimonia, proximè à Carolo Baſilica Petri & à Baronio indicata; quippequæ alijs quoque rebus, ſcitu dignis, perutilia eſſe poſsint. Sic ergo ille ad Seuerum Epiſtola 12. verſificabatur:

Ecce ſub accenſis Altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.
Hic & Apoſtolicas præſentat gratia vires
Magnis in paruo puluere pignoribus.
Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr & illuſtris ſanguine Nazarius:

Quoſquè ſuo Deus Ambroſio poſt longa reuelat A
Sæcula, Protaſium cum pare Geruaſio.
Hic ſimul vna pium complectitur arcula cætum,
Et capit exiguo nomina tanta ſinu.

Et rursùs in Natali Nono Sancti Felicis, Epiſcopi Nolani

Hic & Nazarius Martyr (quem munere fido
Nobilis Ambroſij ſubſtrata mente recepi)
Culmina Felicis dignatur & ipſe cohoſpes,
Fraternaſquè domos priuatis ſedibus addit.
Quamuis Sancti omnes toto ſimul Orbe per vnum
Sint vbicumque Deum, quo præſentantur vbique
Corporis vt ſua membra Deo; ſed debita Sanctis B
Sunt loca Corporibus; neque tantùm qua iacet ora
Totum corpus, ibi poſitorum gratia viuit;
Sed quacumque pij eſt pars Corporis, & manus extat,
Conteſtante Deo meriti documenta beati.
Magna & in exiguo Sanctorum puluere virtus
Clamat Apoſtolici vim Corporis indice verbo.

IV. Idem porrò Paulinus, antequàm Monachatui ſe traderet, Matrimonium contraxerat, ex eoquè ſuſceperat filium, nomine Celſum; qui tamen, cùm diem tantummodò ageret octauum, mortuus eſt. Panegyricum ergo ſcribens ad Pneumatium & ad Fidelem, genitores alterius pueri, nomine pariter Celſi, & octauo ætatis anno defuncti (non enim Panegyricum illud Carmen re vera eſt de Sancto Celſo, vt putauit Bellarminus Libro 2. De Sanctorum Beatitudine, Cap. 19.) hanc quoque Celſi ſui mentionem interſeruit: C

Qualis & ille fuit noſter, tuus ille beati
Nominis, accitus tempore, quo datus eſt.
Exoptata diu ſoboles, nec præſtita nobis,
Gaudere indignis poſteritate pia.
Credimus, æternis illum tibi, Celſe, viretis
Lætitiæ ac vitæ ludere participem:
Quem Complutenſi mandauimus Vrbe, propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus; D
Vt de vicino Sanctorum ſanguine ducat,
Quo noſtras illo purget in igne animas.
Forte etenim nobis quoque peccatoribus olim
Sanguinis hæc noſtri guttula lumen erit.

Hinc ergo Heribertus Ros-uueydus in ſuis ad Paulinum Notis, ad paginam 533. lineam 3. & ad ea verba, PROPINQVIS CONIVNCTVM TVMVLI FOEDERE MARTYRIBVS, obſeruat, eos Martyres fuiſſe Iuſtum & Paſtorem: quorum memoria celebris eſt Compluti, vbi Paulinus filiolum ſuum terræ mandauerat. Dehinc verò ad ſubſequentem verſum, VT DE VICINO SANCTORVM SANGVINE DVCAT.

DVCAT &c. hoc item obſeruat, multiſquè probat: eam fuiſſe veterum religionem, vt ſepulturæ locum captarent apud Memorias Martyrum; & in hunc finem, vt eorum patrocinio iuuarentur. Hoc ipſum itaque probat è Sancto Auguſtino, Libro *De Cura pro Mortuis*, Cap. 4. tum etiam exemplo Conſtantini Imperatoris, cognomento Magni, & aliorum. Sic etiam huc profert Ianum Gruterum in Inſcriptionibus inter Chriſtiana Epigrammata, & præſertim Vrbis Romæ, pagina 1167. Num. XI. vbi recitatum extat Epitaphium illud Sancti Satyri, à Sancto Ambroſio fratre compoſitum, quod ego quoque proferebam Capite 46. Num. 16. Sed in hoc tamen errat Roſ-uueydus, quòd, non Victorem (ſicuti nos iam docuimus) ſed Nazarium fuiſſe opinatur Martyrem illum, ad cuius læuam ſepultus fuit Satyrus; quòdquè illud Epitaphium credit in eiuſdem Nazarij Eccleſia extitiſſe. Quem forſitan errorem traxit ex eo; quia Gruterus ante illud Epitaphium recitauerat Epigramma, quod Ambroſius in honorem Baſilicæ Apoſtolorum & Nazarianæ cecinerat, *Condidit Ambroſius* &c. de quo nos iam egimus Capite 37. Num. 8. & quia protinùs Epitaphio ſubſequenti præmiſerat hunc titulum, *Item Ambroſianum*. Sicut igitur prius illud re vera extabat in Sancti Nazarij Eccleſia; ſic etiam ibidem hoc poſterius extitiſſe coniectauit, vt opinor. Sequitur Roſ-uueydus: & ex eodem Grutero in Monumentis Chriſtianis pag. 1055. Num. 6. producit Epitaphium Sanctæ Marcellinæ, in Templo Ambroſiano, *Marcellina tuos* &c. quod ego itidem infra non prætermittam: tum etiam è pagina 1170. Num. XI. inter Epigrammata Sacra, & præſertim Vrbis Romæ, depromit Epitaphium Siluij Presbyteri in Ciuitate Ireiæ, ſeu Eporediæ: necnon etiam è pagina 1167. Num. 4. Epitaphium Marinæ: denique verò è pagina 1169. Num. 7. Epitaphium Sarmatæ Presbyteri in Ciuitate Vercellenſi. E quo quidem Epitaphio quia ſimul dignoſcimus, aliquid etiam è Sancti, non modò Victoris, ſed etiam Nazarij Reliquijs ei Ciuitati donatum eſſe; en illius verba:

Diſcite, qui legitis, diuino munere reddi
Mercedem meritis, ſedes cui proxima Sanctis
Martyribus conceſſa Deo eſt, gratumquè cubile,
Sarmata quod meruit venerando Presbyter acto.
Septies hic quinos tranſegit corporis annos,
In Chriſto viuens auxiliante loco.
Nazarius namque pariter Victorquè Beati
Lateribus tutum reddunt, meritiſquè coronant.
O felix, gemino meruit qui Martyre duci
Ad Dominum meliore via, requiemquè mereri.

Quippe Sarmata hic Presbyter Vercellis ſepultus iacebat medius inter ſacras Martyrum Nazarii & Victoris Reliquias.

V. Quoniam verò Paulini Epiſcopi Nolani occaſione hæc etiam didicimus; equidem libenter etiam hoc loco illud commemorabo, quod in eius

Vita ſcriptum reperio de ipſius aduentu ad Pontificem noſtrum, Ambroſium. Eius Vitam luculenter ſcripſit quidam è Societate Ieſu Religioſus, & Heriberti Roſ-uueydi Amicus, qui tamen ſibi nominatim hoc Opus adſcribi nolebat. Prætermiſſo igitur ipſius nomine, illam Roſ-uueydus ipſe typis edidit Antuerpienſibus Anno Domini 1621. & 1622. & è Secunda illius Parte (qua narratur, qualis Monachus fuerit Paulinus) hæc accipe, quæ poſt Sacerdotium ab ipſo ſuſceptum narrantur. *Rebus* (inquit) *in Gallia compoſitis, vel potiùs Domino reſtitutis* (ſuas quippe opes pauperibus diſtribuerat Paulinus) *Italiam ingreſſus, Mediolanum ad Sanctum Ambroſium acceſſit. A quo ita exceptus eſt amanter & honorificè, vt de ſuo Clero (quoniam aliter tenere non poterat) etſi diuerſis locis degeret, cenſeri voluerit; minimè aliena coniectura putantium id factum, quòd illum ſibi Ambroſius, ſenectute iam graui, deſtinaret & cuperet ſucceſſorem.* Cæterùm in Quarta eiuſdem Vitæ Parte quærebat Auctor de Sancti Paulini ſcriptis Operibus; neque tamen inter hæc vnquàm numerauit Ambroſij Vitam; quinimmò ne vnquàm quidem quæſiuit, an ipſe illam conſcripſerit. Quod mihi quidem perinde videtur, ac ſi expreſsè illam ipſi abnegaſſet. A B

VI. Poſt Paulinum Baronius Sanctum Gaudentium nominabat, Epiſcopum Brixienſem, qui aliquid è Reliquijs Martyrum Nazarij & Celſi accepiſſet. Ille autem Tractatu in Dedicatione Baſilicæ Sanctorum Quadraginta Martyrum, enumerans, quorum Reliquias Sanctorum haberent in ea Baſilica, ſic etiam loquebatur: *Poſt iſtos* HABEMVS GERVASIVM, PROTASIVM, ATQVE NAZARIVM, BEATISSIMOS MARTYRES: *qui ſe ante paucos annos apud Vrbem Mediolanenſem Sancto Sacerdoti Ambroſio reuelare dignati ſunt:* QVORVM SANGVINEM TENEMVS, GYPSO COLLECTVM, NIHIL AMPLIVS REQVIRENTES. C

VII. Gregorium ſubinde Turonenſem Baronius eodem Numero 2. propterea improbabat, quia in Libro *De Gloria Martyrum*, Capite 47. exiſtimaſſet, Nazarium & Celſum Ebreduni in Gallia eſſe paſſos. In hoc enim eum aiebat ſecutum eſſe cuiuſdam Scriptoris apocryphi fidem. Atqui non illum propterea mihi videtur in reliquis improbaſſe, quæ ſimul ibi narrabat his verbis: *De Sancti verò Nazarij & Celſi pueri artubus, quos apud Ebredunenſem Galliarum Vrbem paſſos* LECTIO CERTAMINIS (quam quidem Baronius apocrypham cenſuit) NARRAT, *ipſa Corpora, & ita clàm propter Paganorum inſecutionem, ſepulta ſunt, vt in tempora ſecutura obliuioni darentur. Referre erat ſolitus Vir ille, qui de ſupradictis Sanctis* (Geruaſio & Protaſio) *quæ præfati ſumus enarrauit* (hæc autem erant illa, quæ iam ego recitaui Capite 43. Num. 2. & quibus Baronius etiam ipſe fidem adhibuit in Notis ad vndeuigeſimam Iunij diem) *natam fuiſſe ſuper hæc ſepulchra pyrum arborem: & feciſſe quemdam pauperem hortellum in hoc loco, qui hanc arborem concludebat. Verùm, cùm poma iuxta morem tempore debito ferret, quicumque exinde infirmus, qualibet ægritudine detentus,* D

pomum

pomum mordicùs decerpſiſſet, mox ablata infirmitate conualeſcebat. Vnde magnum quæſtum pauper ille habebat. Sed cùm ſe reuelantes Martyres, arborem incidi iuſſiſſent; pauper ille, in magnis fletibus prorumpens, incidi arborem non ſinebat. Quo remoto, ſucciſa pyro, Baſilica miro opere ædificata eſt: in cuius etiam Altari Beati Geneſij Arelatenſis Martyris Reliquiæ venerantur. Tantaquè pauper ille fide prælatus eſt, vt Sacerdotium in hac Eccleſia deinceps promereretur. Hæc ibi Gregorius Turonenſis ex ore Viri eius religioſi, quem in teſtimonium adduxerat: eademquè ſine dubio, ſecundùm Baronij ſententiam, ijs adſcribenda ſunt noſtrorum Nazarij & Celſi Reliquijs, quæ dudùm ex Vrbe noſtra Mediolano translatæ fuerant Ebredunum in Gallias, ſed ob frequentes Barbarorum incurſiones obliuione fuerant ſepultæ, ac rursùs tandem innotuerunt, antequàm Gregorius talia conſcriberet. Hic ipſe autem, poſt completum Turonenſis Epiſcopatus annum vigeſimum-primum, ſanctitate doctrinaquè clarus obijt Anno Domini Quingenteſimo nonageſimo-ſeptimo; ſicut etiam eſt à me iam ſupra obſeruatum è Bellarmino in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in eodem Gregorio. Ex altera tamen parte nihil ego quidem adhuc habeo, quod opponam; ſi quis, defendendi Gregorij (tam grauis vtique Scriptoris) ſtudioſus, Baronio reſpondeat, cum ibi de duobus alijs locutum eſſe Martyribus, Nazarij quidem ac Celſi nomina ſortitis (quod non repugnat, etiamſi Celſum quoque hunc ſupponamus ætate puerum) ſed penitùs diuerſis ab illis, qui Mediolani paſsi ſunt. Hanc verò diuerſitatem ab ipſo fuiſſe de induſtria indicatam eo additamento: *Quos apud Ebredunenſem Galliarum Vrbem paſſos Lectio Certaminis narrat.* Per hæc enim eum præcauere voluiſſe, ne fortè alicui videretur de ijs loquens, qui Mediolani paſsi ſunt; ſicut in eodem Capite locutus proximè fuerat de Geruaſio & Protaſio, quos hac ipſa in Vrbe paſſos expreſsè meminerat. Huic profectò reſponſioni luculenter adſtipulatur Adonis Martyrologium pridie Idus Iunij. Hac ipſa enim duodecima die ſic ibi primò legitur: *Mediolani, Natale Sanctorum Martyrum, Nazarij & Celſi pueri.* Poſt longam verò de ipſis narrationem illam, quam ego quoque ſuperioris Capitis Numero 13. proferebam, hæc ſequuntur: *Item Beati Baſilidis, Cyrini, Naboris:* SED ET NAZARII ET CELSI, QVOS DVOS PASSOS FVISSE APVD EBREDVNENSEM VRBEM ANTIQVITAS MEMORANDA (aliter MEMORANDO) CELEBRAT. Quidni ergo Gregorius quoque Turonenſis credi poſsit locutus, non de prioribus illis Nazario & Celſo, Mediolani paſsis; ſed de poſterioribus his, apud Ebredunenſem paſsis Vrbem; ſicut in ea Lectione narratum aſſerebat? quæ proinde Certaminis Lectio, non apocrypha, ſed verax & auctoritate fideque digna cenſeri deberet. Quòd ſi Baronio ne talis quidem perſonarum diuerſitas placet; quid, ſi viciſsim alteri ea diſpliceat, quam ipſe admiſit inter Nazarium, qui Mediolani paſſus eſt die Iulij vigeſima-octaua, & eum, qui Romæ die Iunij duodecima? Dicat enim alter, Nazarij noſtri Reliquias hinc fuiſſe Romam translatas: ſed obli-

uione

uione poſtea ſepultas (vt ſæpè accidit) ac tandem rursùs inuentas occaſionem dediſſe, vt Sanctus ille creditus fuerit martyrium in Vrbe Roma conſummaſſe. Quæ tamen philoſophandi ratio ne mihi quidem probatur; vt infra conſtabit. A

VIII. Leontius ille porrò Epiſcopus, quem teſte Venantio Fortunato Baronius nominabat, Burdegalenſis fuit, & ordine Decimus-tertius. Eiuſdem facit mentionem Claudius Robertus in ſua Gallia Christiana, ſiue in Catalogo Burdegalenſium Archiepiſcoporum: eumquè aſſerit Concilio Aurelianenſi Quarto interfuiſſe Anno Domini Quingenteſimo quadrageſimo-quinto. Baronius etiam multa de ipſo narrat Anno poſtea ſexageſimo-ſexto. E quibus quidem Annis vtcumque coniectari poteſt, quo circiter tempore Leontius ille Baſilicam illam Sancti Nazarij reſtituerit in auguſtiorem formam. B

IX. Quòd autem Baronius ex Aymoini Libro 2. *Ge Geſtis Francorum*, Cap.20. nobis indicabat, Nazarij & Celſi Reliquias Pariſijs collocatas fuiſſe; nos hac de re ſeparatim agemus infra Capite 69.

X. *Erat & Conſtantinopoli Memoria Sancti Nazarij &c.* obſeruabat eodem ſuperiore Numero 2. Baronius. Idipſum verò colligere licet etiam ex Auctore illo Græco, Latinè reddito, quo multoties in ſuperioribus vſi ſumus, & quo tandem vtebamur Capite 18. è Numero 10. vſque ad 17. non ſine aliquot erratorum cenſura; ſicùt etiam ne nunc quidem penitùs immunis abibit. Illic enim quater ab ipſo erratum videbatur. Primò, cùm quatuor ipſi Martyres æquè dicerentur amputato capite necati; Geruaſius enim à nobis creditur plumbatis contuſus, quoadusque ſpiritum exhalaret. Secundò, cùm dicerentur eadem necati die; Nazarius enim & Celſus verè necati fuerunt vigeſima-octaua Iulij die; Geruaſius autem ac Protaſius prima Iunij, vel potiùs vigeſima-quinta Martii. Tertiò, cùm dicerentur ſepulti apud Ciuitatis Portam, quæ vocatur Romana; de Protaſio enim & Geruaſio, ſepultis intra Portæ Vercellinæ fines, id à nobis negatur. Quartò, cùm ab vno eodemquè homine ij quatuor dicerentur è primo tumulo ſuam in domum tranſlati, & ibidem ſepulti; Ceratius enim Nazarium & Celſum, Philippus autem Protaſium & Geruaſium ſua quiſque in domo (ſi tamen domus nomine hortum quoque comprehendamus) ſepelierunt. Eius igitur Auctoris Græci talia erant in iis poſtremis verbis errata. Reliquum nunc eſt, vt ea proſequamur, quæ protinùs ille ſubtexebat. Sunt autem huiuſmodi: *Atque latuit quidem Martyricarum Reliquiarum theſaurus abſconſus in eius (*Amici Martyrum*) ædibus, donec ad Magnum Theodoſium, qui ex Iberia (quæ nunc Hiſpania dicitur) duxit genus, peruenerunt ſceptra Romani Imperij. Cùm autem is poſt Dei hoſtem Valentem, à Barbaris in Thracia interfectum, eſſet conſtitutus Imperator; & in Deum erat pius, ſi vllus alius; & Martyrum lætabatur honoribus. Tunc quoque ſacræ eorum Reliquiæ, tamquàm theſaurus, reconduntur in Eccleſia Mediolanenſi: Nazarij, inquam, & Geruaſij, Protaſij, & Celſij, inclytorum Christi Martyrum. Quinam autem* C D

tem

tem fuerunt adminiſtri in transferendis & deponendis his Reliquijs? Ambroſius ille, virtute clarus, & qui tunc decorabat Sedem Eccleſiæ Mediolanenſis. Is primus eſt executus miniſterium Translationis; vt cui non illotis (quod dicitur) manibus, ſed valde mundis, munda fuerint credita. Præterea autem vniuerſus Clerus, & omnes Magiſtratus, linguis Hymnos canentes, &, quas manibus geſtabant, lampadibus ea illuſtrantes; quæ tamen magis miraculis reſplendebant, quàm lampadibus. Nam cæci quidem, manu deducti ad eas vſque Reliquias, lucem ſtatim adſpexerunt: nec opus ampliùs habebant aliquo, qui eos manu deduceret; ſed ſuos habebant duces oculos. Claudi, qui vix fuerant portati ab alijs, proprijs ſuis reuertebantur pedibus, pernicibus ad currendum, & aptis ad ſaltandum. Leproſos, qui in Templum venerant, domus adſpexit mundos. Et quicumque à malignis detinebantur Spiritibus, eos quoque licebat videre liberatos ab ijs, qui ipſos vexabant: furioſaquè & amentia eorum verba conuerſa in gratiarum actionem: & communiter Chriſti Martyres laudibus celebrari & glorificari ab omnibus. In eos cùm Magnus incidiſſet Theodoſius (tunc enim agebat Mediolani, aduersùs Tyrannum, Maximum inquam, decertans) cùm accepiſſet partes ſacrarum harum Reliquiarum, pro quibuslibet ſpolijs aut manubijs, aut potiùs pro quibuslibet armis & munimentis, in Vrbem detulit Regiam (Conſtantinopolim) *ijs, quæ ipſe vidit, miraculis confirmatus, & aduersùs Scythas, ſocios inexpugnabiles aſſecutus Martyres. Ante hanc magnam itaque Ciuitatem eis excitat pulchrum & elegans Templum, & in eo ſacras Martyrum Reliquias deponit, tamquàm theſaurum ſuper millia (diuinus dicit Dauid) auri & argenti. Eæ, præter alia, vnguentorum quoque fontes emittunt abundantes, non ſolùm corporibus ſalutares, ſed eorum etiam, qui hauriunt, animas expurgantes; vt non ſolùm habeant apud ſe Martyres ea, quæ acceperunt; ſed alijs quoque ſua bona communicent. Sic Chriſtus hic quoque eos glorificat, qui illum amauerunt* &c. Hactenùs Auctor ille Græcus, atque etiam fortaſsè (vt poſtrema ſubindicat periodus) Metaphraſte vetuſtior. Qui tamen in eo quoque nobis non probatur, quod aiebat, eo tempore, quo Martyrum horum Corpora fuerunt inuenta, eodem Theodoſium Magnum fuiſſe Mediolani, & hinc partes earum Reliquiarum detuliſſe Conſtantinopolim, ac Templum ipſis ibidem conſtruxiſſe. Hæc enim totidem ſunt errata; ſicuti iam patet ex dictis, & è Baronii Annalibus. Theodoſius quippe, Senior ille ac Magnus, à Gratiano Auguſto creatus fuerat Orientis Imperator Anno Domini Trecenteſimo ſeptuageſimo-nono. Sanctorum autem Protaſii & Geruaſii Corpora deinde inuenta fuerunt Anno eiuſdem Sæculi octuageſimo-ſeptimo; cùm Valentinianus Iunior eiuſquè Mater Iuſtina Mediolani eſſent, Theodoſius autem in Oriente. Quocirca etiam illi ambo non multò pòſt, ab inuaſione Maximi Tyranni fugientes, ad eumdem Theodoſium, Theſſalonicæ tunc agentem, confugerunt. Nazarii porrò Celſiquè Corpora nonniſi poſt obitum Theodoſii ſunt inuenta; vt Paulinus in primis, coæuus & oculatus teſtis, aſſeueranter affirmabat. Non igitur Theodoſius ipſe Conſtantinopolim detulit horum quatuor Martyrum Reliquias, nec illis Templum ibi extruxit. Sanè autem

obſeruatu

obſeruatu dignum eſt, quòd ex Auctore illo Græco (cui Græcorum A
item Menologia conſentiunt, in Ambroſiana Bibliotheca extantia) didicimus: hoc eſt, Græcam Eccleſiam ex inſtituto maiorum id in more habuiſſe, vt quatuor illos Martyres vna ſimul eademquè celebritate annua recolens, Nazarium ſemper ante cæteros nominaret. Quamobrem hinc etiam proniori nos quidem aſſenſu dignoſcemus, iiſdem quatuor Martyribus dicatum fuiſſe Conſtantinopoli Templum illud, quod infra legemus Nazario dicatum. Itaque hoc ipſum ſimul etiam Baronio nunc aſſentimur fuiſſe illud, quod poſtea collapſum Imperator Baſilius Macedo reſtaurauit, vt ſuo tempore videbimus. Inde verò rursùs etiam colligimus, Protaſij ac Geruaſij Reliquias Mediolano non ante translatas eſſe Conſtantinopolim, quàm illuc reliquiæ Nazarij & Celſi transferrentur; & proinde has omnes illuc nonniſi poſt obitum Theodoſij B
Senioris translatas fuiſſe. Eaſdem inſuper mihi quidem credibile videtur, viuente adhuc Ambroſio, miſſas illuc fuiſſe; vt quantocyùs ampliſsima illa Ciuitas & Orientale ſimul Imperium præſidio tantorum ac talium Tutelarium è propinquo frui poſſet. Sed prætereа illas etiam crediderim eſſe illuc quarta-decima Octobris die allatas, vel ſaltem ſolemniter in Templo ipſis dedicato collocatas; indequè propterea factum etiam, vt Eccleſia Græca eamdem illam diem anniuerſariæ horum Martyrum celebritati addixerit. Quod enim Auctor ille Græcus hos aſſerebat eadem illa die martyrium paſſos eſſe; hoc vtique manifeſti iam eſt erroris conuictum. Quid, ſi etiam fortaſsè fuit conſectarium, quod ille C
perperàm ex eadem illa celebritatis die collegerit?

XI. Sed ſatis hactenùs occaſionem ſecuti ſumus differendi, quam nobis Carolus à Baſilica Petri & Cardinalis Baronius in præſenti Capite reliquerunt. Extremum iam eſt, vt nos quoque aliquas horum Martyrum Reliquias aliò item translatas indicemus. Primò autem ſeſe nobis offert Florentia Ciuitas, Ambroſio noſtro dilectiſsima: quam interim ſanctiſsimus eiquè amiciſsimus Zenobius regebat Epiſcopus: qui viciſsim, velut in actionem gratiarum, mirabiliter ad vitam reuocauit vnum ex iis nunciis, quos illuc Ambroſius miſerat cum ſacris eiuſmodi Reliquiis. Huius autem hiſtoriam rei nobis enarret Archiepiſcopus ipſe noſter & proximus Ambroſii ſucceſſor Simplicianus in eiuſdem Zenobii Vita, D
quam ipſe (vt dicitur) conſcripſit: & quoniam Latinè ſuiſmet loquentem verbis audire non poſſumus; audiamus ſaltem Italicè loquentem per Interpretem fidum. Syluanus hic eſt Razzius, Abbas Camaldulenſis, fideiquè Vir integerrimæ, in Volumine, quod Anno Domini 1593. typis edidit, inſcriptum *Vite de' Santi e Beati Toſcani*. Zenobii quoque Vitam inter has recenſuit, ſic præfatus: *Vita di San'Zanobi, Veſcouo di Firenze: ſcritta da San'Simpliciano, ſucceſſore di Sant'Ambroſio nel Veſcouado di Milano: e fatta volgare dal Padre Abbate Don Siluano Razzi. All'Illuſtriſsimo e Reuerendiſsimo Monſignore Aleſſandro Medici, Cardinale, & Arciueſcouo di Firenze. Indrizzo à V. S. Illuſtriſsima e Reuerendiſsima queſta Vita di*

San'

San'Zanobi : la quale già le moſtrai in vn'libro aſſai antico, ſcritto à mano, ſtato A
da me trouato in queſto Monaſtero de gl'Angeli di Firenze ; la quale già fece il
Beato Simpliciano, Succeſſore immediato di Sant'Ambroſio nel Veſcouado Mila-
neſe: non ſolo in teſtimonianza della verità ; percioche anco i due Aretini, i quali
ſcriſſero la medeſima (come di ſotto ſi dirà) citano più volte eſſo Simpliciano ;
mà ancora come à Succeſſore, dopo tante centinaia d'anni, di eſſo Beatiſsimo
Zanobi ; & in ſegno ancora della mia molta affezione e ſeruitù verſo V. S. Illuſ-
triſsima e Reuerendiſsima. Alla quale col più viuo affetto di cuore, che sò e
poſſo, humilmente fò riuerenza. Razzius igitur hæc præfatus, & eiuſmodi
mox Vitam Italicè reddens, ſic etiam vltra medium ſcribebat: *Vn'certo*
giorno, volendo il predetto Pontefice (Zanobio) *conſecrare vna certa Chieſa*
di quà dell'Alpi: & in quelle parti hauendo cominciato à caualcare ; non lungi B
dalla Città di Firenze trouò i mandati di vn'certo buon'huomo, i quali veni-
uano à lui. Coſtoro portando certi ſacri pegni, trouò vno di loro, chiamato Sim-
plicio, eſſere morto. Il quale coloro, che con lui erano venuti, vinti da gran'
dolore, eſſeruauano, dicendo: San'Zanobio aiutaci, hauendo di noi compaſsione.
I quali hauendolo veduto e conoſciuto il Seruo di Dio Zanobi ; proſtrati à piedi
di quello, cominciarono à dire: Clementiſsimo Padre riſguarda quello, che ci è
accaduto, e che coſtui quì è morto. Ambroſio, Veſcouo di Milano, ci hà manda-
to à te con queſta Caſſetta delle Reliquie di Nazaro e Celſo, e di Geruaſio e Pro-
ſio. Per lo che ti preghiamo, che per coſtui vogli degnarti di orare ; accioche
protetto da i tuoi ſuffragij, meriti riceuere la vita ; à fine che il Padre Ambro-
ſio, ſi come tutti noi hà mandati à te illeſi, così da te rimandati ci riceua ſani C
e ſalui. Il ſeruo di Dio, e Pontefice di Chriſto, Zanobi, vdito il nome del Con-
ſeruo (ciò è, di Ambroſio) incontanente diſceſe da cauallo, e riuerentemente
preſe la Caſſetta delle Reliquie: La quale bacciata che hebbe, ſi compoſe con la-
chrime ſopra il corpo del defonto: e tanto ſtette fermo in oratione, che colui, il
quale era morto ; ſi leuò sù con eſſo lui, renduto alla priſtina vita e ſanità,
quaſi non haueſſe hauuto alcun'male. Talia Razzius è Sancti Zenobii Vita,
per Sanctum Simplicianum Latinè conſcripta: quæ vtinam nunc exta-
ret! Cùm enim ego ſtudioſiſsimè ſemel iterumquè curaſſem, quinetiam
Principes quoque Viros in idipſum adhibuiſſem, vt exemplum ex eo
Codice mihi exſcriberetur; ex Vrbe Florentia reſponderunt, eum qui-
dem in ea Bibliotheca diligenter perquiſitum, neque tamen inueniri po- D
tuiſſe. Cæterùm eiuſdem Zenobij Vitam videre licet apud Surium die
25. Maii, è varijs Auctoribus, necnon etiam è Sancto Simpliciano, col-
lectam opera Ioannis Archipresbyteri Aretini paulò poſt Concilium
Oecumenicum Florentiæ celebratum Anno Domini 1439. In qua qui-
dem ſuperior etiam hiſtoria recenſetur ; ſed hoc ſuperaddito, quòd
Sanctorum etiam Vitalis & Agricolæ Reliquias Ambroſius ad Zenobium
miſiſſe affirmatur.

XII. Nimirùm ego quoque lubentiſsimus interim credebam, non ea tantùm,
quæ de Sanctorum Reliquiis nuperrimè narrata ſunt, ſed etiam talem
illam Zenobii Vitam, quam Razzius Italicè reddidit, ab Antiſtite noſtro

Simpliciano re quidem vera conſcriptam fuiſſe. Ad hoc autem illis A
præterea mouebar, quæ Razzius in extremo eiuſdem Vitæ recitabat his verbis: *Eſſendo morto il Beato Eugenio à diciotto di Genaio; eſſo primo Anno della ſua dormizione paſsò anche da queſto Mondo al Padre il Beato Ambroſio la notte che era hauuta del Signore* (textus hoc loco mihi videtur mancus) *& il ſecondo paſsò da queſto ſecolo il Beato Creſcenzio à dicianoue d'Aprile: il Corpo del quale il Beato Zanobi honorificamente ripoſe à lato à quello d'Eugenio nella medeſima Chieſa di San' Saluadore. Similmente San' Zanobi quell' Anno ſteſſo, nel quale morì Creſcenzio, ſi riposò anch'egli in pace alli vinticinque di Maggio: & huomini timorati il ſepellirono nella Baſilica Ambroſiana* (in ea nimirùm Florentina, quam noſter Ambroſius dedicauerat, & de qua nos item aliquid iam diximus Capite 42. Num. 15. propè finem) *ſi come egli* B
viuendo haueua deſiderato: riponendolo in vna arca nuoua con aromati honorificamente, ſi come era degno. Mà il quinto Anno della ſua dormizione fù il detto Corpo ſuo traslatato, adì ſette di Febraio, dalla detta Baſilica Ambroſiana alla già detta Chieſa Maggiore di San' Saluadore, nella quale egli haueua ſotterrato Eugenio e Creſcenzio: e quiui appreſſo i Corpi loro, e d'altri Santi, con honore giace collocato. E ciò fù fatto, reſidente nella Città Andrea Veſcouo, huomo di gran' ſantità & honeſtà. ET IO SIMPLICIANO, VECCHIO, SERVO DI GIESV CHRISTO, CHIAMATO VESCOVO, *quello, che con gl'occhi hò veduto, e con l'orecchie vdito da Meſſere Ambroſio Veſcouo Milaneſe, mio anteceſſore, hò curato di ſcriuere fedelmente; acciò i meriti di tanti huomini non ſtieno ſotto il moggio, mà ſopra il candeliere rilucano à laude gloria* C
& honore del Signore Noſtro Gieſù Chriſto: al quale è laude gloria & honore ne' ſecoli de' ſecoli. Amen. Hucuſque igitur pertingebat Zenobij Vita, quam Simplicianus opinione Razzij ſcripſiſſet; ſicut ipſemet etiam Razzius poſtea in Annotationibus ad eamdem Vitam obſeruauit; in quibus tamen nonnulla ſunt, ad Chronologiam & ad tempus quo Zenobius obierit pertinentia, quæ mihi non probantur. Quomodocumque tamen illa ſe habeant; certè (quod caput eſt) ſecundùm Zenobij Vitam, Simpliciano auctori adſcriptam, Zenobius obijt Anno poſteriore, quàm obierat Ambroſius; Simplicianus verò ad quintum ſaltem inde annum Zenobio ſuperſtes fuit; ac proinde Translationem ipſius, quinto inde anno factam, recenſere potuit. Et tamen ſecundùm Ambroſii Vitam, citra dubium à D
Paulino deſcriptam, communiterquè receptiſsimam, Simplicianus obijt ante Zenobium. Quomodo igitur Simplicianus talem illam Zenobij Vitam deſcribere potuit? Paulinum ergo ipſum audiamus. *Eodem* (inquit) *tempore* (quo nimirùm Ambroſius, extremo laborans morbo, decumbebat) *cùm in extrema parte porticus, in qua iacebat, in vno poſiti Caſtus, Polemius, Venerius, & Felix, tunc Diaconi, ſecum tractarent voce ita preſſa, vt vix inuicem audirentur, quis poſt obitum illius Epiſcopus ordinandus eſſet: atque cùm de nomine Sancti loquerentur Simpliciani; tamquàm intereſſet tractatui, cùm longè poſitus ab ipſis iaceret, approbans exclamauit tertiò: Senex, ſed bonus. Erat enim Simplicianus aui maturior. Qua voce audita*

dita expaueſcentes fugerunt. Defuncto tamen eo, non alius illi ſucceſsit in Sa- A
cerdotio, niſi is, quem ille bonum ſenem trina voce ſignauerat. CVI SIM-
PLICIANO VENERIVS, QVEM SVPRA MEMORAVIMVS
SVCCESSIT. *Felix verò nunc vſque Bononienſem regit Eccleſiam. Caſtus*
autem & Polemius, nutriti ab Ambroſio, bonæ arboris boni fructus, in Eccleſia
Mediolanenſi Diaconij funguntur officio. En igitur Simplicianum eo iam
tempore mortuum, ipſiquè propterea ſubſtiturum iam Venerium, quo
tempore Paulinus hæc ſcribebat. Sed ecce iam rursùs nobis Zenobium
adhuc ſuperſtitem. Deſcripto enim ſubinde Ambroſij obitu & funere,
ac quemadmodùm eodem ipſo die, quo mortuus fuerat, quibuſdam
ſanctis viris in Oriente apparuiſſet; tum verò ſic inſuper addebat: *In-*
tra Tuſciam verò Ciuitate Florentia, VBI NVNC VIR SANCTVS B
ZENOBIVS EPISCOPVS EST (quid apertius?) *quia promiſerat, illos*
ſe ſæpiùs viſitaturum; frequenter ad Altare, quod eſt in Baſilica Ambroſiana,
quæ ibidem ab ipſo conſtituta eſt, viſus eſt orare; ſicut ipſo Sancto Viro Sa-
cerdote Zenobio referente didicimus. Cùm igitur talia nobis Paulinus tam
diſertè ac luculenter teſtetur; penes Lectorem beneuolum ac pruden-
tem iudicium ſit, an eam Zenobii Vitam Simplicianus noſter, an potiùs
aliquis alius re vera conſcripſerit; qui, vt rebus à ſe narratis, & alioqui
veris, maiorem conciliaret fidem, tantum eis Auctorem inepta & in-
ſulſa ſimplicitate obtenderit.

XIII. Certiori ergo nixus Auctori, Gregorium hic ego Turonenſem mihi
rursùs aſciſco teſtem pro Sancti Nazarij Reliquiis. Quòd ſi verè noſter C
verequè Mediolani paſſus ille fuit Nazarius, cuius ipſe mentionem no-
bis faciebat ſuperiore Numero 7. ac Libri ſui *De Gloria Martyrum* Ca-
pite 47. nihil ego quidem nunc ambigam, quin itidem noſter ille ſit,
cuius mentionem pariter ipſe fecit eodem Libro, Capite 61. Quòd ſi
fortè vice verſa prior ille re vera, non Mediolani, ſed apud Ebredu-
nenſem in Gallia Vrbem paſſus eſt; equidem fateor, hæſitari nonnihil
poſſe, an hic, poſteriori Capite memoratus, verè ſit vnus idemquè cum
illo, an potiùs diuerſus, verequè noſter. Reſeruato igitur Lectoribus
certiori hac de re iudicio, ego interim Nazarium hunc computabo noſ-
trum, eoquè propterea lubentiùs Gregorij verba hic depromam. Sic
autem ille narrabat eo Capite 61. *In Territorio quoque Vrbis Namneticæ, in* D
Vico quodam ſupra alueum Ligeris, BEATI NAZARII RELIQVIÆ
CONTINENTVR. *Igitur quodam tempore homo deuotus balteum, ex auro*
puriſsimo cum omni apparatu ſtudioſiſsimè fabricatum, ſuper Altare Baſilicæ
illius poſuit, orans, vt in cauſis ſuis Martyris virtus dignaretur adeſſe. Quo
recedente, Britto quidam ex ſatellitibus VVarochi, Britannorum Comitis, &
primus cum eo adfuit: ablatoquè violenter apparatu baltei, ipſum quoque bal-
teum repetic. Renitente Presbytero, ac dicente, Dei res hæ ſunt, & ad refi-
ciendos pauperes Sancto Martyri ſunt collatæ, ne famem peſsimam patiantur,
qui huic Templo fideli deuotione deſeruiunt, vnde tu potiùs huc aliqua inferre,
non auferre, debebas; non molliuit hominis auari animum Abbatis illius prædi-

catio; ſed potiùs ſuccenſus, minari ei cœpit, ac dicere: Niſi ſine mora refude- A
ris balteum; manu mea interimeris. Tunc victus Abbas ſpeciem ſuper Altare,
quo ſancta teguntur pignora, collocauit, dicens: En ipſam, quam petis, reculam:
ſi metus de virtute Martyris nullus eſt; aufer. Erit enim, vt confidimus, de
veſtigio iudex, ſi ea offerre (legendum videtur *auferre) præſumpſeris. At*
ille, nihil metuens, abſtulit: iubens, ſibi equum ante ipſam Baſilicæ porticum
præparari. Cui ait Sacerdos: Nullus vnquàm in hoc loco equum præſumpſit
aſcendere. Da, quæſo, gloriam Deo, & honora Martyrem; ne mali aliquid
patiaris. Ille verò, mandata negligens Sacerdotis, aſcenſo in atrio ſancto equi-
te (ſeu equo) *vbi egredi venit, percuſſo ad portæ limen ſuperius capite, ad*
humum teſta diſrupta corruit: manibuſquè ſuorum deportatus, vt tugurium cu-
iuſdam pauperculæ, quod erat proximum, eſt ingreſſus, protinùs ſpiritum exha- B
lauit. Quod VVarochus audiens, & res, quas hic abſtulit, reſtituit, & de ſuo
proprio multa contulit, pauore perterritus. Hucuſque Gregorius Turonenſis
de hoc Martyre Nazario. Quòd ſi adhuc in eo ſupra Ligeris Fluuij
alueum Vico Baſilica extat, Martyri Nazario conſecrata; quàm ego cu-
perem inueſtigare, quoto die celebritas eiuſdem Martyris anniuerſaria
celebretur! Hinc enim fortaſsè dignoſci poſſet, quinam præcisè fuerit
Martyr ille Nazarius: hoc eſt, Mediolaninè paſſus, an apud Ebredu-
num. Ac ſi ne hoc quidem ſatis ex eo die diſcerni poſſet; fortè ſaltem
diſcerneretur ex incolarum traditione, qua propriam commemorant eius
Martyris Vitam. Et hæc ipſa fortè obſeruatio valeret etiam; ſi qua in
præſenti perſeuerat apud Ebredunum Baſilica, Martyris Nazarii appel- C
lationem ſortita. Gallos igitur ego interim precabor, vt rei veritatem
talibus etiam ex indicijs elicere conentur.

CAPVT L.

Sanctus Ambroſius Concionem ad Populum habet Mediolanenſem in die natali Sanctorum Nazarij & Celſi. An ipſis quoque illum cecinerit Hymnum, quo iamdudùm Eccleſia Mediolanenſis in eorum celebritate vti ſolet.

I. SAnctorum interea Nazarij & Celſi dies, per martyrium Cæ- D
lo ac beatæ vitæ natalis, feſtiuitate anniuerſaria ſolemniter,
& cum ſuis Vigilijs (vt Capite 45. præmonebamus) in Vrbe
noſtra Mediolano celebrabatur. Sermo itaque adhuc extat
vnus, planè quidem diuinus & admirabilis, æternaquè me-
moria & aureis characteribus ac tabulis dignus, quem Ambroſius eo
die ſemel ad Populum habuit; tametſi alteri Auctori hunc adſcribant
aliqui Doctores; inter quos Carolus quoque noſter à Baſilica Petri.

II. Idem ipſe Carolus pro ſemetipſo cauſam primus dicat: tum verò fautores
quoque noſtros ac denique Sermonem ipſum proferemus. Ille igitur in

Caio

Caio Archiepiſcopo noſtro Tertio, ſummatim complexus Nazarii Vitam; ſic etiam de ipſo proſequebatur: *Multis nominibus à Patria mea* (Mediolano) *venerandus; quòd præſentia ſua, exemplis, doctrina, & ſanguine demùm eam decorauerit: quæ adhuc ſacras vtriuſque Martyris* (Nazarii & Celſi) *Reliquias ſanctè cuſtodit; ita tamen, vt, quemadmodum Sanctus Maximus Taurinenſis loquitur, quamuis totum Corpore retineat, Mundo tamen totum in benedictione tranſmittat. Cuius Maximi eſſe Sermonem illum, qui Sancti Ambroſij Sermonibus vltimus appoſitus de his Martyribus eſt, equidem dubitandum non arbitror; cùm legenti facilè ſe idonea argumenta oſtendant, quæ Ambroſium negent Auctorem. Atque ex eo nonnulla ſub Maximi nomine citat Radulphus Tungrenſis in Libro De Canonum Obſeruantia; licet ſciam, aliud Lipomano & alijs viſum fuiſſe.* A

III. His vtique viſus ille fuit genuinus ac legitimus eſſe Ambroſii Sermo. Itaque Baronius etiam ſuis ad Martyrologium Notis die 28. Iulij hanc item interſerere non dubitauit: *De Nazarij & Celſi die natali extat Sermo Sancti Ambroſij, decimus-quartus de Sanctis, editionis Romanæ: quem etiam habet Lipomanus Tomo Sexto, & Surius Tomo Tertio, 12. Iunij.* Surius namque ibi hunc eidem Sermoni titulum præmiſit: *Vita Sanctorum Martyrum Nazarij & Celſi, per Diuum Ambroſium, Epiſcopum Mediolanenſem, ſcripta.* Sic etiam ibidem in ora marginali eſt additum: *Habetur in fine Sermonum eius, nuper in lucem edita è Bibliotheca Cluniacenſi.* Eiuſdem porrò ſententiæ fuit etiam Bellarminus Libro 2. De Reliquiis Sanctorum, Cap. 3. Bartholomæus Gauantus Tomo Secundo Theſauri Sacrorum Rituum, ſeu Commentariorum in Rubricas Breuiarij Romani, Sectione 7. Cap. 9. ad 28. Iulij diem. Quòd autem Baronius aſſerebat, Sermonem illum cæteris Ambroſii Sermonibus connumerari decimum-quartum in editione Romana, hoc profectò intelligebat de Anni 1585. editione illa ſupra vetuſtiores emendatiori, quam Sixtus Papa Quintus ante ſusceptum Pontificatum diſpoſuerat multorum annorum ſtudio, quamquè creatus Pontifex commendauit luculento Diplomate, dato Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 14. Septembris, eodem Anno Domini 1585. Pontificatus ſui Primo: cuius editionis ac Diplomatis ego quoque mentionem iam feci Capite 7. Num. 3. & Cap. 37. Num. 15. Certè autem ſuperiori quoque Anno 1564. Petrus Galeſinius Romæ pariter imprimenda curauerat Sancti Maximi Taurinenſis Opera, ſicut & Saluiani Epiſcopi Maſsilienſis, & aliorum trium Eccleſiæ Patrum: atque etiam impreſſa vnicoquè Volumine comprehenſa dedicauerat Sancto Cardinali & Archiepiſcopo noſtro Carolo Borromæo; neque tamen eum de Sanctis Nazario & Celſo Sermonem Operibus Sancti Maximi accenſuit; quippe quem, non ipſius, ſed Sancti Ambroſii re vera eſſe credebat; ſicut etiam ex eius conſtat Notis ad ſuum Martyrologium die 28. Iulij. Qualiſnam verò fuerit eiuſmodi Sermo, hic item inſpice Lector, ac benè attentus examina. Quò enim accuratiùs eum legeris; ego quidem ſpero fore, vt eò magis idonea ſe tibi

tibi offerant inde argumenta, quæ Ambroſium aſſerant auctorem, non A
quæ negent; vt aiebat Carolus à Baſilica Petri.

IV. Sermo igitur ille inter Ambroſii Opera, Pariſiis Anno 1619. recuſa ex editione illa Romana, ſic ad verbum ſe habet: *Etiamſi Martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus; proprijs conſulere vtilitatibus & commodis probaremur. Noſtros enim eos fides faceret, & remotis quàmlibet finibus ſperata nobis patrocinia conrogarent. Studiorum ſiquidem ſunt huiuſmodi ſuffragia, non locorum. Proinde apud Domeſticos Dei tantum interceſſionis promeruimus, quantum venerationis impendimus. Oportet itaque, vt alienos potiùs nobis deuotio religioſa conciliet, quàm fortè proprios à nobis negligentia irreligioſi teporis alienet.*

V. *Agnoſcamus, Chariſſimi, circa Eccleſiam noſtram vberiorem diuinorum munerum* B
largitatem. Exultant felices ſingularum Vrbium Populi, ſi vnius ſaltem Martyris Reliquijs muniantur. Ecce nos Populos Martyrum poſſidemus. Gaudeat terra noſtra, nutrix Cæleſtium Militum, & tantarum parens fœcunda virtutum.

VI. *Rectè itaque & ex debito à filijs parentis Eccleſiæ horum Beatorum Martyrum celebrantur inſignia: qui, illuminantes virtute fidei ſuæ innumerabiles Populos, ſoli quidem illatam ſibi ſenſere mortem, ſed non ſolum* (hic etiam legendum videtur *ſoli*) *mortis ſuæ beneficia poſſederunt. Immenſa enim Dei noſtri pietas, multiplex ad bonitatem, & artifex ad ſalutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore pretioſam, in paucorum triumphis, plurimorum commodis proſpicit. Illorum ſiquidem merita, noſtra vult eſſe ſuffragia: ſimulquè,*
dum nobis fidem veram duro martyrij agone commendat, afflictionem præce- C
dentium, inſtructionem efficit poſterorum. Quanta eſt circa nos Dei noſtri ſolicitudo! Illos examinat, vt nos erudiat: illos conterit, vt nos adquirat: eorumquè cruciatus, noſtros vult eſſe profectus. Meritò ergo eos colimus, qui periculis ſuis pugnant, & noſtris vtilitatibus militant: qui per lucis vitaquè contemptum edocent nos, quantum Deo noſtro debeamus affectum.

VII. *Nouerimus itaque, quia non ſine magno diſcrimine de Religionis veritate dubitamus, quam tantorum ſanguine confirmatam videmus. Magni periculi res eſt; ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem, quaſi nouellam, diſcutere præſumas; & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas; & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas.* D

VIII. *Congratulamur ergo (Dilectiſsimi Fratres) magnæ fidei veſtræ: per quam dum exules profluа charitate ſuſcipitis, etiam Incolas Paradiſi, & Cæli Ciues habere meruiſtis. Beatum itaque Nazarium Martyrem Chriſti, Sancta Mediolanenſis Eccleſia licet totum Corpore ſecum retineat; & Mundo tamen totum in benedictione tranſmiſit. Hæc eſt enim Sanctorum Martyrum gloria: quorum etſi per vniuerſum Mundum ſeminetur in cineribus portio; manet tamen integra in virtutibus plenitudo.*

IX. *Veneramur ergo in tanto Chriſti Milite Fidem noſtram. Mater namque martyrij Fides Catholica eſt, in qua iſte illuſtris Athleta ſanguine fuſo mortem pro ipſa calcauit: mater, inquam, martyrij Fides eſt. Veneremur ergo in Sanctorum*

Martyrum

Martyrum gloria Fidem noſtram. Quomodo Fidem noſtram? Ab iſtis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, ſpes immortalitatis euidenter aſſeritur. Numquàm enim hanc vitam tam conſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione ſentirent. In Sanctis itaque Præconibus veritatis, reſurrectionis auctoritas eſt. Prompti enim pereunt, in melius reparandi, quibus per anguſtias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum. A

X. *Vnde & Beatus Nazarius, cuius hodie glorioſam de Mundi Hoſte victoriam vniuerſalis Eccleſia feſta exultatione concelebrat, cùm tempore Gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus exiſteret; ſacrilegi adhuc puer genitoris militiam ſimul & doctrinam deteſtari ex improuiſo cœpit; atque ab innocente matre, quæ iam Chriſtianæ Fidei titulis inſignita Chriſto ſedulè inſiſtebat, ſacroſanctæ regenerationis Fluenta, fidelis iam ſpiritu ac fide, inſtituta præueniens, demonſtrari ſibi flagitabat. Nondùm ſiquidem Baptiſmum conſecutus, ſed inter Religionis principia conſummatus: &, nondùm manifeſtatis ſibi legibus, Deo plenus, repentè poſſeſſio atque habitaculum Dei factus eſt: atque ita peruenturæ vſque ad cælos turris priùs eleuaret faſtigium, quàm diſponeret fundamentum, nondùm ſacramentorum conſcius, & in ſacrificium iam præelectus.* B

XI. *Quid ad hæc nos infelices reſpondere poterimus? qui poſt nitorem Baptiſmi, poſt collatum nobis ſacra regeneratione candorem, poſt adquiſitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem, in peccatorum cœnum relapſi, & in antiqua criminum volutabra reuoluti, niueum veſtimentum tetris iniquitatum ac libidinum contagijs ſordidamus: & holoſericam, in qua ſigillum diuinæ imaginis acceperamus impreſſum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus, & poſt ſingularem Dei noſtri indulgentiam innouata fœdamus, integra reſcindimus, expiata violamus, repetentes opera, non iam vndis purganda, ſed flammis.* C

XII. *Quid illud, quamquè inſigne diuinæ gratiæ munus, quòd accepto tam ſalutari Lauacro, poſt innumera virtutum ſigna, poſt peragratas circumquaque ob Chriſti prædicationem innumeras regiones, cùm pro Dei Summi confeſſione diuerſa per ſupplicia aduersùs eum totus penè Orbis bacchraetur, & nunc atrociſſimis arctaretur pœnis cruciandus, nunc in longinquis finibus tranſueheretur exulandus; ita robuſtiſſimo Chriſti Athleta pectore tormenta omnia deuincebat, vt ſtrenuum de proſtrato reportaret Hoſte trophæum, interquè cruenta Cæſaris iuſſa vaſti Maris deiectus gurgitibus ambulare ei diuina ſuper aquas conceſſum eſt prouidentia; & rerum obſtupeſcente natura, per inſueti itineris nouas vias pendulum inferens greſſum, tumentia Maris dorſa calcauit? Videres æquoreas Sancti ſubſterni meritis vndas, ſupraquè angelicis confortatum alloquijs in Chriſti Ieſu laudibus exultare.* D

XIII. *Ecce profanus Hoſtis numquàm Beato Martyri tantùm prodeſſet obſequio, quantùm profuit odio. Sed tandem perfecto agonis certamine, cum Celſo puerulo, quem ipſe Deo in holocauſtum de polluto adſumpſerat ſæculo, crudeli imperio damnatione abſoluitur, gladio conſecratur. Felix hic tali exitu: quo omne delictum ita ab eo exijt, vt etiam redire non poſſit: quo ſic debita ſua ſoluit, ne vltra creditorem timeret: quo in ſe hoſtium peccata fide clauſit, fide damnauit:*

per

per quem innocentiam deuotione quæſiuit, perſeuerantia inuenit, morte ſeruauit. A

XIV. *Quæ cùm ita ſint (Chariſſimi) licet tantus Chriſti Teſtis, pretioſus confeſſione, pretioſior ſanguine, crudeli vulnere pretioſior, & tunica veſte candidior: licet hic Mediolanenſium peculiaris putetur priuilegio Sepulchri; ſed omnium eſt communione ſuffragij. Neque enim iſtius Vrbis charitas profuſa & fides auara tantum huic Martyri derogauerit, dum ſibi arrogat, vt ſolum erga mœnia ſua patrocinij illius beneficia adfutura eſſe crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocaſti vbique Martyrem: vbique te exaudiuit ille, qui honoratur in Martyre. Moderante itaque eo, qui penſat vota tua, & diſpenſat munera ſua, in tantum vicina præſentia efficacis præbebitur Aduocati, in quantum fuerit fides deuota ſuſcepti. Oratio enim, quæ caſtitatis iuſtitiæ eleemoſynarum operibus adiuuatur, excedit Mundum, penetrat Paradiſum, euolat* B *vſque ad ipſum Summæ Maieſtatis, Angelo conferente, conſpectum; ſicut quodam loco vox teſtatur Angelica. Et cùm tu (inquit) orares; ego obtuli orationem tuam in conſpectu claritatis Dei. Beata anima (Chariſſimi) cuius votum, cuius compunctionis incenſum, cuius ſupplicationis holocauſtum, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla ſæuitia cruentatum, nulla odij ſimultate maculatum, ſed fide igneum, conſcientia nitidum, ſinceritate cordis odorum, concordia & charitate perfectum, vſque ad Dei vultum per Cæleſtium Nunciorum defertur obſequia.*

XV. *Quæ cùm ita ſint; honoremus Beatos Martyres, Principes Fidei, Interceſſores Mundi, Præcones Regni, Cohæredes Dei. Quòd ſi dicas mihi: Quid honoras in carne iam reſoluta atque conſumpta, de qua nulla iam Deo cura eſt? Et vbi eſt* C *illud (Chariſſimi) quod ipſa Veritas loquitur per Prophetam? Pretioſa (inquit) in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Et iterùm: Mihi autem valde honorificandi ſunt Amici tui, Deus. Honorare debemus Seruos Dei; quantò magis Amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus (inquit) cuſtodit omnia oſſa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis, honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres, honoro in cineribus ſemina æternitatis: honoro Corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent Corpus illud Fideles, quod reuerentur & Dæmones? quod & adflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in Sepulchro. Honoro itaque Corpus, quod Chriſtus honorauit in* D *gladio, quod cum Chriſto regnabit in Cælo.*

XVI. Talibus conceptus verbis eſt Sermo ille, quo Ambroſium ego mihi videbar & adhuc videor audire in Apoſtolorum Baſilica ſuos ac noſtros eius temporis Mediolanenſes in anniuerſaria Sanctorum Nazarij & Celſi feſtiuitate alloquentem. Quoniam igitur illic apud ipſos ſacrum Nazarii Corpus quieſcebat; idcircò etiam ſolicitè ipſos admonet, ne ſibi ſatis hoc eſſe putent ad impetranda eius patrocinia & ſuffragia: Hæc enim, non locorum propinquitate, ſed piis obtineri votis ac ſtudiis, ſed veneratione, ſed religioſa deuotione, ſed oratione, ſed fide. Martyrem proinde ipſum priuilegio Sepulchri verè quidem proprium ac peculiarem

Medio-

Mediolanenſium exiſtimari patronum; atqui nihilominùs aliorum quoque omnium Fidelium patronum eſſe communione ſuffragii. Mediolanenſem pariter Eccleſiam, licet Nazarium Corpore ſecum retineat totum; nihilominùs etiam totum in benedictione tranſmiſiſſe Mundo vniuerſo. Agerent igitur Mediolanenſes, & impensè Martyrem honorarent: & in carne quidem iam reſoluta & conſumpta, ſiue mortua (quam vtique ſicut & Corpus ipſi ſecum habebant ſoli præ cæteris Fidelibus) ſed honorem ſibi nihilominùs ac venerationem, tamquàm ex diuino decreto, promerita. A

XVII. Quòd autem Numero v. lætus ex Ambroſii noſtri ore audiebam inſigne illud Eccleſiæ Vrbiſquè Mediolanenſis priuilegium, quo POPVLOS MARTYRVM POSSIDERE aſſerebatur; eiuſdem profectò priuilegii non leue indicium eſſe poteſt illud, quod à Gualuaneo Flamma multis in locis affirmatum eſt; cùm Imperatoris Maximiani geſta deſcriberet. In ſuo quidem Manipulo Florum, qui mihi nunc ad manum eſt, ſic aiebat Capite 37. *Item Thermas Herculianas, id eſt Balnea calida, iuxta ſuum Palatium (quod dicitur Maximianum) Herculi conſtruxit: &, quod multò plus eſt,* INSIGNEM INNVMERABILIVM MARTYRVM ROSEO CRVORE SVPER CÆTERAS VRBES DECORAM REDDIDIT IN TANTVM, QVOD CÆMETERIVM SANCTI EVSTORGII SEXDECIM MILLIVM MARTYRVM REPLETVM ESSE DICITVR; *tum quia ibi erat locus Baptiſmatis* (videlicet ad Fontem, qui nunc etiam *Sancti Barnabæ* appellatur) *tum quia ibi erat lutum infinitæ putredinis, quaſi ſepulchrum omnis bruti animalis.* Eamdem porrò loquendi formulam Sanctus Eucherius, Lugdunenſis Epiſcopus (de quo legi poſſunt Bellarminus in Libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis ad Annum 440. & Claudius Robertus in Galliæ ſuæ Chriſtianæ Catalogo Archiepiſcoporum Lugdunenſium, Num. 20.) mihi videtur ab Ambroſio noſtro mutuatus. Andreas quippe Sauſſayus, in Epiſtola ſui Martyrologij Gallicani Nuncupatoria, Gallicanam Eccleſiam eo etiam nomine ab ipſo commendatam recenſuit, quòd VNA IN VRBE POSSIDERET MARTYRVM POPVLOS. B C

XVIII. Cæterùm è ſuperiori Sermone illud etiam Numero x. mihi quidem notatu dignum videtur, quòd Ambroſij tempore, poſteaquàm ſacra Nazarii & Celſi Corpora inueniſſet, natalis eorum dies, non ſolùm ab Eccleſia Mediolanenſi, ſed ab vniuerſa etiam Eccleſia Catholica, quotannis celebraretur. D

XIX. Ex Ambroſij Concione aures nunc ad Hymnum conuertimus illum, quem de Sanctis itidem Nazario & Celſo Eccleſia Mediolanenſis decantare ſolet: ac tanto iam ex tempore, vt eum ego in antiquiſsimis etiam inuenerim Officii Ambroſiani Codicibus manuſcriptis, qui meas adhuc ad manus peruenerunt. Vtrùm igitur eius auctor verè fuerit Ambroſius: hoc nobis erit proximæ quæſtionis argumentum. Ille verò ſic ſe habet:

Sacri triumphale tui. A
Chriſti Bellator inclyte,
Quo arma fides, & Crucis
Trophæum vernat prælij.
Modis canora myſticis
Nunc turba laudem concinit,
Nazari, lux, vitæ decus,
Apoſtolorum particeps.
Petri coronaris fide,
Paulique dogma nobili:
Vngente Lino Præſule,
Sancto muniris Spiritu. B
Celſum, hæredem ſanguinis,
Hæredem tanti nominis,
Pari coronatum fide,
Chriſto libaſti victimam.
Cælo locans ſubſtantiam,
Aerugo quam non deuorat;
Gentes trahens ad gratiam,
Talenta ſacra duplicans.
Sic elementum liquidum
Fixis premens veſtigijs,
Reddis ereptos patriæ, C
Morti tributos æquoris.
His ita geſtis, Inclyte,
Sancto reciſus vertice,
Coronam inſignem ferens,
Vitæ niteſcis præmio.
Vota precantum ſuſcipe
Precator ò egregie,
Amator & verbi Dei,
Ac Doctor euangelice.
Gloria tibi Domine &c.

Hucuſque igitur Hymnus, nobis Ambroſianis inter Horas Canonicas vſitatus. Verumtamen hunc Ambroſii non eſſe, mihi quidem perſuaſum hæret per ea præſertim verba, quibus Nazarius aſſeritur à Lino Præſule vnctus, hoc eſt, à Sancto Lino Pontifice Romano baptizatus; quemadmodum ego etiam ſuperiore Capite 4. recenſebam. Non enim viuente Ambroſio innotuerat, quandonam Nazarius martyrium conſummaſſet. Quocirca Paulinus etiam in eiuſdem Ambroſij Vita quàm liberrimè de Nazario pronunciabat: QVI QVANDO SIT PASSVS, VSQVE IN HODIERNVM SCIRE NON POSSVMVS: & hoc ille (ſicut ego interpretor) pronunciabat, non tam de die vel menſe, quàm de Imperatore atque Anno, quo Nazarius occubuiſſet. Sic igitur ne D

tunc

tunc quidem crediderim ego fuiſſe notum, quo pariter adminiſtro Nazarius Baptiſmum ſuſcepiſſet. Reliquum ergo nobis erit, vt ſuperiorem Hymnum credamus compoſitum fuiſſe nonniſi poſt obitum Ambroſij, quinimmò poſt notitiam eius temporis, quo Nazarius martyrium ſub Nerone paſſus fuiſſet: de cuius temporis notitia tunc ego diſſeram præſertim, cùm ad Ennodii Ticinenſis Epiſcopi teſtimonium, Hymnumquè pariter Nazarianum, peruenero. A

CAPVT LI.

De annua Cleri Mediolanenſis Proceſsione ad Eccleſias, in quibus condita ſunt Corpora Sanctorum Nazarij & Celſi: dequè Cleri eiuſdem maieſtate. B

I. EIuſmodi Sanctorum celebritatem non ſine ſolemni Proceſſione recoli iam inde ab initio cœpiſſe, teſtimonio nobis poterit Landulfus eſſe Senior, dum Cleri quoque Mediolanenſis per ea Sancti Ambroſij tempora decorem ſimul ac maieſtatem ob oculos proponit. Chronici ſui Mediolanenſis Libro 1. Cap. 2. de Septuagintaduobus egerat Sacerdotibus, ab eodem Ambroſio hac in Vrbe inſtitutis. Tum Capite 3. quod eſt *De Primicerio*, ſic proſequitur: *Quibus benè compoſitis, ſalubriterquè ordinatis, quemdam Sacerdotem & religioſum Virum,* QVI PRIMICERIVS VOCARETVR, *præpoſuit: qui, quaſi Coepiſcopus, circa omnes in crimine laborantes poteſtatem* A SANCTO AMBROSIO MAGISTRO ACCEPIT, *vt, quod Epiſcopus implere per ſe non poſſet, Coepiſcopus,* QVI PRIMICERIVS VOCABATVR, *circa illos implere curioſè ſtuderet. Quinetiam locum, in quo omnes conuenirent, inſigniuit, quod* PRESBYTERIVM *vſque modò à cunctis vocitatur: vbi omnes Sacerdotes Vrbani, in ſexta feria vel Kalendis conuenientes, curioſè in diuinis miniſterijs ſingulos perſcrutabantur.* Et aliquantò pòſt explicans, quàm diligens quiſque illorum eſſet in officio ſuo exequendo, ſic concludit: *Vnde accidit, vt, dum quidam Dux Gothorum extraneæ gentis, nomine Ruilas, illos* IN FESTIVITATE SANCTORVM NAZARII ET CELSI, *& ad ſilentium politè ornatos,* ET CVM EPISCOPO GRADIENTES, *inopinatè ſuperuidiſſet; non illos tantùm Sacerdotes, ſed Epiſcopos credidit & affirmauit, dicens: Certè cùm ego ferè Orbem terrarum iuſſu Valentiniani Imperatoris circumdedi & vidi, inquirens vſum & mores ipſos, maximè & religioſorum Epiſcoporum;* NVNQVAM TAMEN TANTO STVPORE ET TAM INEFFABILI ADMIRATIONE OBRIGVI. *Qui videns & admirans hæc, parùm ſubſtitit: tandem abijt, ſecum mirans quæ viderat.* C D

II. Clerus nempè Metropolitanus apparatu pompaquè ſolemni quotannis in eorum Martyrum natali feſtiuitate procedebat ad Baſilicam Apoſtolorum,

rum, in qua ſiquidem Corpus Nazarii collocatum eſſet; ſicut etiam poſ- A
tera die procedebat ad Eccleſiam Sancti Celſi; quia nimirùm pariter il-
lius Corpus ibidem requieſceret. Prior tamen ea Proceſsio longè ſolem-
nior erat: deque ipſa rursùs nobis agendum erit infra, cùm ad Beroldi
noſtri tempora, ſiue ad Annum Domini circiter Milleſimum centeſimum
vigeſimum-tertium, peruenerimus. Breuiter interim eius vtimur Ca-
lendario, ad finem codicis eius collocato: in quo quidem ſic legitur:
Sexto Idus Maij, TRANSLATIO SANCTI NAZARII A SANCTO
CELSO (videlicet ab eo loco, in quo ſita eſt Sancti Celſi Eccleſia) AD
SANCTVM NAZARIVM, ſiue ad ipſius Eccleſiam. Deinde autem:
Quinto Kalendas Auguſti, Sanctorum Martyrum Nazarij & Celſi. AD BA-
SILICAM APOSTOLORVM, IN QVA CORPVS BEATI NA- B
ZARII QVIESCIT. Denique: *Quarto Kalendas Auguſti*; PROCES-
SIO AD SANCTVM CELSVM. Et hac de re ſatis in præſenti.

CAPVT LII.

Sanctus Ambroſius Baſilicam ſuam ſacris picturis ac verſibus exornat.

I. EN vt ad pium ac religioſum Baſilicæ ſuæ ornatum Ambro-
ſius in ea varias è Nouo ac Veteri Teſtamento hiſtorias cu-
rauit pingendas, eaſquè proprijs etiam Diſtichis cuiquè ad-
iectis expreſsit. Tametſi verò nullæ ibidem nunc appareant C
eiuſmodi picturæ & carmina; hæc ipſa tamen carmina ex-
tant alibi; eademquè ſatis ſuperquè commonſtrant, quales etiam exti-
terint picturæ ipſæ, hiſtoriæquè. Poſtrema ſiquidem Operum Sancti
Ambroſij editio, in fine Tomi Quinti ſic habet: DISTICHA SAN-
CTI AMBROSII DE DIVERSIS REBVS: QVÆ IN BASILICA
AMBROSIANA SCRIPTA SVNT. Quocirca etiam ſubinde ſingil-
latim aſteriſco interiecto diuiſa recitantur.

II. Ea verò ſunt huiuſmodi:

Transfiguratio Domini in Monte. D

Maieſtate ſua rutilans Sapientia vibrat,
Diſcipuliſquè Deum, ſi poſsint cernere, monſtrat.

*

Aſpice Iohannem recubantem in pectore Chriſti,
Vnde Deum Verbum aſſumpſit pietate fateri.

*

Angelus affatur Mariam, quæ, parca loquendi,
Ora verecundo ſoluit ſuffuſa rubore.

*

Præſtolatur oues ſponſæ de Gentibus Iſaac:
Ecce Rebecca venit, ſublimi vecta camelo. A

*

Iacob fraude bona patri dum ſuggerit eſcas,
Præcipit eulogiam: ſed dulcia fruſta lucratur.

*

Ecce feri norunt Sanctis deferre Leones,
Atque famem cohibere metu, Vatemquè vereri.

*

Ioſeph, manipulus Chriſti Crux, ſtellaquè Chriſtus,
Quem Sol Luna Deum terræ (aliter *cæli ſtellæ*) *quoque adorant.*

*

Ficta quidem Iacob natis, ſed vera loquutus. B
Beſtia germano quòd ſit mens inuida fratri.

*

Prælati inuidia fratrum quoque pectora mouit:
Seruitioquè datus patrio dilectus amore.

*

Nil ſtatus inferior præclaris moribus obſtat:
Deformem Dominæ condemnat ſeruus amorem.

*

Aetherium ſpectare polum Patriarcha iubetur,
Stellarumquè modo ſobolem ſperare micantem. C

*

Offert progeniem ſanctis altaribus Habran:
Patris ei eſt pietas charo non parcere Nato.

*

Hoſpitio largus Chriſtum quoque ſuſcipit Habran:
Sarra pudore lætis fida pietate miniſtrat.

*

Paſcit oues Iacob varias: vos diſcite Vates,
Diuerſo Populos virtutum adſueſcere cultu.

*

Zacheus in ramo eſt, rapti iam prodigus auri, D
Fœminaquè immundum miratur ſtare cruorem.

*

Diſparibus victum Populis prænunciat vnum
Iſaias Vates, ſocians armenta leoni.

*

Hic eſt Hieremias, ſacratus Matris in aluo,
Hoſtia cui Dominus ſæpè monſtratur vt agnus.

*

Helias aſcendit equos curruſquè volantes,
Raptus in ætheriam meritis cæleſtibus aulam.

*

Ara

Arca Noe noſtri typus eſt, & Spiritus ales, A
Qui pacem Populis ramo prætendit oliuæ.

*

Pendet Abiſalon aſtrictus in arbore guttur,
Ne cælum patricida ferus macularet humumquè.

*

Excipit innocuo viuentem bellua morſu
Cetus, & ad terras Ionam grauis adtulit aluo.

*

Hactenùs Diſticha & Inſcriptiunculæ, quibus Ambroſius ſacras hiſtorias, in Baſilica ſua pictas, ad faciliorem amænioremquè ac magis proficuam intelligentiam illuſtrabat. B

III. Simile verò quiddam per ea fermè tempora factum etiam recordor à Sancto Paulino, Epiſcopo Nolano, & Ambroſij noſtri familiariſsimo. Quamobrem Auctor eius Vitæ, quam Capite 49. Num. 5. collaudabam, cùm in Secunda Parte recenſuiſſet ipſius pietatem erga Sanctum Epiſcopum ac Martyrem ſuum Felicem: atque hunc ab ipſo ſuis carminibus redditum aſſeruiſſet illuſtriorem; tum verò protinùs explicans, quemadmodùm ab ipſo Baſilicis etiam fuiſſet illuſtratus; ſic ſcribebat: *Deinde verò ædificatis excultiſquè Baſilicis, & ſacra pictura è Veteri ac Nouo Teſtamento ornatis. Quæ ſacra magnificentia mirè valuit & ad frequentandas aduenarum cateruas, & ad ſacrum Natalem Martyris religioſè colendum. Hac enim ſalutari induſtria viſum eſt Paulino capi poſſe detinerique hominum lumina ac mentes: & commeſſationes ſenſim tolli, quæ ex Ethnica ſuperſtitione paſſim inter Chriſtianos retinebantur, nec è mortalium, præſertim ruſticorum, eradi moribus poterant. Addiderat picturæ titulos: & rationem conſilij ſic explicat:* C

vt, dum picta viciſsim
Oſtendunt releguntquè ſibi, vel tardiùs eſcæ
Sint memores, dum grata oculis ieiunia paſcunt:
Atque ita ſe melior ſtupefactis inſerat vſus,
Dum fallit pictura famem, ſanctaſquè legenti
Hiſtorias, caſtorum operum ſubrepit honeſtas,
Exemplis inducta pijs: potatur hianti
Sobrietas, nimij ſubeunt obliuia vini. D

CAPVT.

CAPVT LIII. A

Diuturno confectus morbo Sanctus Ambroſius moritur Anno Domini 397. & ex Epiſcopio ſtatim delatus in propinquam Eccleſiam Maiorem, ad Baſilicam deinde Ambroſianam tumulandus defertur, ibiquè medius inter Sanctos Protaſium ac Geruaſium ſepelitur. Cur eius Depoſitio coniecta fuerit ab Eccleſia Romana in quartum Aprilis diem, ab Ambroſiana verò in quintum.

I. PAulinus ille alter, à quo primùm Ambroſij Vitam litteris B
iam diximus conſignatam, primas in deſcribendo nobis eiuſdem Ambroſii obitu ac funere partes obtinebit; quippe qui præſens tunc aderat; nec aliter, quàm viderit, narraſſe credendus eſt. Ille igitur à poſtremo Ambroſii morbo ſic eſt exorſus: *Sed poſt dies hos ordinato Sacerdote Eccleſiæ Ticinenſi* (hoc eſt, conſecrato eius Eccleſiæ Epiſcopo, vt benè interpretatus eſt etiam Carolus à Baſilica Petri in Opuſculo *De Metropoli Mediolanenſi*, ad finem Numeri 9. vtquè vocabuli eius notio, identidem Paulino vſitata in hac Ambroſii Vita, depoſcit; & eò quidem magis, quia Sacerdos ille abſolutè pariter ac vniuerſim dicatur Eccleſiæ illi Ticinenſi ordinatus) *incidit in infirmitatem*; QVA CVM PLVRIMIS DIEBVS DETINERE- C
TVR IN LECTVLO; *Comes ſtilico dixiſſe fertur, quòd, tanto Viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ. Vnde, conuocatis ad ſe nobilibus Viris illius Ciuitatis, quos diligi à Sancto Sacerdote cognouerat, partim intermінaeus eſt illis, partim blando ſermone perſuaſit, vt pergerent ad Sanctum Sacerdotem; ſuaderent illi, vt ſibi viuendi peteret à Domino commeatum. Quod ille vbi audiuit; reſpondit*; NON ITA INTER VOS VIXI, VT PVDEAT ME VIVERE: NEC TIMEO MORI; QVIA DOMINVM BONVM HABEMVS. Quam quidem Ambroſii reſponſionem quantopere Sanctus commendarit Auguſtinus, luculenter in eius Vita legitur his explicatum à Poſsidio verbis: *Indicauerat quoque nobis* (Au-
guſtinus) *ſe prædicti & beatæ memoriæ Viri* (Ambroſii) *in vltimo vitæ* D
conſtituti, audiſſe ſapientiſsimum & pijſsimum reſponſum: & multum laudabat ac prædicabat. Nam cùm ille Venerabilis vltima iaceret ægritudine: & à Fidelibus honoratis, lecto eius aſtantibus, & videntibus eum de ſæculo migraturum ad Deum, & ob hoc mœrentibus tanti ac talis Antiſtitis Eccleſiam poſſe priuari verbi & ſacramenti Dei diſpenſatione, cum lachrymis rogaretur, vt ſibi à Domino vitæ poſceret commeatum; eum illis dixiſſe: NON SIC VIXI, VT ME PVDEAT INTER VOS VIVERE: SED NEC MORI TIMEO; QVIA BONVM DOMINVM HABEMVS. *Et in his noſter Auguſtinus ſenex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Ideò enim eum dixiſſe intelligendum eſt* NEC MORI TIMEO; QVIA

BONVM

Digitized by Google

BONVM DOMINVM HABEMVS; *ne crederetur præſidens de ſuis pur-* A
gatiſsimis moribus: præſumpſiſſe (aliter *præmiſiſſe*) NON SIC VIXI, VT
ME PVDEAT INTER VOS VIVERE; *hoc enim dixerat ad illud,*
quod homines de homine noſſe poterant. Nam ſciens examen æquitatis diuinæ,
de bono Domino ſe dicit magis, quàm de meritis ſuis, confidere: cui etiam in
Oratione quotidiana Dominica dicebat: Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos
dimittimus debitoribus noſtris. Talia Poſsidius ex ore Auguſtini, ſapien-
tiſsimum & admirabile illud Ambroſii pronunciatum interpretantis.

II. Sequitur Paulinus: *Eodem tempore, cùm in extrema parte porticus, in qua*
iacebat, in vno poſiti Caſtus, Polemius, Venerius, & Felix, tunc Diaconi,
ſecum tractarent, voce ita preſſa vt vix inuicem audirentur, quis poſt obitum
illius Epiſcopus ordinandus eſſet: atque cùm de nomine Sancti loquerentur Sim- B
pliciani; tamquàm intereſſet tractatui, cùm longè poſitus ab ipſis iaceret, appro-
bans exclamauit tertiò: SENEX, SED BONVS. *Erat enim Simplicianus*
æui maturior. Qua voce audita expaueſcentes fugerunt. Defuncto tamen eo,
non alius illi ſucceſsit in Sacerdotio, niſi is, quem ille bonum ſenem trina voce
ſignauerat. Cui Simpliciano Venerius, quem ſupra memorauimus, ſucceſsit.
Felix verò nuncuſque Bononienſem regit Eccleſiam. Caſtus autem & Polemius,
nutriti ab Ambroſio, bonæ arboris boni fructus, in Eccleſia Mediolanenſi Diaco-
nij funguntur officio.

III. *In eodem tamen loco, in quo iacebat (ſicut referente Sancto Baſsiano, Epiſcopo*
Laudenſis Eccleſiæ, qui ab eodem audierat, didicimus) cum oraret vnà cum
ſupradicto Sacerdote, videbat Dominum Ieſum aduenisſe ad ſe, & arridentem C
ſibi. Nec multos poſt dies ablatus eſt.

IV. *Sed & eodem tempore, quo migrauit ad Dominum, ab hora circiter vndecima*
diei vſque ad illam horam, qua emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum
Crucis orauit: nos verò labia illius moueri videbamus, vocem autem non au-
diebamus.

V. *Honoratus autem, Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cùm in ſuperiore domus ſe ad*
quieſcendum compoſuiſſet; tertiò vocem vocantis ſe audiuit, dicentiſquè ſibi:
Surge, feſtina; quia modò eſt receſſurus. Qui deſcendens obtulit Sancto Domini
Corpus. Quod vbi accepit, emiſit ſpiritum: bonum viaticum ſecum ferens; vt
in virtute eſcæ anima refectior, Angelorum nunc conſortio, quorum vita vixit
in terris, & Eliæ ſocietate lætetur. Quia, vt Elias numquàm Regibus vel D
vllis poteſtatibus; ita nec iſte pro Dei timore loqui veritus eſt.

VI. *Atque inde ad Eccleſiam Maiorem antelucana hora Corpus ipſum portatum eſt:*
ibiquè eadem fuit nocte, qua vigilauimus in Paſcha. Quem plurimi infantes,
baptizati, cum à Fonte venirent, viderunt; ita vt aliqui ſedentem in Cathe-
dra & Tribunali dicerent; alii verò ambulantem ſuis parentibus digito oſtende-
rent: ſed illi videntes videre non poterant; quia mundatos oculos non habe-
bant. Plurimi autem ſtellam ſupra Corpus eius ſe videre narrabant. Et hæc
quidem interim viſa ſunt in Eccleſia illa Maiore.

VII. *Sed luceſcente die Dominico* (verba ſunt eiuſdem Paulini, narrationem il-
licò ſuam proſequentis) CVM CORPVS IPSIVS, PERACTIS

SACRA-

Digitized by Google

SACRAMENTIS DIVINIS, DE ECCLESIA (nempè illa MAIO- A
RI) LEVARETVR, PORTANDVM AD BASILICAM AMBRO-
SIANAM, IN QVA POSITAS EST; *ita ibi Dæmonum turba clamabat,*
ſe ab illo torqueri, vt eiulatus eorum ferri non poſſet: quæ gratia Sacerdotis,
non ſolùm in illo loco, verùm etiam in plurimis Prouincijs vſque in hodiernum
manet. Iactabat etiam turba virorum ac mulierum Oraria vel ſemicinctia, vt
Corpus Sancti aliquatenùs ab ipſis contingeretur. Erat enim exequiarum turba
innumerabilis, totius dignitatis, totiuſquè ſexus, omniumquè penè ætatum, non
ſolùm Chriſtianorum, ſed etiam Iudæorum, & Paganorum. Maiore tamen gra-
tia ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati. Hactenùs Ambroſii obi-
tus ac funus, à Paulino narrata.

VIII. Sequitur nunc, vt pauculæ quædam planiùs innoteſcant obſeruationes, B
quas ex ipſius Paulini verbis nos elicimus. Ante omnia verò nemini
dubium erit, vt opinor, quin Ambroſius, tam diuturno implicitus
morbo, non in alio interim domicilio decubuerit, quàm ſuo, nimirùm
Epiſcopali, & in quo frequentiùs habitare ſolitus eſſet interea temporis,
quo hanc Vrbem incolebat. Ne id quidem quiſpiam ſanæ mentis infi-
ciabitur: videlicet, nonniſi propter locorum propinquitatem factum
eſſe, vt Ambroſium, noctu mortuum, antelucana ſubinde hora ex eo,
in quo mortuus fuerat, domicilio tranſtulerint ad Eccleſiam Maiorem.
Illud ergo domicilium ſatis erat huic Eccleſiæ propinquum: ac ſine du-
bio propinquius, quàm Baſilicæ foret Ambroſianæ. Quocirca frequen-
tior itidem atque vrbana Ambroſij habitatio non erat propè Ambroſia- C
nam Baſilicam, ſed propè alteram illam, cognomento *Maiorem*. Hanc
ipſam verò *Maiorem* iamdudùm ex Ambroſio didicimus, ac recenter
etiam Capite 47. Num. 4. meminimus, fuiſſe vnam eandemquè cum ea,
quæ ſimul etiam *Noua* & *Intramurana* vocitabatur. Tunc igitur Am-
broſij Epiſcopium erat etiam intra muros Vrbis, extra quos tamen erat
Ambroſiana Baſilica. Sicut ergo tunc Eccleſia illa *Maior*, *Noua*, & *In-*
tramurana, non alibi ſita erat, quàm in ea fermè Vrbis area, in qua nunc
Baſilica itidem Metropolitana, retento pariter *Maioris* cognomento,
conſiſtit; ſic etiam Epiſcopium Ambroſij tunc ibi fermè erat, vbi nunc
Palatium Archiepiſcopale conſpicitur. Quòd autem Capite illo 47.
Num. 4. ſicut etiam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 5. dice- D
bamus, Eccleſiam eiuſmodi *Maiorem* ſimul etiam fuiſſe Metropolitanam;
hoc ipſum rurſus è proximis Paulini verbis dignoſci poteſt. Ibi ſiqui-
dem propterea extabat etiam Cathedra & Tribunal illud Epiſcopale, in
quo Ambroſius, licet iam eſſet ea nocte mortuus, nihilominùs infanti-
bus illis, recenter baptizatis, decorus epiſcopali maieſtate conſidere vi-
uus videbatur. Per hæc igitur ego, tamquàm Paulini fretus teſtimonio,
non admiſerim, quæ de iugi ſolitaquè Ambroſij habitatione apud Am-
broſianam Baſilicam conſcribere Franciſcus Petrarcha non dubitauit.
Libro enim 2. *De Vita ſolitaria*, ſectione 3. Capite 2. ſic ille ſcribebat:
Ambroſius, apud Mediolanum magni Populi curam Deo volente ac cogente ſor-

titus, etſi, tam neceſſarij debiti tantiquè ſibi conſcius officij, continuè ſolitariam A
vitam degere non auderet; quotiens tamen & quibus potuit modis, quid opta-
ret, oſtendit. Habitauit, vt nunc eſt ambitus murorum, in extremo Ciuitatis
angulo, vbi adhuc ſacrum Corpus habitat, & ab eodem fundata ſacra Domus
ſtat (Baſilica nimirùm Ambroſiana) *ſumma deuotione percelebris, & magnis*
Populi frequentata concurſibus; tunc, quantùm certis indicijs intelligi datur,
longè ſemotus penituſquè ſolitarius locus erat. Qui tamen locus ne tunc qui-
dem ita ſemotus ac ſolitarius fuiſſe mihi quidem videtur; qualem cæte-
roqui re vera fuiſſe fateor alterum hunc, de quo ſcribere pergit Petrar-
cha.

IX. Subdit enim: *Ad hæc, quotiens epiſcopalibus curis liber, ac laboribus relaxa-*
tus, quos impellendis Arianis ab Eccleſia graues diuturnoſquè pertulit, aliquan- B
tiſper ſe negotijs ſubtrahere furariquè poterat; in ſecretiorem ſolitudinem ſe con-
ferre Sanctiſsimus Vir ſolebat. Sylua erat, quamuis proxima, contemplationi
tamen idonea: in medio parua domus, ingentis certè ſed humilis Viri capax;
quæ multò digniùs, quàm domus olim Metapontina Pythagoræ, in Templi, licet
exigui, ſpeciem verſa eſt. Nunc Sylua conuulſa eſt: mutatoquè loci habitu, ma-
net nomen. AMBROSII NEMVS *vulgò dicitur, ſiniſtrorsùs ad Orthoum*
latus: quod Amnis hic vndique magnis motibus (en, vt Fluuium Petrarcha
deſcribat, communiter à noſtratibus appellatum NERONIS; quia vide-
licet illum Nero Imperator ad Vrbem noſtram deduxiſſet; vt Gualua-
neus Flamma, nobis infra ſiue Capite 79. Num. 2. producendus, aſſir-
mauit) *& multa rerum colliſione memorabilis, intra Vrbem ipſam & extrema* C
rapto molimine aucti ambitus ſepta concluſit. Illic, vt audio, & vt auguror,
librorum mellifluos flores ſparſit: quorum hodie per omnes tractus Eccleſiæ guſtus
ſuauiſsimus, & fragrantiſsimus eſt odor. Hæc Petrarcha de hoc altero
Ambroſii receſſu.

X. Certè autem aliquando ille fuit Mediolani per ea tempora, quibus Ga-
leacius hoc nomine Secundus, Vicecomes, hac in Vrbe dominabatur.
Sic enim conſtat ex eiuſdem Petrarchæ Vita, ipſius Operibus præfixa, &
per Hieronymum Squarzaphicum elaborata: cuius teſtimonio vſus eſt
etiam Paulus Iouius in Ioanne Galeacio, inter Duodecim Vicecomites
Mediolani Principes Decimo. In ea quippe Vita ſic legimus: *Scribit*
Ioſephus Brinius Mediolanenſis (cuius ego quoque memoriam poſteritati D
cupio commendatam eſſe) *in quodam ſuo Panegyrico, cùm Petrarcha ſemel*
eſſet Mediolani, in Aula Dominorum Vicecomitum, inter multos purpuratos &
nobiles Viros; Galeacius, qui tunc Dominus erat, impoſuit filio; qui primus
poſtea Dux Mediolani fuit, tunc puer adhuc (iſquè Ioannes ille Galeacius,
quem proximè nominabam) *vt ſapientiorem de aſtantibus oſtenderet. Puel-*
lus, oculis hinc inde volutis, Franciſcum adiuit, & manu apprehendit, &
Patri cum omnium admiratione monſtrauit. Et aliquantò pòſt: *Tempore, quo*
Mediolani morabatur (Petrarcha) *elegerat pro ſolitudine ſibi locum haud procul*
à Ciuitate, quod LINTERNVM *(ad inſtar Scipionis Villam) nominari vo-*
luit: nunc ab incolis corrupto vocabulo INFERNVM *nuncupatur.* Eſt
autem

autem prædium modicè diſtans à ſuburbano Chareuallis Monaſterio, A
idemquè ſibi adhuc in ore vulgi vocabulum retinens. Quid, quòd etiam Petrarchæ non diſplicebat, ſi Mediolani tandem moreretur? Suum itaque Teſtamentum Anno Domini 1370. condens in Vrbe Padua, ſic etiam præſcripſit: *Sin Venetijs moriar; poni volo in loco Sancti Franciſci De Vinea, illic ante oſtium Eccleſiæ. Sin Mediolani; ante Eccleſiam Beati Ambroſij, iuxta primum introitum, qui Ciuitatis muros aſpicit.* Mortuus autem poſtea ille fuit Anno 1374. cùm ſeptuagenarius ætate foret; ſicut ego quoque indicabam Capite 38. Num. 13. Quamobrem Templum illud exiguum, in cuius ſpeciem ille dixerat verſam fuiſſe paruam illam & Nemore circumdatam Ambroſii domum, certè quidem non illud eſt, quod ibi nunc ſatis amplum conſpicitur; ſed profectò longè minus. Quod enim B
nunc conſpicitur, Anno poſtea 1389. conſtructum fuit. Quocirca illic in exteriori angulo Cappellæ illius lateralis ac dexteræ, in qua Beatiſsimæ Virginis Mariæ proſtat effigies, quam traditio eſt à Sancto Luca Euangeliſta formatam fuiſſe: in eo, inquam, angulo nunc etiam extat eiuſdem Virginis imago, è candido ſculpta marmore; ac ſubtùs ipſam conſita parieti extat etiam hæc Inſcriptio, candidæ pariter ac marmoreæ tabellæ inciſa: *In nomine Sanctæ indiuiduæ Trinitatis. Amen. Hanc Baſilicam ſub titulo & reuerentia Sanctorum quatuor Doctorum, videlicet Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, & Gregorij, fecit conſtrui & ædificari Dominus Gabriel de Boſsis, Legum Doctor, filius quondàm Nobilis Militis, Domini Iacobi de Boſsis, Legum Doctoris Comitiſquè Palatini, Anno Domini Milleſimo* C
trecenteſimo octuageſimo-nono, de menſibus Septembris & Octobris.

XI. Notatu verò dignum eſt etiam, quod intra hodiernum eius Baſilicæ Monaſterium puteolus apud Sacrarium, ſiue Sacriſtiam, extat, & aquæ profectò ſuauis ac cryſtallinæ: cuius ori lapideo & rotundo ſupernè circumſculptæ ſunt hæ notæ numerales, Annum Domini deſignantes Milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum-ſeptimum, quo talis veterum traditio poſteritati commendata fuit: & hi duo præterea Verſiculi:

MCCCCLXVII.

Diuus aqua bibit viuens Ambroſius iſta:
Sanus erat languens quiquè bibebat ea.

XII. Quod verò ad Monaſterium ipſum pertinet, in eo quondàm Nemore D
conſtructum; de hoc ego nonnihil iam diſſerui Capite 38. vbi etiam Numero 8. ſupponebam illud fuiſſe, cuius mentionem fecit etiam Sanctus Auguſtinus Libro 8. Confeſsionum Cap. 6. Nunc verò libenter etiam ſuperaddiderim eſſe illud, de quo Paulinus itidem poſt Ambroſii funus, verbis à me ſuperiùs recitatis deſcriptum, ita protinùs adiecit: *Eodem verò, quo* (Ambroſius) *obijt die (ſicut textus Epiſtolæ loquitur, quæ à Succeſſore eius Venerabili Viro Simpliciano ſuſcepta eſt de partibus Orientis, ad ipſum tamquàm adhuc nobiſcum viuentem directa, quæ nunc vſque Mediolani habetur in Monaſterio) quibuſdam ſanctis Viris apparuit, orans cum illis, & imponens illis manus. Habet enim diem Epiſtola, quo directa eſt: qua lecta*

inuenimus, illum diem eſſe, quo ille defunctus eſt. Quòd ſi talis ea Epiſtola A
Monaſterio alicui vel ad cuſtodiam vel alio generis eiuſmodi titulo tradenda erat; certè quidem illi potiùs, quod viuentem Ambroſium habuiſſet parentem ac nutritorem ſuum.

XIII. Cæterùm facta Monaſterij huius mentione curioſitas me paululùm abducit ad alterum Monaſterium, quod Mediolani conditum à Sancto Martino fuit, antequàm Turonenſis Epiſcopus crearetur. Seuerus quidem Sulpitius in eius Vita, non longè ab initio, ſic tradebat: *Cùm Hæreſis Ariana per totum Orbem, & maximè intra Illyricum, pullulaſſet: cùm aduersùs perfidiam Sacerdotum ſolus penè* (Martinus) *acerrimè repugnaret, multiſquè ſupplicijs eſſet affectus (nam & publicè virgis cæſus eſt) & ad extremum de Ciuitate exire compulſus; Italiam repetens, cùm intra Gallias quoque* B
diſceſſu Sancti Hilarij (Pictauienſis Epiſcopi) *quem ad exilium Hæreticorum vis coegerat, turbatam Eccleſiam comperiſſet; Mediolani ſibi Monaſterium ſtatuit. Ibi quoque eum Auxentius* (Epiſcopus) *auctor & princeps Arianorum, grauiſsimè inſectatus eſt: multiſquè affectum iniurijs, de Ciuitate exturbauit.* Sic etiam initio Vitæ Sancti Maurilii, Andegauorum Epiſcopi, quam Boninus noſter Mombritius recitauit, hæc habemus: *Maurilius, Mediolanenſis Oppidi fuit indigena, parentibus ſplendidiſsimus, & ab ipſis pene cunabulis à Beato Martino, qui illis temporibus Mediolani ſibi Monaſterium collocauerat, ſacris litteris & liberalibus ſtudijs inſtitutus. Sed Beato Martino Arianorum perfidia de Ciuitate illa expulſo, factus iam Maurilius, tam amore, quàm magnorum præceptis parentum, qui Martinum ſequi priùs concupierat;* C
ibidem demoratus eſt, quouſque à Beato Ambroſio, ipſius Ciuitatis Epiſcopo, officium Lectoris accepit. Superior autem Maurilii Vita ſemetipſam teſtatur auctiorem vberioremquè illa, quam Beatus Fortunatus iam ſcripſerat; quam videlicet ſub eius nomine Surius etiam deinùm edidit Tomo Quinto, die decima-tertia Septembris. Quocirca non eæ vnum eumdemquè auctorem ambæ Fortunatum habuerunt; ſicut à Baronio fuit affirmatum in Martyrologij Notationibus, ad eamdem illam Septembris diem. Sed vbinam tandem ſitum erat Monaſterium illud? Petrarcham, obſecro, audiamus. Eodem namque Secundo *De Vita Solitaria* Libro, eademquè Sectione tertia, Caput quartum inſtituit *De ſolitudine Sancti Martini*: & aliquantùm protracto de ipſa ſermone, ſic etiam in- D
quit: *Ne cuncta veſtigem, quod longum atque difficile eſt; in ipſa priùs* (hoc eſt, antequàm Turonenſem capeſſeret Epiſcopatum) *Vrbe Mediolano, vbi, quod conſtat, primum ex multis, quæ diuerſis in locis ab eo fundata ſunt, Monaſterium extruxit, aliquantum tempus exegiſſe fertur, vicino quondam Ambroſianæ Domui* (ſeu Baſilicæ) *ac mœnibus Vrbis habitaculo, loco etiam nunc ſolitario ac repoſito: ad quem iam Præſul Ambroſius, tanto lætus hoſpite, clàm ſolus exire conſueuerat, ſecumquè dum poſſet auidiùs immorari. Bone Ieſu, quale hominum par, quæ ſuſpiria, qui ſermones?* Et paulò pòſt: *Sinueſſæ quidem erat Horatius Poeta, dum ſibi Plotius & Varus & Virgilius occurrerunt: pulchra nempè ſocietas doctiſsimorum hominum, inuicemque familiarium amico-*

rum.

rum. Itaque ait: O qui complexus & gaudia quanta fuerunt! Credo Edepol: & multa ibi pro tempore facetiſsimè inter tales viros ac diſertiſsimè dicta non dubitem. Sed dulciores amplexus & ſanctius gaudium fuiſſe crediderim Mediolani inter Ambroſium & Martinum. Locus oſtenditur, vbi congredi & colloqui ſolitos fama eſt. Quibus ego congreſsibus atque colloquijs, ſi datum eſſet, interfuiſſe maluerim, quàm Regum omnium Conſilijs, quæcumque vino vel auaritia vel feritate ebrij cum Purpuratis ſuis agitant. Felix ergo, &, quamquàm minùs aduſta minùs horrida, non minùs fortè glorioſa, quàm Thebaidis ſolitudo, quæ tales duos accolas vno tempore meruiſti. Hactenùs Petrarcha, raptus in amorem ac deſiderium Sanctorum Ambroſij ac Martini colloquentium: quorum illum iam tum ſupponebat Mediolani Antiſtitem, non ſic autem Turonenſis Martinum Ciuitatis: quæ tamen duo ſecundùm probatiorem Chronologiam ego quidem non admiſerim; præterquamquòd Martinus Mediolani iam fuerat multis ante annis, quàm vel ipſe vel Ambroſius ad Epiſcopatum promoueretur. Hic enim Martinus fuerat ante Annum Chriſti Trecenteſimum ſexageſimum; ſicut optimè Baronius ad eumdem obſeruauit Annum. Eodem verò ſupputatore Baronio, ſicut Martinus obijt Anno ſecundo ſupra Quadringenteſimum, ſic etiam Trecenteſimo ſeptuageſimo-quinto creatus fuerat Epiſcopus; ac proinde anno pòſt vno, quàm Epiſcopatus item Ambroſio traderetur. Atqui ſecundùm alios Chronologos Epiſcopatus quidem Ambroſio traditus fuit eo Anno ſeptuageſimo-quarto; verùm Martinus, vt obijt Anno Sæculi eiuſdem nonageſimo-quinto (qua item opinione me fateor eſſe) ſic etiam ſeptuageſimo-primo Anno Epiſcopatum ſuſceperat. Quamobrem non vno eodemquè tempore Mediolani fuerunt Martinus nondùm Epiſcopus, & Ambroſius iam Epiſcopus: idemquè non obſcurè colligitur etiam è ſuperioribus Seueri Sulpitii verbis. Nonniſi enim poſt Auxentij eius obitum Ambroſius in Epiſcopum electus fuit. Quòd autem Petrarchæ tempore locus Mediolani oſtenderetur, vbi congredi & colloqui Ambroſium & Martinum ſolitos fama erat; hæc item fama mihi quidem minùs verax videtur. Sin autem locus tunc monſtrabatur Monaſterij, quod ſibi Martinus ſtatuiſſet, collocauiſſet, extruxiſſet: ſi pariter Monaſterium illud & habitaculum credebatur vicinum fuiſſe Baſilicæ Ambroſianæ ac mœnibus Vrbis: ſi denique dicebatur fuiſſe illic, vbi nunc etiam eſt Eccleſia *Sancti Martini* AD CORPVS; ego quidem his planè acquieſco. Eam verò Eccleſiam Sancto Martino nuncupatam idcircò cenſuerim; quia ipſe illic in ſuo Monaſterio habitauerit: additamento autem inſuper illo, AD CORPVS, deſignatam; quia propinqua & fermè contigua eſſet Eccleſiæ, quæ *Sancti Victoris* AD CORPVS hodiequè appellatur; de qua quidem Eccleſia ſatis à me dictum iam eſt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 19. Sed profectò tempus iam eſt, vt hinc ad obitum Ambroſij tumulumquè accuratiùs inueſtigandum progrediamur.

XIV. Anno ille mortuus eſt Chriſti Trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo, ætatis ſuæ

ſuæ ſexageſimo-quarto; vt benè probatum arbitror à Baronio in ſuis Annalibus & Annotationibus Martyrologicis, & in eius Vita. Sic etiam mortuus eſt in Vigilia Paſchatis Dominicæ Reſurrectionis; cùm nox aliquantùm iam proceſsiſset. Iam enim propterea Honoratus, Vercellenſis Epiſcopus, in ſuperiore domicilij cubiculo ſeſe ad quieſcendum compoſuerat: iam tertio monitu excitatus deſcenderat ad miniſtrandum Ambroſio Sacramentum Euchariſtiæ: iam eo Ambroſius accepto ſpiritum emiſerat. Et tamen Paulinus adhuc adiecit: *Atque inde* (videlicet ex ea parte porticus extrema, in qua iacuerat occubueratquè) *ad Eccleſiam Maiorem antelucana hora Corpus ipſius portatum eſt: ibiquè eadem fuit nocte, qua vigilauimus in Paſcha*; hoc eſt, qua religionis ergo nocturnas de more Vigilias egimus, tantæ celebritati ſolitas præmitti. Et rursùs paulò pòſt: *Sed luceſcente die Dominico* (Paſchatis nimirùm) *cum Corpus ipſius, peractis Sacramentis diuinis* (ſeu Miſſarum ſolemniis) *de Eccleſia* (illa nempè Maiori) *leuaretur, portandum ad Baſilicam Ambroſianam* &c. En igitur, quemadmodùm Ambroſius nocte, Dominicam Paſchatis ac Dominicæ Reſurrectionis præcedente occubuerit. Paſcha verò ſecundùm Tabulas receptiores eo Anno incidit in quintam diem Aprilis: & hinc quidem nodus ſe nobis offert, tenuitati noſtræ non ita facilis ad extricandum. A B

XV. Eccleſia enim Romana Depoſitionem Sancti Ambroſii coniicere conſueuit in quartam diem Aprilis; Ambroſiana verò in quintam. Pro Romanæ autem conſuetudine ſatis ſuperquè nobis eſſe poteſt Baronii teſtimonium in Annotationibus Martyrologicis, pridie Nonas Aprilis, in eam textus Martyrologici partem: *Depoſitio Sancti Ambroſii* &c. Subdit enim Baronius: *De eadem* (Depoſitione) *Beda hac die, & pridie Kalendas Aprilis: cæteri omnes hac item die*; nimirùm pridie Nonas Aprilis. Sic etiam vice verſa de antiquo Eccleſiæ Ambroſianæ vſu nihil ambigere me patiuntur Ambroſiani Ritus Calendaria, vſquè ad Annum Domini 1560. vel manuſcripta, vel impreſſa, quæcumque adhuc viderim. Exempli gratia vnicum illud ego proferam, quod poſitum fuit in principio Miſſalis Ambroſiani, eodem illo Anno 1560. typis impreſsi. Nonis enim Aprilis ſic in eo habetur: *Depoſitio Sancti Ambroſii, Archiepiſcopi Mediolani, feria quinta poſt Paſcha*. Quibus quidem verbis indicabatur, Depoſitionem illam incidiſſe in Aprilis Nonas, ſiue in quintum eius diem; ſed eam nihilominùs feſtiuitatem ab Eccleſia Mediolanenſi ſolitam celebrari feria quinta poſt Paſcha; ſicut etiam in præſenti celebratur. Quærendum igitur nobis iam incumbit, quam ob cauſam ita fuerit ab Eccleſijs Romana & Ambroſiana variatum. C D

XVI. In primis autem, tamquàm è communi ambarum conſenſu, nec ambiguo, ſupponendum videtur, Ambroſium ex hac vita migraſſe ante medium eius noctis, quæ ſolemnem Paſchatis diem antecedebat. Quocirca etiam hinc ego factum crediderim, vt Eccleſia Romana Depoſitionem Ambroſij adſcripſerit quarto Aprilis diei; ſicut infra planiùs explicabo: vtquè pariter Archiepiſcopus Mediolani Miſſam de hoc Sancto celebrare

in

in eiuſdem Baſilica olim conſueuerit Sabbato Sanctioris hebdomadæ, ſeu Paſchatis Vigilia. Ipſum eo die venire huc ſolitum, ad celebrandam Miſſam: hoc ego iam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis probaui, Numero 644. Cur autem huc veniret, qualemquè Miſſam celebraret: accipe nunc obſeruatum à me poſtea è Beroldi noſtri codice, in Bibliotheca Metropolitani Capituli cuſtodito: qui Beroldus (vt ſupra iam innui, & apertiùs commonſtrabo infra) florebat Anno Domini 1123. Ea ergo Sabbati die Clerus in Eccleſiam Aeſtiuam, Sanctæ Virgini ac Martyri Theclæ conſecratam, congregari tunc ſolebat: & ſigno quidem tubæ; quippecùm interim è proxima Veneris die intermiſſus de more ob mœſtitiam Dominicæ Paſsionis eſſet campanarum ſonitus. Cùm autem illic, quæ præſcripta erant, peregiſſet; vnà cum Archiepiſcopo procedebat inde ad Eccleſiam Baptiſmalem; ibiquè ſolitis ex ordine functionibus peractis, eò ventum iam erat, vt tres illi pueri iam eſſent Baptiſmo initiati, quorum primus vocari ſolebat Petrus, ſecundus Paulus, tertius Ioannes; vt benè obſeruauit etiam Ioſephus Vicecomes, ex Ambroſiano Collegio Doctor eruditiſsimus, Libro 2. *De antiquis Baptiſmi Ritibus*, Cap. 13. Hæc igitur Beroldus omnia diligenter proſecutus; tum verò ſic etiam pergebat: *Prædicti Cuſtodes debent ſuſcipere prædictos pueros baptizatos de manibus patrum ſuorum, qui eos traxerunt de Fonte. Et duo Cuſtodes maiores de octo Minoribus debent eſſe præparati, vnus cum vaſe aquæ, alter cum manutergio, ſumpto de Camera Archiepiſcopi. Et tunc Archiepiſcopus lauat pedes pueris tribus prædictis: & extergit eos cum manutergio, & oſculatur, & ter imponit calcaneos vniuſcuiuſque ſuper caput ſuum. His ritè peractis, Oſtiarius hebdomadarius cum Obſeruatoribus omnia tintinnabula ſonare debent. Deinde Archiepiſcopus aſcendit equum, & vadit ad Eccleſiam Sancti Ambroſij, vbi ſanctum eius Corpus requieſcit: & ibi canit Miſſam de Confeſſorum* (ſiue *de Communi Confeſſorum*) *in honore ſuo; quia in hoc die* (en ecce nobis, quod quærebamus) *migrauit ex hoc ſæculo*. Quomodò autem hoc Sabbati die Ambroſius ex hoc ſæculo migrauit? niſi quia migrauit ante noctis ſubſequentis medium; quod quidem medium ad præcedentem diem pertinebat. Abſit enim à nobis vt opinemur, Eccleſiam Mediolanenſem hac in parte aduerſatam eſſe Paulino, diſertiſsimè affirmanti, Ambroſium ea ipſa nocte mortuum eſſe. *Inter hæc* (proſequitur Beroldus) *Magiſtri de Domo, qui vocantur Domeſtici, debent habere præparatum vas magnum, plenum aqua calida, iuxta Fontes: in quo prædicti Cardinales* (Eccleſiæ nimirùm iſtius Metropolitanæ) *cùm exeunt de Fonte, debent ſe lauare. Poſt iſtos Presbyteri Decumani debent intrare Fontes, & baptizare: &, quando exeunt, debent lauari in eodem vaſe. Interim verò Subdiaconus hebdomadarius debet portare calices, & patenas, & theſaurum, & cætera ornamenta Altaris, ſuper Altare in Eccleſiam Aeſtiuam, Cuſtodibus hebdomadarijs adiuuantibus: & minor de Cuſtodibus, hebdomadarius, debet cuſtodire hæc omnia vſque ad Miſſam* (ſcilicet Archiepiſcopi) *finitam. Deinde, finita Miſſa, Archiepiſcopus reuertitur ad Fontes. Indutus Pluuiali, dicit* &c. A Fontibus

deinde

deinde ſolemniter Archiepiſcopus procedebat ad Eccleſiam Hyemalem, A
quæ dicebatur *Maior*, & *Sanctæ Mariæ :* ibiquè Miſſa canebatur à Preſ-
bytero Obſeruatore, quemadmodùm Beroldus explicando ſubinde pro-
ſequitur. Nos ad inchoatam quæſtionis præſentis ſeriem reuertamur.

XVII. Ego igitur diſcutiendum prætereà exiſtimo, quænam in præſenti cauſa
debeat eſſe notio eius vocabuli *Depoſitio*. Certum autem videtur, illo
nonnunquàm ſignificari, non obitum, ſed ſepulturam, ſiue ipſum ſepe-
liendi mortuos obſequium. Atque hunc item ſenſum ſecuta mihi vide-
tur Eccleſia, non Ambroſiana modò, ſed etiam Romana, cùm inter
Miſſas pro Defunctis vnam quoque diſpoſuit celebrandam *in die Obitus,
ſeu Depoſitionis Defuncti*, & rursùs *in die tertio ſeptimo & trigeſimo Depoſi-
tionis Defuncti*. Non enim nomine Depoſitionis Obitum ipſum intelle- B
xiſſe videtur, ſed ipſam ſepeliendi actionem; ſicut etiam benè fuit ob-
ſeruatum à Bartholomæo Gauanto in Theſauro Sacrorum Rituum, ſeu
in Commentarijs in Rubricas Miſſalis & Breuiarij Romani, Parte 1.
Titulo 5. Littera X. & rursùs Parte IV. Tit. 18. Num. 19. Quo quidem
poſteriore loco, loquens de tertio ſeptimo & trigeſimo die, ſuffragijs
mortuorum deſtinato, ſic inquit: *Qui dies, ſicut etiam anniuerſarius, nu-
merari debent à die Obitus, ſeu Depoſitionis; vt patet ex Collectis, in quibus
fit mentio Depoſitionis. Nam Sanctus Ambroſius* (de quo mox egò quoque
dicam) *Sermone 70. accepit Depoſitionis vocabulum, tam pro ſepultura, quàm
pro obitu; licet Eccleſia videatur diſtinguere inter obitum & ſepulturam in
Titulo 2. Miſſæ Defunctorum. Si contendas diſtingui; numerabis hos dies à die* C
*ſepulturæ, qua potiori iure ſubiaceat Defunctus Eccleſiaſticæ curæ; vel ſequere
locorum conſuetudinem; niſi Teſtatoris verba aliud ſonant*. Talia Gauantus.
Atqui, ſi Baronio credimus, Eccleſia quoque Romana nonnunquam
Depoſitionis vocabulo ipſum quoque Obitum intellexit. Martyrolo-
gium enim Romanum Kalendis Ianuarij hæc habet: *Cæſareæ, in Cappa-
docia, Depoſitio Sancti Baſilij, Epiſcopi: cuius celebritas decimo octauo Kalendas
Iulij, qua die ordinatus fuit Epiſcopus, potiſſimùm recolitur*. Hoc ipſo igitur
poſtea die ſic etiam habet: *Cæſareæ, in Cappadocia, Ordinatio Sancti Baſi-
lij, Epiſcopi* &c. Quem in locum Baronius Annotationes ſuas ab his in-
cœpit verbis: *Hæc eſt dies Ordinationis eius: Natalis autem, cùm ex hac vi-
ta migrauit, ſupra Kalendis Ianuarij*. En igitur vt Baronius nunc Nata- D
lem Baſilij diem, quo videlicet ex hac vita migrauit, appellet Depoſi-
tionem illam, cuius vocabulo Martyrologium vtebatur Kalendis Ianua-
rij. Quamobrem vel hinc ſatis diſcerni poteſt, quomodò Baronius,
tamquàm ex Eccleſiæ Romanæ ſententia, interpretaretur Depoſitionem
quoque illam, quæ pariter Ambroſio per Martyrologium itidem Roma-
num adſcribebatur. Quemadmodùm verò (ſicut à Gauanto proximè
affirmabatur) Ambroſius vocabulum Depoſitionis acceperit tam pro ſe-
pultura, quàm pro obitu: ſuis ipſe verbis hoc nobis eloquatur & ex-
ponat. Quem Ambroſij Sermonem Gauantus ex editione, quam ſeque-
batur, enumerauit Septuageſimum, in Romana & emendatiori editione

ſextum

ſextus-decimus eſt, atque hoc titulo prænotatus: *In die Depoſitionis eiuſdem:* A
hoc eſt, Sancti Euſebij, Martyris & Epiſcopi Vercellenſis: de cuius laudibus proximè dixerat in Sermone præcedenti. Sic ergo rurſum iam incipit: DEPOSITIONEM SANCTI EVSEBII, MARTYRIS, HODIE CELEBRAMVS. *Quid eſt Depoſitio? Non illa vtique, quæ ſepeliendis in terra membrorum reliquijs Clericorum manibus procuratur; ſed illa, qua homo, vinculis carnalibus abſolutus, liber iturus ad cælum, terrenum corpus exponit* (hoc eſt, deponit.) *Ipſa planè eſt Depoſitio: in qua concupiſcere abijcimus, ceſſamus delinquere, peccare deſinimus: & totum quidquid ſaluti eſt graue, quaſi abiecta ſarcina oneris, exponimus. Nam ideò hæc dies pro celebritate maxima procuratur; quia verè eſt ſumma feſtiuitas mortuum eſſe vitijs, ſoli vigere iuſtitiæ. Vnde & Depoſitionis ipſa dies Natalis dicitur; quòd* B
deliciorum carcere liberati, libertati naſcimur Saluatoris. Sed videamus, Sanctus Euſebius cum qua gloria ad hanc diem Depoſitionis aduenerit &c. Sic igitur Ambroſius, de Sancti Euſebii Depoſitione agens, eam perinde ac pro Obitu accepit; ſed ita ſanè, vt eandem pro Sepultura poſſe accipi non negarit. Quòd ſi hoc ipſe de Martyre non negauit; ſic etiam ne nobis quidem de Sancto Confeſſore negandum videtur, ſi quando Depoſitionem ipſius celebremus. Eccleſia vtique Catholica poſt tempus Beati Syluestri Papæ Primi cœpit Sanctorum Confeſſorum memoriam venerari; vt veriſsimè docebat Innocentius Papa Tertius Libro 2. Myſteriorum Miſſæ, Cap. x. & vt benè obſeruauit etiam Bellarminus Libro 2. De Miſſa, Cap. 20. Præterea verò etiam eiuſdem vſus Eccleſiæ deinceps obtinuit, vt dies, quo non tantùm Martyres, ſed etiam quo Sancti C
Confeſſores obierint, tamquàm feſtiuus & natalitius celebretur; ſicut optimè confirmat Baronius in Annotationibus Martyrologicis ad tertiam diem Ianuarij. *Vetus* (inquit) *loquendi vſus, vt dies migrationis ex hac vita appelletur dies natalis. Cuius quidem rei exactè rationem reddit Origenes Libro 3. Commentariorum in Iob: & Albinus Flaccus De Diuinis Officijs, Capite De feria ſexta, pag. 60. Et Nicolaus Papa, in Epiſtola ad Conſulta Bulgarorum, in fine ſic habet: Natus dicitur, qui ex hac vita migrauit. Quomodò enim vſitato more dicitur naſci, quando quis, ex vtero materno procedens, in hanc lucem exit; ſic quoque iure natus appellari poteſt, qui liber ab huius ſæculi tenebris ad lucem pertingit viuentium. Pro qua ergo re aptè conſuetudinem te-* D
net Eccleſia, vt ſolemnes Beatorum Martyrum vel Confeſſorum Chriſti dies, quibus ex hoc mundo ad Regionem migrauerunt Viuorum, nuncupentur Natales: ſed & eorum ſolemnia, non funebria, tamquàm morientium, ſed (vtpote in vera vita naſcentium) Natalitia vocitentur: Hæc ibi: concludit Baronius: & nos vnà cum ipſo finem præſenti Numero imponimus: atque ſolutionem propoſitæ de Sancto Ambroſio quæſtionis iam tandem aggredimur.

XVIII. Sic enim ego reſpondeo: Nomine Depoſitionis Eccleſia Romana Obitum ipſius intellexit, Ambroſiana verò Sepulturam. Cur autem hanc potiùs, quàm illum, intellexerit, hanc ego arbitror cauſam & rationem

 fuiſſe.

fuiſſe. Secundùm enim ſuas Rituum ſacrorum regulas, ſibi ab ipſomet A
Ambroſio traditas, vel ſaltem confirmatas, non poterat alicuius Sancti feſtiuitatem in tempus Quadrageſimale conijcere. Intra hoc verò tempus abſque dubio computandum erat illud ſanctioris hebdomadæ Sabbatum, quod vſque ad primam ſubſequentis noctis medietatem quartus erat Aprilis dies naturalis (de hoc enim nunc ego loquor) & intra cuius primam noctis medietatem Ambroſius à nobis ſupponitur mortuus. Hinc igitur Eccleſia Mediolanenſis in Ambroſij Depoſitione Tabulis Eccleſiaſticis conſignanda rationem potiùs habere voluit funeris, quo Ambroſij eiuſdem Corpus poſtera die (quæ Paſchatis erat prima, & Aprilis quinta) traditum fuit ſepulturæ; cùm peracta mox fuiſſent diuina tantæ feſtiuitatis Dominicæ Sacramenta, vt Paulinus narrabat. Quòd autem B
Ambroſianæ non liceret Eccleſiæ feſtiuitatem alicuius Sancti Quadrageſimalibus diebus adſcribere: id quidem nobis teſtatum iam eſt ſuperiùs Capite 25. Num. 2. ac præterea vſu ipſo, in hæc vſque tempora continuato, compertiſsimum eſt; præterquamquòd etiam eſt ab exteris aliquot Scriptoribus teſtatum; ac nominatim à Micrologo De Eccleſiaſticis Obſeruationibus Capite 48. & à Radulpho Decano Tungrenſi in Libro De Canonum Obſeruantia, Propoſitione 16. *Sciendum* (verba ſunt Radulphi, & eadem fermè cum ijs, quibus olim vtebatur Micrologus) *quòd Laodicenſe Concilium Capitulo* 51. *conſtituit, vt Natalitia Martyrum in Quadrageſima non celebrentur, ſed eorum commemoratio fiat in diebus Sabbatorum & Dominicarum. Et ex Concilio Martini Papæ (& ponitur ibidem in Capitulo* C
ſequenti) non licet in Quadrageſima Natales Martyrum celebrare, ſed tantùm in Sabbatis & Dominica pro commemoratione eorum oblationes offerre. Quòd hic ſoli Martyres nominantur; hoc ideò, quia nondùm apud antiquos memoria Confeſſorum adeò celebris fuit. Sancti quoque Patres (vt dicit Micrologus Cap. 48.) *in Toletano Concilio conſtituerunt, vt Annunciatio Sanctæ Mariæ de Quadrageſima in decimum-quintum Kalendas Ianuarij transferretur, vbi annuatim ſolemniter & conuenienter ante Natale Domini poſſet celebrari. Vtputa cùm omnia illius temporis officia de eadem reſonent Annunciatione; vt in Ambroſiana ſeruatur Eccleſia, in qua eadem Annunciatio ſolemniſsimè agitur in Dominica ante Natiuitatem Domini. Et præterea in Ambroſiano Officio nullum feſtum in Quadrageſima ſeruatur, prout dicta Concilia ſtatuerunt. Et propterea* D
antiquitùs feſta Gregorij & Ambroſij ad dies Ordinationis eorum transferebantur: Gregorius ſcilicet ad diem tertium Septembris, & Ambroſius ad Octauam Andreæ: & Benedictus ad diem Translationis ſuæ in Iulio. Sed poſtea Annunciatione in Romana Eccleſia ad locum ſuum redeunte, ſimiliter alij (Sancti) *apud nos redierunt: & exinde retenta eſt Translatio Benedicti. Ambroſius tamen apud Romanos & Mediolanenſes remanet in Octaua.* Hactenùs Radulphus. Cæterùm apud Mediolanenſes in Octaua Sancti Andreæ ita remanet Ambroſius (quippecùm apud nos eius Ordinatio celebretur die ſeptima Decembris) vt nihilominùs eiuſdem Depoſitio etiam olim (nedùm in præſenti) celebraretur in feria quinta Octauæ Paſchalis, ſicut

etiam

etiam Beroldus in eius feriæ rubrica recolebat; præterquamquòd Archiepiſcopus ipſe noſter Sabbato Sancto ſimul & Paſchatis Vigilia talem A illam de Sancto Ambroſio Miſſam celebrare quotannis ſolebat in Ambroſiana Baſilica (vti iam vidimus) & idcircò, quia eodem illo die, ac proinde Aprilis quarto, Ambroſius ex hac vita migraſſet. Quoniam verò Hiſtorici etiam noſtrates, iiquè nominatim qui noſtrorum Antiſtitum Catalogos adhuc collegerint, communi conſenſu Ambroſium ſcripſerunt obiiſſe quarto pariter Aprilis die; propterea etiam ego mihi longè certiùs perſuadeo, quintum Aprilis diem conſultò & ex induſtria fuiſſe Depoſitioni Ambroſij ab Eccleſia Mediolanenſi aſsignatum hanc ob cauſam; quia Sepulturam potiùs, quàm Obitum ipſius, hac in re temporiſquè conditione attendendam cenſuerit. Regula porrò viget adhuc apud nos illa, vt in Quadrageſima nullæ Martyrum vel Confeſſorum B feſtiuitates Officio celebrentur Eccleſiaſtico, ſed in aliud tempus transferantur. Antiquiſsimæ verò conſuetudinis erat, vt ſola Deiparæ Virginis Annunciatio feſtiuè à Populo vigeſima-quinta Martij die celebraretur. Anno tamen Domini 1629. ſtatutum ab Archiepiſcopo noſtro Federico Cardinali Borromæo fuit (congruenter vtique ad Gregorij Papæ Decimi-quinti & Sacræ Rituum Congregationis Decretum, Anno 1621. die octaua Maij conditum) vt dies itidem menſis eiuſdem vndeuigeſimus Sancto Ioſepho ſacer ac ſolemnis eſſet: perinde fermè ac ſi diſertis verbis eum dixiſſet, tale ſibi priuilegium vnà cum Sanctiſsima ſua Sponſa promeruiſſe præ cæteris Sanctis, vt ab Eccleſia Mediolanenſi feſtiuo ſaltem die intra Quadrageſimam coleretur. Officio enim cæteroqui Ec- C cleſiaſtico Annunciatio Deiparæ celebratur in Aduentus Dominica ſexta, & ante Natiuitatem Chriſti Domini poſtrema: Sanctus autem Ioſephus die duodecima Decembris. Quocirca etiam in Anni 1630. Calendario præſcriptum ſubinde fuit decima-nona Martij die, Feriaquè ſimul Tertia Hebdomadæ Quintæ Quadrageſimalis: SANCTI IOSEPH, CONFESSORIS, SOLEMNE. *Deinceps feſtum huius Sancti erit de præcepto, ex Decreto Summi Pontificis Gregorij Decimi-quinti. Officium verò fiet iuxta ſolitum, vt in Breuiario, ſub die duodecima Decembris. Hodie verò Officium fit de Feria Tertia.* Quod autem poſteritati per me ſit obiter commemoratum: eodem quoque Anno Sancta item Anna, Deiparæ D Mater, feſtiuitate annua celebrari ab Eccleſia Mediolanenſi cœpit. Quocirca in eodem illo Calendario ſic etiam denunciatum fuit vigeſima-ſexta Iulij die: SANCTÆ ANNÆ, MATRIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, *Solemne, de Communi Matronæ. Deinceps feſtum Sanctæ Annæ erit de præcepto, ex Decreto Summi Pontificis Gregorij Decimi-quinti.* Quippe qui tantæ Matronæ feſtiuitatem in vniuerſa Eccleſia celebrari iam præceperat Anno 1622. die vigeſimo-tertio Aprilis. Placet autem hoc loco illud item ad extremum attexere, quod in Catalogo, *Succeſſores Sancti Barnabæ* inſcripto, aſſeritur de Sancti Ambroſij obitu. *Eius* (aſſeritur) *dies natalis eſt pridie Nonas Aprilis. Qui dies quoniam in Quadrageſimam*

 cadit;

cadit; placuit olim Concilij Toletani Patribus, vt eius celebritas transferretur in illius Ordinationem : quæ more Romano, Græco, & Ambroſiano agitur octauo Idus Decembris. Nunc ad Ambroſij funus progrediamur. A

XIX. Eidem Ambroſio, poſtremùm ægrotanti, binos Epiſcopos adſtitiſſe, Honoratum videlicet Vercellenſem, ac Baſsianum Laudenſem, Viros item Sanctiſsimos: id quidem certiſsimè conſtat è Paulini teſtimonio, quod ſuperiore Numero 3. & 5. deprompſimus. An verò iidem duo Sancti Præſules funeri pariter Ambroſii adſtiterint: id quoque vel è ſuperioribus illis Paulini verbis coniectari facilè poteſt. Nec enim credibile videtur, Baſsianum tunc Mediolano diſceſsiſſe, antequàm mortuus eſſet Ambroſius. Sin autem tam ipſe quàm Honoratus Mediolani tunc aderant, quando mortuus eſt Ambroſius; quis eos credat diſceſsiſſe ante ipſius funus? quod vtique ſubſequenti protinùs die celebratum fuit. B Si quis tamen fortaſſe de Baſsiano ſaltem aliquatenùs dubitat; en hoc ipſum diſertiſsimè ab alijs Scriptoribus affirmatum. Septalianus in primis ille Codex, manuſcriptus, & Eccleſiæ olim Mediolanenſi vſitatus, quo Matutinas de Sanctis Lectiones contineri dicebamus Capite 48. Numero 5. ſic habet in Sancto Baſsiano, cuius annua celebritas tunc etiam (nedùm in præſenti) celebrari ſolebat vndeuigeſimo Ianuarij die: *Hic quoque coæuus Beati Ambroſij, & comes indiuiduus, eius ſanctiſsimi Corporis glebam ſacro meruit recondere tumulo.* Et paulò pòſt: *Poſtea verò, celebratis exequijs Beati Ambroſij, Beatus Baſsianus non multo pòſt tempore quieuit in pace Confeſſor, etiam multis coruſcans miraculis.* Eiuſdem porrò Baſsiani Vitam conſcripſit vetus quidam & innominatus Auctor, vel potiùs conſcripſerunt ipſius diſcipuli, vt Galeſinius in Annotationibns ad ſuum Martyrologium præciſè affirmabat: inde verò poſtea illam Boninus noſter Mombritius, & ex ipſo denique Ioannes Bollandus accepit in ſuis Sanctorum Actis, vndeuigeſima Ianuarij die. Sic autem Auctor ille vel Auctores illi ſcriptum poſteris reliquerunt Capite 5. *Per idem tempus Beatus Ambroſius, longo corporis languore detentus, Sancto Baſsiano cum eodem orante, vidit Deum arridentem accedere ſibi: quod fratri fideliſsimo Baſsiano imputandum protinùs intimare non diſtulit. Vir autem Domini Baſsianus, mente reuoluens quod ab eo didicerat, manantibus lachrymis Hominis Dei tranſitum imminere ſibi fideliter famulantibus prædixit: quod paulò pòſt, ſicut Spiritu diuino prædixerat, Mediolanenſis Populus cum eodem dolendo contigiſſe probauit. Ipſe verò, beati funeris exequijs honeſtiſsimè diſpoſitis, ſarcophago membra ſanctiſsima componens, Laudenſem repetit Cathedram: vbi ſedulus Sancti virtutes & conuerſationem commendans celebrare ſummopere gaudebat. Semper namque in ore, ſemper in corde Sanctum Virum geſtabat: memoria eius, vel dormiendo, ab eo nunquàm recedebat. Frequenter enim, dum aut lectione aut oratione feſſum ſe ſopori dediſſet, audiebatur ſecum velut præſentem ſermonem habere, & tam iucundæ viſioni pleniſsimè congratulari.* Quid, quòd etiam Eccleſia, non modò Mediolanenſis, verùm etiam Laudenſis, inter Matutinas de Sancto Baſsiano Lectiones, talibus erga Sancti Ambroſij Cadauer C D

obſequijs

obſequijs adteſtatur? Illa enim ſic legit: *Mediolanum vocatus ad Sanctum* A
Ambroſium ægrotantem, Clericis Mediolanenſibus diem certum, quo ille ex hac
vita migraret, præſignificauit: cui mortuo iuſta piè perſoluit. Iſta verò ſic
item: *Ambroſio morienti affuit: eiuſquè diem mortis domeſticis prædicens, pio*
funeri operam dedit: immò verò poſt aliquot dies, Sanctiſsimi Doctoris ſepul-
chrum piè veneraturus, Mediolanum redijt. De quo quidem reditu ego
poſtea ſuo tempore agam ex inſtituto, & vberiùs. Cæterùm pro Am-
broſij funere, per Baſsianum curato, teſtes habemus etiam Petrum de
Natalibus in Catalogo Sanctorum, Libro 2. Cap. 102. Galeſinium in
Martyrologio, die decima-nona Ianuarij: eademquè die Philippum Fer-
rarium in Catalogo Sanctorum Italiæ.

XX. Ambroſij tumulo iam tandem appropinquamus. Ante alia verò cum B
conſtat in Ambroſiana Baſilica conditum eſſe. Hoc Paulinus ſuperiore
Numero 7. diſertiſsimè affirmabat: hoc ego pariter in Ambroſianæ Baſi-
licæ Monumentis ſæpè ac ſæpiùs confirmaui. Sic etiam conſtantiſsima
inter nos traditione Ambroſius creditur ſepultus ſub primario eiuſdem
Baſilicæ Altari, quinetiam medius inter Sanctos Protaſium & Geruа-
ſium: qui mirabiliter inter ſe paululùm ſeiuncti tunc, quando Ambro-
ſius tumulo dabatur, eum ſibi honoris ac reuerentiæ gratia medium ex-
ceperint: nec ei relinquere voluerint ſiniſtrum ibi latus, quod ipſe ſibi
olim reſeruarat, cùm Sanctos eoſdem Martyres ibidem reconderet. Sed
his etiam de rebus ſatis ego in prædictis Monumentis copiosè iam diſ-
ſerui, & præſertim Numero 3. ac 49. Quocirca duos tantùm Teſtes hic C
ſuperaddam; cupidus alioqui potiùs explicandi, quemadmodùm alia
quoque Sanctorum Corpora officiosè nonnumquàm in Sepulchro locum
ceſſerint illatis poſtea illuc aliorum Sanctorum Corporibus. Eiuſmodi
verò Teſtium primus ſit Baptiſta Mantuanus, ex Ordine Fratrum Car-
melitanorum Poeta celeberrimus. Libro enim 4. Faſtorum in eiuſdem
Sanctiſsimi Præſulis noſtri laudem inter cætera ſic etiam cecinit:

Ipſe duos, tumuli ſedem monſtrantibus ipſis,
Martyras inuenit fratres, te Sancte Protaſi,
Te pie Geruaſi: quibus eſt poſt funera tandem
Additus, hoc omni Populo rogitante, Repertor.

Secundum verò teſtimonium nobis ſuppeditat Catalogus, quem paulò D
ante collaudabam, inſcriptus *Succeſſores Sancti Barnabæ*. In Ambroſij
namque Vita propè finem ſic legimus: *Quorum Corpora* (de Corporibus
autem Sanctorum Protaſij ac Geruaſij eſt ſermo) *in Baſilica Ambroſiana*
ſub Altari (Ambroſius) *recondidit. Cuius cauſam in eadem Epiſtola* (ad
Marcellinam Sororem) *aſsignat, dicens: Succedant Victimæ triumphales in*
locum, vbi Chriſtus hoſtia eſt. Sed ille ſuper Altare, qui pro omnibus paſſus
eſt: iſti ſub Altari, qui illius redempti ſunt Paſsione. Hunc ego locum prædeſti-
naueram mihi; dignum eſt enim, vt ibi requieſcat Sacerdos, vbi offerre con-
ſueuit. Sed cedo ſacris Victimis dexteram portionem: locus iſte Martyribus de-
bebatur. Hæc ille. Non fruſtratus eſt loco ſuo Ambroſius. Nam cùm defunctus

ſub

ſub eodem Altari deſcrretur; Sancti, in latus ſe mouentes, medium illum accepere. Hinc imagines illæ peruetuſtæ Sancti Ambroſij, Epiſcopali habitu conſiſtentis in medio Sanctorum, colobijs indutorum; ſicut ſibi apparuiſſe idem Ambroſius refert. A

XXI. Ne verò miraculum hoc, noſtris Mediolanenſibus perſuaſiſsimum, alicui tamen commentitium & incredibile videatur; operæ pretium erit alia quædam generis eiuſdem miracula commemoraſſe. Ioannes Seueranus, ex Oratorij Romani Congregatione Presbyter, Anno Domini 1630. Librum Romæ primitùs euulgauit, inſcriptum MEMORIE SACRE DELLE SETTE CHIESE DI ROMA &c. PARTE PRIMA. Pagina verò 654. & 655. ſacroſanctas enumerans Reliquias, quæ in Laurentij Martyris Eccleſia, inter Stationales ſexta, ſiue in eius Confeſſione, aſſeruantur, miraculum ſimile noſtro non veretur Corporibus adſcribere Sanctorum, Laurentii eiuſdem Martyris, Seueri Rauennatis Epiſcopi, Theodori Theſſalonicenſis, Ioannis Eleemoſinarij, & aliorum: quorum à ſe mentionem affirmat factam in altero tituli huius Libro, PRETIOSÆ MORTES IVSTORVM. Volumen hoc autem ille Anno 1627. Romæ pariter iam ediderat, in eoquè talia tribus in locis recenſuerat: nimirùm Littera O. Num. 3. in Odone Monacho Carthuſienſi: Littera S. Num. 15. in Seuero Epiſcopo Rauennæ: ac denique inter Anonymos Num. 9. Cæterùm de Sancto Laurentio idipſum affirmat, Annoquè Chriſti Quingenteſimo ſexageſimo factum aſſerit Alphonſus Villegas in Legendario Vitæ Chriſti & Sanctorum, tertia die Auguſti, qua die Inuentio Corporis Sancti Stephani Protomartyris celebratur. *Quel benedetto Corpo* (verba ſunt eiuſdem Alphonſi) *fù portato nel Campo Veranio, nel medeſimo Sepolcro, doue era il Corpo di San Lorenzo Martire. E ſi hà per traditione, che, quando fù aperta la ſepoltura; per metteruelo dentro, il Corpo di San Lorenzo ſi ritirò da ſe ſteſſo al lato ſiniſtro, laſciando il deſtro à San Steffano. Da quel giorno in poi molti per queſta occaſione chiamano San Lorenzo il Corteſe Spagnuolo.* Cui quidem traditioni adſtipulatur etiam Petrus de Natalibus, in Catalogo Sanctorum, Libro 4. Cap. 141. Sed talibus ego miraculis bina ſuperaddam, nec trita, nec vulgaria: externum vnum, alterum ex Vrbe noſtra Mediolano. Primum in manuſcripta continetur Vita Sanctorum trium Magorum, quæ mihi eſt in fine Chronici, pariter manuſcripti, ab Emundo de Diinter compoſiti: cuius Emundi mentio mihi fuit expreſsior in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 441. quique florebat Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo-quinto. Quiſnam verò fuerit eiuſdem Vitæ Auctor, me quidem adhuc latet. Quandonam verò ipſam ille ſcripſerit: hoc ego ſaltem coniecerim ex eo Præſule, cuius nutu collecta, & cui primùm dicata fuit. Sic enim eius incipit Caput primum: *Reuerendiſsimo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Florentino de VVelamine, diuina prouidentia Monaſterienſis Eccleſiæ Epiſcopo Digniſsimo.* Et paulò pòſt: *Sed quia in Solis Ortu quæ in humanis egerunt* (iidem tres Magi Reges) *adhuc quamplurima in*

diuerſis

diuerſis libris & locis de ipſorum meritis actibus & geſtis ſunt ſcripta, quæ in Occaſu Solis forſitan adhuc fuerunt incognita; ergo ſecundùm viſum auditum & relatum, in honore Dei, ac Mariæ Virginis Matris Glorioſæ, ac ipſorum trium Regum Beatorum, aliqua veſtro iuſſu ſunt ſcripta, & ex diuerſis libris in vnum redacta. Frater porrò Petrus Merſſeus Cratepolius, Minorita, Catalogos ſeparatim recenſuit, cùm Eccleſiaſticorum Imperij Electorum, tum etiam Epiſcoporum Archiepiſcopatui Colonienſi ſubiectorum, quibus connumerantur etiam Monaſterienſis & Vltraiectenſis. Inter Monaſterienſes autem nullus quidem nominatur Florentinus de VVelamine; ſed hic tamen mihi vnus videtur idemquè cum eo, qui nominatur Florentius de VVeuelskofen, ſiue VVeuelickhofen, numero Trigeſimus-octauus: quiquè diſertiſsimè illic traditur factus poſtea Vltraiectenſis Epiſcopus, nempè Quinquageſimus-primus. Sicut autem ipſum ego ex antecedentibus & conſequentibus colligo Eccleſiæ Monaſterienſi præfuiſſe ab Anno Domini circiter Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo vſque ad octuageſimum; ſic aſſeritur expreſsè nonageſimo-quinto poſtea obijſſe Anno, poſteaquàm Vltraiectenſi annos quindecim cum dimidio præfuiſſet. Quamobrem illa Sanctorum trium Magorum Vita, cuius teſtimonium in præſenti producere lubet, nonniſi collecta eiquè Monaſterienſi Epiſcopo dicata videtur intra ſeptuageſimum-ſecundum illum & octuageſimum Annum ſupra Milleſimum trecenteſimum. Sic autem Capite illius 29. narratur. Tres ipſos tandem Reges ad Ciuitatem quamdam, nomine Senellam, conueniſſe: ibiquè diuinitùs admonitos, mortem ſibi è proximo inſtare. Tumulum igitur ſibi condidiſſe communem: primoquè ibi tumulatum Melchiorem, poſt paucos verò dies Balthaſarem, ac denique Gaſparem. *Qui dum more regio* (ſic vtique ad verbum legitur in eadem ipſorum Vita) *prout decuit, iuxta Corpora duorum Regum* (nempè priorum) *in tumulum poneretur; ea in partem ceſſerunt, videntibus vniuerſis; & Corpus tertij Regis* (à quo fuerant ibidem tumulata) *in medium ſui receperunt.* Hactenùs externum & à nobis longiſsimè poſitum miraculum; ſed nobis tamen eo etiam nomine iucundiſsimum, quia eorumdem Regum Corpora plurimos poſtea per annos noſtram Mediolani Vrbem præſentia ſua decorarint; ſicuti notiſsimum eſt, ac noſtris etiam Monumentis explicatum. Sequitur nunc, vt de altero generis eiuſdem miraculo, propriè noſtrate ac Mediolanenſi, & Religioſiſsimarum Monaſterij Sanctæ Marthæ Monialium proprio, tradamus. Iſidorus de Iſolanis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo decimo-ſeptimo, in Geſtis Beatæ Virginis Veronicæ, Monaſterij eiuſdem Religioſæ, miraculum illud Libro 1. Capite 5. recénſuit his verbis: *Didicimus veridica aſſertione, Sororibus huiuſce Cœnobij Diuæ Marthæ, in exordio inſtitutionis ſumma pace Deo famulantibus, inter cætera mirabilia hoc ſæpenumerò accidiſſe. Cùm enim Soror quæpiam diem obijſſet; aperto ſepulchro, Cadauera vltrò cedebant, locum ampliorem nuper defunctæ concedentia. Hocce conſpicatam ſe apertiſsimè Agnes de Fidelibus,*

bus, Mater aliquando (quam nunc *Matrem Prioriſſam* vocaremus) *eiuſdem* A
Monaſterij, fœmina virtutibus præſtans, aſſeuerauit. Sub Annum verò
Chriſti Milleſimum trecenteſimum quadrageſimum-ſextum prima cœ-
perunt eiuſdem Cœnobij exordia & inſtituta. Mater autem illa Agnes
Monaſterium iam regebat Anno Milleſimo quadringenteſimo: & in eo-
dem regimine ad quintum ſubinde Annum ſuperuixit. Sic enim à me
iam probatum narratumquè fuit abundè in ipſius Monaſterij Chronico,
& admirandis quidem rebus referto: quod breui, typis editum & Ita-
licè contextum, edere meditor in lucem. Cæterùm inter hæc Ambro-
ſij tumulum videre mihi iam videor occluſum. Itaque Quinquageſi-
mum-tertium ego quoque Caput iam tandem hic concludo. B

CAPVT LIV.

An Sanctus Ambroſius armata Catholicorum manu cruentiſquè certaminibus Arianos aliquando perſecutus uerit.

I. MVlto iam ex tempore communiter (vt notiſsimum eſt) hoc
aſſirmant plerique Rerum Mediolanenſium Scriptores:
multaquè commonſtrant etiam Vrbis & Diœceſis loca, in
quibus eiuſmodi certamina proſpero vel aduerſo commiſſa
ſint exitu, variaſquè propterea nomenclaturas ipſis apud C
poſteros ad hæc vſque tempora in ore famæ reliquerint: Ambroſium ſic
etiam ipſum deſcribunt è præcipua Vrbis Nobilitate Capita Duceſquè
militarium aduersùs Arianos turmarum in ſingulas Portas ita prorsùs
cum poteſtate conſtituentem, ac ſi plenum & abſolutum illius imperium
ac dominatum politicum habuiſſet. Inter eos tamen Scriptores nemi-
nem adhuc ego legi Gualuaneo vetuſtiorem Flamma (ſicut etiam Capite
36. Numero 6. profitebar) qui trigeſimo Chriſti Anno ſupra Milleſi-
mum trecenteſimum florebat. Eidem autem opinioni quiſpiam fortaſsè
dixerit adſtipulari veterem quoque illam conſuetudinem, qua tantus
ille Patronus & Antiſtes noſter effingi ſolet coriaceo minax flagello,
dextera manu geſtato: eoquè minax etiam quandoque albo inſidens D
equo, & armatas hoſtium phalanges incurſans, & in fugam vertens.
Quid, quòd etiam Eccleſiæ Mediolanenſis vſu receptiſsimum erat, vt in
ſolemnibus Cleri Proceſsionibus vnus è Baſilicæ Metropolitanæ Veglo-
nibus, pluuiali decorè indutus, Scuticam & Flagellum Sancti Ambroſij
(ſic enim appellabant) publicè geſtaret? Cuius quidem rei mentionem
nonnumquàm fecit etiam Beroldus noſter in ſuo Manuali Ambroſiano,
quod circiter Annum Domini Milleſimum centeſimum vigeſimum-ter-
tium conſcripſit; vt ſuo ego tempore infra oſtendam. Verumtamen hæc
& alia generis eiuſdem teſtimonia vel argumenta nihil tale mihi de San-
cto Ambroſio noſtro perſuadent: quin potiùs idipſum tam diſertè mihi
videtur

videtur ab ipſomet Ambroſio diſſuaſum, vt ſeriò quidem à me inter A
ineptas & inanes anicularum fabulas computetur.

II. Ambroſium ergo ipſum audiamus: & in ea præſertim Oratione, qua Baſilicas Hæreticis aut Gentilibus tradendas non eſſe declamauit acerrimè, tonauit, fulminauit. Ad Populum quidem ſuum conuerſus, ab his Concionem illam verbis incœpit: *Video, vos præter ſolitum ſubitò eſſe turbatos, atque aſſeruantes mei. Miror, quid hoc ſit; niſi fortè quia per Tribunos me vidiſtis aut audiſtis Imperiali mandato eſſe conuentum; vt, quò vellem, abirem hinc; & , ſi qui vellent, ſequendi poteſtatem haberent. Metuiſtis ergo, ne Eccleſiam dererem: & , dum ſaluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed, quid & ipſe mandauerim potuiſtis aduertere: Deſerendæ Eccleſiæ mihi voluntatem ſubeſſe non poſſe; quia plùs Dominum Mundi, quàm ſæculi huius Imperatorem timerem: Sanè, ſi me vis aliqua abduceret ab Eccleſia, carnem meam exturbari poſſe, non mentem: Paratum me eſſe, vt, ſi ille faceret quod ſolet eſſe Regiæ poteſtatis, ego ſubirem quod Sacerdotis eſſe conſueuit. Quid ergò turbamini? Volens nunquàm vos deſeram: coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere: Aduersùs arma, milites, Gothos quoque, lachrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis. Aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere. Fugere autem & relinquere Eccleſiam non ſoleo; ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipſi, quòd Imperatoribus ſoleam deferre, non cedere: ſupplicijs me libenter offerre, nec metuere quæ parantur.* Et in hanc quidem ſententiam multa item alia ſubinde proſequitur Ambroſius, Chriſti Heros, non ad inferendam vlli, ſed ad patiendam ſuimetipſius cædem paratiſsimus.

B (margin, beside "Imperatorem timerem") — C (margin, beside "proſequitur Ambroſius")

III. Quocirca paulò pòſt etiam in Auxentium, mentito nomine Mercurinum, Arianorum Pſeudoepiſcopum, inuehitur: qui non modò ſemetipſum in exilium exturbari iuſsiſſet, verùm etiam ferro in Catholicos animaduerti, ſi reſiſterent. *Nemo ergo vos turbet* (verba ſunt Ambroſij) *quòd aut carrum præparauerant, aut dura, vt videbatur ſibi, Auxentij ipſius, qui ſe dicit Epiſcopum, ore iactata. Pleriſque narrabant, percuſſores præmiſſos, pœnam mortis eſſe decretam. Nec illa timeo, & iſta non deſero. Quò enim abibo, vbi non omnia plena gemitus ſint atque lachrymarum? quando per Eccleſias iubentur eijci Catholici Sacerdotes, reſiſtentes gladio feriri, Curiales proſcribi omnes, niſi mandatum impleuerint. Et hæc Epiſcopi manu ſcripta, & ore dictata: qui, ſe vt probaret doctiſsimum, vetus non omiſit exemplum. Legimus enim in Propheta* (Zachar. 5.) *quòd viderit falcem volantem. Hanc imitatus Auxentius, gladium volantem per omnes Vrbes direxit. Et Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, & in malum imitatur eius potentiam. Tu Domine Ieſu vno momento Mundum redemiſti; Auxentius vno momento tot Populos, quod in ipſo eſt, trucidabit, alios gladio, alios ſacrilegio.* Et rursùs aliquantò pòſt inter Chriſtum & Auxentium hanc proſequitur antitheſim: *Paucos excludebat Dominus Ieſus de Templo ſuo* (Ioann. 3.) *Auxentius nullum reliquit. De Templo ſuo Ieſus flagello eijcit, Auxentius gladio: Ieſus flagello, Mercurinus ſecuri. Pius Dominus flagello exturbat ſacrilegos, nequam perſequitur pios ferro.*

D (margin, beside "omnes, niſi mandatum impleuerint")

De quo benè dixiſtis hodie (Ieremiæ 17.) *Leges ſuas ſecum ferat. Feret,* A
etiamſi nolit. Feret conſcientiam ſuam, etſi non fert chartulam: feret ſanguine
inſcriptam animam ſuam, etſi atramento inſcriptam epiſtolam non feret. Scripta
eſt, Iuda, culpa tua graphio ferreo, & vngue adamantino, & ſcripta in pectore
tuo: hoc eſt, vbi ſcripta, vnde proceſsit. Is mihi etiam audet mentionem facere
retractandi, plenus ſanguinis, plenus cruoris? Qui, quos non potuerit ſermone
decipere, eos gladio putat eſſe feriendos, cruentas leges ore dictans, manu ſcri-
bens, & putans, quòd lex fidem poſsit hominibus imperare. Non audiuit &
id, quod hodie dictum eſt (Galat. 2.) *Quoniam non iuſtificatur homo ex operi-*
bus legis? Aut: Per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam? id eſt, per legem
ſpiritalem interpretationi legis eſt mortuus corporali. Et nos per legem Domini
noſtri Ieſu Chriſti moriamur huic legi, quæ ſancit decreta perfidiæ. Non lex Ec- B
cleſiam congregauit, ſed fides Chriſti. Lex autem non eſt ex fide; iuſtus enim
ex fide viuit. Iuſtum ergo fides, non lex, facit; quia non eſt per legem iuſti-
tia, ſed per fidem Chriſti. Qui autem fidem repudiat, & legis iura præſcribit,
ipſe ſe teſtatur iniuſtum; quia iuſtus ex fide viuit. Hanc ergo legem quiſquam
ſequatur, qua firmatur Ariminenſe Concilium, in quo creatura dictus eſt Chriſtus?

IV. Sic etiam, quantopere à Catholicis ad arma concitandis alienus eſſet
Ambroſius, vel ex his etiam conſtat, quæ ille poſtmodùm adiecit:
Nonne (inquit) *meminerunt, quòd vbi me cognouit Populus Palatium* (Im-
peratoris, à quo vocatus illuc fuerat) *petiſſe; ita irruit, vt vim eius ferre*
non poſſent, quando Comiti Militari, cum expeditis ad fugandam multitudinem
egreſſo, obtulerunt ſe omnes neci pro Fide Chriſti? Non tunc rogatus ſum, vt C
Populum molli ſermone mulcerem? ſponderem fidem, quòd Baſilicam Eccleſiæ
nullus inuaderet? & cùm pro beneficio meum ſit officium poſtulatum; tamen,
quod Populus ad Palatium veniſſet, mihi inuidia commota eſt. In hanc igitur
inuidiam me redire deſiderant. Reuocaui Populum, & tamen inuidiam non
euaſi: quam quidem inuidiam ego temperandam arbitror; non timendam. Quid
enim timemus pro Chriſti nomine? Id autem factum fuerat Anno ſuperio-
re, quàm hæc concionaretur Ambroſius: quæ quidem (vt Capite 39.
Num. 7. iam monuimus) Anno Chriſti Trecenteſimo octuageſimo-ſep-
timo concionabatur. Et hoc ipſo quidem Anno (ſicut eodem Capite
39. Num. 5. recitabamus ex Auguſtini Libro 9. Confeſsionum, Cap. 7.)
excubabat pia plebs Mediolanenſis in Eccleſia, MORI PARATA (non D
armis reſiſtere) CVM EPISCOPO SVO, Ambroſio.

V. Cæterùm Ambroſius in eadem illa Concione ſententiam profectò noſtram
his etiam verbis confirmat: *Vtinam hoc mihi ſemper crimen adſcribant, quia*
aurum pauperibus erogatur. Quòd ſi obijciunt, quòd defenſionem ab ijs requi-
ram; non nego, ſed etiam ambio. Habeo defenſionem, ſed in orationibus pau-
perum. Cæci illi & claudi, debiles & ſenes, robuſtis bellatoribus fortiores ſunt.
Denique munera pauperum Deum obligant; quia ſcriptum eſt, Qui largitur pau-
peri, Deo fœnerat; præſidia bellatorum diuinam ſæpè gratiam non merentur.
Hactenùs in ea Concione Ambroſius.

VI. Atqui multa nobis in eamdem ſententiam non multò pòſt ſuppeditauit

etiam,

etiam, cùm ad Marcellinam Sororem conſcriberet eam Epiſtolam, quæ nunc Libri ſecundi decima-quarta numeratur. E multis tamen ego tria tantum proferam ipſius pronunciata. Quorum primum eſt hoc: *Sequenti die (erat autem Dominica) poſt Lectiones atque Tractatum dimiſsis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſterij tradebam Baſilica. Illic nunciatum eſt mihi comperto, quòd ad Portianam Baſilicam de Palatio* (Imperatoris) *Decanos miſiſſent, & vela ſuſpenderent; Populi partem eò pergere. Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi. Dum offero, raptum cognoui à Populo Caſtulum quemdam, quem Presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderant tranſeuntes. Amariſsimè flere, & orare in ipſa Oblatione Deum cœpi, vt ſubueniret; ne cuius ſanguis in cauſa Eccleſiæ fieret; certè vt meus ſanguis pro ſalute non ſolùm Populi* (Catholici) *ſed etiam pro ipſis impijs effunderetur. Quid multa? Miſsis Presbyteris & Diaconibus eripui iniuriæ virum.*

VII. Et aliquantò pòſt ſe narrat etiam ſic è ſuggeſtu locutum: *Vnum Iob miraturus aſcenderam: omnes Iob, quos mirarer, inueni. In ſingulis vobis Iob reuixit: in ſingulis Sancti illius patientia & virtus refulſit. Quid enim præſtantius dici potuit à Chriſtianis viris, quàm id, quod hodie in vobis Spiritus Sanctus eſt locutus? Rogamus Auguſte, non pugnamus: Non timemus, ſed rogamus. Hoc Chriſtianos decet, vt & tranquillitas pacis optetur, & fidei veritatiſquè conſtantia nec mortis reuocetur periculo. Etenim Præſul Dominus: qui ſaluos faciet ſperantes in ſe.*

VIII. Vide autem, quid etiam poſtea reſponderit Notario, mandata Imperatoris ad ſe perferenti. *Interea nunciatur mihi* (ſic enim eadem in Epiſtola ipſe narrat) *miſſum Notarium, qui mandata deferret. Conceſsi paululum: mandatumquè intimat. Quid tibi viſum eſt, inquit, vt contra placitum faceres? Reſpondi: Quid placitum ſit, ignoro: quiduè temerè factum dicatur, incertum habeo. Ait: Cur Presbyteros ad Baſilicam deſtinaſti? Si Tyrannus es; ſcire volo; vt ſciam, quemadmodùm me aduersùm te præparem. Retuli dicens, me nihil in præiudicium feciſſe Eccleſiæ: eo tempore, quo audieram occupatam eſſe à militibus Baſilicam, gemitum tantummodò liberiorem habuiſſe: multiſquè adhortantibus, vt eò pergerem, dixiſſe: Tradere Baſilicam non poſſum; ſed repugnare non debeo. Poſtea verò quàm cognouerim, cortinas regias inde eſſe ſublatas; cùm me Populus eò ire depoſceret, direxiſſe Presbyteros; me tamen noluiſſe ire, ſed dixiſſe: Credo in Chriſto, quòd ipſe nobiſcum faciet Imperator. Si hæc tyrannis videtur; habeo arma, ſed in Chriſti nomine; habeo offerendi mei corporis poteſtatem. Quid moraretur ferire, ſi Tyrannum putaret? Veteri iure à Sacerdotibus donata Imperia, non vſurpata: & vulgò dici, quòd Imperatores Sacerdotium magis optauerint, quàm Imperium Sacerdotes. Chriſtus fugit, ne Rex fieret. Habemus tyrannidem noſtram. Tyrannis Sacerdotis, infirmitas eſt. Cùm infirmor, inquit, tunc potens ſum. Cauere tamen, ne ipſe ſibi Tyrannum faceret, cui Deus aduerſarium non excitauit. Non hoc Maximum dicere, quòd Tyrannus ego ſim Valentiniani: qui ſe meæ legationis obiectu queritur ad Italiam non potuiſſe tranſire. Addidi, quia numquàm*

Sacerdotes Tyranni fuerunt, ſed Tyrannos ſæpè ſunt paſsi. A

IX. Sic igitur animo ſentiebat, ſic vocé ſic calamo palàm profitebatur, nec aliter vnquàm opere ipſo ſe geſsiſſe credendus nobis eſt ſinceriſsimus ille ſibiquè conſtantiſsimus Ambroſius noſter in illud vſque tempus, quo talia ſcribebat. Qua quidem in re pacem quoque illam profitebatur à ſe foueri, quam Imperator Valentinianus Senior ſibi cæteriſquè iam inde promiſerat ab initio, quando Populi precibus ſummo cum gaudio indulſit, vt ipſe Mediolanenſem in Epiſcopum aſſumeretur. Cuius profectò rei teſtis etiam eſt ipſe in Epiſtola, quæ Libri ſecundi eſt decimatertia, quamquè ſub hoc ipſum tempus, de quo proximè loquebamur, ad Valentinianum ſcripſit Iuniorem, ac Senioris filium, pariterquè Imperatorem; à quo tamen acerrimè vexabatur; Arianarum quippe partium fautore. B Siquidem tunc Ambroſius de ſemetipſo ſcribere hunc in modum non erubuit: *Omitto, quia iam ipſe Populus iudicauit* (ſcilicet in eiuſdem Ambroſij fauorem, quando ipſum in Epiſcopum ſuum elegit) *taceo, quia eum, quem habet de Patre Clementiæ tuæ poſtulauit: taceo, quia Pater Pietatis tuæ quietem futuram ſpopondit, ſi electus ſuſciperet Sacerdotium. Hanc fidem ſecutus ſum promiſſorum.*

X. Talia verò, ſicut etiam paulò ante memoraui, ſcribebat Ambroſius vſque ad Annum Chriſti Trecenteſimum octuageſimum-ſeptimum, priuſquàm eiuſdem Anni menſe Iunio Corpora Sanctorum Protaſii & Geruaſii Martyrum, ſibi diuinitùs reuelata, inueniret. Ex quo autem illa inuenit, tot ab ipſis miracula patrata fuerunt, vt armatis aduersùs Arianos C copiis longè minùs indiguerit. *Sed ijs beneficijs Martyrum* (aiebat Paulinus in Ambroſij Vita) *in quantum creſcebat fides Eccleſiæ Catholicæ, in tantum Arianorum perfidia minuebatur. Denique ex hoc tempore ſedari cœpit perſecutio, quæ Iuſtinæ furore accendebatur, vt Sacerdos* (Ambroſius) *de Eccleſia pelleretur.* Sic etiam Libro 9. Confeſsionum, Cap. 7. Auguſtinus: *Inde illius inimicæ* (Iuſtinæ Imperatricis) *animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.* Hinc itidem Ambroſius ipſe primo Sermone, quem in Ambroſiana Baſilica coram eorum Corporibus Martyrum ad Populum habuit, quiquè à me recitabatur Capite 42. ſic etiam conuerſus ad Deum inquiebat: *Gratias tibi, Domine Ieſu; quòd hoc tempore tales nobis Sanctorum Martyrum ſpiritus excitaſti,* D *quo Eccleſia tua præſidia maiora deſiderat. Cognoſcant omnes, quales ego propugnatores requiram: qui propugnare poſsint, impugnare non ſoleant. Hos ego acquiſiui tibi, Plebs ſancta, qui proſint omnibus, nemini noceant. Tales ambio defenſores: tales milites habeo: quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia ſunt. Horum etiam illis ipſis, qui mihi inuident, opto præſidia. Veniant ergo, & videant ſtipatores meos: talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.*

XI. Sed præter eiuſmodi Sanctos è cælo Patronos, præter ipſorum miracula, præter diuinos Ambroſij conatus, quibus interim Ariana Hæreſis eiuſquè fautores oppugnabantur, Deus profectò Tyrannum & Imperii

vſurpatorem

vſurpatorem illis non multò pòſt oppoſuit, re ac nomine Maximum. A
Qui quidem (ſicut optimè fuit à Baronio in Ambroſiii Vita obſeruatum ad Annum Chriſti 386.) *cùm ſe egregium Catholicæ Fidei cultorem & vindicem profiteretur (in Priſcillianum enim & Priſcillianiſtas Hæreticos, vt vidimus ante,* ſiue ad Annum 381. *animaduerterat) graues ad Valentinianum Litteras ea de re ſcripſit, ſic rumpendi fœderis occaſionem quærens: qua (vt tradunt Ruffinus Libro 2. Hiſt. Cap. 16. & Sozomenus Libro 7. Cap. 17.) Tyranni nomen aboleret, dum pro Fide Catholica & ſinceris dogmatibus conſeruandis certare videretur.* Quocirca mox etiam idem Baronius tales Maximi ad Valentinianum Litteras recitat: hiſquè præterea recitatis tandem ita ſubdit: *Hæc Maximus ad Valentinianum Imperatorem. Cui etiam (vt ait Theodoretus Libro 5. Hiſt. Cap. 14.) alijs ſcriptis Litteris comminatus eſt bellum, niſi à cœptis deſiſteret.* Et illicò rurſùs: *Fertur interea rumor, Maximum Tyrannum parare copias, quibus tranſiens Alpes infeſto agmine deſcendat in Italiam. Hæc cùm ad Valentinianum perlata eſſent; mox omnis perſecutio in Catholicos concitata quieuit; quinetiam, poſthabitis Conſulibus ac cæteris Magiſtratibus, vnius Ambroſij officium ab eodem Valentiniano atque Iuſtina requiritur; vna tantum ad pacem ſtabiliendam atque firmandam ſpes ponitur in Ambroſio; qui, vt olim* (Anno nimirùm 383.) *Maximum notabili legatione intra Galliarum fines repreſſerat, nunc* (ſiue Anno 387. & poſt inuenta Sanctorum Protaſij ac Geruaſij Martyrum Corpora, multiſquè nobilitata miraculis) *eumdem contineat in officijs.* B

XII. Eiuſmodi porrò legationis, quam promptè Ambroſius & officiociſsimè peregit, vniuerſa ſeries adhuc extat, & in eius ad Valentinianum Auguſtum continetur Epiſtola 56. Cuius quidem in extremo diſertiſsimè præterea ſignificauit Ambroſius, quantopere à ſuperandis bello Arianis, & ab effundendo eorum ſanguine abhorreret. Sic enim de Maximo ibi tradebat: *Poſtea cùm videret, me abſtinere ab Epiſcopis, qui communicabant ei, vel qui aliquos, deuios licet à Fide, ad necem petebant; commotus eis, iuſsit me ſine mora regredi.* Erga Epiſcopos igitur illos, qui deuios à Fide petierant ad necem, Ambroſius ſeſe tamquàm erga excommunicatos, & communione Catholica indignos, gerebat. Quem locum Baronius in eiuſdem Ambroſij Vita explicans, hunc in modum doctiſsimè diſſeruit: *Meminiſſe debemus, quæ ſuperius diximus de Priſcilliano Hæreſiarcha, vnà cum ſuis damnato in Concilio Cæſarauguſtano, & Macedonij Magiſtri Officiorum opera reſtituto, & à Maximo Tyranno, id expoſcentibus quibuſdam Epiſcopis, neci tradito. Fuerunt hi (teſte Sulpicio Seuero, Libro 2. Hiſt. Sacræ circa finem) Idacius & Ithacius, Epiſcopi in Hiſpanijs: qui, fauore Maximi Priſcillianiſtas inſequentes, non ſatis habuerant eos ſuis Sedibus expuliſſe, ſed datis eidem Maximo libellis petierunt, Priſcillianum & Socios gladio percuti: loci & officij ſui non valde memores, quod ab omni crudelitatis ſpetie & humani ſanguinis effuſione abhorrere debet. Quamuis omninò illi ob Magicam ſuperſtitionem, deteſtabilem hæreſim, actioneſquè omni obſcœnitate & impuritate contaminatas, cædem commeriti viderentur: ac planè digni eſſent, in quos Imperatorius gladius* C D

dius animaduerteret ; tamen iſtud ipſum à Catholicis Sacerdotibus poſtulari , A
manſuetudo Epiſcopalis non patiebatur . Non enim Sanctus Ambroſius & alij
Orthodoxi, Hæreticos à Maximo occiſos eſſe, damnabant ; ſed Epiſcopis procu-
rantibus id actum horrebant ; quòd ab omni ſanguinis effuſione remiſſi eſſe de-
berent. Cæterum quòd prædicti Hæretici à Maximo ſint occiſi , laudat etiam
Sanctus Leo Papa (Epiſt. 93. ad Turib.) vt opus egregium . Cum etenim in-
ſania Hæreticorum mitioribus canonicis vinculis cohiberi non poteſt ; quid reli-
quum eſt, niſi, ne perdant cæteros , vt tenacioribus ſæcularium legum nexibus
coarctentur ? Sed ita tamen, vt Eccleſiaſticæ manſuetudini conſulatur, & citra
ſanguinem eorum punitio (vt etiam hodiernus vſus habet) à Sæcularibus Iudi-
cibus poſtuletur. Sanctus Auguſtinus & alij complures veteres & recentiores
Scriptores, doctrina inſignes, de iuſta punitione Hæreticorum eruditiſſimos Com- B
mentarios ediderunt: ad quos reijcimus, qui hæc planiùs noſſe deſiderant. Hac-
tenùs Baronius. Ego verò ipſos ad Cardinalem nominatim Bellarmi-
num reijcio, Libro 3. De Laicis, Capite 21. curſimquè ad Maximum
reuertor.

XIII. Hic vtique poſtea ingenti cum Exercitu ſuperatis ex improuiſo Alpibus
in Italiam deſcendit Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſeptimo : vtquè
Valentinianus & Iuſtina ſaluti ſuæ conſulerent, celeriter in Orientem ad
Theodoſium confugerunt. Maximus verò, tuta ſibi iam exiſtimans om-
nia, ſolicitequè curans, ne Tyrannus exiſtimetur, in Hæreticos pugnam
conuertit, Catholicoſquè Sacerdotes honoribus & officijs proſequitur,
perinde ac ſi Catholicæ Fidei tuendæ cauſa bellum illud ſuſcepiſſet. C
Hinc igitur Ambroſius etiam & vniuerſa Italia omni Arianorum mo-
leſtia perfidiaquè liberatur ; vt ſubinde Baronius ex ordine confirmat,
nedùm recenſet.

XIV. Per hæc igitur omnia ſatis iam tandem certum ſit & exploratum id,
quod in præſenti nos contendimus : Ambroſium noſtrum nullius vn-
quàm belli præliiquè cruenti ducem , vel auctorem , aut ſuaſorem Ca-
tholicis aduerſus Arianos, alioſuè Catholicæ Fidei hoſtes, fuiſſe. Quam
quidem veritatem agnouit etiam luculenterquè profeſſus eſt Beatus Pe-
trus Damiani, ad Firminum-ſcribens Epiſcopum, animoquè mœrens,
quòd frequenter audiret, Epiſcopos aliquos in Gallijs atque Germanijs
galeatos ac loricatos ad bella procedere . Inter cætera enim ad ipſum D
ſic etiam ſcribebat: *Num Ambroſius bellum Arianis , ſe ſuamquè Eccleſiam*
crudeliter infeſtantibus, intulit ? Neque tamen huic de Ambroſio ſententiæ
quicquam oppoſuit Baronius , cùm Anno Chriſti Milleſimo quinqua-
geſimo-tertio, ab Articulo 10. vſque ad 18. examinaret Epiſtolam illam,
& eruditiſſimè, multaquè cæteroqui alia eius pronunciata redargueret.
Quamobrem ſi qua fortè, Ambroſio Eccleſiam Mediolanenſem regente,
bella & prælia cædeſquè inter Catholicos & Arianos fuerunt in hac
Vrbe, aut Diœceſi; abſit, vt Ambroſio hæc à me imputentur. Per me
quidem Maximo potiùs, nec ſine ipſius commendatione (ſicut etiam
ipſum paulò ante aſſerebam Sancto Leoni Papæ commendatum) impu-
tarentur :

tarentur: indequè ortas ego crederem tales illas locorum appellationes, quas huius initio Capitis innuebam; ſed ea tamen excepta, qua Vrbana Sancti Thomæ Apoſtoli Eccleſia hoc veluti cognomento vocitatur IN TERRA AMARA. Ex eo quippe illam ita vocitatam interpretantur ij Auctores; quia Catholici eo in loco ingentem ab Arianis ſtragem ac cædem accepiſſent. Sed profectò, ſicut hoc etiam tempore communiter Eccleſia illa nuncupatur IN TERRA AMARA, ſic antea vocabatur IN TERRA CRVCIS SICARIORVM; quia ſcilicet in ea Vrbis parte olim ſicarij aliiquè generis eiuſdem homines perditi extremo crucis ſupplicio necarentur. Idquè publicis veterum Notariorum Documentis paſsim conſtat: quorum plurima egomet adhuc legi: multaquè ſic etiam in eius Eccleſiæ Archiuo conſeruantur. Tantùm ab eo Maiores noſtri abfuerunt, vt è Catholicis ibi miſeranda & amara ſtrage per Arianos in prælio trucidatis cognomentum TERRÆ AMARÆ indiderint ei loco & Eccleſiæ, inditumquè perſeuerauerit in præſentem vſque diem. A B

XV. Quod verò attinet ad conſuetudinem illam effingendi Ambroſium flagello dextera manu geſtato minacem, quinetiam hoſtes equo incurſantem: obſcurum profectò non eſt, quandonam ea incœperit, & qualem ob cauſam. Incœpit enim Anno Domini ſupra Milleſimum trecenteſimum trigeſimo-nono (aliis ſexto, aliis ſeptimo, aliis octauo: quam Scriptorum diſcordiam ſuo nos tempore ac loco diſcutiemus) eamquè ob cauſam incœpit; quia tunc è cælo Ambroſius, flagellum minaciter geſtans, ſicut à multis conſpectus fuiſſe dicitur, equeſtri effigie ad Parabiagum, Agri Mediolanenſis Oppidum, profligarit Azonis hoſtes Vicecomitis, penes quem noſtræ Vrbis dominium tunc erat legitimum. Qua de re legi poſſunt Ioannes Baptiſta Fulgoſius Hiſtoriarum ſuarum Libro 1. Cap. 6. Donatus Boſſius in Chronico Mediolanenſi ad Annum 1338. Bernardinus Corius ad Annum 1337. Paulus Morigia ad Annum 1336. Gaſpar Vicecomes in quibuſdam ſuis Verſibus Italicis, quos videre licet recitatos apud Hieronymum Raphaellium in Italica illius ad Parabiagum Victoriæ Hiſtoria, quam ipſe typis Mediolani edidit Anno 1609. Sed videre præterea iuuat, quemadmodùm Ioannes quoque Molanus, exterus alioqui Scriptor, veritatem huius rei attigerit, cùm Hiſtoriæ Sacrarum Imaginum Libro 3. Cap. 54. cauſas inquireret, cur Ambroſius noſter cum flagello pingatur. Quippe hunc in modum ille ibi diſſeruit: *Proximè apud Romanos ſequitur feſtum Ambroſij. Quem Beatus Vincentius Prædicator notat in Lombardia cum flagello pingi, propter ingenuam loquendi libertatem, qua nec Theodoſio Imperatori pepercit: quæ narratio nota eſt ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis Theodoreti, & aliorum. Addi poteſt ſecunda ratio; quia, quod Doctorem Fidei decuit, Arianam perfidiam expulit ex Italia. Eſt & tertia, eaquè, vt apparet, primaria; quòd Mediolanenſes ipſo inuocato ad Parabiagum victoriam ſint adepti Anno Domini* 1338. *Ex quo tempore religioſa Ciuitas, haud immemor accepti beneficij, Diuum Ambroſium cum flagello depictum in æternam eius rei memoriam habere voluit; vt habet Lectio tertia* C D

Ambroſianæ

Ambroſianæ Eccleſiæ in feſto Sancti Ambroſij pro Victoria, quod eſt vigeſima-pri- A
ma die Februarij menſis. Apiarium, ſiue Aluearium, nonnulli ad pedes appin-
gunt propter miraculum examinis apum, quod Paulinus refert initio Vitæ eius.
Quæ quidem Apiarij obſeruatio ſicuti nobis Ambroſianis vſitata non eſt;
ſic eò minùs mihi reticenda erat; ſcilicet, vt exteros quoque Ambroſii
noſtri eiuſquè dotium effingendarum ritus non ignoremus.

XVI. Meritò autem ac ſapienter Molanus tertiam illam rationem cæteris dua-
bus anteponebat, & Ambroſianæ teſtimonio Eccleſiæ comprobabat.
Licet enim Clerus Ambroſianus eam Victoriam communi per Vrbem
ac Diœceſim feſto non celebret in præſenti (quemadmodùm ea tamen
ſingulariter celebratur in ipſamet Parabiagi Eccleſia, in eiuſdem Victo-
riæ memoriam iam inde ab initio conſtructa ære Ciuium noſtrorum, B
ſiue totius in vniuerſum Ciuitatis) eamdem tamen celebrabat priùs,
quàm Breuiarium noſtrum Anno 1582. à Sancto Carolo Cardinali Ar-
chiepiſcopo reformaretur. Quamobrem propria eiuſdem feſti Miſſa ex-
tabat etiam in Miſſalibus Annorum 1560. 1522. 1505. & in anteriori-
bus alijs: ac ſimiliter in Breuiarijs Anno 1582. anterioribus proprium
extabat eiuſdem feſti Officium: idquè in Breuiarijs nominatim Anno
1539. & 1557. impreſsis ſequentem continebat narrationem, in tres
Lectiones Matutinas diſtributam: *Anno Domini Milleſimo treceteſimo tri-*
geſimo-octauo Leodriſius Vicecomes, Azonis patruus, dum filium fratris Domi-
nio Mediolanenſi priuare ſtudet, ingentem comparat Exercitum ex conducititio
milite, præter contubernales & ſocios: atque ita inſtructus, Parabiagum vſque C
perueniens, in eo loco caſtrametatus eſt. Aduersùs hunc Azo, Mediolani Domi-
nus, Luchinum Vicecomitem, patruelem, cum electiſsima manu mittit. Inita
pugna, cum maxima vtrinque ſtrages ederetur; Luchinus, ad religionem con-
uerſus, Diuum Ambroſium, Vrbis Præſidem, ſuppliciter implorans, Tuo (inquit)
Optime Paſtor, auxilio fretus arma ſuſcepi. Tu prædonem ſacrilegum tuis pre-
cibus ab his mœnibus, quæ ſub tua tutela ſunt, arce: ſceleratamquè victoriam,
quam animo præſumpſit, extorque. Finita igitur prece, velut exauditam ora-
tionem ſenſiſſet, cohortatus ad audendum militem, pugnam inſtaurat. Milites
quoque, Diuino Numine animati, tanto in hoſtem impetu feruntur, vt ſuſtineri
nequiuerint. Itaque facta incurſione hoſtem fugant, multos trucidant, plurimos
capiunt. Ex quo tempore religioſa Ciuitas, haud immemor accepti beneficij, Di- D
uum Ambroſium cum flagello depictum, in æternam rei memoriam, habere vo-
luit. Quod quidem ipſum Bernardinus Corius, & Paulus Morigia, &
Gaſpar Vicecomes, iam ſupra collaudati, ſancitum factumquè addunt;
quia Sanctus Ambroſius in eo certamine poſtremo conſpectus fuiſſet
hoſtes flagello percutiens. Corij verba ſunt huiuſmodi: *Fù affermato, in*
queſta battaglia eſſere da ogn'vno viſibilmente ſtato veduto Sant'Ambrogio, po-
tentiſsimo Patrone & perpetuo Difenſore di queſta Città di Milano, con vna
sferza in mano, percuotendo gli infenſiſsimi nimici di queſta Patria. Per il che
in tutto Luchino al Glorioſo Santo diede la gloria di tanta vittoria &c. Quid,
quod etiam hoc ipſum luculenter teſtatus eſt Gualuaneus Flamma, qui

co

eo quoque tempore Mediolani florebat, ſcribebatque? In Ambroſianæ A
Bibliothecæ pergameno codice manuſcripto, eiuſquè initio, ante omnia extat Hiſtoria Mediolani, quam ipſe Politiam inſcripſit Nouellam: tum Chronica Extrauagans: tertiò Geſta Azi (aliter Azonis) Vicecomitis, Vrbis noſtræ tunc Domini; eademquè à Ludouici Bauari regia Coronatione incipiunt. In his ergo Azi Geſtis, ad Annum Chriſti Milleſimum trecenteſimum trigeſimum-nonum progreſſus, Capitibus 40. 41. & 42. pugnam illam deſcribit ad Parabiagum (quæ quidem qualis fuerit, ego ipſi potiùs iam credidi, quàm exteris aut etiam noſtratibus poſterioris æui Scriptoribus) deinde autem Caput 44. *De miraculo Beati Ambroſij, qui Ciuitatem liberauit*, inſcriptum, ſic aggreditur: *Poſtquàm Lodriſius Vicecomes Abduam tranſiuit, & Legnanum peruenit; Theutonici ipſi ſubeſſe aut* B
obedire contempſerunt. Determinauerunt inter ſe, ſi Ciuitatem obtinere potuiſſent, interfectis Ciuibus de Mediolano, ruſticos pro agricultura conſeruare, & Theutonicos innumerabiles de Allamania conuocare, & Lombardiam ſub iugo Theutonicorum ſupponere, & Ciuitatem Mediolanenſem in coloniam redigere. Sed Deus, tantorum malorum refrænator exiſtens, miſit Beatum Ambroſium: qui in albis cum ſcutica in manu viſibiliter hoſtes, victoria potitos, percuſſit: ex quo perdiderunt vires, & ſuperati ſunt. Ex hoc facta eſt in Ciuitate Proceſſio Cleri & Religioſorum: & progreſſi ſunt ad Sanctum Ambroſium. Inſuper iuxta Parabiagum, in loco conflictus, conſtructa fuit Eccleſia in honorem Beati Ambroſij: & primum lapidem poſuit Iohannes Vicecomes, Epiſcopus Nouarienſis ſupradictus. Hic autem Ioannes Luchini frater erat, & Summi C
Pontificis auctoritate Mediolanenſem tunc Eccleſiam regebat loco Aychardi Archiepiſcopi, qui necdùm fuerat permiſſus vt ad capeſſendam Sedis huius Archiepiſcopalis poſſeſsionem veniret.

XVII. Tunc autem Annus re vera, ſicut ego quoque opinor, agebatur nonus ſupra Milleſimum trecenteſimum trigeſimum à Natiuitate Dominica. Etenim prælium illud (ſicut Hiſtorici communiter fatentur) commiſſum fuit vigeſima-prima Februarij die, cùm ea eſſet Dominica, & Dominica quidem Quadrageſimæ ſecunda. Talis autem illa dies non in alium è prædictis Annis incidere potuit, quàm in poſtremum: & hoc dilucidè Paſchalibus etiam Tabulis edocemur, quandocumquè temporis calculationem retroducere velimus à die Paſchatis Dominicæ Reſurrectionis ad D
ſuperioris Quadrageſimæ Dominicam ſecundam, eamdemquè Februarij diem vigeſimam-primam. Etenim Anno Domini ſexto ſupra Milleſimum trecenteſimum trigeſimum Paſcha incidit in Martij diem trigeſimam primam: Anno autem ſeptimo in Aprilis vigeſimam: itemquè Anno octauo in Aprilis duodecimam: Anno denique nono in Martij diem vigeſimam-octauam; è qua proinde die nanciſcimur, anterioris Quadrageſimæ Dominicam ſecundam ſimul etiam fuiſſe Februarij diem vigeſimam-primam. Qui ergo prælium illud computarunt factum Anno Domini Milleſimo trecenteſimo trigeſimo-octauo, ij quidem attendiſſe mihi videntur Annum, non à Dominica Natiuitate deductum, qui

completus iam fuerat die vigeſima-quinta vel poſtrema Decembris; ſed ab Incarnatione, qui vſque ad vigeſimam-quintam ſubſequentis Martii diem protendebatur. Sed hac de re aliàs ego differam vberiùs, & ex inſtituto; ſi tamen per ætatem ac vires licuerit. A

XVIII. Per hæc igitur ſatis iam liquet, quo ex tempore, qua pariter ex cauſa Mediolanenſes noſtri Sanctum Ambroſium effingere incœperint ſcutica ſiue flagello minacem. Atqui ne propterea quidem diffitemur, quamdam eius ſcuticam & flagellum iam antea geſtari ſolitum in ſolemnibus Cleri Metropolitani Proceſsionibus: & hoc non modò iam ante Annum Domini Milleſimum centeſimum vigeſimum-tertium, ſicut initio huius Capitis indicabamus; ſed etiam fortaſsè iam inde à Sancti Pontificatu Simpliciani, qui proximè Sancto Ambroſio ſucceſsit; quemquè credere B par eſt ingenioſè ſtuduiſſe, vt, quo par erat, honore deinceps ab omni poſteritate in Eccleſia Mediolanenſi tantus ille Doctor & Catholicæ Fidei Propugnator coleretur. Sicut enim eius impenſiſsimè colendi cauſa iam tum erat ſatis ſuperquè manifeſta; ſic etiam nihil vetat, quin eum iam tum ita coli cœptum coniectemus. Cur igitur eiuſmodi geſtamen iam antea tam ſolemni pompa circumferretur, alia nobis nunc quærenda ſupereſt ratio: eamquè breuiter dicere poſſumus fuiſſe, quam Molanus ſecundo loco proferebat. Dubium namque mihi nullum eſt, quin eiuſmodi ſcuticæ flagelliquè vſus in Eccleſiam Mediolanenſem fuerit ab initio inuectus, vt Ambroſium tali etiam ſymbolo indicarent Hæreticorum fuiſſe flagellum, ac præſertim Arianorum: idquè non ore tantùm C verbiſquè profiterentur; ſicut poſt multa inde ſæcula Sancto Antonio datum eſt Patauino; cùm paſsim ab omnibus INDEFESSVS HÆRETICORVM MALLEVS diceretur. Ambroſij quippe noſtri *ſtudio, inter cætera doctrinæ & miraculorum inſignia, tempore Arianæ perfidiæ tota ferè Italia ad Catholicam Fidem conuerſa eſt*; vt veriſsimè teſtatum legitur in Martyrologio Romano, pridie Nonas Aprilis. Quia ſcilicet (vt benè Baronius ad eamdem diem interpretatur) Ambroſius in Gallia Ciſalpina, vel etiam finitimis in locis, vbi perfidia graſſabatur Ariana, Catholicam Fidem reſtituerit. Quocirca celeberrimus etiam ille ipſius in Catholica Fide Alumnus, Auguſtinus, Libro 1. contra Iulianum, Cap. 3. magnificè de ipſo hunc in modum loquebatur: *Audi excellentem Dei Diſpenſatorem, quem veneror vt patrem (in Chriſto enim Ieſu per Euangelium ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtro Lauachrum Regenerationis accepi) Beatum loquor Ambroſium: cuius pro Catholica Fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſiue operibus, ſiue ſermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat Orbis prædicare Romanus.* D

XIX. Flagellum enimuerò illud, quod olim tam ſolemniter circumferebatur, adhuc extat, & in Capituli Metropolitani Sacrario & Cimiliarchia conſeruatur. Capulum illi eſt è ligno benè ſolido prægrauiquè ac nigello, & ſupra palmarem longitudinem, aptæquè ad manum proportionis eſt geſtamen. Laminis quoque argenteis per interualla circumligatum eſt,

affabrequè

affabreque ornatum. Coriaceæ quatuor habenæ quondàm integræ pendebant ex anſula ferrea, ipſi altè inſita. Nunc ima tantùm remanent earum initia: eaſdemquè conſtans traditio eſt paulatim ſucciſas fuiſſe in gratiam Fidelium, qui particulas inde aliquas identidem ſibi depoſcerent, ceu ſacras Reliquias, Sanctiquè Ambroſij ope ſalutares ad curandos ægros, & præſertim energumenos; quibus vtique curandis diuina tanti Præſulis virtus in hac etiam mortali vita ſingulariter emicuit. Sicut igitur ſuo tempore in hoc etiam Opere conſtabit, Scholæ Sancti Ambroſij Magiſter, hoc eſt Veglonum & Vegloniſſarum Caput & Præfectus & Primicerius (talibus enim vocabulis eum appellabant) Pluuiali ſacro decorè indutus, in ſolemnioribus Proceſſionibus flagellum illud dextera in altum erecta penè minaciter prehenſum geſtabat, omnibus conſpicuum ac reuerendum. Atqui nunc in Triduanis tantùm Litanijs, incluſum perula ſerica, & vix ante partes pallij communis anteriores conſpicua, defertur ab vno ex iiſdem Veglonibus, qui laico tantùm habitu eſt indutus, quiquè illud aliquando tantùm extrahit oſculandum iis, à quibus rogatur. Tale ſiquidem remanet adhuc indicium veteris erga flagellum illud reuerentiæ, perinde fermè ac ſi vltrice Ambroſij dextera geſtatum aliquando tunc fuiſſet, quando mortalem ipſe quoque vitam degens Arianos illis tam multis ac miris modis, quos ex ipſius ore iam recenſuimus, impugnabat, & glorioſam de ipſis victoriam ſine vlla ſanguinis eorum effuſione reportabat. A B

XX. Non abſimilem profectò victoriam de Iuſtina itidem Imperatrice Ambroſius reportauit; licet eius animum à perſequendi furore ſolummodò comprimere, non autem ad credendi ſanitatem applicare potuerit; ſicut etiam nuper nobis Num. 9. Sanctus Auguſtinus loquebatur. Eamdem tamen ille victoriam Deiparæ præſertim Virgini Mariæ videtur acceptam retuliſſe. Itaque in Baſilica Philippi, quæ deinde Sanctorum Naboris & Felicis, nunc Sancti Franciſci appellatur, & in qua Sanctus Ambroſius olim Corpora Martyrum Protaſij & Geruaſij ſepulta inuenit: illic, inquam, Capella cum ſuo Altari nunc etiam extat, & ingredientibus per portam maximam ſiniſtra eſt, ac tertia: cuius ferreis cancellis appenſa in alto cernitur tabella ſic inſcripta: *Queſta Capella è dedicata alla Glorioſiſsima Vergine in memoria della prodigioſa vittoria, che il Santo Arciueſcouo Ambroſio, di queſta Città Protettore, ottenne di Giuſtina Imperatrice Ariana, e delli Heretici da lei fauoriti, l'Anno del Signore* 387. *che però è intitolata Santa Maria della Vittoria*. Hæc ibi è receptiſsima veterum traditione. Supra ipſum verò Altare prægrandis exiſtit Tabula lignea, cui pereleganter appictæ ſunt imagines Deiparæ Virginis, & Sanctorum Ambroſij & Hieronymi, Eccleſiæ Catholicæ Doctorum. Deipara medium locum tenet ſedens: vlniſquè Chriſtum geſtat, ſeſe blandè conuertentem ad Ambroſium, in latere dextro genuflexum ſupra hominis armati corpus, humi proſtratum, quo deſignatos eſſe Arianos interpretantur. Hieronymus autem in altero pariter latere genuflexus & ad C D

Virginem obuerſus conſpicitur. Infra Tabulam verò ipſam ſic etiam A grandioribus ſcriptum legitur characteribus: *Milleſimo quingenteſimo-decimo Bernardus Ianalius, Triuilianus* (hoc eſt, ex Oppido Triuilio, Ditionis Mediolanenſis celeberrimo, natus) *pinxit*.

XXI. Sed & poſtremam victoriam, quam Sanctus Ambroſius de Arianis in Diœceſi Mediolanenſi reportarit, vetus traditio eſt, Deiparæ pariter ab ipſo adſcriptam fuiſſe; proptereaquè illi erectam Eccleſiam, & Altare ſolemniter vnà cum alijs multis Epiſcopis conſecratum, Miſſamquè in eo celebratam: & hæc quidem omnia in eo peracta Monte, qui propè nobiliſsimum Variſij Oppidum eminet, quiquè nunc SACER SVPRA VARISIVM MONS appellatur, & Fidelium quoque accurſu frequentiſsimo notiſsimus eſt; quippecùm plurima illic beneficia Mater Dei manu plena elargiatur. Victoriam tamen hanc, communiter tradunt, valde cruentam fuiſſe; neque ſolum, quia immiſſo diuinitùs furore Ariani voluntarios ictus in ſua & commilitonum ſuorum viſcera direxerint, ſed etiam quia multi eorum à Catholicis agminatim & hoſtiliter perſequentibus trucidati ſint. Hanc igitur traditionem credulus ego quoque ſequar; ſed ita tamen, vt, quam Catholici victoriam illic pugnando cædendiſquè Arianis conſequi nitebantur, eamdem Ambroſius alibi precando, ac diuinam opem implorando, feliciter obtinuerit; & præſertim per Deiparæ Virginis ſuffragium, cui præſertim ſuam & Catholicorum cauſam obnixè commendabat. Quocirca etiam in hanc ſolummodò ſententiam ego interpretor eas Innocentij Papæ Octaui Litteras, Anno Domini 1491. datas, quibus peculiarem Indulgentiam concedebat Montanæ illi Eccleſiæ: quibuſquè tamquàm è communi fama, ſibi ſignificata, affirmabat, Arianos ex eo Monte pulſos fuiſſe per Ambroſium, diuino adiutum auxilio, & per Deiparam præſertim adiutricem victoria illa potitum. B C

XXII. Sed ſatis hactenus patientiæ per beneuolos Lectores indultum ſit opinioni huic noſtræ. Sciant inſuper illi tamen, me, data viciſsim & accepta ex improuiſo repentina occaſione, hoc ipſo mane, quo hæc ſcribebam, diligentiſsimè inſpexiſſe; num Ambroſij effigies, in aureo Baſilicæ Ambroſianæ Altari (quod Anno Domini circiter Octingenteſimo trigeſimo ſecundo elaboratum ſupponimus) formata, flagellum ſiue D ſcuticam geſtet; neque tamen vſpiàm vllum eius indicium apparuiſſe. Quamobrem hinc etiam intelligamus par eſt, Ambroſij cum flagello effingendi vſum incœpiſſe tantummodò poſt illam vſqueadeò celebrem ad Parabiagum victoriam; ſicut etiam Numero 16. videbamus ab alijs multis affirmatum.

XXIII. Pro qua quidem victoria id etiam raptim è Gualuaneo Flamma recolamus, Capite illo 41. *Et quia amborum* (Lodriſij videlicet ac Luchini, & eorum Exercituum) *vexilla erant vipera cum Aquilis: & vt miles diſcerneretur à milite; noſtri milites clamabant*, MILES SANCTI AMBROSII; *alij milites clamabant* RITHBAND, HENRICH.

CAPVT

CAPVT LV. A

Sanctus Simplicianus, in Eccleſia Mediolanenſis regimine ſubſtitutus Sancto Ambroſio, pro impenſiori eius Corporis & Baſilicæ cultu per Synodum Prouincialem decernit, Comprouinciales Epiſcopos hebdomadatim per vices hic adeſſe oportere. Simile quiddam factum alibi etiam, nec Rauennæ ſolùm, ſed etiam Romæ.

I. SIcut Ambroſius, morti propinquus, fore prænunciauerat, vt Simplicianus in Eccleſiæ regimine ſibi defuncto ſubſtitueretur; ſic etiam re ipſa factum eſt illicò; vt iam vidimus B Capite 53. Num. 2. Sicut autem Simplicianus viciſsim penitiſsimè cognouerat inſignem Ambroſij ſanctitatem; ſic etiam illam, quantò fieri poſſet impenſiùs, colendam & debitis proſequendam honoribus curauit; & per Epiſcopos etiam ſuos Comprouinciales. Hoc nimirùm loco repetenda nobis & in memoriam reuocanda ſunt illa, quæ in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 392. & 394. differebamus.

IIG. ualuaneus namque Flamma in Chronici Maioris exemplari, quod Secretarii eſt Vrbani, Capite 124. hæc tradebat: *Iſte Beatus Simplicianus, congregata vniuerſali Synodo ſuorum Suffraganeorum, ordinauit, omnibus Epiſcopis conſentientibus, vt quilibet Epiſcopus Suffraganeus per vnam ſeptimanam hebdomadariam faceret in Eccleſia Sancti Ambroſij. Et fuit factum vnum Palatium* IVXTA NOXETAM, *per tria milliaria longè ab Vrbe: vbi Epiſcopus hebdomadarius excubaret. Ibi facta fuit Eccleſia Sancti Georgij cum Turri altiſsima: &, quotieſcumque Ciuitas deſtruebatur, Epiſcopus cum Clericis ibi habitabat. Epiſcopus autem, audita campana Eccleſiæ Maioris, aſcendens equum fortiter equitabat. Illa autem campana tamdiu pulſabatur, donec adueniret. Cuius conſuetudinis moleſta pulſatio durat. Sed quia fuit viſum graue, vt Epiſcopus Auguſtanus, aut Curienſis* (quippe tunc hi etiam inter Archiepiſcopi noſtri Suffraganeos computabantur) *vel cæteri, venirent pro hac re; ipſi Epiſcopi, ſuam redimentes vexationem, aliqua Beneficia Eccleſiaſtica ementes, Eccleſiæ Mediolanenſi donauerunt; quibus aliqui ſuſtentati onera Epiſcoporum ſupportauerunt.* Et Capite 149. ſic item attexebat: *Reædificata Ciuitate* (Mediolani) *Beatus Honoratus Archiepiſcopus ad ſuam Sedem rediјt, &* IVXTA NOXETAM *habitauit cum alijs Cardinalibus Eccleſiæ Mediolanenſis, qui ibi habitabant inſtante Vrbis deſtructione: vbi & mortuus eſt. Iacet in Eccleſia Sancti Georgij.* C D

III. Similiter etiam Chronici *Flos florum* Auctor (hic item codex Vrbani eſt Secretarij) nihil in his à Gualuaneo diſſentit. Folio ſiquidem 86. pag. 2. ſic etiam ipſe ſcribebat: *Iſte Beatus Simplicianus viginti-quatuor Canonicos Decumanos* (aliter *Decumanos*) *in Eccleſia Maiori ordinauit. Eccleſiam Sancti Georgij* AD NOXETAM *ædificauit: vt ibi habitarent Epiſcopi hebdomadarij, qui in Eccleſia Beati Ambroſij & ſuper Corpus*

pus eiuſdem Beati Ambroſij Solemnia celebrabant. Et tunc inoleuit ipſa diuturna ac tædioſa pulſatio campanæ eiuſdem Eccleſiæ (Maioris) *quæ vſque nunc durat. Cùm incipiebat pulſare, Epiſcopus hebdomadarius ſurgebat: & tamdiu ipſa campana pulſabat, donec Epiſcopus in ipſa Eccleſia* (Beati Ambroſij) *Officium incipiebat.* Et poſtmodùm fol. 96. pag. 2. *Hic Honoratus* (Mediolani Archiepiſcopus) *à timore Longobardorum Ianuam fugit, ad Ianuenſem Epiſcopum, Suffraganeum ſuum, qui vltimum locum in dextera Archiepiſcopi Mediolani poſſidebat in Conſilio. Obit Honoratus Anno Domini Quingenteſimo ſeptuageſimo-quarto. Iacet ad Sanctum Georgium* AD NOXETAM *extra Portam Romanam, vbi Cardinales Mediolanenſis Eccleſiæ habitare conſueuerant: & ideò inoleuit conſuetudo, quòd campana Eccleſiæ Mediolanenſis diutiſſimè in Matutinis pulſabatur, & adhuc pulſatur; quia duo ex Cardinalibus per vices ſuas, audito primo ſigno campanæ, ſurgentes, Mediolanum veniebant per viam trium milliariorum; & numquàm campana ceſſabat, donec peruenirent. Quæ diutina pulſatio vſque hodie perſeuerat.* A B

IV. Hactenùs ambo illi Chronographi. Tum ego ipſis adſtipulatores addebam binos Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogos, itidem manuſcriptos, in quibus hæc extant: *Obijt autem Beatus Honoratus* (inter Archiepiſcopos Trigeſimus-primus) *Ianuæ Anno Domini Quingenteſimo ſeptuageſimo. Iacet ad Sanctum Georgium* AD NOXETAM, *quam dicimus* NOXEA, *propè Mediolanum, vbi habitabant Domini Cardinales Eccleſiæ Mediolanenſis. Et ideò eſt conſuetudo, quòd campana prædicta Eccleſiæ mane prima hora Matutini & Veſperarum pulſare debet tamdiu, quòd prædicti Cardinales, ſiue Ordinarij, intereſſe poſſint Matutino, ſiue alijs Officijs, prout moris eſſe debet.* C

V. Ne verò commentitium & fabuloſum videretur quod ego, talium ſecutus Auctorum teſtimonia, narraueram de Sancto Simpliciano eiuſquè Comprouincialibus Epiſcopis, quorum animis tanta inſediſſet erga Baſilicam Ambroſianam & Sanctiſsimum eius Conditorem ibi ſepultum veneratio & amor, vt ex condicto iidem Comprouinciales cœperint ſua quiſque hebdomada tanto cum incommodo ad eam Baſilicam ventitare, vt ſupra ipſius Ambroſij Corpus Solemnia celebrarent: ne hoc, inquam, fabuloſum alicui & fictitium videretur; hoc ipſum altero ſimili confirmabam. *Placeát ergo nunc* (ſic ego tunc ſcribebam Num. 394.) *hoc itidem loco ritum iſtum, ſanè quidem admiratione dignum, ſimili quodam exemplo confirmatum inſpicere, quod Carolus Sigonius De Regno Italiæ, & Hieronymus Rubeus in Hiſtorijs Rauennatibus recenſeat ad Annum Chriſti Octingenteſimum ſexageſimum-primum. Siquidem Romæ in Concilio Lateranenſi cùm data fuiſſet accuſandi Ioannis Archiepiſcopi Rauennatis facultas; Epiſcopi Aemiliæ inter alia conqueſti de ipſo fuerant, quòd eos adigeret* (vtor enim recitatis à Rubeo verbis) *vt Eccleſijs ſuis deſertis, more Presbyterorum, ſingulis menſibus Rauennæ miniſtrarent: & ſe viginti aut triginta diebus per vim Rauennæ teneri: neque vlli Clerico ſuo equo vehi per Vrbem, iniuſſu ipſius, ſine magno diſcrimine licere. Quod quamquàm ſuperiores Archiepiſcopi facere conſueuiſſent, ac poſterio-* D

rts

res etiam fecerint, certis cuique Epiſcopo aſsignatis Rauennæ ædibus, quas inco- A *lerent &c. tamen id acerbiùs aliquantò, quàm res aut dignitas ferret, ab Ioanne fieri videbatur.* Quibus ego verbis à Rubeo recitatis hæc addebam: *Neque tamen Concilium quicquam ſtatuit, quominùs iidem illi Epiſcopi deinceps tale obſequium Archiepiſcopo Eccleſiæquè Rauennati præſtarent.*

VI. Sic igitur in ijs ego Monumentis tunc temporis diſſerebam: mihiquè nunc ſummoperè gratulor, quòd ita diſſeruerim; quippecùm ex eo tempore nonnulla item alia obſeruarim, quibus illud Simpliciani & Comprouincialium Epiſcoporum ſynodale decretum illuſtrari magis & comprobari poteſt.

VII. Gualuaneum in primis habeo Flammam in eo exemplari, quod in multis multò vberius & elaboratius conſeruatur in Ambroſiana Bibliotheca, B nobiſquè cauſam illius decreti aſsignat. Sic enim Capite ibi 405. Gualuaneus enarrauit: *Ipſe Beatus Simplicianus, congregatis omnibus ſuis Epiſcopis Suffraganeis, de ipſorum conſenſu ordinauit, quòd omnes Epiſcopi, ſinguli ſingulis ſeptimanis, Officium facerent, & Miſſam cantarent ſuper Altare Beati Ambroſij; quia non videbatur iuſtum, ſuper Corpus Beati Ambroſij Miſſam celebrare, niſi eſſet Epiſcopali dignitate infulatus. Et tunc fuit ordinatum, quòd* IVXTA NOXETAM, *per tria milliaria ab Vrbe, fieret Eccleſia Sancti Georgij cum Turri altiſsima, & Palatio nobili & magno. Et ibi iacebat Epiſcopus hebdomadarius. Et audita campana Maioris Eccleſiæ, in media nocte ſurgebat, & versùs Mediolanum equitabat, vt Matutinum inciperet in Eccleſia Sancti Ambroſij. Et nunquàm campana ceſſabat pulſare, donec Epiſco-* C *pus præſens adeſſet. Cuius conſuetudinis moleſta pulſatio adhuc durat. In proceſſu temporis, quia nimis erat graue, aliquos Epiſcopos de Inſulis aut de Alemania huc aduenire; ipſi Epiſcopi, ſuam redimentes vexationem, ſymbologizantes, aliqua Beneficia emerunt, & Eccleſiæ Mediolanenſi donauerunt: quibus aliqui Clerici ſuſtentati, onera Epiſcoporum ſupportauerunt.*

VIII. Talia legerat ex hoc ipſo Codice Ioſephus Ripamontius (cuius in manibus egomet ipſe multoties illum vidi, cùm ad Bibliothecam pariter Ambroſianam ego quoque ſtudiorum meorum cauſa perrexiſſem) nec aſpernanda credituquè indigna cenſuerat. Quamobrem Libro ſexto ſuarum Eccleſiæ Mediolanenſis Hiſtoriarum Gualuaneanam illam narrationem nitidiore ſtylo ſuo recenſuit his verbis: *Etiam in Eccleſiæ moribus &* D *inſtitutis hoc tempore comperio fuiſſe multa; quæ recens diſciplina Pontificum & communis via decori non ferret. Quippe traditum eſt, creſcente quotidie magis Ambroſij deſiderio, famaquè virtutum & miraculorum illius increbreſcente, inſtitutum hunc morem à Simpliciano: vt Prouinciales Epiſcopi, quamquàm diſſiti terris, graues ætate, diſtenti ſui muneris occupationibus, abſque diſcrimine vllo vel excuſatione, Mediolani per hebdomadas in orbem adeſſent, facturi Rem Diuinam in Ara, quæ, nimirùm inclyta tanti Viri Reliquijs & nomine, patere deberet ad ſacrificandum illis tantummodò, quos dignitas pontificia faceret venerabiles & auguſtos. Tunc ſcilicet Epiſcopos, vt ſua quemque dies admoneret, ex varijs Prouinciæ locis longiore, quàm hodie diſtant, interuallo ire in Metropolim*

polim hanc conſueſſe, defunctoſquè ritè vice ſua, pari celeritate domos remigra- A
re. Domicilium in Vrbe (legendum potiùs videtur *extra Vrbem*) *fuiſſe con-*
ſtitutum Hebdomadatico ad tertium inde lapidem, quà Parua Nux Diui Gre-
gorij (ſiue potiùs *Georgij*) *Templo cognomen fecit. Ex eo domicilio Pontificem,*
cuius eſſet hebdomada, pulſu campani æris excitari ſolitum intempeſtæ noctis
ſilentio; matutinus vt ſiſteret ad Aram. Manſiſſe ſolemne hoc, donec pertæſi
ſpatia viarum irrequietoſquè commeatus Epiſcopi contulerint in medium vecti-
galia & ſtipes largè ſuffecturas in ea Sacra, dederintquè ſui muneris Vicarios;
ac ita duræ peregrinationis incommodo & labore ſint leuati. Memorat hæc ipſa
Gualuaneus idem: quem poteris appellare; ſi quis fortè laborabit admiratione
nouitatis. Hactenùs Ripamontius.

IX. Ego quidem nouitatis eius admiratione tanto minùs iam laboro, quanto B
luculentiorem habeo teſtem, à quo tandem didici, Stephanum quoque
Papam, nominis huius Quartum, Anno creatum Domini ſexageſimo-
octauo ſupra Septingenteſimum, ſimile quiddam pro Romana Principis
Apoſtolorum Baſilica inſtituiſſe, quale olim Archiepiſcopus noſter Sim-
plicianus pro hac Ambroſiana decreuerat. Luitprandus enim, è Sub-
diacono Toletano Diaconus Ticinenſis, ac denique Cremonenſis Epiſco-
pus, in Libro *De Pontificum Romanorum Vitis*, Cap. 96. ſic ad verbum
de Stephano illo Papa ſcribebat. *Hic conſtituit ſeptem Cardinales Epiſcopos,*
qui alternatim in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli hebdomadas celebrarent, & Hym-
num Angelicum in Miſſarum ſolemnijs decantarent. Cui quidem Conſtitu-
tioni aliquatenùs etiam ſimile videtur illud, quod Sanctus Leo Papa C
Nonus, Anno Domini Milleſimo quadrageſimo-nono Romæ conſecra-
tus, cùm inde in Germaniam reuerteretur, Eccleſiæ conceſsit Colonien-
ſi, Sancto pariter Apoſtolo Petro dicatæ. VVibertus enim Archidiaco-
nus, eiuſdem Leonis Papæ contemporaneus, in ipſius Vita, typis Pari-
ſienſibus Anno 1615. impreſſa, ſic ſcribebat Libro 2. Cap. 4. *His ſanctis*
inſudans ſtudijs (Leo Pontifex) *antiquam repetit Patriam, ſuſcipiturquè à to-*
tius Gentis nobiliſſimo atque reuerendiſſimo Archiepiſcopo Herimanno apud Co-
loniam. Cuius petitu conceſſit Dominus Papa hoc priuilegium Sedi Eccleſiæ Colo-
nienſis, vt ad Altare Sancti Petri ſeptem Presbyteri Cardinales (illius nimi-
rùm Eccleſiæ, ni fallor, quales item vocabantur Metropolitanæ huius
Eccleſiæ Mediolanenſis Canonici Ordinarii) *quotidie Diuinum celebrarent* D
Officium in ſandalijs. Dedit ei quoque officium Cancellarij Sanctæ Romanæ Se-
dis, eiuſquè Succeſſoribus: tribuens illi Eccleſiam Sancti Ioannis ante Portam
Latinam. Idipſum verò de Colonienſi Eccleſia teſtatus eſt etiam poſtea
Aubertus Miræus in Chronico Belgico ad Annum Chriſti 1049. vbi
tandem ſic etiam addidit: *De ſeptem Canonicis Cardinalibus in Eccleſia Ve-*
ſontionenſi, ac Remenſi, ab eodem Papa (Leone Nono) *ſimiliter inſtitutis, qui*
volet, Chiffletium in Veſontione conſulat.

Digitized by Google

CAPVT LVI. A

Sancta Marcellina, Sanctorum Satyri & Ambroſij Soror, Mediolani moritur, & à Sancto Simpliciano ad Ambroſianam Baſilicam ſepelitur.

I. QVÆ ſuos fratres ortu præceſſerat, Marcellina, eadem ipſos
obitu ſubſecuta eſt. Ortam ego coniectaui Anno Domini
circiter octauo & vigeſimo ſupra Trecenteſimum: & hoc
ipſum indicabam Capite 46. Num. 2. Quoto autem obierit
Anno: ne coniectura quidem ſatis adhuc hoc aſſequi
poſſum. Obijſſe illam quo tempore Simplicianus, Ambroſij ſucceſſor B
proximus, & eodem quo ille obiit Anno creatus, Eccleſiam Mediolanenſem
regebat: hoc mihi tam certum eſt, quàm, tantam Virginem
fuiſſe à tanto Antiſtite tumulatam, & ſuperaddito Epitaphio celebratam.
Sed quamdiu Eccleſiam ipſe hanc rexerit, id quoque ambiguum eſt, &
in varias opiniones diſtractum. Duos tantùm Annos adſcribunt aliqui,
alij tres, alij quatuor, alij denos, alij denique duodenos; nec ego aliquam
ex his opinionibus mihi nunc ſeligere volo, cui probabiliùs adhæream;
hoc enim faciam poſtea Capite 59. Num. 8. & 9. Satis ergo
nobis in præſenti eſto, quòd Marcellina poſt Ambroſium mortua ſit,
cùm Simplicianus adhuc Mediolani Archiepiſcopus viueret. Priuſquàm
tamen ad eius obitum veniamus, paucula quædam vel è prioribus recolenda C
ſunt eiuſdem Annis: quos ab Anno Domini, vt præmonebam,
circiter vigeſimo-octauo ſupra Trecenteſimum exordimur.

II. Poſt Marcellinam igitur, fœtu genitam primo, Satyrus ſecundo circiter
Annum eius Sæculi trigeſimum, Ambroſius tertio circiter Annum trigeſimum-tertium,
editi fuerunt in lucem; ſicuti computatum à nobis
iam eſt Capite 37. & 46. Num. 2. Quando itaque Ambroſio, in cunis
agenti, examen apum blandè affuit; tum verò grandiuſcula iam erat, &
annum circiter quintum ætatis agens; itaut etiam tunc temporis cum
Genitore in area Prætorij deambulare poſſet. Hinc ergo Paulinus in
eiuſdem Ambroſij Vita, non procul ab initio: *Igitur, poſito in adminiſtratione
Præfecturæ Galliarum patre eius Ambroſio, natus eſt Ambroſius. Qui* D
*infans, in area Prætorij in cuna poſitus, cùm dormiret aperto ore, ſubitò examen
apum adueniens, faciem eius atque ora compleuit; itaut ingrediendi in os
egrediendiquè vices frequentarent. Quæ Pater, qui propè cum Matre, vel*
FILIA (Marcellina) *deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi
infantis ſuſceperat, prohibens (ſolicita enim erat, ne infanti nocerent)
expectabat patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At ille pòſt aliquandiu
euolantes, in tantam aeris altitudinem ſubleuatæ ſunt, vt humanis oculis
minimè viderentur. Quo facto territus Pater ait: Si vixerit infantulus iſte;
aliquid magni erit.*

III. Creſcit interim Marcellina: cumquè ſemel in agro conſtituta eſſet, nulla

Aſſocia Virgine, nullo informata doctore; tum verò diuinitus per Sanctæ conſanguineæ ſuæ Soteris Virginis & Martyris exemplum erudita, Virginem ſe Deo conſecrare ſtatuit; vti nos ex Ambroſio ipſo iam didicimus Capite 35. Num. 4. A

IV. Sanctus ergo Liberius Papa in Romana Principis Apoſtolorum Baſilica, in Dominicæ Natiuitatis celebritate, Virgini Marcellinæ, multis alijs aſſociatæ Virginibus, velamen ſacrum publicè ac ſolemniter tradit; vt Capite 48. Num. 8. docuimus. Liberius autem ipſe creatus eſt Pontifex Anno Domini ſupra Trecenteſimum quinquageſimo-ſecundo. Sed Anno poſtea quinquageſimo-quinto ab Imperatore Conſtantio Ariano pulſus in exilium fuit Beroeam Thraciæ. Reuerſus poſtea Romam, iterùm receptus eſt tamquàm legitimus Pontifex Anno quinquageſimo-ſeptimo. Pellitur inde rursùs ab Arianis, & in Cœmeterijs ſuburbanis deliteſcere cogitur vſque ad Conſtantij mortem, quæ primo & ſexageſimo Sæculi eiuſdem Anno adſcribi ſolet. Denique verò ipſe etiam obijt Anno ſexageſimo-ſeptimo, & apud poſteros memoriam ſui ſanctam reliquit. Quibus de rebus conſuli poſſunt Baronij Annales. Itaque ſi Marcellina ſacrum velamen à Liberio accepit inter eius initia Pontificatus, vt credibilius videtur; tunc certè annum ætatis agebat circiter vigeſimum-quintum. Atque hoc, vt opinor, innuebatur in Ambroſiano Lectionario Matutino (quod ego deſcribebam Capite 48. Num. 5.) cùm in prima Sanctæ Marcellinæ Lectione ſic haberetur: *Educata igitur ſacris ſtudijs à Matre Puella* (Marcellina) *vergente ætate virginitatis profeſsionem ardenter cœpit poſtulare: quam tandem die Natalis Domini à Liberio Papa cum veſte religionis virginalem ſuſcepit benedictionem, multis in Eccleſia Virginibus congregatis.* B C

V. Id porrò certius eſt: poſt virginalem Marcellinæ profeſsionem illa contigiſſe, quæ Paulinus hiſce mox enarrare verbis pergebat: *Poſtea verò cùm adoleuiſſet* (Ambroſius) *& eſſet in Vrbe Roma conſtitutus cum Matre vidua, & Sorore, quæ virginitatem iam fuerat profeſſa, comite alia Virgine (cuius Virginis ſoror Candida, & ipſa eiuſdem profeſsionis, quæ nunc Carthagine degit, iam anus) cùm videret, Sacerdotis à domeſtica Sorore* (Marcellina) *vel Matre, manus oſculari; ipſe ludens offerebat dexteram, dicens, & ſibi id* AB EIS *fieri oportere*. Verior tamen eſt lectio, *& ſibi id* AB EA *fieri oportere*. Sic enim liquidò conſtat è multis vetuſtioribus exemplaribus, tam impreſsis quàm manuſcriptis, à me lectis & obſeruatis in hunc ex induſtria finem in Ambroſiana Bibliotheca; tum etiam ex eiuſdem Paulini verbis, paulò pòſt à me in medium proferendis. Sequitur ergo Paulinus: *Siquidem Epiſcopum ſe futurum eſſe memorabat. Loquebatur enim in illo Spiritus Domini, qui illum ad Sacerdotium nutriebat. Illa verò vt adoleſcentem, & neſcientem quid diceret, reſpuebat*. Talia ibi Paulinus. Quibus quidem congruunt illa item, quæ aliquantò pòſt adiecit, & huiuſmodi fuerunt: *Igitur poſt annos aliquot Ordinationis ſuæ* (Epiſcopalis) *ad Vrbem Romam, hoc eſt ad proprium ſolum, perrexit* (Ambroſius) *ibiquè* D

Sanctam

Sanctam Puellam (illam ſcilicet Candidæ ſororem) *de qua ſupra memoraimus, cui manum offerre ſolitus erat, in domo propria cum Germana* (nempè Marcellina) *ſicut reliquerat, inuenit, iam Matre deſuncta. Atque cùm illa dexteram illius oſcularetur; ſubridens ait illi: Ecce, vt dicebam tibi, Sacerdotis manum oſcularis.* A

VI. Per hæc autem nos obiter bina refellimus errata, quæ in Sanctæ Marcellinæ Vita, per Boninum Mombritium, & ex ipſo preſsiùs & compendioſiùs per Hilarionem Monachum recitata, reperiuntur: quæ quidem Vita verè Concio eſt & Sermo, in anniuerſaria eius feſtiuitate hăbitus Mediolani. Quippe illic Concionator ille aſſerebat, nonniſi poſt virginitatis profeſsionem, publicè à Marcellina editam, genitum ac natum fuiſſe Ambroſium, ac deinde ſtato tempore Satyrum: cui quidem ſecundo errori, non autem primo, noſtri quoque Mediolanenſes adhæſerunt in prima, quam paulò ante nominabam, Sanctæ Marcellinæ Lectione. B Nobis ergo ex ipſius Ambroſij & Paulini teſtimonijs iam conſtat, Satyrum eſſe natum priùs Ambroſio: & Ambroſium itidem natum priùs, quàm ſacro virginitatis velo Marcellina publicè decoraretur.

VII. Sed aliquid etiam in Ambroſij Vita, per Baronium conſcripta, hic habemus, quod non ſatis placet. Etenim quæ proximis verbis Paulinus de Ambroſij dextera manu ad oſculandum porrecta demùmque oſculata narrabat, eadem Baronius hiſce verbis recenſuit: *Ibi* (ſcilicet in Ambroſii paterna domo) *Marcellina cum Candida Virgine, Sancta Matre duce ac magiſtra, virginalem vitam monaſticis inſtitutis excoluit.* Nec multò pòſt: C *Accidit, poſtquàm Soror* (Marcellina) *virginitatem profeſſa eſt, vt Matrem ipſamquè Sororem manus Sacerdotum ex more oſculantes videret. Tum & ipſe ludens obtulit dexteram oſculandam, idem ſibi reuerentiæ officium exhibendum affirmans, quòd aliquando eſſet futurus Epiſcopus.* Poſt multa vero ſic item: *Romam igitur cùm perueniſſet* (Ambroſius iam Epiſcopus) *adit domum paternam: vbi, defuncta iam Matre, Marcellina vnà cum alijs Sanctis degebat Virginibus: inter quas nobilis ſanctitate erat Candida. Quæ cùm Ambroſij manus oſcularetur; ſubridens ille, priſtini memor prolati ioco oraculi, Ecce (ait) vt dicebam tibi, Sacerdotis manus oſcularis.* En igitur vt Baronius Candidam conſundit cum altera illa Virgine, ipſius ſorore, quam Paulinus Marcellinæ comitem, atque in paterna ipſius domo ſimul habitantem deſcribebat. D Non enim Candidæ, ſed illi eius ſorori, dexteram in adoleſcentia ſua ludens Ambroſius offerebat oſculandam: non Candida viciſsim, ſed illa eius ſoror, tunc temporis id reſpuebat, quod poſtea lubens ac ſponte in obſequij ac reuerentiæ teſtimonium creato iam Epiſcopo præſtitit. Atque hinc per otium corrigendus eſt etiam Petrus de Natalibus, Libro 1. Cap. 36. vbi de Ambroſio ſic habet: *Cùm puer eſſet, Matri & Sorori manum oſculandam porrigebat, vt Sacerdotibus fieri conſpexerat: quod Soror tunc deridebat.* Et rursùs: *Qui cùm poſt annos quatuor Romam veniſſet, Matre deſuncta: & Germana* (en, vt hic Auctor Marcellinam itidem confundat cum illa ipſius comite, ac Candidæ ſorore, per

Paulinum indicata) *manum eius oſcularetur; ſubridens dixit, in ſe iam impletum, quod puer vaticinatus fuerat.* Sed hinc nos quidem ad Marcellinam reuertamur. A

VIII. In reliquis verò Marcellinæ geſtis teſtem nihilominùs ac veritatis ducem ſequimur Auctorem illum, è cuius calamo Mombritius etiam fidenter illa recenſuit, & his quidem verbis: *Interea cùm piæ recordationis almificum Præſulem Ambroſium ſuſcepti Epiſcopatus cauſa in præfata Vrbe Mediolano compuliſſet: fratremquè dilectum* (Satyrum) *luce ipſa chariorem, ſecum amoris glutino detentum cohabitare feciſſet; Virgo Domini, Marcellina, chariſſimis diutiùs auelli non paſſa germanis, domo patria rebuſquè relictis ſeſe Mediolanum contulit; ſatius rata peregrinam cum illis ducere vitam, quàm duobus priuata luminibus Romanas opes miſerabilis poſſidere. In illis totam, poſt Chriſtum, vitæ ſuæ ineſſe fiduciam, totam ſpem totamquè claritatem, lachrymis oculos ſuffuſa confitebatur. Nihilominus & à fratribus vt ſui Domini Sponſa nimio diligebatur affectu, ſedulo venerabatur obſequio: eratquè illis iam non quaſi ſoror, ſed vt maior natu domina, materquè ſpiritualis: ita eos diligens vt filios chariſſimos, ita ab ipſis dilecta amplexata venerata vt mater. O felicia tempora! quibus ex vno vtero tanta ſanctitas virginitatis pietaſquè prodierunt* &c. B

IX. Et paulò pòſt: *Sed quoniam talibus dignus non erat Mundus; paulatim è corpore ſubtracti, ad Cæli Palatium aduocantur. Ac primùm admirabilis Satyrus cum immenſo dolore, non ſolùm fratris ac ſororis, ſed totius penè Prouinciæ, migrauit ad Superos. De cuius obitu duos frater Ambroſius ad doloris ſolamen libellos, fletibus irrigans, luctuoſis queſtibus adimpleuit. In quibus* (ſiue in quorum primo) *& Beatæ Marcellinæ pius erga fratrem mirificè his verbis proditur affectus: O Sancta Soror, quæ fratris ſolatio deſtituta, de ſuo pudore ſolicita, duobus nuper beata germanis, nunc ex duobus fratribus ærumnoſa, neque alterum ſequi poteſt, neque alterum derelinquere: cui tumulus hoſpitium tuus* (Satyrum enim mortuum alloquebatur tunc Ambroſius) *& corporis tui ſepulchrum eſt domus. Atque vtinam vel hoc tutum diuerſorium. Cibus in fletibus, potus in lachrymis.* Quæ quidem Ambroſij verba ego quoque de Marcellina recitabam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 19. C

X. Sequitur idem Auctor: *Conſtat autem, hunc ex illo venerandæ Virgini morem fuiſſe, vt continuè ſupra tumulum fratris genu nixa Dominatori omnium ſanctam eius animam precibus aſſiduis commendaret. Perſæpè etiam diem ſine cibo noctemquè inſomnem tranſigens, loco ſepulchri vix ad momentum poterat auelli.* D

XI. *Non poſt multos verò annos Chriſti Præſul egregius, ſummuſquè Confeſſor, Ambroſius, poſt innumera virtutum miracula, poſt ſuperatas armis ſapientiæ* (ſicut ego quoque Capite 54. contendebam) *Arianorum inſidias, poſt ſolidatas Fidei Catholicæ fundamento Occidentales Eccleſias, tranſijt ad Dominum, perpetua laborum ſuorum præmia recepturus.*

XII. *Tunc deinde duplicatus mæror, renouata triſtitia: nihilquè aliud, præterquàm mori, anxiæ nimiùm Sorori placebat. Quid faceret? quò ſe verteret? Nunc ad illum, nunc ad hunc prouoluta tumulum hæſitabat. Se ſolam ſine comite, ſolam*

ſine

ſine gubernatore relictam, conuerſa ad Chriſtum ineluctabiliter querebatur: Hic, inquiens, moriar, Chriſte: hic extremum anhela ſpiritum ponam. Suſcipe, quæſo, hanc anum, cui ſola tuæ pietatis reſeruaſti ſolatia. Suſcipe duobus orbatam luminibus, & fratrum clementer beatis adiunge ſpiritibus. Hæc autem Beatiſſima Virgo, non quia fratres amiſerat, ſed quia ſine illa tranſierant, flebiliter ingemiſcebat. A

XIII. *Vltimum itaque vitæ ſuæ tempus venerandis tumulis dedicauit: ante quos excubans, & die noctuquè ſacratas perſoluens excubias ſpiritum Cælo reddidit, Chriſto copulata per æuum. Obijt autem præcellentiſsima Virgo Marcellina ſextodecimo Kalendas Auguſtas, cùm aurora noctis metas excederet, coram poſitis Cleri Populiquè Maioribus Vrbis huiuſcemodi Mediolanenſis.*

XIV. *Corpus verò eius à Venerabili Antiſtite Simpliciano reconditum: & Fratris* (Ambroſij) *tumulo Sororis tumulus eſt appoſitus. Quo in loco pijs eorum interuentibus ſolita Dominus Ieſus beneficia ſuis rependit Fidelibus; vt facilè pateat cunctis, quòd eorum ſpiritus ſimul lætantur in Cælis, quorum ſublimis virtus paribus radijs refulget in terris. Præſtante Domino noſtro, Ieſu Chriſto: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.* B
Hactenùs Auctor ille apud Mombritium: è quo poſtea Hilarion Monachus eadem ſtrictim recenſuit in Supplemento Legendarij Sanctorum, à Iacobo de Voragine collecti. Quod Supplementum mihi eſt impreſſum Mediolani Anno Domini 1494.

XV. Neque verò Marcellinam Simplicianus tumulo tantùm intulit, ſed adiecto etiam Epitaphio ad perpetuam memoriam celebrauit. Quamobrem C illud ipſum eruditiſsimus & antiquitatum auidiſsimus Andreas Alciatus in ſuo Antiquario manuſcripto, neque typis adhuc edito, recenſuit: ex eoquè ſimiliter ego illud in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 98. iam deprompſi; ſed hic etiam rursùs inſtituti præſentis ratione in medium adducere cogor. Eſt autem huiuſmodi:

Marcellina, tuos cùm vita reſolueret artus,
Spreuiſti patrijs corpus ſociare ſepulchris,
Dum pia fraterni ſperas conſortia ſomni,
Sanctorumquè cupis chara requieſcere terra.
Nil longinqua domus caſto decerpſit amori:
Affectus nec morte perit. Nam munere lethi D
Rursùs iuncta ſoror fraternæ redderis vmbræ;
Quamuis Magna pio ſuſpiret Roma dolore;
Tertia quòd ſacri patitur iam damna ſepulchri.
Nec tamen anguſtam ſedem quis dixerit aulæ.
Corporis hac domus eſt. Nam te, pia Virgo, ſupernum
Accipit Imperium placidæ poſt munera mortis.
Aeternæ Chriſtus pretium tibi deſtinat Aulæ,
Præmia dans caſtis intactæ Matris honorem.
Te medius, Iuli, tranſcendit, feruide, curſus:
Et te, Virgo, tuus tranſuexit ad Aethera Sponſus.

XVI. Sicut

Digitized by Google

XVI. Sicut autem in eiſdem Monumentis, Numero 19. & 98. ego commemorabam, Marcellinæ tumulus viſitur adhuc in Ambroſianæ Baſilicæ ſubterranea Confeſsione (vulgò Scurolo) collocatus iuxta Sancti Ambroſij ſepulchrum, Altari primario ſubiectum: decemquè circiter paſſus ſiue cubitos ab eo diſtat. Confeſsio autem ipſa totum occupat ſpatium, quod hodierno ſubiacet Choro ſiue Odæo. Concamerata ſic etiam eſt, ac ſexdecim columellis, & pleriſque marmoreis, innixa, & ab infima humo vſque ad concamerationem ſenos circiter cubitos alta. Quæ quidem altitudo non nihil etiam derogat proportioni, qua ſuperioris ædis (nunc, vt dicebam, Chori ſiue Odæi) concameratio congruenter alta eſſe deberet, quaquè olim ab initio fuiſſe credenda eſt, quando per Ambroſium conſtructa fuit ſimul cum Baſilica. Tunc enim ædis eius pauimentum conuenienter credi debet nihilò aut ſaltem paululò fuiſſe altius pauimento, quod in præſentem vſque diem perſeuerat Altari primario circumiectum, nec vllatenùs eleuatum; ſicut dignoſci facillimè poteſt è baſibus pilarum lapidearum, eidem pauimento aptè ſuperſtantium, & vnà cum circumſtantibus itidem parietibus ab initio conſtructarum. Non ea tamen Confeſsio extabat ante Annum Domini Milleſimum ducenteſimum. Quocirca ne in Ambroſianæ quidem Baſilicæ Monumentis, Volumine Primo in eum vſque Annum à me protractis, vlla vnquàm reperta mihi fuit eius mentio. Eadem porrò vnico tantùm pariete diuiditur ab eo ſitu, intra quem Sanctorum Ambroſii & Protaſij ac Geruaſij Corpora ſub primario ipſius Baſilicæ Altari credimus eſſe collocata: & ſecùs hunc parietem duos habet ingreſſus, vnum alteri è directo latere hinc inde reſpondentem: atque illac etiam patuiſſe olim ego crediderim aditum & deſcenſum ad inſpicienda ea Sanctorum Corpora; quando ſcilicet illuc dabatur, vt in prædictis Monumentis iam vidimus Numero 352. ad Annum Chriſti Milleſimum centeſimum trigeſimum. Altare verò extat etiam in eadem Confeſsione ad medium ipſius parietis, & propè ac iuxta conditorium illud ſacrorum Corporum: quinetiam inter conditorium ipſum & Altare media pariter extat ædicula, in abſidem curuata; & extrinſecùs ſepta crate ferrea, ſed auro illita; intrinſecùs autem ſacris picta imaginibus, & vetuſtate ipſa iam valde abſumptis. Medium illic Ambroſius, dexterum verò ac ſiniſtrum latus tenent Protaſius ac Geruaſius: vnaquè omnes proſtrati ac defuncti iacent: quemadmodùm videlicet fama & opinio eſt eos in conditorio ipſo iam inde ab initio iacuiſſe; ſicut ego quoque recenſebam Capite 53. Num. 20. Cæterùm in extremitatibus alij quatuor Sancti cernuntur ſtantes, & in pedes erecti. Nimirùm in latere dextro Sanctus Satyrus, cingulum illud ſuum (de quo diximus Capite 46. Num. 18.) manibus geſtans; itemquè Sanctus alter, militari habitu indutus, manuquè tenens manubrium enſis, cuſpide nixi pauimento; eum ego libenter crederem Sanctum eſſe Victorem, ad cuius ſiniſtram eodem Capite 46. Num. 16. Satyrum pariter narrauimus ſepultum fuiſſe. In latere autem ſiniſtro

Sancta

Sanƈta Marcellina, Monialis inſtar ſecundùm æui noſtri conſuetudinem A
induta, & lilium manu gerens elatum: ac præterea Sanƈtus Ioannes Bap-
tiſta, pellibus indutus ouinis, & agniculum ſuſtinens, vnius codicis
plano incubantem. Sic igitur ea ſe habet ædicula concaua. Proximum
autem ipſi Altare ferreis eſt cancellis circumſeptum. Cæterùm ad caput
eiuſdem Confeſsionis lateritius ad binos circiter cubitos eminet è paui-
mento tumulus, à pariete per Ambroſium antiquitùs (quando Baſilicam
ipſam conſtruxit) circumiecto modicè diſtans, & inde in longum de-
ductus: cuius anteriori parti ſuperſtructum eſt alterum Altare, quod
Sanƈtæ Marcellinæ appellatur. In eo igitur tumulo mortales Marcellinæ
exuuias conquieſcere creditum eſt: ac ne ipſi quidem tumulo nunc de-
ſunt litterarum teſtimonia. In poſteriori enim eius parte, ad veterem B
illum parietem obuerſa, ſic eſt inciſum ſuperillitæ calci: HIC IACET
SANCTA MARCELLINA, SOROR SANCTI AMBROSII. Et
rurſùs in tumuli dorſo ſic eſt atramento inſcriptum: VIRGO MAR-
CELLINA, DIVI AMBROSII SOROR, ET A DIVO SIMPLI-
CIANO HIC SEPVLTA. Quoniam igitur eam Simplicianus hoc in
loco ſepeliuit, vt ego quoque iam credidi; propterea etiam ſic inſuper
exiſtimo, vt eam ibi ſepelierit non aliunde, quàm ex æde ſuperiori; cui
tunc ſubſtructa & ſubiecta non erat eiuſmodi Confeſsio, vel aliquod aliud
eiuſmodi ſpatium, terra vacuum; quæquè tunc pauimentum habebat
nihilò aut ſaltem paululò ſuperius & altius, quàm illud eſſet, quod Al-
tari Maximo circumiacebat, & adhuc circumiacet, vti iam diximus. C
Quocirca reliquum item mihi iam eſt, vt eam profitear gratulerquè ſe-
pultam, ſicut in eadem ipſa ſuperiori æde, ſic etiam in *Cellula* ſiue *Cella
Sanƈti Ambroſij*; ſi tamen ab initio ea nominabatur ita, quemadmodùm
ex antiquo nominari conſueuit, quando Monachis, à Petro Archiepiſ-
copo illuc inductis, tradita fuit tamquàm locus ſecretioris orationis. Sic
enim ea hoc tempore nominari conſueuit, quemadmodùm ego in meis
Monumentis ratiocinabar Numero 20. Quòd ſi ne ab initio quidem illa
tali vocabulo nuncupabatur; nihil nobis hoc officit; quippecùm nihilo-
minùs de re ipſa conſtet. Congruenter enim ad opinionem illam meam
nihilominùs videmus, ædem illam, è qua & in qua ſubtùs pauimen-
tum per Sanƈtum Simplicianum ſepulta fuit Marcellina, verè vnam D
prorsùs & eamdem eſſe cum ea, quam ego Numero illo 20. interpreta-
bar vocatam fuiſſe *Sanƈti Ambroſij Cellam:* quamquè poſtea Numero 643.
adieci appellatam deinceps *Cimiliarchiam*, *Tribunal*, *Epiſcoporum Sedem*,
Epiſcopale: quæquè nunc tandem *Chorus* & *Odæum* vocitatur. Quod igi-
tur Simplicianus Epitaphium inſuper tumulo Marcellinæ appoſuit; hoc
ipſum profectò in eadem illa expoſuit æde; ſed inde poſtea ſublatum
fuit; atque tunc etiam fortaſſe, quando effoſſa ſubtùs humo Confeſsio-
nem hodiernam & Scurolum ſubſtruxerunt. Quandonam verò ſubſtru-
xerint, tum etiam picturis & ſtatuis, quæ ibi hodiequè conſpiciuntur,
exornarint: hæc etiam nos in progreſſu præſentis Diſſertationis ſuo tem-
pore ſiue Capite 110. indicabimus.

XVII. Hoc

XVII. Hoc denique loco tacendum nobis non eſt, vbinam Marcellina ſuum Mediolani domicilium habuiſſe dicatur. Codex in primis eſt mihi, Anno 1481. manuſcriptus, cuius teſtimonio, tamquàm ſuo in loco ac tempore, vtar infra, & cuius folio 16. pagina 1. ſic habetur: *Indulgentia Sancti Carpophori. Quia habitatio fuit Sancti Ambroſij, Satyri, & Marcellinæ; Indulgentia fuit appoſita propter reuerentiam tantorum Virorum.* Sic etiam Libellus eſt mihi, typis Mediolanenſibus impreſſus Anno 1515. quo item teſte vtar infra: quo in Libello, qua parte agitur de Mediolani Eccleſijs, intra Portæ Cumanæ fines conſtructis, ac nominatim de Sancti Carpophori Eccleſia, hæc itidem leguntur: *La dicta Gieſia fù habitatione di Sancto Ambroſio, e di Sancto Satiro, e de Sancta Marcellina: & hà granda Indulgentia.* Eademquè prorsùs ad verbum repetuntur in altero eiuſdem Libelli exemplari, quod poſtea Mediolani pariter recuſum fuit. Denique verò Paulus etiam Morigia in ſuo Ciuitatis ac Diœceſis Mediolanenſis Sanctuario, typographicè impreſſo primùm Anno 1603. cùm de prædicta pariter ſcriberet Sancti Carpophori Eccleſia, ſic inquit: *Quiui vicino habitò Sant'Ambrogio, e Santa Marcellina.* Certè autem ante Parochialis eius Eccleſiæ portam ſatis nobile amplumquè domicilium adhuc extat, Eccleſiam ipſam introeuntibus in latere dextero penultimum, quod communi adhuc fama dicitur Marcellinæ fuiſſe domicilium: quinetiam iugis ibidem puteus adhuc patet, qui Marcellinæ puteus adhuc vocitatur. Quocirca multi etiam religioſè bibunt ex eius aqua; quippe quam Marcellinæ precibus confidunt ſalutarem ſibi fore: quorum è numero me quoque fateor eſſe vnum. Illud ipſum verò domicilium libenter hoc etiam Marcellinæ titulo poſsidetur & habitatur ab Egregio Medicæ Artis Profeſſore, Bartholomæo Cribello, tota paſsim Vrbe notiſsimo. Quòd tamen illa ipſa Eccleſia dicebatur tantorum fuiſſe Virorum habitatio; mihi quidem non diſplicet Morigiæ ſententia, id adſcribentis propinquitati, quæ inter Eccleſiam & domum illam foret. Ambroſium verò ipſum illic habitaſſe, tamquàm in Sororis chariſsimæ domicilio, ego quidem in aliquot vices ſic admittam, vt nihilominùs à me credatur tamquàm in propria & Epiſcopali domo habitaſſe illic, vbi etiam mortuus denique fuit, hoc eſt, propè Baſilicam Maiorem; ſicuti Capite 52. Numero 8. concludebam.

A B C D

CAPVT

CAPVT LVII.

A

Sanctus Baſsianus, Laudenſis Epiſcopus, Mediolanum venit, ad venerandas Sancti Ambroſij Reliquias, eiuſquè opem implorandam: viſoquè ſibi diuinitùs oſtenſo libripendem doloſum reuocat ad frugem.

I. SAncti Baſsiani, Laudenſis Epiſcopi, obſequia erga Sanctum Ambroſium, & morti propinquum, & mortuum, magna ex parte iam vidimus Capite 53. Num. 3. 5. & 19. Sequitur iam tandem, vt ijs hoc etiam ſuperaddamus, quod in eiuſdem Vita, cuius partem Numero illo 19. recitauimus, proximè legitur. *Sequenti etiam tempore* (ſic enim legitur) *dum Mediolanum proficiſcens, quatenùs Almi Confeſſoris eiuſdem* (Ambroſij) *ſuffragia appetenda poſtularet; factum eſt, vt Vrbem ingreſſus, quemdam doloſè librantem ſtateram, Aethiopemquè paruulum in lance vna conſpiceret. Qui cùm ab eis, qui ſecum aderant, percunctaretur, ſi idem eis pateſieret; aiunt, ſe nihil eiuſmodi vidiſſe, quod Sanctus videre meruerat. Tunc Domini Confeſſor eos benignè hortatur, vt diuinæ bonitatis clementiam ſecum corde ſincero ſtudeant implorare, quemadmodùm viſionis eiuſdem teſtes fideles dignaretur addere, qui magnificentiam eius vnanimiter non deſinant prædicare.* B

II. *Precibus itaque Deo oblatis, conceſsit Cæleſtis Pietas Clementi Presbytero atque Elbonio Diacono idipſum, quod Patri Sancto videre conceſſerat. Accerſitumquè libripendem diligenter interrogat, quod pondus doloſum in ſtatera emptorem illuderet. Illo autem inſtanter aſſerente, nihil eiuſmodi fuiſſe; narrat ei Pater Sanctus, quid ad correctionem & ſalutem eius Altiſsimus ſibi ſuiſquè dignatus fuerit pandere.* C

III. *Confeſtìm Venditor, genibus eius prouolutus, noxam, qua puniendum eum Sanctus prædixerat, gemendo confitetur. Cui Confeſſor, qui, vt medelæ ſpiritualis peritus, ſalutiferum obtulit antidotum: præcipiens, vt, quicquid congeſtæ pecuniæ vltra quod debitus vſus exigebat accumulauerat, indigentiam patientibus largiri feſtinaret.*

IV. *Qui, admonitione ſancta ad Deum conuerſus, multis ſalutis ſuæ modum prædicare non deſtitit, eos conuerſatione atque exemplo à prauitatibus prudenter reuocando; vt, in quibus abundabat peccatum, ſuperabundaret & gratia; & qui hactenùs, vt arbores infructuoſæ, igni traditi fuerant, poſtmodùm fructus acceptabiles Conditori ſuo referre digni haberentur.* D

CAPVT LVIII. A

Stiliconis Comitis vxor, Serena, Baſilicæ Nazarianæ pauimentum è Libyco marmore conſtruit.

I. STiliconis Comitis mentionem aliquam Paulinus in Ambro-
ſij Vita nobis iam fecit ſuperiori Capite 53. Numero 1.
Idemquè poſtea, loquens de Ambroſij, ad Superos iam tranſ-
lati, beneficentia ergà Florentinos, ſic etiam narrabat:
*In eadem etiam domo, in qua declinans Eugenium manſit, tem-
pore quo Radagaiſus ſupradictam Ciuitatem* (Florentiam) *obſidebat, cùm iam
penitùs deſperaſſent viri Ciuitatis ipſius; per viſum cuidam apparuit; & pro-* B
*miſit, alio die ſalutem illis affuturam. Quo referente, Ciuium animi ſunt erecti.
Nam altero die, adueniente Stilicone Comite cum Exercitu, facta eſt de hoſte
victoria. Hæc Panſophia religioſa fœmina, matre pueri Panſophij, referente
cognouimus.* Sic etiam ſuperiùs, poſt deſcriptam Nazarij Tranſlationem ad
Baſilicam Apoſtolorum, recenſuerat, quemadmodùm Stilico Creſco-
nium quemdam, grauiſsimorum criminum reum, permiſiſſet à militibus
rapi de Eccleſia, cuius ad Altare confugerat; ſed poſtea motus pœni-
tentia per multos dies Ambroſio ſatisfeciſſet, illæſumquè dimiſiſſet reum,
qui fuerat ablatus. Scitè porrò Baronius hoc factum conijcit in Annum
Domini Trecenteſimum nonageſimum ſextum; ſicut & illam pro Flo-
rentinis victoriam in Annum Quadringenteſimum ſextum; denique C
verò etiam infelicem ipſius obitum in Annum eiuſdem Sæculi octauum.

II. Eiuſdem Comitis mentio quoque frequentiſsima eſt apud Hiſtoricos, qui
geſta Imperatorum Theodoſij Senioris eiuſquè filiorum Archadij & Ho-
norij conſcripſerunt. Excellenti quidem ipſius virtuti & induſtriæ mili-
tari Theodoſius eouſque detulit, vt ei Serenam, ex Honorio fratre nep-
tem atque adoptione filiam, in matrimonium collocarit, eumdemquè
Archadij & Honorij Curatorem ac rerum Arbitrum conſtituerit.

III. Sicut autem verè pius & Idololatriæ aduerſarius implacabilis ipſe fuit; ſic
etiam Serena, ipſius vxor, ſingulari fuit erga Sanctos, ac nominatim
erga Nazarium, religione ac pietate. Quocirca Triſtanus noſter Chal-
cus, Hiſtoriæ Patriæ Libro 3. ad Annum Chriſti quartum ſupra Qua- D
dringenteſimum ſic enarrat: *Dum longiùs abeſſet* (Stilico, varijs pro Ro-
mano Imperio bellis implicitus) *ſolicita de eius ſalute vxor Serena vota
faciebat: Aedemquè Mediolani, Diuo Nazario ſacram, ſterni marmore iuſsit.
Qua de re tale Epigramma extat:*

Qua ſinuata cauo conſurgunt tecta receſſu,
Sacrataquè Crucis flectitur orbe caput,
Nazarius vitæ immaculabilis, integer artus,
Conditus exultat, hunc tumulo eſſe locum.
Quem pius Ambroſius ſignauit imagine Chriſti,
Marmoribus Libycis fida Serena polit:

Coniugis

Coniugis vt reditu Stiliconis læta fruatur, A
Germaniſquè pijs, pignoribus proprijs.

IV. Eiuſmodi autem Verſus olim extabant in ipſius Templi Nazariani rotun-
ditate. Sic enim ex Andreæ Alciati Antiquario teſtatur Fontana in ſuis
ad Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogum Annotationibus; ad Am-
broſium nempè, inter illos Decimum-tertium. Etenim poſt illa verba,
quæ nos Capite 37. Num. 8. ex ipſo recitabamus, ſic adiecit: *Item alij
Verſus in rotunditate Templi. Nam Serena, vxor Stiliconis, cuius nuptias
celebrat Claudianus, Libyco ex marmore monumentum poſuit Nazario: cuius
Corpus inuictum* (legendum mihi videtur *inuentum*) *Ambroſius intulerat ſe-
pulchro, addito* (per Serenam nempè) *hoc Carmine: Qua ſinuata cauo* &c.
Per omnia igitur Fontana conſentit in recitandis iis Verſibus; excepto B
poſtremo, quem ſic recitat:

Germaniſquè ſuis, pignoribus proprijs.

V. Ita prorsùs etiam legit Ianus Gruterus, & ex ipſo Heribertus Roſ-uuey-
dus in Notis ad Ennodij Ticinenſis Epiſcopi Carmina, ſiue ad illum de
Sancto Nazario Hymnum, quem poſtea ego quoque producam. *Sunt
& alij Verſus* (addit ibi Roſ-uueydus) *qui indicant, eam Baſilicæ partem,
qua Nazarij conditæ ſunt Reliquiæ, à Serena, Stiliconis coniuge, Libycis mar-
moribus ornatam ex voto fuiſſe*. Benè autem Roſ-uueydus interpretaba-
tur, ornatam ſic fuiſſe certam illam Baſilicæ partem. Hoc ipſum enim
proximo Epigrammate (ſicut & altero illo, quod item nos Capite 37.
Num. 8. recitauimus) ſatis apertè indicatum videtur. Quocirca ego ex C
ea item parte Chalcum interpretor, cùm diceret *Aedem Diuo Nazario
ſacram*. Fidemquè nobis adſtruit hodiernum quoque illius Eccleſiæ pa-
uimentum. Sola ſiquidem illa pars, quæ nunc Altari circumiecta pri-
mario viſitur, è tabulis eſt compacta marmoreis, & ingentibus, & can-
didis, & antiquiſsimis: quas proinde hodierni etiam Aeditui è maiorum
ſuorum traditione non immeritò credunt ac glориantur ex illis eſſe ta-
bulis, quas olim Serena, è Libya ſeu ex Africa huc aduectas, Martyri
Nazario votiuas obtulerit.

VI. Superiorem porrò Triſtani textum ſic expreſsit Ioannes Franciſcus à Ba-
ſilica Petri, Baſilicæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius (qui poſtea
cum religioſo Clericorum Barnabitarum habitu ſibi nomen aſſumpſit D
Caroli) cùm de Nazariana Baſilica ſcriberet in Libro, quem Anno Do-
mini 1576. per occaſionem Iubilæi tunc promulgati euulgauit: ſic, in-
quam, ille tunc expreſsit: *Queſta Chieſa fece laſtricare di marmo Serena,
moglie del potentiſsimo Stilicone, Conte ſotto Theodoſio Imperatore; mentre pro-
curaua con le ſue diuotioni la ſaluezza del Marito abſente. Di che recita vn'
Epigramma Triſtano Calco, Scrittore graue dell'Hiſtoria Milaneſe*. Eademquè
prorsùs verba poſtmodùm Ioannes Baptiſta Villa, Sancti Babylæ Cano-
nicus, Anno 1637. in ſuum tranſtulit Librum De ſeptem Stationalibus
& alijs quibuſdam noſtræ Vrbis Eccleſijs, Italicè pariter tunc editum.
Tunc igitur ambo mihi videntur hac fuiſſe opinione, vt Serena votum

 illud,

illud, viuente adhuc Theodoſio Imperatore, perſoluerit: quæ quidem A
opinio mihi falſa videtur. Non enim Serena votum illud perſoluit, niſi
poſt Sancti Nazarij Corpus à Sancto Ambroſio inuentum, & huc tranſ-
latum. Certè autem, Paulino teſte, illud non fuit inuentum, niſi poſt
obitum Theodoſij; ſicuti non modò nos Capite 48. ſed ipſemet etiam
Baſilica-Petri poſtea obſeruauit in Hiſtoria Mediolanenſi, ſeu in Sancto
Caio, Archiepiſcopo Tertio. Recitaturus enim Paulini verba, quæ ad
eam Inuentionem pertinerent; ea recitare incœpit cum hac protinùs in-
teriectione parentheſis: *Quo in tempore (poſt mortem ſcilicet Theodoſij Im-
peratoris, & extremis ipſius Ambroſij vitæ annis) Sancti Nazarij Martyris
Corpus, quod erat in horto poſitum extra Ciuitatem, leuatum, ad Baſilicam
Apoſtolorum, quæ eſt Romana, tranſtulit &c.* B

CAPVT LIX.

Sanctus Venerius, Archiepiſcopus noſter, in Baſilica Nazariana ſepelitur.

I. AD Baſilicam Nazarianam (ſicut & ad alias, de quibus ex
inſtituto hic agimus) permagni profectò intereſt inſignes
quoque Viros, ac nominatim Archiepiſcopos noſtros, in
ea tumulatos, ex ordine temporum recenſere. Ante alios
autem ſeſe nobis offert Sanctus Venerius, anniuerſaria etiam C
celebritate ab Eccleſia Mediolanenſi coli ſolitus quarta die menſis Maij.

II. Quamobrem ipſius Vitam in Matutina Lectione recitámus, in hæc verba
conſcriptam: *Venerius, cuius aliquando Paulinus meminit, Sancti Ambroſij
diſcipulus, ab eo primùm Diaconus deinde Presbyter creatus, eo Præceptore verè
dignus, Beatiſsimo Simpliciano in Archiepiſcopatu ſucceſsit. Eius virtutum no-
men vbique magnum fuit: vſqueadèò, vt & Carthaginienſis Synodi Patres
ad illum Legatos miſerint: & Sanctus Ioannes Chryſoſtomus Litteras Græcè exa-
ratas dederit, quibus eius diuinam charitatem aliaquè paſtoralia ornamenta teſ-
tata facit. Ad ſtudium autem pietatis in primis Paſtor eruditus nihil turbulentis
illis temporibus prætermiſit ad diligentem Eccleſiæ ſibi commiſſæ tuendæ religioſe-
què gubernandæ rationem. Quam cùm annos multos adminiſtraſſet; demùm mi-* D
*raculorum ac ſanctitatis gloria clarus obdormiuit in Domino, quarto Nonas Maij.
Eius Corpus, in Baſilica Apoſtolorum ſepultum, Carolus, Cardinalis, Archie-
piſcopus, frequenti Epiſcoporum Prouincialium conuentu, in eadem Baſili-
ca, quam illuſtriori opere reſtituendam curauerat, ſolemnibus ſupplicationibus piè
recondidit.* Hæc ad verbum in Matutina eius Sancti Lectione.

III. Eiuſmodi verò Lectionem Clerus Ambroſianus habere atque vſitare cœ-
pit ex Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octuageſimo-ſecundo:
quo quidem Anno Sanctus Archiepiſcopus noſter Carolus recognitum
primò edidit Breuiarium Ambroſianum. De ipſo autem Sancto Petrus
Galeſinius Anno Sæculi eiuſdem ſeptuageſimo-octauo teſtatum ſic reli-

querat

querat in ſuo Martyrologio, quarta pariter Maii die: *Mediolani Sancti Venerij, Epiſcopi. Hic nouem annis Eccleſiæ, ſibi commiſſæ, cùm benè præfuiſſet; ſanctitatis gloria illuſtris abijt ad Dominum. Eius virtutes, æterna gloria digna, Beati Chryſoſtomi Epiſtola Græca celebratæ ſunt.* Et rursùs in ſuis Notationibus: *De quo* (Venerio) *pluribus proditum eſt Monimentis Eccleſiæ Mediolanenſis, & in Epiſtola Græca Chryſoſtomi: quam, è Libro Græco Epiſtolarum exſcriptum, Anno Iobelei 1575. mihi tradidit Vir ſpectata probitate, & exquiſita doctrina, omniquè virtutum laude clarus, Cardinalis Sirletus, de me in primis optimè meritus.* Baronius itidem in ſuis ad Romanum Martyrologium Notationibus Anno 1586. ſic obſeruauit: *Meminit Sancti Venerij Paulinus in Vita Sancti Ambroſij: Anaſtaſius Papa in Epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum: Sanctus Hieronymus in Apologia ſecunda aduersùs Ruffinum: Sanctus Paulinus Nolanus Epiſtola 16. ad Seuerum. Extat de eodem elegans Epigramma Sancti Ennodij, Epiſcopi Ticinenſis. Incipit: Forma pudicitiæ &c. Sedit temporibus Anaſtaſij Papæ, vt habent Acta Concilij Carthaginenſis: quod celebratum eſt poſt Conſulatum Stiliconis, Anno Domini, ſecundùm recentiores Chronographos* (& in poſteriori harum Notationum editione, *ſecundùm Faſtos Onuphrij*) *Quadringenteſimo-primo. Extat in Bibliotheca Cardinalis Syrleti Sancti Ioannis Chryſoſtomi Epiſtola ad Venerium ſcripta.*

IV. Idem porrò Baronius in Annalibus, ad Annum Chriſti Quadringenteſimum-primum, Articulo 5. ſic narrabat: *Hoc Anno, menſe Iunij, habita eſt Synodus Prouincialis Carthagine, qua decretum eſt de Legatione mittenda Romam, ad Anaſtaſium, Romanum Pontificem: atque Mediolanum, ad Venerium, eius Sedis Epiſcopum; vt Africanæ Eccleſiæ, ſacris Miniſtris maximè indigenti, conſulerent.* Quanta verò Clericorum inopia tunc Africana Eccleſia laboraret, Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis (eodem teſte Baronio ibidem Art. 6.) Patres alloquens in eo Concilio congregatos, his expreſsit verbis: *Eccleſiarum Dei, per Africam conſtitutarum, neceſſitates mecum optimè nouit Charitas veſtra, Sanctiſſimi Fratres. Et quoniam præſtitit Dominus, vt ex aliqua parte ſancti cœtus veſtri eſſet congregata præſentia; videtur mihi, vt has eaſdem neceſſitates, quas pro ſolicitudine noſtra indagare potuimus, in medium proferamus. Quas cùm approbauerit Veſtra ſinceritas; ſit conſequens, eligendum eſſe vnum ex noſtro numero Conſacerdotem, qui, auxiliante Domino & orationibus veſtris, & has ipſas neceſſitates ſuſcipere poſſit, & grauiter peragendas implere: perrecturus ad tranſmarinas Italiæ partes, vt tam Sanctis Fratribus & Conſacerdotibus noſtris, Venerabili Sancto Fratri Anaſtaſio, Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo, quàm etiam Sancto Fratri Venerio, Sacerdoti Mediolanenſis Eccleſiæ, neceſſitatem ipſam atque dolorem atque inopiam noſtram valeat intimare. Ex his enim Sedibus hoc fuerat prohibitum: quò nouerint, communi periculo prouidendum; maximè quia tanta indigentia eſt Clericorum, multæquè Eccleſiæ ita deſertæ ſunt, vt ne vnum quidem Diaconum, vel illiteratum, habere reperiantur.* &c. Hinc ergo Baronius, explicato, quemadmodùm Anaſtaſius Pontifex Romanus ei Legationi annuiſſet, ſic etiam ſubdit Articulo 7. *Sed & Venerium, Mediolanenſem Epiſcopum, fauiſſe*

fauiſſe votis Africanorum Epiſcoporum, ex eo exiſtimamus; quòd peculiaris ille A
Auctor Vitæ Sancti Ambroſij, Paulinus, eiuſdem Eccleſiæ quondàm Lector, in Africam amandatus apparet; conſediſſequè Carthagine apud Fortunatum Diaconum ipſe teſtatur; & quidem Sancti Auguſtini petitione ſe ſcripſiſſe eiuſdem Sancti Ambroſij res geſtas; in eadem ipſe Scriptione confirmat. Quem quidem & eumdem illum putamus eſſe Paulinum, qui in eadem Eccleſia Africana aduersùs hæreſim Pelagianam primus omnium ſtrenuè, Cæleſtium exagitans, decertauit. De quo ſuo loco pluribus agendum erit: ibidem concludit Baronius.

V. Cæterùm eidem Baronio id etiam debemus beneficium; quòd Anno poſtea Sæculi eiuſdem quinto, Art. 16. è Theodori, Romanæ Eccleſiæ Diaconi, Dialogo apud Palladium colligit, Sanctum quoque Venerium, Antiſtitem noſtrum, ſcripſiſſe Litteras pro Sancto Ioanne Chryſoſtomo, B
viciſſimquè hunc illi gratias egiſſe pro ſedulo ac diuturno per eum officio in ſua ipſius cauſa impenſo; quòdquè ipſas etiam Chryſoſtomi Litteras, è Græco Latinè redditas, nobis ſuppeditat. *Deſiderabatur verò* (ſubdit ibi Baronius) *inter Chryſoſtomi Epiſtolas ea tunc temporis ab ipſo ad Venerium Mediolanenſem Epiſcopum ſcripta: quam nos è Codice Vaticano acceptam à piæ memoriæ Guiglielmo Syrleto Cardinali Bibliothecario (quòd nondùm typis tradita habeatur) hic tibi reddendam curauimus. Sic verò ſe habet ipſius titulus: Sancti Patris noſtri, Ioannis, Archiepiſcopi Conſtantinopolis, Chryſoſtomi, Epiſtola ad Venerium, Epiſcopum Mediolanenſem. Fortem veſtrum ac virilem animum, itemquè & veritatis vindicandæ fiduciam, & prædicandæ libertatem, tametſi vel antea cuncti cognouerant; fecit tamen temporum conditio,* C
vt ipſa quoque appareat ſumma fraterna beneuolentia, & charitas, & pietas, ac frequens commiſeratio, & diligens deniquè procuratio veſtra Eccleſiarum. Nimirùm vti vel in mari gubernatorem, qui ſit optimus, magnæ tempeſtates, vel in corporibus peritiſſimum medicum morbi difficillimi oſtendunt; ita qui ad ſtudium pietatis vitam omnem compararit, quiquè animi magnitudine præcellat, facilè rerum declarant aſperitates & temporum. Quod ſanè cùm accidit iam vobis, tum verò pro parte veſtra probè omnia directa, neque quicquam prætermiſſum. Sed quoniam homines, qui iſtas & pariunt perturbationes & pepererunt, eò peruenerunt prauitatis, vt non modò non deſungi prioribus, ſed certare etiam cum ijs conentur; moneo vos atque hortor vniuerſos, vt promptè animum valentiſſimum adhibeatis, neque iſtud diſſolui tantum ſtudium patiamini. D
Quin intèndite magis, etiamſi mille accidant difficultates. Etenim qui ſudoribus atque ærumnis pluribus magnum aliquid & homine generoſo dignum obierint, maiora ij præmia conſequentur, quàm qui facilè & nullo negotio idem confecerint. Siquidem vnuſquiſque (quod Beatus inquit Paulus) tantum mercedis accipiet, quantum laboris exantlarit. Quamobrem minimè iſta vobis diuturna fatigatio cauſam afferat deſperandi; verùm potiùs ipſum decus excitet. Nam quò grauior ad tentationem ſit acceſſio, eò auctior erit ad coronas adiunctio; affluentquè ampliùs vobis debita certaminum præmia honeſtorum. His ergo recitatis, Baronius itidem concludit: *Hactenùs Chryſoſtomi Epiſtola ad Venerium.*

VI. Certè

VI. Certè autem ſapienter idem Baronius ad Annum Christi Quadringenteſimum, Art. 1. præmonebat, Stiliconem Comitem eo tantùm Anno, & non ante, creatum idcircò fuiſſe Conſulem; quia ipſe priùs Occidentale Imperium in omnibus pacare voluiſſet. *Bellis itaque conſopitis, compreſſiſquè Barbaris, ſumma pace Imperio parta, hoc tandem Anno creari ſe Conſulem paſſus eſt. Vnde idem Claudianus* (De Laudibus Stiliconis Libro 2.) A

Nullus Boreæ metus: omnis & Auſtri
Ora ſilet: cecidit Maurus, Germania ceſſit:
Et Ianum pax alta ligat, te Conſule &c.

Hinc igitur ego quoque crediderim, Serenam, eius vxorem, ac de ipſius longè abſentis ac bella pro Imperio tractantis ſalute ſolicitam, Sancto Nazario votum iam ante perſoluiſſe illud, quod Capite 58. Num. 3. deſcribebam. B

VII. Sic etiam illud libenter accipio, quod Baronius eodem Anno, Art. 2. animaduertit è Bonino noſtro Mombritio: nimirùm, Acta Sanctorum Martyrum Anaunenſium, Siſinij, Martyrij, & Alexandri, Conſulatu (nempè primo) Stiliconis conſignata eſſe: Martyreſquè propterea illos eodem Anno necatos eſſe, necnon etiam Mediolanum allatos ad Sanctum Antiſtitem noſtrum Simplicianum. Congruum autem profectò erat, vt illi poſt mortem huc afferrentur, vbi priùs viuentes fuerant honorificè à Sancto Pontifice noſtro Ambroſio ſuſcepti. Sic enim affirmarunt Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, Libro 5. Capite 65. Franciſcus Maurolycus & Petrus Galeſinius in ſuis Martyrologijs, vndetrigeſima die Maij. C

VIII. De Simpliciano autem ipſo ſimiliter ego Baronio aſſentior, ibidem Art. 3. contendenti, eum non vixiſſe vltra Quadringenteſimum Christi Annum: idquè comprobanti è Synodo illa Carthaginenſi, quæ ſubſequentis Anni menſe Iunio celebrata fuit; ſicut ego quoque cum Baronio mox recitabam Num. 4. Reliquum eſt igitur, vt eodem Anno Simplicianus ex hac vita migrauerit circa medium menſis Auguſti (ſic enim communiter traditur) vtquè propterea non multò pòſt Venerius eodem Anno fuerit in eius locum ſubſtitutus. Quoniam verò altera ex parte Ambroſius, eius deceſſor, iam obierat Anno Trecenteſimo nonageſimoſeptimo, quarta die Aprilis: quoniam item Septembri eiuſdem Anni menſe ad Simplicianum, Ambroſio iam ſuffectum, miſſa fuit Concilij Carthagenenſis, eo Anno ac menſe celebrati, Conſultatio, vt benè Baronius & in Annalibus & in Ambroſij Vita probauit; propterea rurſus etiam hinc ſequitur, vt Simplicianus ad ſummum tres in Archiepiſcopatu Mediolanenſi Annos compleuerit, quartum verò nonniſi ex parte tranſegerit. Etenim, ſecundùm hanc temporis ſupputationem, ab eo præcisè die, quo Ambroſius obijt, ad eum præcisè, quo Simplicianus, tres tantùm anni, ac quatuor menſes, decemquè dies elapſi fuerunt. D

IX. Sic igitur de Sancto Simpliciano certius aliquid hoc tandem loco proferimus, quàm factum fuerit ſupra Capite 56. Num. 1. Quocirca Marcel-

linam

linam quoque par eſt concludamus ad minus obijſſe Anno eodem Quadringenteſimo. Decima-ſeptima enim Iulij die citra dubium illa obijt; cùm alioqui Simplicianus, vt nuperrimè dicebam, circa medium Augusti menſis obierit. A

X. Venerium verò ipſum iam diximus obijſſe quarta die Maij. Sed quoto Chriſti Anno ille obierit: hoc mihi tam incertum eſt adhuc, quàm quot Annos Eccleſiam ille Mediolanenſem adminiſtrarit. Nonnulli ſenos tantùm Annos ei adiudicant, alij nouenos. Sexto igitur aut nono Chriſti Anno ſupra Quadringenteſimum ille obijt.

XI. Cur autem Synodus illa Carthaginenſis talem illam Legationem miſerit ad Venerium etiam noſtrum, nedùm ad Pontificem Romanum: non alia profectò nobis fuiſſe videtur cauſa & ratio, quàm illa, quæ Baronio ad Annum Trecenteſimum nonageſimum-ſeptimum arriſit, inquirenti, B quam pariter ob cauſam eo Anno, ac Septembri menſe, Synodus altera Carthaginenſis Conſultationem miſerit ad Simplicianum etiam noſtrum ſuper ambiguis quibuſdam capitibus, ad infantes baptizatos pertinentibus. Egregia nimirùm tam Venerij quàm Simpliciani ſcientia & probitas hoc effecit. Illudquè inſuper huc accedebat, quòd occaſione Sancti Ambroſij, toto Orbe celeberrimi Præſulis, Eccleſia Mediolanenſis in magna laude apud omnes habebatur, & maximè apud Africanos Epiſcopos: quorum duo eius temporis lumina luciſſima, Auguſtinus & Alipius, qui tunc Africanis eiuſmodi Concilijs ferè numquàm deeſſe, quinimmò pars eorum eſſe maxima conſueuerant, Mediolani ab eodem C Ambroſio inſtructi Chriſtiana Fide ac baptizati fuiſſent.

XII. Et hæc quidem de Venerio ſatis ſint in præſenti. Eius Elogium, ab Ennodio Ticinenſi elaboratum, tunc ego proferam, cùm ad eius ætatem in huius Operis progreſſu peruenero. Idemquè tunc etiam præſtabo de Marolo, Venerij ſucceſſore proximo: de quo pariter proximum nobis eſt vt Capite hinc altero agamus.

CAPVT LX.

Sancti Caſtus & Polemius, Sancti Ambroſij Diacones, propè Ambroſianam Baſilicam ſepeliuntur in Eccleſia Sancti Satyri. D

I. DE duobus hiſce Sanctis, Ambroſij Diaconibus, aliquid iam ſupra legimus Capite 53. Num. 2. ex Ambroſij Vita, per Paulinum conſcripta: indequè ſatis intelligi poteſt, cur eorum mentionem hoc loco faciamus.

II. De ipſorum autem obitu ac ſepulchro, dequè nonnullis alijs rebus, ad ipſos pertinentibus, legantur, obſecro, noſtra Baſilicæ Ambroſianæ Monumenta, Num. 302. 304. 305. Nec enim eadem nunc repetere vacat; nec aliud quidquam nunc habemus, quod ijs ſuperaddi poſsit.

CAPVT

CAPVT LXI. A

Sanctus Marolus, Archiepiſcopus noſter, & Sancti Venerij ſucceſſor, vita functus, in Baſilica pariter Nazariana ſepelitur.

I. MArolus hic Mediolanenſi Eccleſiæ præfuit annos nouem; ſi Onuphrium Panuinium in Chronologia Eccleſiaſtica, & Claudium attendimus Robertum in Secunda Parte Appendicis ad Galliam Chriſtianam: ſin autem Donatum Boſsium; præfuit annos tredecim: ſin alios nonnullos; præfuit quatuordecim: ſin plerosque, quibus etiam hodiernum Breuiarium noſtrum conſentit; annos quindecim præfuit. B

II. Eius obitum Galeſinius in Martyrologio coniecit in Aprilis diem vigeſimam-ſecundam: Martyrologium Romanum & alij communiter Scriptores in vigeſimam-tertiam: & his item adſtipulatur Eccleſia Mediolanenſis, dum eadem die anniuerſarium eiuſdem Sancti Officium concelebrat.

III. Quoniam verò nos non ſoli Clero Ambroſiano, ſed etiam Romano, tam Sæculari quàm Regulari, quinetiam exteris quibuſque ac veritatis amantibus hæc ſcribimus, quibus vtique Breuiarium noſtrum Ambroſianum non ita facilè ad manum & in promptu eſſe poteſt; propterea ex ipſo Matutinam eiuſdem Sancti Lectionem nobis hic ad verbum exſcribere placet. Ea verò ſic ſe habet: *Marolus Venerio Epiſcopo Mediolanenſi ſucceſsit, inclytus virtute, quam per quindecim annos in huius Eccleſiæ adminiſtratione exercuit. Summa fuit auſteritate vitæ: & præter alias Eccleſiaſtico homine dignas virtutes, quæ ſummæ in eo apparuerunt, tum in priuata vita tum in Pontificatu ipſo, ieiunijs & orationi mirificè deditus fuit. Huius Sancti Epiſcopi mores, & abſtinentiam præcipuè ſingularem, laudauit Carmine Ennodius. Magna ſanctitatis fama mortuus, in Baſilica Sancti Nazarij ſepelitur: eiuſquè merita etiam ante mortem miraculis claruere,* C

CAPVT LXII.

De quodam fure, Mediolani ad Baſilicam Sanctorum, & fortè Ambroſianam, diuinitùs compulſo fateri furtum, & ablata reddere. De Sancti quoque Germani, Autiſiodorenſis Epiſcopi, mirabilibus apud noſtros Mediolanenſes geſtis. D

I. TAnti huius miraculi teſtem ſimul & admiratorem habemus Sanctum Auguſtinum, Hipponenſium Epiſcopum. Sicut autem doctiſsimis Chronologis hunc credidimus Anno Domini Quadringenteſimo trigeſimo ſublatum ex hac mortali vita; ſic etiam illud litteris conſignandum eſſe noſtris exiſti-

mamus ante, quàm narrando progrediamur ad eumdem ipſum Annum. A

II. Sic autem Auguſtinus ad Clerum & Populum ſuum Hipponenſem ſcribebat Epiſtola 137. *Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco qui condidit omnia: & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari; vt, in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. Verumtamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim notiſsima eſt ſanctitas loci, vbi Beati Felicis Nolenſis Corpus conditum eſt: quò volui vt pergerent* (Clericus ille accuſator, & Presbyter accuſatus, de quibus in hac agitur Epiſtola) *quia inde nobis faciliùs fideliuſquè ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo diuinitùs fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud Memoriam* (hoc eſt, Baſilicam) *Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, &, quod abſtulerat, reddere. Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum operibus plena eſt? Et tamen nuſquàm hic ſcimus talia fieri. Sicut enim, quod Apoſtolus dicit* (1. Cor. 12.) *non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum; ita nec in omnibus Memorijs Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique, prout vult.* Hactenùs Auguſtinus. B

III. Quænam verò Mediolani tam inſignis eſſet illa Sanctorum Memoria & Baſilica, vbi mirabiliter & terribiliter Dæmones confiterentur; ego quidem, tacente interim Auguſtino, diuinare auſim. Ea videlicet mihi non alia fuiſſe videtur, quàm Sanctorum Protaſij & Geruaſij Baſilica, quæ tunc item Ambroſiana Baſilica dicebatur. Ad hanc verò coniecturam permouet me Sanctus ipſe præſertim Ambroſius in vtroque illo Sermone, quem ad Populum habuit intra binos illos dies, quibus in eadem Baſilica reliquit inſepulta Martyrum illorum Corpora, poſteaquàm illuc ea tranſtuliſſet, Baſilicamquè ipſis eam dedicaſſet; vti iam vidimus Capite 42. & 43. Sed in eadem quoque coniectura me inſuper confirmant Paulinus & Baronius in Sancti Ambroſii Vita, vbi nempe de illorum Corporum Translatione agunt: necnon etiam ipſemet Auguſtinus Libro 9. Confeſsionum, Capite 7. cuius teſtimonium iam recitauimus Capite 39. Num. 5. Illud etiam huc accedit; quòd ea Sanctorum Memoria certè videtur non vni tantùm Sancto nuncupata; benequè hac etiam in parte congruit cum Ambroſiana Baſilica, duobus illis Martyribus nuncupata. C D

IV. Quòd ſi quis fortè dicat, Sancti quoque Nazarij Memoriam ſiue Baſilicam per hæc tempora fuiſſe tali ea mirabili terribiliquè Dæmonum confeſsione inſignem; id ego quidem non diffitebor; cùm præſertim Paulinus ſimile quiddam contigiſſe tradat, quando illius Corpus à Sancto Ambroſio diuinitùs inuentum eſt, indequè ad Baſilicam Apoſtolorum tranſlatum; ſicut & nos recenſuimus Capite 48. Num. 1. Sed ne propterea quidem illa mihi videtur ijs Auguſtini verbis indicata. Loquitur enim Auguſtinus de Memoria Sanctorum, per quos Deus talem illam confeſsionem

feſsionem Dæmonibus extorqueret. Sanctus verò Nazarius in ea Baſili- A
ca (quæ cæteroqui communiter Apoſtolorum Baſilica vocabatur) iſtud
vnus operari credebatur, & non plures ibidem tumulati.

V. Diceret fortaſsè alius, eiuſmodi Memoriam Sanctorum eſſe potiùs eam Philippi Baſilicam, de qua nos ſæpè iam egimus, & in qua Sancti Martyres Nabor & Felix celeberrimè frequentabantur, vt Paulinum Capite 40. Num. 4. iam vidimus ſcribentem: eamdemquè fortaſsè Baſilicam eſſe illam, quam ipſemet Ambroſius in Oratione *De Baſilicis non tradendis Hæreticis* innuiſſet, cùm diceret, ſe quotidie ſolitum ire ad Martyres, hoc eſt, ad Martyrum Baſilicas, orationis gratia; vt benè intellexit etiam Bellarminus Libro 3. *De Cultu Sanctorum*, Capite 4. Tunc profectò, quando Ambroſius Orationem illam habuit, conſecrata nondùm erat Am- B
broſiana Baſilica; ſicut ego ipſe iamdudùm in præſenti Opere obſeruaui.

VI. Per me quidem ſatis probabiliter iſta diſſeruntur; ſed nihilominùs in ſuperiori coniectura libentiùs perſeuerauerim ob ſuperiores illas rationes. Quod ſi fortè Lectori magis placet, vt huiuſmodi quæſtiunculam in ſuſpenſo relinquamus; ego quidem non contradicam. Qualiſcumque enim fuerit ea Sanctorum Memoria, ſiue Baſilica; ſatis profectò mihi eſt, quòd ea extiterit Mediolani, quodquè Deus miraculo tam ſingulari Vrbem noſtram erudire voluerit.

VII. Similis profectò cauſa me pariter permouit, vt curſim hoc loco digrediar ad Acta Sancti Germani, Autiſiodorenſis (aliter Antiſiodorenſis vel Altiſiodorenſis) Epiſcopi: ex iiſquè depromam ea, quæ noſtra in Vrbe C
finitimiſquè geſta ſunt locis, cùm ille circiter hæc tempora profectus huc fuiſſet. Eius Acta Mombritius Tomo Primo, ac deinde Surius Tomo Quarto diequè trigeſimo-primo Iulij capitatim binos in Libros diſtributa recenſuit. Apud eumdem igitur Surium Libro Secundo, è fine Capitis noni vſque ad finem duodecimi, ſic narratur: *Cùm ſtudioſiſsimè* (Sanctus Germanus, Italiam ingreſſus) *ſui agnitionem abiectione velaret; Mediolani, quis aut quantus eſſet, celare non potuit. Erat enim dies Sanctorum ſolemnitate venerabilis* (quid ſi verò fortaſsè Sanctorum Nazarii & Celſi, vel Protaſii ac Geruaſii?) *qui in vnum plurimos collegerat Sacerdotes. Et dum Miſſa ſacris Myſterijs celebratur Altari, incognitus & improuiſus ingreditur. Statimquè vnus è Populo, captiuus Inimici* (ſeu Dæmoniacus) *cum in-* D
genti vociferatione proclamat: Cur nos in Italia Germane perſequeris? Sufficiat tibi, quòd nos de Gallijs excluſiſti: ſufficiat, quòd nos & Oceanum Mare oratione ſuperaſti. Quid vniuerſa perluſtras? Quieſce; vt nos quieti eſſe poſsimus. Fit admiratio & terror in Populo. Quis eſſet Germanus, dum alter alterum intuetur, inquiritur. Et licet habitu deſpicabilis videretur, vultus tamen dignitate cognoſcitur. Conſultus, gradum aut ordinem non negauit. Epiſcopi omnes (quos nimirùm Auctor proximè *Sacerdotes* nominauerat, ad eam Sanctorum ſolemnitatem hac in Vrbe congregatos) *Sanctum Dei digna humilitate venerantur: exorant, vt furioſum, qui nomen eius confeſſus fuerat, viſitaret. Quem, non præſumptionis cothurno, ſed obedientiæ ſtudio, præcepit exhiberi:*

hiberi: remotumquè in Sacrario, celebri abſolutione purgatum, ad conuentum publicum reuocauit incolumem. Hoc primum virtutis ſuæ ſignum in Italia per famulum ſuum Chriſtus operari dignatus eſt. Concurrebat diuerſa Populi multitudo, benedictionem expertæ ſanitatis opperiens: iunctiſquè cum prædicatione miraculis & animas curabat & corpora. A

VIII. Hæc in Vrbe noſtra Mediolano Germanus. Quæ mox autem foris geſſerit, ecce nobis ab eodem Scriptore tradita his verbis: *Egreſſus Vrbe opulentiſſima* (nempè noſtra) *dum iter ſenſim horis felicibus carperet; occurrunt pauperes, eleemoſynam poſtulantes. Conſulit Diaconum, quantum eſſet in ſumptibus. Tres tantum aureos eſſe reſpondit: totoſquè ſtatim præcepit erogari. Ad hæc Diaconus: Vnde victuri hodie ſumus? Reſpondens ait: Paſcet Deus pauperes ſuos: tu, quod habes, præſta pauperibus. Dumquè iter agitur cœptum; intuentur poſt ſe equites concitatos. Qui breui adiuncti, ſtatim deſiliunt, & prouoluti genibus huiuſmodi precem fundunt: Dominus noſter, Vir Spectabilis Leporius, non longè ab hinc domicilio fruitur: qui cum familia ſua ita implicitus diuerſo tenetur incommodo, vt & propria & ſuorum infirmitate ſuccumbat. Cuius ad vos lachrymas deportamus: infirmum, ſi dignum ducitis, viſitate: ſi verò precem noſtram veſtræ occupationis neceſsitas vincit; orationem interceſsionis impendite: mereatur benedictionem; ſi non meretur adſpectum. Ad hæc Vir Beatiſsimus repletus miſericordia: &, relicto itinere, ea via rectior iudicatur, quæ mercedem boni operis præparabat. Diuertit, reclamantibus ſuis, & deſideratum petentibus præſtat aduentum, dicens: Nihil mihi prius eſt, quàm præcepta Domini complere. Tum illi, cum exultatione, cum gaudio, ducentorum ſolidorum munus, quod tranſmiſſum fuerat, obtulerunt. Deinde conuerſus ad Diaconem ait: Accipe, quæ traduntur: & intellige, te fraudem feciſſe pauperibus. Nam ſi totum, quod dedi, indigentibus contuliſſes; Remunerator noſter trecentos hodie reddidiſſet. Contremuit Diaconus, ſecretum reatus ſui innotuiſſe Pontifici. Interea gradum accelerant: peruenitur: & tamquàm manifeſta ſanitas fuiſſet ingreſſa, ita omnium animos Sancti releuauit aduentus. Notas profert & exerit medicinas: Chriſtum proſtratus exorat, ſuiſquè lachrymis gaudia mercatur aliorum. Viſitantur domini, viſitantur & famuli: ac ſine vlla diſcretione perſonæ tuguria circumit, cubilia vniuerſa perluſtrat. Et, interpoſito vnius diei ſpatio, ita cæleſtes medicinas obtinuit, vt egrediens die tertia domum totam reliquerit incolumitate gaudentem; proſequente eum domino, quem lectulo inuenerat decumbentem.* Talia ibi apud Surium de hoc Sancto Epiſcopo Germano. B C D

IX. De ipſo autem ſcripſerunt etiam Vincentius Bellouacenſis, in Speculo Hiſtoriali, Libro 20. à Capite 4. vſque ad 15. Iacobus de Voragine in Legenda Sanctorum, Capite 102. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, Libro Sexto, Capite 164. vbi eum aſſeruit defunctum circa Annum Domini Quadringenteſimum vigeſimum ſecundum: Sanctus Antoninus Parte Chronicorum Secunda, Titulo 11. Cap. 17. Hieronymus Rubeus, Hiſtoriarum Rauennatum Libro Secundo, Annoquè Chriſti Quadringenteſimo quadrageſimo-octauo: Cardinalis Baronius

in

in Annalibus, Anno Quadringenteſimo trigeſimo-quinto, & in ſuis ad A
Martyrologium Romanum Annotationibus: ſic etiam Petrus Galeſinius
in ſuis: & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ; ijdemquè
tres poſtrema menſis Iulij die: Petrus Ribadeneyra in Secunda Parte
Legendarij, *Flos Sanctorum* inſcripti: Claudius Robertus in ſua Gallia
Chriſtiana, ſeu in Autiſiodorenſium Epiſcoporum Catalogo, Num. 7. &
ante ipſum Antonius Monchiacenus Demochares Libro 2. de Sacrificio
Miſſæ Cap. 19. Sed hi tamen omnes Auctores ea ſilentio tranſegerunt
quæ nuper ego è Mombritio & Surio recitabam intra & propè noſtram
Vrbem geſta, quæquè propterea magis opus eſſe arbitrabar vt litteris
conſignata noſtris cuſtodirentur. Equidem ſolum adhuc inueni Sigo-
nium, Libro 13. Annoquè Chriſti 448. de Occidentali Imperio, his ea B
verbis indicantem: *Germanus ad Valentinianum Rauennam iter ingreſſus eſt.
In itinere autem multa ſigna & in Gallia & in Italia edidit: præcipuè autem
Mediolani, cùm Vrbm Templumquè incognitus introiſſet, atque in Populi tur-
ba lateret, mirandum in modum in ipſa Sanctorum ſolemnitate eſt agnitus.*

X. Quoniam verò intra Vrbis huius noſtræ ſuburbia non alibi ego adhuc,
quàm in Pago Niguarda, comperi Eccleſiam, quæ Sancto Epiſcopo
Germano antiquitùs nuncupata eſſet; Niguardam profectò ipſam ego
adhuc interpretor Locum fuiſſe illum, in quo Deus Leporium illum
tam inſigni miraculo per eum Sanctum Epiſcopum dignatus ſit, eoquè
dederit occaſionem condendæ poſtea illius Eccleſiæ, ac Sancto eidem
illi Epiſcopo nuncupandæ. C

XI. Ac de Niguarda quidem ipſa Bernardinus Corius in Hiſtoria Mediola-
nenſi, ad Annum Chriſti Milleſimum trecenteſimum quadrageſimum-
quintum, ſic ſcribebat pagina 503. ſecundùm Venetam editionem Anni
1565. *Queſta è vna Villa, due miglia lontano da Milano, fuori della Porta
Comaſca: nella quale io Bernardino Corio, Auttore preſente, hauendo vn'ameno
& piaceuole podere, & molto ſpeſſo dimorandoui, poſſo affermare di hauerui in
gran' parte compoſto la preſente Hiſtoria.*

XII. Eccleſiæ autem illius, Sancto Germano Epiſcopo nuncupatæ, vetuſtas ex
eo ſatis colligi poteſt, quod Landulphus *de Sancto Paulo* in ſua pariter
Hiſtoria Mediolanenſi Capite 7. enarrans ea, quæ ſua ætate paulò poſt
Annum Chriſti Milleſimum centeſimum geſta ſunt, hoc etiam his verbis D
conſignauit: *Quemdam igitur Sacerdotem Scholaſticum in domo ſui proprij
iuris Presbyter Liprandus induxit: qui ſibi Miſſam cantabat in Eccleſia Sancti
Pauli, quæ dicitur in Compedo* (hæc vtique Mediolani perſeuerat adhuc
intra Portæ Orientalis fines) *quam ipſe Præsbyter Liprandus vnà cum Ec-
cleſia Sancti Germani, ſita in Niguarda, reædificauit, & magnificando ditauit:
&, vt nunc apparet, decorauit, accepto in ſe ſuiſquè hæredibus iure fundatio-
nis; quemadmodùm legitur in Chartis; à Regalibus Iudicibus & Viris, & Cle-
rico* (legendum videtur *Clero*) *Ordinario ſubſcriptis & atteſtatis.*

XIII. Eamdem porrò Sancti Germani Eccleſiam, compertum aliunde mihi
eſt, Anno poſtea Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo-quarto reſtau-

ratam

ratam fuiſſe à Magnifico Octauio Taberna: rurſuſquè tandem Anno Sæculi præſentis Quadrageſimo-quarto totam denuò à fundamentis renouatam, & in eum, quo nunc conſpicitur, ſtatum redactam fuiſſe ſumptibus Egregij Fiſcalis Regij, Petri Pauli Ferrarij, nouoquè hoc illuſtratam titulo SANCTÆ MARIÆ DE LOS REMEDIOS DE MADRID, A SAN' GERMANO. Sic igitur ea communiter in præſenti nuncupatur: & propè Pontem, torrenti Seueſo illac prælerlabenti impoſitum, ſita eſt; nec ſine veteri Sancti Germani Epiſcopi effigie, tranſeuntibus illac viatoribus benè conſpicua. Sicut enim ea vetuſtioris Eccleſiæ parieti extrinſecùs appicta erat; ſic etiam cum ea parietis parte parieti poſtea nouo concinnè apteque in exteriori latere meridionali conſita eſt. A

XIV. Cæterùm in Archiepiſcopali huius Vrbis Archiuo Liber etiam conſeruatur Decretorum, Anno præſentis itidem Sæculi vndecimo conditorum à digniſsimo Cardinalis & Archiepiſcopi Federici Borromæi Nepote, Iulio Cæſare Vicecomite, tunc temporis Baſilicæ Metropolitanæ Primicerio, & Bruzzianenſis Plebis (inter cuius limites Niguarda Pagus continetur) Viſitatore delegato: in cuius Libri pagina 48. pro veteri ea Sancti Germani Eccleſia ſancitum ſic habetur: *Singulis Annis feſtiuitas Sancti Germani celebretur, aliquibus Sacerdotibus euocatis; prout videbitur Vicario Foraneo*. In ea tamen deinceps celebranda (& fortaſsè in vſum poſt diuturnam retrò ceſſationem reuocanda) non eſt habita ratio diei, quo Sanctus ille Germanus ex hac mortalis vitæ peregrinatione ad immortalem ac beatam in Cæleſti Patria vitam euolauit, qui quidem dies, vt dicebam, fuit menſis Iulij poſtremus, quiquè cultui agrorum perneceſſarius eſſe ſolet; ſed habita potiùs eſt temporis, quod Popularibus illis, & potiori ex parte agricolis, commodius eſſet, neque nouam illis ab operibus ſuis feriandi occaſionem induceret. Eam itaque feſtiuitatem aliquanto iam ex tempore celebrauit feſtiua cæteroqui feria ſecunda poſt Dominicam ipſam Pentecoſtes, in quemcumque menſis illa diem inciderit; nonnunquàm verò etiam celebrarunt ſecunda menſis Maij die, qua cæteroqui die feſtum itidem Sanctorum Macarii & Bordonii ex inueterata maiorum ſuorum traditione concelebrare hodiequè ſolent. De hoc enim feſtiuitatis eius vſu certiorem nuper me fecit hodiernus è multis annis eius Parocciæ, Sancto Martino Turonenſium Epiſcopo dicatæ, Rector, Petrus Paulus Peregus, antiquæ profectò probitatis & diſciplinæ Sacerdos. B C D

CAPVT.

CAPVT LXIII. A

Sanctus item Glycerius, Archiepiſcopus, in Apoſtolorum & Nazarij Baſilica ſepelitur.

I. MArolo Archiepiſcopo ſuffectus eſt Martinianus: cumquè
hic Mediolanenſem per tres annos Eccleſiam rexiſſet,
obiit ſecunda Ianuarij die, atque in Sancti Protomarty-
ris Stephani Baſilica ſepultus eſt. Matutina eius Sancti
Lectio, Breuiario noſtro conſita, ſic inter cætera de ipſo
affirmat: *Ad Theodoſium Minorem & Honorium Auguſtos
Librum, quo in primis impietas Neſtoriana coarguebatur, miſit.* Neſtoriana B
verò hæc impietas in apertum erumpere cœpit Anno Domini ſupra Qua-
dringenteſimum vigeſimo-octauo; mox Anno vigeſimo-nono confutatur
à Sancto Cyrillo Alexandrino Epiſcopo, & rursùs Anno trigeſimo à
Cæleſtino Pontifice Romano, ac tandem Anno trigeſimo-primo ab
Oecumenica Synodo Epheſina, vt benè Baronius apteque recenſuit. Ita-
que nonniſi poſt vigeſimum-octauum Sæculi huius Annum Martinianus
eum Librum ſcribere potuit: atque adeò ſuum etiam Eccleſiæ Mediola-
nenſis regimen vltra eum Annum protraxit. Honorius enimuerò iam
obierat Anno vigeſimo-tertio: eiquè ſuffectus perſeuerabat adhuc Va-
lentinianus, hoc nomine Tertius. Quomodo igitur Martinianus eius
argumenti Librum mittere potuit ad Honorium, & non potiùs ad Va- C
lentinianum, eo tempore vnà cum Theodoſio Minore imperantem? Sic
etiam Tabula Mediolanenſium Archiepiſcoporum, ex Decreto Concilij
Prouincialis Quarti edita, & Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſita, citra
dubium autem è Galeſinio elaborata, hæc inſuper habet Numero 18.
*Sanctus Martinianus, de quo in Concilij Oecumenici Epheſini Acta relatum eſt,
ſanctiſsimus, Deoquè charus Archiepiſcopus* &c. Et hoc ipſum elogium ex
iiſdem Actis ei adſcribunt Ioannes Franciſcus Beſutius in ſua, & Italicè
conſcripta, Mediolanenſium Archiepiſcoporum Hiſtoria Pontificali,
Num. 18. & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die 2.
Ianuarij. Ego tamen in eiuſmodi Actis nihil tale adhuc inuenire potui;
licet ea ſtudioſè admodùm perlegerim. D

II. Martiniano poſtmodùm ſucceſsit Sanctus Glycerius (aliter Clicerius) An-
noſquè ſedit octo (quos tamen aliqui augent ad decem & octo) ac tan-
dem vigeſima Septembris die mortuus, in Apoſtolorum & Nazarij Ba-
ſilica ſepelitur: ſibiquè propterea noſtram in præſenti operam peculiari-
ter depoſcit.

III. En igitur ea nunc ſaltem, quæ Matutina ipſius Lectione in Breuiario noſ-
tro narrantur, quæquè ſunt huiuſmodi: *Clicerius, Ciuis Mediolanenſis,
Vir in primis piè iuſtè ac temperanter vitam degens, Beato Martiniano ob vir-
tutum merita ſucceſsit. Et verò vt ille iuuandæ Eccleſiæ ſtudio, ac vitæ verè
paſtoralis exemplo, epiſcopaliſquè officij laude præluxit; ita hic, in illius locum*

proximè

proximè ſuffectus, eximia fuit imitatione clarus diſciplinæ, cuius exemplis atque A
inſtitutis alter Eccleſiam Mediolanenſem illuſtrarat. Beatus igitur Glicerius ad-
miranda erga Deum pietate, cæleſtiſquè vitæ ſtudijs, quæ cum verbi Dei præ-
dicatione coniunxerat, cùm eniteret; fuit etiam inſtar virginis verecundus,
vultuquè virgineo imaginem præ ſe ferebat diuinarum mentis ſuæ cogitationum.
Religioſè autem cùm Eccleſiam Annos octo adminiſtraſſet; magna ac præclara
ſanctitatis ſuæ teſtificatione quieuit in Domino, duodecimo Calendas Octobris.

CAPVT LXIV.

In eadem Apoſtolorum & Nazarij Baſilica Sanctus ſepelitur Ar-
chiepiſcopus Lazarus. An ille Triduanas apud nos inſtituerit B
Litanias. Ex his ambitum nos metimur interioris muri, quo
tunc Ciuitas noſtra cingebatur. Quærimus verò etiam, vtrùm
eiſdem Litanijs adiecta tunc fuerit obligatio ieiunandi.

I. POſt Glycerij obitum Sedes hæc Archiepiſcopalis diu vacaſſe
traditur in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula, Capite
ſuperiori, Num. 1. producta: quam concors ſecutus eſt
etiam Ioannes Franciſcus Beſutius in Hiſtoria Pontificali,
ad finem Numeri 19. Quamdiu verò ea ſubinde vacauerit,
ibidem reticetur; excepto quòd Sancto Lazaro ſucceſſori hoc adſcribi- C
tur, vt ab eodem Glycerio creatus iam ante fuiſſet Eccleſiæ Mediola-
nenſis Primicerius. Donatus Boſsius in ſuo eorumdem Archiepiſcopo-
rum Catalogo vndecim annos à Glycerij obitu ad Lazari creationem
enumerat. Itaque ſi Martinianus obiit Anno Quadringenteſimo trigeſi-
mo-primo: ſi Glycerius octo annis hanc Eccleſiam poſtea rexit: ſi
vndecim exinde annos hæc Sedes vacauit; conſequens profectò eſt, vt
eamdem Sedem Lazarus nonniſi circiter Annum Quadringenteſimum
quinquageſimum inierit, vtquè intra eum & Sexageſimum-primum Li-
tanias quoque Triduanas inſtituerit. Per annos enim vndenos Eccleſiam
ille hanc rexiſſe aſſeritur.

II. Tabula ergo illa ſic habet Numero 20. *Sanctus Lazarus, Lazari filius, Boc-* D
cardius (è qua familia Sanctum quoque Matronianum fuiſſe iam vidimus
Capite 38.) *à Glicerio Eccleſiæ Mediolanenſis Primicerius creatus, poſt eius obi-*
tum Archiepiſcopus, in ſumma Gothorum barbarie Clerum Populumquè com-
miſſum piè gubernauit. Litanias Triduanas, quæ Mediolani adhuc religioſo cultu
obſeruantur, inſtituit. De eo Sanctus Ennodius Carmina confecit. Pridie Idus
Martij quieuit in Domino, Leone Primo Pontifice. Sedit Annos vndecim, ſe-
pultus in Baſilica Apoſtolorum.

III. Decima-quarta igitur Martii die Lazarus hic noſter mortuus eſt: eadem-
què propterea die mentionem ipſius fecit in ſuo Martyrologio Galeſinius.
Anniuerſariam tamen eius feſtiuitatem Mediolanenſis Eccleſia celebrare
conſueuerat

conſueuerat vndecima Februarij die, vt Ritu ſuo Ambroſiano tempeſtiuè anteuerteret Quadrageſimam, è propinquo imminentem. Quocirca Martyrologium quoque Romanum, & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, natalitium ipſius diem illi diei adſcripſerunt. Verumtamen è poſtrema Breuiarii noſtri editione, quæ Quadrageſimo-nono Sæculi huius Anno abſoluta fuit, hunc ipſum Archiepiſcopum duodecima nos menſis eiuſdem Februarii die celebramus. A

IV. Matutina verò ipſius Lectio ex editione Anni 1625. nobis hæc eſt: *Vaſtabat ſæuiſsimè Italiam Attila, Rex Gothorum; cùm Lazarus, Ciuis Mediolanenſis, ex Primicerio Eccleſiæ huius Epiſcopus creatus eſt. Vndecim annos id paſtorale munus tenuit: quo tempore omnia barbaricæ violentiæ exempla pertulit; nec tamen vnquàm ab vlla paſtorali cura remiſit animum, Diuinæ Maieſtatis opem aſsiduè implorans, vt ſibi Populoquè ſuo ſubueniret. Inſtituit Triduanas Litanias: quæ inter huius Eccleſiæ ritus quotannis celebrantur. Quæ cùm ad Barbarorum impetum repellendum præcipuè inſtitutæ eſſent; ideò crebra ibi mentio eſt cuſtodiæ Mænium & Portarum Vrbis aduerſus impetus hoſtiles. Mortuus eſt ſub Leone Primo, Romano Pontifice: & in Baſilica Apoſtolorum eius Corpus honorificè cuſtoditur.* B

V. Quòd verò Lazarus dicebatur mortuus ſub Leone Primo, Romano Pontifice: id profectò ad noſtram quoque temporis ſuppuiationem aptiſsimè congruit, quam Numero 1. conficiebamus. Vt enim communi præſtantiſsimorum Chroniſtarum conſenſu receptum eſt, Sanctus ille Pontifex Anno Chriſti Quadrageſimo ſupra Quadringenteſimum creatus eſt, obijt autem ſexageſimo-primo. Similiter huc etiam congruit ea mentio Attilæ: qui tamen re vera, non Gothorum Rex fuit, ſed Hunnorum (ſicut è probatiſsimis Rerum Scriptoribus conſtat) cum quibus etiam Hunnis barbariem ſuam crudeliter aduersùs Clerum & Populum Mediolanenſem exercuit. Attila enim cum ingenti & formidabili Exercitu Imperium Romanum in Oriente deuaſtare cœpit Anno Chriſti ſupra Quadringenteſimum quadrageſimo-ſecundo. Ab Oriente poſtea receſsit in Occidentem Anno quinquageſimo: Galliaſquè miſerrimè populatus, ibidem ingenti prælio à Romanis, Gothis, & Francis, vnà omnibus contra ipſum velut hoſtem communem fœderatis, victus fuit Anno Quinquageſimo-primo. Non ille tamen propterea ſe continuit, quin ſubſequenti Anno irruperit in Italiam, multaſquè Ciuitates; & in his etiam Mediolanum, expugnauerit ac diruerit, quoaduſque Romam ipſam eodem Anno perditurus, à Sancto Leone Pontifice Romano, nominis huius Primo, diuina fulto potentia, mitigatus & ad pacem flexus, vltra Danubium diſceſsit. Quibus de rebus inter alios multos conſuli poſſunt Baronius in Annalibus, Carolus Sigonius De Imperio Occidentali, Triſtanus Chalcus in Hiſtoria Mediolanenſi, Paulus Iouius in Elogijs Virorum bellica virtute Illuſtrium, Libro primo, Hieronymus item Rubeus Hiſt. Rauenn. Libro 2. inter Annum 451. & 454. Erycus Puteanus Hiſtoriæ Inſubricæ Libro 1. à pagina 41. ad alias multas. Breuiarium C D

uiarium certè Romanum, iuſſu Pij Quinti reformatum, in Officio Matutino de Sancto Leone Papa, die vndecimo Aprilis, ſic in præſentem vſque diem ſe habet: *Leo Primus, Etruſcus, eo tempore præfuit Eccleſiæ, cùm* REX HVNNORVM ATTILA, *cognomento* FLAGELLVM DEI, *Italiam inuadens, Aquileiam, triennij obſidione captam, diripuit, & incendit* &c. Ambroſianum itidem, quo ex tempore fuit Sancti Antiſtitis noſtri Caroli iuſſu recognitum: *Leo Primus Etruſcus,* HVNNORVM REGE ATTILA, *Italiam oppugnante, Pontifex, diuinæ pietatis munere perfecit, vt illum, diripiendæ Vrbis Romæ furore flagrantem, ab ea re patranda deterreret.* Videamus verò etiam, quid Iordanus (aliter Iornandes) Epiſcopus Rauennas, in Chronico *De Rebus Goticis* (ſiue Gentis Gothorum) hac de re ſcriptum reliquerit. Aquileia enim (*quæ eſt Metropolis Venetiarum*) per Attilam, Hunnorum Regem, obſeſſa, ſic proſequitur: *Quid plura? Animus ſuorum rursùs ad oppugnandum Aquileiam inflammatur... Qui, machinis conſtructis, omnibuſquè tormentorum generibus adhibitis, nec mora, inuadunt Ciuitatem, ſpoliant, diuidunt, vaſtantquè crudeliter; itaut vix eius veſtigia, vt appareant, reliquerint. Exhinc iam audaciores, & necdùm Romanorum ſanguine ſatiati, per reliquas Venetum Ciuitates Hunni bacchabantur. Mediolanum quoque Liguriæ Metropolim, & quondam regiam Vrbem, pari tenore deuaſtant, necnon & Ticinum æquali ſorte deijciunt, vicinaquè loca ſæuientes allidunt, demoliunturquè penè totam Italiam. Cumquè ad Romam animus fuiſſet eius attentus accedere* &c.

VI. Secundùm hanc igitur temporis ſupputationem, ſicut Attila ſæuiſsimè Italiam & nominatim Mediolanum vaſtabat Anno Quinquageſimo-ſecundo; ſic etiam Lazarus commodè cenſeri poſſet eodem Anno creatus Archiepiſcopus noſter, & Litanias illas inſtituiſſe. Atqui ne hoc quidem à nobis cenſeri crediquè poteſt. Obſtat enim, quòd Anno Quinquageſimo-primo Sanctus Euſebius Lazaro iam defuncto ſucceſſerat. Quocirca etiam eodem Anno Concilium Prouinciale celebrauerat, eiuſquè nomine Synodalem miſerat Epiſtolam eidem Pontifici Leoni, quæ non modò poſt Quinquageſimam-ſecundam ipſius Epiſtolam legitur adhuc, ſed etiam inter Acta Oecumenici Concilij Chalcedonenſis, eodem poſtmodùm Anno celebrati, cùm menſis October ageretur; vt benè ad eumdem Annum Baronius etiam recenſuit.

VII. Ad eos ergo Annos, quibus Archiepiſcopalis hæc Sedes poſt Glycerij obitum vacaſſe dicebatur, retrotrahendum nobis iam erit tempus, quo Lazarus Eccleſiæ Mediolanenſi præfuerit, & quo interim Litanias illas inſtituerit; ſi tamen ipſe illas verè primus inſtituit; qua de re non immeritò fortaſsè dubitari etiam poſſet. Etenim præter ſuperiorem illam noſtrorum Archiepiſcoporum Tabulam, quam planè conſtat Galeſinij fuiſſe opus: præter Matutinam illam Breuiarij noſtri Lectionem, quam ego certiſsimè ſcio fuiſſe à Ioſepho Ripamontio compoſitam, & Breuiario noſtro ſuperadditam Sæculi huius Anno vigeſimo-quinto: præter hæc, inquam, teſtimonia nullum profectò vetuſtius inuenire adhuc potui;

cùm

cùm alioqui Triduanas eiuſmodi Litanias in antiquiſsimis etiam Ritus A Ambroſiani codicibus præſcriptas & diſpoſitas viderim. Hos igitur tantummodò dare poſſum eiuſdem rei Teſtes Galeſinio poſteriores: Beſutium in Hiſtoria Pontificali Num. xx. Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, die 21. Februarij: Ioſephum Ripamontium Libro itidem Sexto Hiſtoriæ Mediolanenſis, cuius Primam Decadem typis iam ediderat Anno 1617. Claudium Robertum in Secunda Parte Appendicis ad Galliam Chriſtianam, in Archiepiſcoporum Mediolanenſium Catalogo, Num. 19. Ferdinandum Vghellum Italiæ Sacræ Tomo Quarto, in eorumdem Archiepiſcoporum Catalogo, Num. 21. Robertus porrò his vtebatur verbis: *Sanctus Lazarus, Ciuis, vndecima die Februarij, ſedit Annos quindecim, Anno Chriſti Quadringenteſimo quadrageſimo. Inſtitutor Rogationum Mediolani, vt eſt apud Ripamontium Libro Sexto. Vbi tamen malè Vienna (cuius Epiſcopus Mamertinus) in Auſtria ponitur ad Danubium.* Quippe Ripamontius tales à Lazaro Litanias credidit inſtitutas ad imitationem illarum, quas antea Sanctus Mamercus (aliter Mamertinus, vel Mamertus) inſtituiſſet, quod quàm verè crediderit, alij diſcutiant: eumquè præterea credidit Viennæ, non in Gallia, ſed in Germania Epiſcopum fuiſſe. Verè ſiquidem in Gallia ille fuit: meritiſsimequè Decimusſextus in Catalogo Archiepiſcoporum Viennenſium numeratur ab eodem Claudio Roberto, in ſua pariter Gallia Chriſtiana. De quo quidem Sancto Mamerto, & de cuius Rogationibus legi poteſt Martyrologium etiam Romanum die vndecima Maij, & Baronius in Notationibus ad C eam diem, ſicut & ad Aprilis vigeſimam-quintam. Vghellus autem Numero illo 21. parciùs ita inquit: *Hic Triduanas Litanias in Rogationibus inſtituit.* Deinde verò Num. 117. in Archiepiſcopo ſimul & Cardinali Stephano Nardino, ità rursùs: *Supplicationes, à Lazaro quondam ſuo anteceſſore ſanctiſsimè inſtitutas, reſtituit.* Quibus tamen verbis non aliud Vghellus mihi quidem videtur ſignificare voluiſſe, quàm id, quod Galeſinius in eorumdem Archiepiſcoporum Tabula Num. 116. in eodem Stephano his indicauerat verbis: *Solemnium Litaniarum Triduanarum Librum, multis ante ſeculis conſcriptum, temporum incuria penè intermiſſum, reſtituit.* Sicut enim Mediolani recens tunc temporis erat Typographiæ opificium (ſicut ego quoque infra Num. 15. obſeruabo) ſic etiam eo Stephanus Archie- D piſcopus imprimendum curauit eiuſmodi Litaniarum Librum, qui antehac manuſcriptus tantummodò vſitabatur, quiquè propterea nonniſi rarus eſſe poterat, & à paucis haberi. Quam quidem in ſententiam ego pariter Beſutium interpretor in eadem illa Pontificum noſtrorum Hiſtoria Num. 116. in eodem Archiepiſcopo Nardino, quem computabat ab Anno Chriſti ſupra Milleſimum quadringenteſimum ſexageſimo-primo vſque ad octuageſimum-quartum; nec ab eo poſtea diſcors fuit Vghellus.

VIII. Hæc vtique pertinent ad tempus & ad primum eiuſmodi Litaniarum inſtitutorem. Cæterùm ex Ferijs ſecunda tertia & quarta celebrantur & à Romanis & à nobis, Ritus Ambroſiani cultoribus; ſed ab illis ante, à

nobis verò poſt glorioſam Chriſti Domini ad Cælos Aſcenſionem. Quanam verò regula & ordine à nobis celebrentur : id ſatis abundè Libro illo ſexto proſecutus eſt Ripamontius ; ſed ne propterea quidem importunum vel inutile fuerit, ſi per nos rurſus more noſtro, ac ſolita noſtra ſimplicitate, accuratiùs explicetur ; & in eum præſertim finem, vt Lector inde intelligat, quàm contracti & anguſti eſſent fines interioris muri, quo tunc temporis Ciuitas noſtra cingebatur. Hinc enim ſimul etiam dignoſcet, quemadmodùm Apoſtolorum & Nazarii Baſilica tunc eſſet extra muri eius interioris ambitum, & quemadmodùm dici verè non potuerit Ambroſius *in Vrbem* tranſtuliſſe Sanctorum Nazarii & Celſi Corpora eo ex loco, in quo illa inuenerat ; ſicuti nos in primo Diſſertationis huius Capite iam explicauimus. A

B

IX. Duobus nimirùm per ea tempora circumdatam muris ego tamquàm in conceſsis ſuppono Vrbem fuiſſe noſtram : eorumquè vnum fuiſſe interiorem, quo ſola Vrbs ; alterum exteriorem, quo ſuburbia item includerentur. Hoc autem ſatis arbitror Auſonii, Poetæ celeberrimi, teſtimonio manifeſtum, qui tempore Sancti Antiſtitis noſtri Ambroſij floruerat. In Catalogo enim nobilium Ciuitatum, cuiquè ſuum accinens Epigramma, & Mediolanum quoque noſtrum ſeptimo loco enumerans, ſic etiam de ipſo concinebat (vt videre licet apud Triſtanum itidem Chalcum Libro 2. & apud alios multos è noſtratibus Scriptoribus: quinetiam in Laurentij Littæ, Ciuis & Archiepiſcopi noſtri Vita, Cap. 26. Num. 10. à me nuper edita.)

. . . . TVM DVPPLICE MVRO
AMPLIFICATA LOCI SPECIES C

Licet autem murus ille non vnicus eſſet, ſed duplex ; illud tamen video nihilominùs vſitatum, vt denominationem à nobiliori accipientes, abſoluto muri nomine non alium intelligerent, quàm interiorem, perinde fermè ac ſi nullus interim exterior extitiſſet. Quocirca etiam Sanctus Ambroſius Epiſtola 14. ad Marcellinam Sororem (ſicut ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis obſeruabam Num. 5.) Baſilicam Portianam, quæ poſtea Sancti Victoris AD CORPVS appellata fuit, hodiequè appellatur, nominabat EXTRAMVRANAM ; licet ea tunc in ſuburbijs eſſet, ac ſuburbano exterioriquè propterea muroincluderetur. D
Sic igitur ego etiam in ea tempora, quibus exterior item ille murus poſt inſtitutas Mediolani Litanias Triduanas extiterit, ſimiliter ſuppono interioris fuiſſe muri Portas Vrbis illas, ad quas inter eiuſmodi Litanias mox videbimus hac Oratione ſupplicatum : *Mæſtorum refugium, Deus, tribulantium conſolator, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, vt afflictis oppreſsione gentium auxilium tuæ defenſionis impendens, eripere nos & ſaluare digneris. Tribue, quæſumus, fortitudinem feſsis, laborantibus opem, ſolatium triſtibus, adiutorium tribulatis. Circumda Ciuitatem hanc virtutis tuæ præſidio: & omnes in ea manentes immenſæ pietatis tuæ defende iuuamine. Pone in Muris & Portis eius Angelorum cuſtodiam, ſalutis ancilia, munitionem or[illegible]*

Sancto [illegible]

Sanctorum tuorum. Vt, qui pro peccatis noſtris iuſtè affligimur, de ſola miſericordia tua confidentes, miſerationis tuæ munere adiuuemur. Quatenùs à preſſura hac, quæ nos circumdedit, erepti, liberis tibi mentibus gratias agentes ſeruire poſsimus. Per Dominum noſtrum &c. Hactenùs eiuſmodi Oratio. In qua quidem participium *tribulantium* vidimus intranſitiuè acceptum, idemquè ſignificans ac ſi dictum fuiſſet, *in tribulatione exiſtentium*. Qualis profectò ſignificatio tunc etiam Eccleſiæ Mediolanenſi placuit, quando Feria tertia temporis æſtiui poſt ſecundam Lectionem Matutinam Reſponſorium præſcriberetur illud, quo nunc etiam vtimur: *In omni loco tu benediceris, qui tribulantibus propè es Domine*. A

X. Quemadmodùm autem noſtra ætate ſtatis in locis ea ſuppliciter canitur Oratio, *Mæſtorum refugium Deus*, &c. ſic etiam iiſdem prorsùs in locis eadem olim canebatur; ibiquè tunc erant noſtræ Vrbis Portæ, in muris ac mœnibus firmioribus conſtructæ. Quod vt ego ſatis pro rei veritate confirmem, binos in primis producam Officii Ambroſiani Codices, in pergamena charta conſcriptos, aut ſaltem contextos ante, quàm noſtri Mediolanenſes Anno Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-primo muros Vrbis conderent ampliores, quàm proximè fuiſſent; ſicut ego pariter in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis iam oſtendi Num. 513. 514. 515. 518. Ex quo enim tunc noſtri Mediolanenſes Vrbem, ſuperiore Anno Sexageſimo-ſecundo ab Imperatore Friderico Aenobarbo dirutam, non modò reſtaurare, ſed etiam magnis augere incrementis incœperunt; ſic etiam murorum illorum ambitum ita dilatarunt, vt eo Baſilicam quoque Apoſtolorum, ſiue Nazarianam, incluſerint. Eiuſmodi verò Codicum primus eſt Eccleſiæ Parochialis Sancti Victoris AD THEATRVM: & hunc humaniſsimè mihi commodauit alter ex ipſius Rectoribus, Dominicus Griffius, præſtanti Vir ingenio, & litteratura, & morum probitate: necnon etiam Cleri Examinator Synodalis, hoc eſt, communibus Diœceſanæ Synodi ſuffragiis delectus: qui quidem quatuor ab hinc annis mortuus eſt. Secundus Codex proprium etiam ſui præfert Auctorem: iſquè nomine Beroldus fuit, Baſilicæ Metropolitanæ olim Cuſtos Cicendelarius, qui vigeſimo-tertio florebat Anno ſupra Milleſimum centeſimum; ſicut ego iam ſupra innuebam, Capite 54. Num. 1. & accuratiùs oſtendam infra Capite 97. Ille tamen non eſt primæuus ipſius Codex; ſed alter eſt, ex eo poſtea exſcriptus, cùm Sanctus Archiepiſcopus noſter Galdinus, Anno poſtea ſeptuageſimo-ſexto ex hac mortalitate ſublatus, cæleſtibus iam honoribus ab Eccleſia Mediolanenſi publicè coleretur. Quo quidem factum eſt, vt primæuo Codici ſupperadditum in hoc poſteriore fuerit frequenter Galdini nomen & inuocatio inter obuias Sanctorum Litanias; cùm alioqui nihil tale in altero illo Sancti Victoris AD THEATRVM Codice videamus; tanta eſt ipſius etiam ſcriptionis vetuſtas. Eiuſmodi porrò Beroldi Codex in duobus mihi conſpectus fuit exemplaribus. Vnum eſt Capituli Metropolitani, & in eius Bibliotheca cuſtoditum eſt hactenùs integrum, & omniquaque perfectum. B C D

Alterum

Alterum Amici munere meum eſt; atqui multis folijs per interualla A
truncum & mancum; ſed in ea tamen integrum parte, qua præſens ad inſtitutum indigebam, quaquè Triduanæ Ambroſiani Ritus per ea tempora Litaniæ continentur. Ex harum igitur Litaniarum ſerie, talibus explicata Codicibus, conſilium mihi eſt deſcriptionem propoſitam proſequi. Quoniam tamen explicatiores ſunt Beroldi Rubricæ, quàm Codicis illius, quem Parochialis eius eſſe dicebam Eccleſiæ; propterea etiam iiſdem hic ego vtar libentiùs; indequè ſingulas eius tridui Stationes enumerabo.

XI. Poſt celebratam Saluatoris noſtri ad Cælos Aſcenſionem, itemquè Dominicæ ſubſequentis feſtiuitatem, proximo die Lunæ hunc in modum incipiebantur. Congregato Clero & Populo in Baſilica Maiori, ac Me- B
tropolitana, & Virgini Deiparæ nuncupata, benedicebatur Cinis: idemquè mox ſuper adſtantium capita, in memoriam mortalitatis humanæ, ſingillatim diſtribuebatur. Tum verò Clerus inde, Populo comitatus, Antiphonam concinens procedebat vſque ad Ciuitatis Portam, cognomento Cumanam: ibiquè mox Oratio illa, *Mæſtorum refugium, Deus* &c. ſuccinebatur. Inde porrò recta via pergebant ad Sancti Simpliciani Baſilicam: ex eaquè ad Sanctum Carpophorum retrogreſsi flectebant iter ad Sanctum Protaſium. IN CAMPO (tunc autem illic erat, vbi nunc propè Caſtri foſſam Columella eminet illa, ferreis cancellis circumſepta, de qua dictum à nobis eſt Capite 24.) tum ad Sanctum Victorem AD VLMVM, vbi nunc vetuſtior eſt Fratrum Capuccinorum Conuentus: C
cui ego in multis noſtrarum Litaniarum Libris, typographicè impreſsis, inditum ſæpè vidi nomen SANCTI VICTORELLI; & hanc, opinor, ob cauſam, quia parua eſſet Eccleſia. Extrema igitur in eo regionis Vercellinæ tractu erat illa Sancti Victoris AD VLMVM Eccleſia. Itaque ſimiliter inde retrocedebant ad Sanctum Victorem AD CORPVS, & ad Sanctum Martinum pariter AD CORPVS; ſed accepta eiuſmodi denominatione, non ex ipſiuſmet Sancti Martini Corpore, quod Turonis in Gallia ſepultum fuiſſe conſtat; ſed ex eiuſdem Sancti Victoris Corpore, quod in altera illa conditum fuit, & talem appellationem huic etiam, quæ contigua tunc erat, ſicut etiam nunc eſt admodùm propinqua, communicauit; & hoc ego quidem ſæpiùs ex antiquis Documentis D
ac ſcriptis obſeruaui. E Sancto Martino poſtea tendebant ad Sanctum Vincentium (videlicet IN PRATO nuncupatum) dehinc ad Sanctum Ambroſium, itidemquè ad Sanctum Vitalem, ad Sanctam Valeriam, & ad Sanctum Naborem: quæ nunc Sancti Franciſci Eccleſia communiter appellatur. Cæterùm è Portæ Cumanæ regione in Vercellinæ ſuburbana confinia egreſsis reliquum iam erat, vt per ipſammet Portam Vercellinam ſeſe intra muros Vrbis reciperent. E Sancto igitur Nabore ad ipſammet Portam veniebant. Quocirca ſic etiam ſubinde tradidit Beroldus: *Antiphona ad Portam Ciuitatis: Fac nobiſcum Deus miſericordiam tuam* &c. ſtatimquè recitatæ huic Antiphonæ ſic adiecit: *Oratio ad Portam Ciuitatis:*

Ciuitatis: Mæſtorum refugium, Deus. Inde porrò progrediebantur ad San- A
ctum Victorem AD THEATRVM, denique verò ad Sanctam The-
clam, quæ pariter Metropolitana erat Baſilica, ſed Aeſtiua: ibiquè Miſſa
& Veſperis decantatis Supplicationem primæ diei concludebant.

XII. Secundus iam dies ea ſuppeditabit, quæ propoſitam nobis de Baſilica Na-
zariana quæſtionem magis illuſtrant. A Maiori ergo Eccleſia ſimiliter
Supplicatio incipiebat: indequè procedebatur ad Sanctum Fidelem, tum
ad Portam (nempe Nouam) Ciuitatis: ibiquè ſimiliter poſt Antiphonam
propriam canebatur Oratio: *Mæſtorum refugium, Deus*. Extra Portam
illicò tendebant ad Sanctum Dionyſium: ex eoquè per aliam viam re-
flectebant iter AD CONCILIA SANCTORVM (inquit Beroldus,
hoc eſt, ad Sanctum Babylam) vel AD SANCTVM ROMANVM B
(ſicut habet alter ille Sancti Victoris Codex) quæ illi proxima eſt Ec-
cleſia, & fortè tunc computabatur tamquàm vna eademquè cum Sancti
Babylæ; niſi fortè aliquando etiam proceſſum fuerit ad vnam, & ali-
quando ad alteram; proindequè Codices illi, necnon alij etiam, fuerint
ad varietatem illam temporum accommodati, cùm ſcriberentur. Interim
verò ſupplex cœtus erat extra muros Vrbis, & extra ipſos nihilominùs
inde perueniebant ad Sanctum Stephanum AD ROTAM (ſiue ad
Stephanienſem Baſilicam) tum ad Sanctum Calimerium; indequè reuer-
tentes introibant Eccleſiam Sanctæ Agathæ, mox & Apoſtolorum Baſi-
licam. Quas quidem Sancti Stephani & Apoſtolorum ſiue Sancti Naza-
rij Baſilicas conſtat in eo fuiſſe Brolio conſtructas, quod Capite 37. Nu- C
mero 7. deſcribebamus: atque adeò tam ipſas quàm Brolium illud extra
muros Vrbis extitiſſe. Ex hac igitur Apoſtolorum ac Sancti Nazarij Ba-
ſilica Clerus & Populus recta tendens ad Sancti Alexandri Eccleſiam,
neceſse priùs erat, vt Vrbem per Portam ipſius Romanam ingrederetur;
ſicut etiam re vera per eam ingrediebatur. Cùm igitur hanc præcinuiſ-
ſent Antiphonam, *Domine, ſi iratus fueris aduersùm nos* &c. mox ſeque-
batur (vt ipſemet Beroldus internotat) *Oratio ad Portam Ciuitatis: Mæſ-
torum refugium, Deus*: ſubinde verò etiam *Antiphona vſque ad Sanctum
Alexandrum: Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Deus, & armis tuæ po-
tentiæ protege nos ſemper: libera Deus Iſrael clamantes ad te*. Poſt Supplica-
tionem verò in Sancti Alexandri Eccleſia peractam, veniebant ad San- D
ctum Ioannem AD CONCHAM, tum ad Eccleſiam Maiorem: in qua
tandem Miſſam & Veſperas concinebant.

XIII. Tertio ac poſtremo Litaniarum die decem circiter ab hinc annis ab
Eccleſia Maiori proceditur ad Sancti Alexandri Eccleſiam; quippe quæ
recenter à fundamentis in ampliorem nobilioremquè conſtructa formam,
& in fronte plateam habens peramplam, & ab omnibus liberam domi-
bus, quæ antehac illic erant, nunc etiam commodiorem habet illac in-
greſſum, quem antea non habebat. Inde verò versùs Sanctam Euphe-
miam proceditur; ſicut & olim versùs illam recta procedebatur ab Ec-
cleſia Aeſtiua. Priuſquàm tamen illuc perueniretur, morandum erat ad
interpoſitam

interpoſitam Ciuitatis Portam, & illic ſupplicandum. Interim ergo Beroldus etiam ipſe ſic tradebat: *Die tertio omnia, vt ſupra. De Eccleſia Aeſtiua ad Sanctam Euphimiam, Antiphona prima.* Cùm verò illam & ſecundam recitaſſet; ſic etiam addebat: *Oratio ad Portam Ciuitatis: Mæſtorum refugium, Deus.* Subinde verò rurſus: *Antiphona vſque ad Sanctam Euphimiam.* Cui quidem Antiphonæ Codex ille alter hanc præmittebat Rubricam: *Foris muros poſt Primam.* Denique Codices ambo Litanias etiam in hac ipſa Eccleſia concinendas recitabant. Piuoſi inde ſupplexquè agmen progrediebatur ad Sanctum Celſum (vbi ſcilicet ſacrum eiuſdem Sancti Martyris Corpus ego quieſcere contendo) tum ad Sanctum Nazarium IN CAMPO (vbi Martyris item huius Corpus latebat, antequàm inuentum à Sancto Ambroſio transferretur ad Apoſtolorum Baſilicam) vel etiam prius ad Sanctum Nazarium IN CAMPO, deinde verò ad Sanctum Celſum; hic quippe itineris ordo in altero illo Codice ſeruatur. Quamobrem ſicut in hoc Campo, ſiue Horto, Corpora Martyrum illorum fuerunt à Sancto Ambroſio inuenta; ſic etiam non alibi, quàm in ſuburbijs inuenta. Quoniam pariter, vt ſuperiore Numero vidimus, in ſuburbijs erat Apoſtolorum Baſilica; idcircò etiam nonniſi ad alteram ſuburbiorum partem Corpus Sancti Nazarij translatum eſt tunc, quando illuc translatum eſt. Sed hinc ad propoſitum Litaniarum iter reuertamur. Ex eis certè Nazarij & Celſi Eccleſijs pergebatur ad Sanctum Euſtorgium, tum ad Sanctum Laurentium, dehinc ad Sanctum Sixtum. Et hæc quidem Sancti Sixti Eccleſia ſiniſtro Baſilicæ Laurentianæ lateri (ſiniſtro, inquam, ingredientibus per portas in eiuſdem Baſilicæ fronte patentes) adhærebat, & vſque in præſentem adhæret diem; tametſi nunc ibi Miſſarum Sacra non celebrentur propter nimiam Populi, per eius medium tranſeuntis, frequentiam & ſtrepitum: cuius frequentiæ commodo recenter etiam illic ad portam exteriorem binæ ac peramplæ ſectis è lapidibus conſtructæ ſunt ſcalæ. Hinc porrò progrediebantur ad Sancti Viti Eccleſiam: quæ profectò etiam tunc erat extra muros, & extra Ticinenſem Vrbis Portam. Ex ea enim Eccleſia egreſſi, canentes Antiphonam perueniebant ad eam ipſam Ciuitatis Portam. Inde Beroldus poſt Stationem ad Sanctum Vitum ſic ſcribebat: *Antiphona vſque ad Portam Ciuitatis:* & hac ad verbum recitata, ſubijciebat: *Oratio ad Portam Ciuitatis: Mæſtorum refugium, Deus.* Cùm verò iam eſſent intra muros & Portam Ciuitatis; iter ſuum proſequebantur ad Sanctam Mariam AD CIRCVLVM. Sic enim vulgus etiam Beroldi tempore, nedùm noſtro, loquebatur; ſed proprius ac legitimus eius titulus eſſe debet AD CIRCVM; quippè aliàs in eo tractu Circus erat, ludiquè Circenſes in eo exercebantur. Reliquum inde itineris iam erat ad Sanctum Quiricum (quæ mea memoria circiter Annum præſentis Sæculi decimum diruta fuit) ad Sanctum Georgium, ad Sanctum Sebaſtianum, ad Sanctam Mariam BERTRADE, ad Eccleſiam Aeſtiuam, è qua primùm Litanias hodiernas incœperant: ibiquè tandem Miſſa Veſperiſquè

celebratis

celebratis Triduanæ huiuſmodi Litaniæ concludebantur. Hactenùs è prædictis Codicibus. Ea porrò Sancti Quirici Eccleſia, quam ego mea ætate dirutam internotabam, non procul ſtabat à Porta Vrſulani Monialium Monaſterij: qua nimirùm parte nunc ei Portæ obuerſum eſt nouum Monaſterij Sanctæ Marthæ viridarium, dextero eius Eccleſiæ lateri ſuperadditum è ſitu multorum antea illic ædificiorum, & muro prælto circumdatum. Quà verò nunc aqua pluuialis per alueum viridario ſubterraneum atque hinc inde clauſtris ferreis occluſum excurrit, illic publica priùs patebat via. A

XIV. Quoniam verò interim Orationem illam, *Mæſtorum refugium, Deus*, non aliis in locis, quàm Vrbis ad Portas, vſitari videbamus; propterea, tametſi laborioſum, non tamen inutile nec iniucundum erit reſumptis viribus ad poſteriora curſim progredi tempora; ex iiſquè apertiùs dignoſcere, quænam eſſent ea loca & Portæ, necnon etiam quemadmodùm iiſdem tantùm in locis continuatus deinde fuerit eiuſdem Orationis vſus ad præſentem vſque diem; tametſi cæteroqui Vrbis muri ac Portæ procul à vetuſtioribus iam fuerint ſemel & iterùm in ampliore ſitu conſtructæ. B

XV. Poſt vtiliſſimum pariter ac ingenioſiſſimum Typographiæ opificium, ab Europæis Anno Domini ſupra Milleſimum quadringenteſimum quadrageſimo circiter aut quinquageſimo inuentum, & in Vrbe item noſtra exercitum, non alius Triduanarum Ambroſiani Ritus Litaniarum ſeorſim editarum Liber mihi adhuc ad manus accidit vetuſtior, quàm ille, quem Anno 1494. Antonius impreſſit Zarottus: qui quidem ſuperiore Anno ſeptuageſimo-quinto Miſſale Ambroſianum primus ediderat. Quocirca eius editionis exemplar in Bibliotheca ego Ambroſiana vidi vnum, in cuius fine talibus ille Verſiculis commendabatur: C

Antoni, patria Parmenſis, gente Zarotte,
Primus Miſſales imprimis arte Libros.
Nemo repertorem nimiùm ſe iactet. In arte
Addere plus tantum, quàm peperiſſe, valet.

Eius igitur impreſſionis Libro Litaniarum ego vtar: & vſqueadeò fideliter, vt ipſius etiam Rubricas ad verbum recitem, tametſi noſtrate ac materno illius temporis idiomate contextas (ad faciliorem populariun, ſicut ego interpretor, qui tunc frequentes & ipſi conuenire ſolerent, inſtructionem) nobiſquè iam fortaſsè cachinnos excitaturas. Poſt Cineris ergo benedicti diſtributionem, prima die ab Archiepiſcopo, vel in eius abſentis locum à Sacerdote reliquorum adſtantium digniſſimo, peractam, ſic ibi legitur præſcriptum: *E data la Cenere, el prefato Monſignore (lo Arciueſco) ouero lo più digno Sacerdote, dice* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. E ſe comenza à cantare vna Antiphona coſi in Proceſſione ſine al Ponte Vedro. Coſi ſe dice, vnde antiquamente era la Porta della Città, ciò è, Porta Cumana.* Poſt recitatam verò eiuſmodi Antiphonam, illicò additur: *E giunto ſia la Proceſſione al ſopradicto Ponte; el prefato Monſignore, ouero* D

el più digno Sacerdote, dice la infraſcripta Oratione: digando ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oratio: Mæſtorum refugium, Deus* &c. Neque verò ſemel tantùm ab Archiepiſcopo, vel ab altero illo Sacerdotum digniſsimo, canebatur hæc Oratio; ſed etiam rurſus à Baſilicæ Metropolitanæ Canonicis Ordinarijs, vel ab iis Sacerdotibus, qui communiter Mazechonici nuncupantur; ac tertiò tandem à reliqui Cleri digniſsimo; quemadmodùm ibidem in ſingulos tridui dies præſcribitur, & hac quidem regula ſuos ad locos adaptanda: *E queſto ordine de dire queſta Oratione in queſti trè giorni ſi ſerua due volte: l'vna all'vſcire de la Città Vecchia, l'altra all'intrare: e faraſſene mentione à li loghi, vnde ſarà biſogno*... Quamobrem pro ſequentibus tantùm locis eam poſtea Orationem videmus præſcriptam. Primò nempè, atque in eandem primam diem, poſt Stationem ad Sanctum Naborem, ſiue Franciſcum, his verbis: *Antiphona, andando à la Croce de Porta Vercelina, appreſſo à Santo Iacobo, vnde era la Porta vegiamente: Fac nobiſcum Domine miſericordiam tuam* &c. *E giunta che ſia la Proceſsione al dicto logo, Monſignore lo Arciueſco, ouero el più digno de li Ordinarij, dice queſta Oratione, Mæſtorum refugium, Deus. E diceſi in el modo & ordine, come è poſto in el principio de le Litanie.* Similiter ſecunda die, poſteaquàm è Sancti Fidelis peruentum fuit *à la Porta vegia de Porta Noua*: & rurſus, poſteaquàm è Sancti Nazarij ſiue Apoſtolorum Baſilica *à la Crocetta de Porta Romana*. Tertia denique die tendentes ab Eccleſia Metropolitana ad Sanctæ Euphemiæ; *quando ſono gionti al loco, vnde ſe dice à la Canoſſa, el Clero ſe firma in diuerſe parte; lo Arciueſco e li Ordinarij ſtano intra la Città vegia, e li altri de fora; e firmati, comenza Monſignore, ouero el più digno de li Ordinarij; e dice il Verſo Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oratio: Mæſtorum refugium, Deus:* eademquè demùm præſcribitur Oratio, cùm à Sancti Viti Eccleſia peruentum fuerit *al Carobio di Porta Ticineſe*.

XVI. Talia igitur tunc temporis erant vocabula, quibus Maiores noſtri varios earum noſtræ Vrbis Portarum indicabant ſitus, in quibus ea Oratione ſupplicandum eſſet. Certè autem inter Mediolanenſes compertiſsimum etiam eſt, non alijs hodie in locis eiuſmodi Orationem recitari, quàm illis ipſis; tametſi eorum nomina videamus aliquantùm immutata in earumdem Litaniarum Libro, per Sanctum Archiepiſcopum & Cardinalem Carolum reformato poſt Annum Milleſimum quingenteſimum ſexageſimum, è quo ille vſque ad octuageſimum-quartum Metropolitanæ huic Eccleſiæ vigilantiſsimus præfuit. In eo ſiquidem Libro ſex illi veterum noſtræ Vrbis Portarum ſitus hiſce modis ex ordine appellantur: *Carrubium Portæ Nouocomenſis: Carrubium Portæ Vercellinæ: Carrubium Portæ Nouæ: Carrubium* ſeu *Crux Portæ Romanæ: Crux propè Aquam, quæ dicitur Canoſa*, ſiue *Crux Aquæ Canoſæ: Carrubium Portæ veteris Ciuitatis*, quod idem eſt ac *Carrubium Portæ Ticinenſis*. Primum autem illud Carrubium abſque dubio eſt ad Crucem illam Pontis Veteris, quæ vulgò etiam hodie *la Croce del Ponte Vedro* appellatur, quæquè nobili columna ſublimis eminet;

eminet; ſicut & cæteræ Cruces, quas proximè nominabo. Secundum A
eſt ad eam Portæ Vercellinæ Crucem, quæ iuxta Sancti Iacobi Eccleſiam
erecta eſt. Tertium ad eam eſt Portæ Nouæ Crucem, cui è directo
proximè reſpondet Eccleſia Sanctæ Anaſtaſiæ, quam nunc Fratres ex
Ordine Sancti Franciſci de Paula inhabitant. Quartum eſt ad eam ipſam
Crucem, quæ paulùm diſtat à Sancti Victoris ad Portam Romanam
Eccleſia, de qua nonnihil poſtea dicendum erit. Quintus pariter locus,
ex Aqua illac per alueum ſupernè olim apertum, ſed nunc concamera-
tum & coopertum, præterfluente ſortitus nomen, ad eam pariter eſt
Columnam, quæ inter duo Monialium Monaſteria, vnum Sanctæ Mariæ
Magdalenæ, alterum Sancti Auguſtini, mediam honeſtat viam, & in
vertice vexillum habet Crucis, à Sancta Helena, Conſtantini Magni
genitrice, geſtatum. Poſtremum denique Carrubium ſemetipſo antono- B
maſticè præ cæteris notiſsimum eſt; quippe quod Carrubii Portæ Tici-
nenſis nomen etiam hodie retinet, in ore totius Vrbis vſitatiſsimum; non
ſic autem cætera illa ſuperiùs nominata.

XVII. Quinetiam nominatim de Carrubio Portæ Nouæ hoc in gratiam curio-
ſitatis addere placet: non illud antiquitùs fuiſſe ibi, vbi mox à nobis ex
eo Litaniarum Libro, per Sanctum Carolum edito, deſcribebatur. Cer-
tè ſiquidem illud fuit iuxta Monaſterium Monialium Sanctæ Margaritæ
hinc, inde verò iuxta propinquam Sanctorum Coſmæ ac Damiani Ec-
cleſiam, vbi nunc Monachi aliquot degunt Hieronymiani, quos vulgus
Monachos appellat Caſtellatij, ex eorum videlicet Cœnobio, extra Por- C
tam Ticinenſem ſito, & vnicum circiter milliarium diſtante: de qua
quidem Eccleſia & Cœnobio aliquid à me iam dictum fuit Capite 9.
Num. 11. Quocirca Portæ Nouæ Carrubium abſquè dubio platea voca-
batur illa, quæ nunc duabus illis Eccleſiis interiacet; ſed in latere ad
Sanctam Margaritam obuerſo multis nunc domibus occupata eſt; à qui-
bus liberam fuiſſe olim ego quidem conieci è publicis, quæ mox indi-
cabo, & authenticis eiuſdem Monaſterii & Eccleſiæ Documentis. Hæc
mihi per ſummam humanitatem ſuppeditauit eruditiſsimus ille, ac de
bonis Artibus earumquè ſtudioſis & de me nominatim optimè meritus,
Ioannes Reſta, cuius mentionem faciebam Capite 9. Num. 7. atque iam
tum ſuppeditauit, quando per omnia commendatiſsimus erat prima vice D
Abbas nobiliſsimi hac item in Vrbe Monaſterii Sanctorum Petri & Pauli,
vt communiter cognominatur, IN GLASSIATE, vulgò GESSATE,
necnon etiam earumdem Monialium Moderator erat & Præſes. Ipſarum
Monaſterium communiter olim cognominabatur GISONI, vel GISO-
NIS, vel GHISONIS, aut etiam DE GISONE, aut GHISONE:
ſcilicet è primi eius Conditoris cognomento, & eo quidem illuſtri,
quemadmodùm ego interpretabar in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis,
Num. 233. Sic etiam citra dubium erat intra Portæ Nouæ muros & mœ-
nia: idquè omnibus ferè ipſius Documentis teſtatiſsimum etiam eſt. Reſ-
tat igitur, vt ſolum eiuſdem Carrubium commonſtremus. Quocirca è

multis, & authenticis, quinimmò archetypis eiuſdem Monaſterii Documentis pauca tantùm in id producam, & ordine temporum ſeruato. Primum eſt confectum Anno Imperij Ottonis Imperatoris ſecundo, menſe Octobris, ingrediente Indictione ſeptima, quo tempore Archiepiſcopus item noſter erat VValpertus: & hæc ſicut ex ipſomet conſtant Documento, ſic etiam ſatis mihi præterea indicant, ſecundum illum Imperatoris Ottonis Annum fuiſſe Ottonis hoc nomine Primi, eumdemquè Chriſti fuiſſe Nongenteſimum ſexageſimum-tertium. In hoc igitur Documento Monaſterium iſtud ſic ad verbum nominatur: *Monaſterium Sanctæ Dei-Genitricis Mariæ* (cui nimirùm priùs, quàm Sanctæ Margaritæ, dedicatum fuit) *quæ dicitur* GISONI, *quæ eſt ſita intra Ciuitatem Mediolani, ad locum, vbi Carrubio dicitur*. Secundum eſt Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo quadrageſimo-quinto, ſecundo die menſis Martij, Indictione tertia: in quo nominatur *Monaſterium Sanctæ Margaritæ, quod eſt conſtructum intra Ciuitatem Mediolani propè locum, vbi dicitur Carrubium*. Tertium eſt Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo, menſe Iunij, Indictione decima-tertia: in quo vocatur *Monaſterium Sanctæ Mariæ & Margaritæ, quod dicitur* GISONIS, *conſtructum in iſta Ciuitate ad locum, vbi dicitur Carrubio*. Et hoc pariter modo ſe habet quartum, Anno eiuſdem Sæculi ſexageſimo, menſe Ianuarij, Indictione octaua: itemquè quintum Anno ſubinde ſexageſimo-primo, die tertio-decimo Iunii, Indictione nona. Ne quis verò exiſtimet, Carrubium hoc, poſt excidium à Friderico Aenobarbo Imperatore Vrbi noſtræ illatum Anno mox ſexageſimo-ſecundo, & poſt eiuſdem Vrbis mœnia poſtmodùm Anno ſeptuageſimo-primo à noſtris Mediolanenſibus in ampliori, quàm denique fuerant, ſpatio conſtructa, translatum fuiſſe illuc, vbi nunc Oratio illa, *Mæſtorum refugium, Deus* &c. canitur ad Portam Nouam, vbi nempe mœnia Vrbis ipſaquè Porta Noua tunc denique conſtructa fuerunt; ecce alia rursùs Documenta, quibus oppoſitum ſuadetur. Anno enim Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo-octauo (ignoſcat mihi Lector, quòd in meis ad hoc Documentum & ad tertium poſterius Notis non exſcripſerim eorum dies & Indictiones, de quibus tunc non curabam, cùm eorum mentionem feſtinanter in ſchedas redigerem) ſimiliter appellatur *Monaſterium Sanctæ Margaritæ de Carrubio Mediolani*. Et rursùs Anno Milleſimo treceteſimo vigeſimo-ſexto, Indictione nona, die Dominico, vigeſimo-quarto Auguſti, Eccleſia eiuſdem Monaſterij *Sanctæ Margaritæ, ſita in Porta Noua*, vocatur *Parochialis*: eiuſdemquè Cappellanus habitaſſe tunc temporis aſſeritur *ad Eccleſiam Sancti Damiani, in Carrubio Portæ Nouæ*. Quinetiam Anno Milleſimo quingenteſimo vigeſimo-nono, tamquàm in Porta Noua nominatur *Parochia Sanctorum Damiani & Coſmæ in Carrubio Mediolani*: viciſsimquè *Parochialis* appellatur Eccleſia Sanctæ Margaritæ: itemquè tamquàm vna & eadem fuiſſe aſſeritur cum prædicta Sanctorum Damiani & Coſmæ Parochiali. De hac ipſa porrò Martyrum Eccleſia (ſicuti etiam paulò ante dicebam) non-

nihil

nihil ego iam diſſerui ſuperiore Capite 9. Num. XI. Hic autem, velut in tranſcurſu, illud etiam obſeruauerim, quòd locus ille hinc contiguus Eccleſiæ Sanctæ Margaritæ, inde verò Sanctorum Damiani & Coſmæ, non modò vocaretur CARRVBIVM PORTÆ NOVÆ, verùm etiam ſimpliciter & abſolutè CARRVBIVM MEDIOLANI, vel etiam LOCVS, VBI CARRVBIVM DICITVR. E quibus quidem duabus loquendi formulis poſterioribus ego coniecerim, non aliud Carrubium, quàm iſtud, extitiſſe intra veterem Vrbem noſtram: atque adeò extra ipſam extitiſſe alterum illud Portæ Ticinenſis Carrubium, cuius in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis mentionem faciebam Numero 641. Annoquè Chriſti Milleſimo ducenteſimo. Certè autem ne Archiepiſcopo quidem noſtro illic opus erat, vt per Vrbis Portam Ticinenſem ingrederetur, cùm ad Baſilicam tenderet Ambroſianam, immò verò ad Portam eius primariam, ſicut ipſamet illius diei celebritas Populiquè comitantis frequentia ſatis nos edocet. Luculentiſsimè verò ex iiſdem illis Monumentis conſtat, Baſilicam ipſam, multoquè magis primariam eius Portam, extra veteres Vrbis muros & mœnia extitiſſe. A B

XVIII. Cæterùm Carrubii nomen ego non aliunde, quàm è carris deductum interpretor: atque publico amploquè attributum ſpatio, in quod, velut ex definito, ſolerent carris ea conuehi, quæ frequentioribus incolarum vſibus deſeruirent: cuiuſmodi ſunt ligna, olera, & alia generis eiuſdem cibaria.

XIX. Sed hinc, obſecro, ad Portam redeamus Romanam: cuius præſertim gratia & occaſione deſcriptionem hanc Litaniarum proſecuti ſumus; videlicet, vt hinc etiam innoteſceret, Apoſtolorum Baſilicam tempore Ambroſij extitiſſe quidem intra ſuburbia Portæ Romanæ, ſed non intra Portam ipſam, nec intra Vrbis murum, ei adſtructum. Portam ergo ipſam illic vidimus olim fuiſſe, vbi nunc exiſtit Crux, *Porta Romana* appellata, & à qua vicenos circiter paſſus diſtat Eccleſia Sancti Victoris (vulgò Victorelli) *ad Portam* itidem *Romanam* nuncupata, & inter eam Crucem ac Sancti Alexandri Eccleſiam conſiſtens. Idipſum ergo nunc nouis & ſcitu dignis indiciis comprobemus. C

XX. Vbi nunc exiſtit ea Crux, certè olim erectus ſtabat Lapis, ad poſterorum memoriam perinſignis, eius obtentu cauſæ, quia ipſi tandem feſſus eo prorsùs in loco accubaſſet inſediſſetuè Sanctus Ambroſius tunc temporis, quando Epiſcopalem recuſans fugienſquè dignitatem, publica Mediolanenſium acclamatione ipſi adiudicatam, prima tandem luce ſe comperit retrogreſſum conſiſtere ad Romanam Mediolani Portam; cùm alioqui media nocte per Portam Ticinenſem profugus iter ad Vrbem Ticinum, ſiue Papiam, intendiſſet. Hoc enim verè illud eſt, quod Paulinus in Ambroſij Vita his indicabat verbis: *At ille cùm videret, nihil intentionem ſuam proficere; fugam parauit. Egreſſuſquè noctis medio Ciuitatem, cùm Ticinum ſe pergere putaret; mane ad Portam Ciuitatis Mediolanenſis, quæ Romana dicitur, inuenitur.* Eiuſmodi verò Lapidem fortè fortuna mihi pergamenus D

nus indicauit Codex, in Capituli Metropolitani Bibliotheca cuſtoditus: quo totius Anni Litaniæ continentur, Ambroſiano Ritu celebrandæ. Citra dubium verò conſcriptus ille ad minus fuit poſteaquàm Monaſterium Lantaſium intra Portæ Romanæ fines conſtructum fuiſſet: quod ego ibi Anno Chriſti Milleſimo ducenteſimo trigeſimo-tertio conſtructum commemorabam Numero 229. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. In eo igitur Codice, poſt deſcriptam Litaniarum ſecundæ diei Stationem ad Baſilicam Apoſtolorum, & ante Antiphonam, *Domine, ſi iratus fueris* &c. habetur hæc Rubrica: *Hæc Antiphona cantatur primò per Primicerium & Lectores* &c. *in Choro Eccleſiæ Sancti Nazarij: poſtea in corpore Eccleſiæ cantatur ſimiliter per Maziconicos cum Pueris, & Notarios* &c. *poſtea ad Portam Baſilicæ intùs ſimiliter cantatur per Primicerium Maiorem, & alium Clerum. Poſtea vadant ipſam cantando vſque iuxta Monaſterium Lantaſium alternatim: & ibi propè Portam Monaſterij extra cantatur ſemel per Lectores ſtantes: poſtea aliquantulùm ab illa parte ſtratæ cantatur ſimiliter per Maziconicos* &c. *poſtea aliquantulùm vltra ab eadem parte cantatur per Primicerium cum ſuis ſimiliter* &c. *Poſtea vadunt ipſam cantando ad Lapidem rectum, vbi ſe apodiauit Beatus Ambroſius, quando fugit, propè Sanctum Victorem in Portam Romanam.* Sequitur ergo hæc Antiphona, *Domine, ſi iratus fueris* &c. Tum ſubſequitur hæc item Rubrica: *Et ibi eſt Statio: & dicitur alta voce Dominus vobiſcum. Oratio: Mæſtorum refugium* &c. Poſt hanc verò Orationem ſic rurſus paucis alijs præmiſsis Rubrica ſuperaddit: *Poſtea Primicerius & Lectores* &c. *ſtantes propè dictum Lapidem, & circa illum, cantant ſemel hanc Antiphonam* (nempè *Muro tuo inexpugnabili* &c.) *Poſtea Maziconici cum ſuis* &c. *propè Coopertum Sancti Victoris, ſiue poſt Traunam* (hoc eſt Tribunam & Abſidem) *Eccleſiæ cantant ſimiliter. Poſtea alius Clerus vltra, versùs Sanctum Ioannem ad Concham, à parte dextera cantant ſimiliter. Poſtea vadunt ipſam cantando, alternantibus duobus Choris, vſque ad Sanctum Alexandrum.* Hæc ad verbum in eo Codice. Cui quidem per omnia conſentit etiam alter, planè ſimilis, & in charta itidem pergamena conſcriptus: quem poſtea inueni apud Ioannem Ambroſium Syrturum, Archiepiſcopalem hodie hac in Vrbe Typographum. En igitur, vt ad Lapidem illum, Sancti Ambroſij accubitu inſignem ac memorandum, per hæc tempora celebraretur ea Statio, quam Beroldus ſupra Numero 12. nominabat *Ad Portam Ciuitatis*, abſque dubio Romanam: quamquè poſtea Numero 15. Liber ille typis Anno 1494. impreſſus appellabat *A la Crocetta de Porta Romana*: & quam denique Numero 16. in Libro per Sanctum Carolum edito vidimus adſcriptam Carrubio ſeu Cruci Portæ Romanæ. Ex his autem ſic ego ſe rem habuiſſe crediderim. Crucem hanc poſtmodùm eo ipſo in loco erectam fuiſſe, vbi Lapis ille antehac ſteterat: Crucemquè ipſam, vtpote primo etiam aſpectu cunctis venerabilem, ſubſtitutam ei fuiſſe Lapidi, qui nullam cæteroqui venerationis ac religionis ſpeciem præferret. Sicut autem Crux hæc ipſa lapideæ inſiſtit adhuc Columnæ, præaltam ſub ſe baſim quadratam

dratam & cancellis ferreis circumdatam habenti; quid, ſi etiam Lapis A
ille formatus eſt in huiuſmodi baſim? Vel ſi fortè ad eam non erat ido-
neus; quid, ſi ſaltem ſub hac ipſa columna & intra hos ipſos cancellos
illum etiam, quo potuere modo, Maiores noſtri reuerenter collocarunt?
Vel ipſa enim primæua Lapidis eius veneratio ſimile quiddam depoſce-
bat. In eodem porrò Codice illo manuſcripto id quoque præteriens
dicam obſeruatum: Aquam illam Canoſam (quid, ſi fortè vulgus Cæ-
noſam vertit in Canoſam?) quæ propè Sanctam Euphemiam præter-
fluebat, tunc temporis ibi ponte traijci ſolitam eſſe. Sic enim die tertio
Litaniarum ea incipit Rubrica: *Archiepiſcopus, ſeu Maior Sacerdos, incipit*
(in Eccleſia nimirùm Sanctæ Theclæ) *alta voce, & dicit: Dominus vobiſ-
cum. Tunc Diaconus annunciat ſimiliter Antiphonam, Conuertere Iſrael ad Do-* B
*minum, cantando ipſam vſque ad mediam Antiphonam, Conuertimini, & agite
pœnitentiam, ſemper iterando vſque ad Crucem propè Aquam, quæ dicitur Ca-
noſa, propè Sanctam Euphimiam, alternantibus duobus Choris. Et ibi eſt Sta-
tio.* Et paulò pòſt: *Item nota, quòd prima Statio fit in Cruce, vbi dicitur*
AD SANCTAM EVPHIMIAM, *per Archiepiſcopum & Clerum ſuum: &
ibi Archiepiſcopus incipit, & dicit: Dominus vobiſcum. Sequitur Oratio: Mœſ-
torum refugium, Deus, tribulantium conſolator. Et dicto primo puncto, tunc
vnus Maziconicorum, ſtans cum ſuis ſuper pontem Aquæ, quæ dicitur Canoſa,
incipit ſimiliter, & dicit: Dominus vobiſcum* &c. *Sequitur Oratio: Mœſtorum*
&c. *Poſtea ſimili modo, dicto primo puncto* (legendum videtur *dicto ſecundo
puncto*) *Primicerius Maior, ſtans cum ſuis aliquantulùm vltra* (hoc eſt, vltra C
pontem) *verſùs Sanctam Euphimiam incipit, & dicit: Dominus vobiſcum.
Sequitur Oratio: Mœſtorum* &c. Et hæc ſatis è prædicto Codice nobis ſint.

XXI. Quòd tamen propè illam Portæ Romanæ Crucem videbamus extitiſſe
olim, ſicut etiam nunc extat, Eccleſiam Sancti Victoris; ecce pariter,
quemadmodùm hinc rursùs oſtendamus, Portam Romanam ibidem an-
tiquitùs extitiſſe. Eccleſia quippe illa ibi conſtructa fuit in memoriam car-
ceris, quo Victor ibidem aliquando detentus fuit. Maximianum in primis au-
diamus: Notarium nempè illum, qui Vitam eius ſcripſit, à Laurentio Surio re-
citatam die Maii octaua, & à Bonino Mombritio, Tomo Secundo. Ille ſiqui-
dem ipſam iudicio etiam Eccleſiæ Mediolanenſis verè ſcripſit (quidquid in
contrarium aſſerat Gerardus Ioannes Voſsius De Hiſtoricis Latinis Libro 3. D
Cap. 2.) atque ſic etiam narrabat: *Tunc Imperator iuſſit, eum iterùm abduci in
carcerem ad Portam, quæ dicitur Romana, & illic cuſtodiri.* Et rursùs paulò pòſt:
*Tum ira incenſus Imperator, rursùs eum præcepit conijci in carcerem ad Portam
Romanam, & pedes eius in cippo colligari.* Ex altera verò parte Landulphus
ille de Sancto Paulo, cuius verba ego item recitabam in Ambroſianæ
Baſilicæ Monumentis, Numero 320. Annoquè Chriſti 1113. de Groſu-
lano Archiepiſcopo noſtro loquens, ſic ſcribebat: *Intrauit Mediolanum,
ibiquè tunc ad locum, vbi Sanctus Victor carceratus fuit, ſuos labores ſuoſquè
theſauros Sacerdotibus & viris, quos ſibi putabat fideles, explicuit. Ipſius au-
tem Groſulani caterua, vndiquè concurrens, ferendo & inſerendo vulnerationes,*

orbitationes

orbitationes & occiſiones multas in equis & in hominibus, fortiter & prudenter A
ipſum Groſulanum per quindecim dies in Turribus de Porta Romana ſeruauit. Sicut ergo, teſte Landulpho, Groſulanus in Portæ Romanæ Turribus ſeruatus fuit; ſic etiam illic ſuos labores ſuoſquè theſauros aſſeclis ſuis explicauerat; ibidemquè aliàs Sanctus Victor carceri fuerat mancipatus. Sed Portam Romanam ibi olim fuiſſe, vbi nunc ea Eccleſia exiſtit: hoc ipſum magis expreſsè Gualuaneus Flamma teſtatus eſt in Codice manuſcripto Bibliothecæ Ambroſianæ: In Chronica enim Extrauaganti Cap. 49. de Porta Romana loquens, ſic inquit: *Hæc Porta fuit antiquitùs in loco, vbi nunc eſt Eccleſia Sancti Victoris.* Et rurſùs in Chronico Maiori, Cap. 175. *In loco, vbi nunc eſt Eccleſia Sancti Victoris ad Portam Romanam* (ita quippe nuncupari ea Eccleſia conſueuit) *erat vna Porta Ciuitatis, vbi* B
erat Palatium rotundum, in cuius pyramide erat Saturni Idolum &c. Sic etiam poſtmodùm Capite 264. *In Porta* (inquit) *Romana, quæ tunc erat in loco, vbi eſt Eccleſia Sancti Victoris ad Portam Romanam, incipiebat extra Portam Ciuitatis quidam Arcus longus verſus Romam per duo milliaria* &c. Ille nimirùm Arcus, quem Capite 37. Num. 21. verbis eiuſdem Gualuanei, ex alia ipſius lucubratione petitis, deſcripſimus. Quòd ſi Victoris ad Portam Romanam carcer, atque adeò Porta ipſamet Romana, illic fuit, vbi nunc ea eſt Victoris eiuſdem Eccleſia; conſequens profectò eſt, vt ante Sancti Ambroſii ætatem illic etiam extiterit Portæ Romanæ murus, Vrbem diuidens à ſuburbiis. Victor enim paucis pòſt diebus, quàm in eum rurſus carcerem coniectus fuiſſet, capite truncatus eſt Anno Chriſti C
Trecenteſimo ſeptimo; ſicut obſeruabamus Capite 23. Num. 1. Cap. 25. Num. 3. & Cap. 26. Num. 4. Certè autem murus ille ad Portam Romanam pertinens, ibidem perſeuerauit Anno itidem Chriſti ſupra Quingenteſimum quinquageſimo-primo, vel, vt alij volunt, Septuageſimo: quando ſcilicet Lambertus quidam Francorum Rex, ingenti ſtipatus Exercitu, murum illum noctu per fraudem fregit propè binas Eccleſias, vnam Sancti Andreæ, alteram Sancti Michaelis: quæ propterea poſtmodùm ambæ *ad Murum ruptum* cognominatæ fuerunt. De quibus abundè Gualuaneus Flamma in Manipulo Florum, Capite 61. & Chronicum *Flos florum*, folio 94. pag. 2. Ambæ ſiquidem Eccleſiæ illæ in eo circiter ſpatio extabant, vbi nunc Canonicales illæ ſunt Templi Metropolitani D
Aedes, quas communiter *Hoſpitium* appellamus, quæquè ſolius vix interiectu diſcriminantur à reliquis eiuſdem Templi Canonicalibus Aedibus, & ab hodierno Archiepiſcopi noſtri Palatio; ſicut ego alibi è publicis etiam commonſtraui Documentis, quæ conſeruantur adhuc in Xenodochio Pauperum Senum, intra Portæ Vercellinæ fines ſito, quod antea *Officium Pietatis Pauperum Chriſti* appellabatur, quodquè illic extabat, vbi nunc Hoſpitium illud extat prædictum. Sic igitur murus etiam Vrbis, duabus illis Eccleſiis propinquus, & vrbanos à ſuburbanis Portæ Romanæ incolis illic diuidens, indidem à tergo Curiæ nunc Ducalis protendebatur ad ipſammet Romanam eiuſdem muri Portam, prædictæ

Cruci

Cruci & Sanсti Victoris Eccleſiæ conterminam: ſic etiam ex altero latere versùs Portam Tonſam (ſi modò ea tunc extabat) & Orientalem ita protendebatur, vt vniuerſum excluderet è ſuo ambitu Brolium, in quo Nazariana & Stephaniana Baſilicæ conſiſtebant, & in cuius capite ſtabat Eccleſia Sancti Babylæ, ſiue Omnium Sanctorum (ſicut etiam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis videbamus Num. 421.) itaut inter eas Sanctorum Babylæ Stephani & Nazarij Eccleſias liber & extra Vrbis muros pateret commeatus; qualem vtique nuper vidimus Numero 12. Quocirca etiam idipſum pro certo affirmamus in Annum Chriſti, non modò Quadringenteſimum ſeptuageſimum, ſed etiam Milleſimum centeſimum ſeptuageſimum-primum, è quo tandem Anno muri noſtræ Vrbis poſt Aenobarbicam excidionem longè ampliùs dilatati fuerunt, & illic ædificati, vbi proximè fuerat Foſſatum, & vbi nunc eidem Vrbi circumnauigatur; ſicut in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis abundè probatum eſt. A B

XXII. Venio nunc ad ieiunium, quod noſtris eiuſmodi Rogationibus adiectum fuerit, an ſecùs. Nonnullis viſum eſt, noſtros Mediolanenſes in eiuſmodi Litaniis imitatos eſſe Sanctum Mamertum, Epiſcopum Viennenſem. Quod tamen minimè verum eſt; ſi modò Sanctus Mamertus eas nonniſi Anno Chriſti Quadringenteſimo ſeptuageſimo-quinto in Gallia inſtituit, vt habetur è Baronii Chronologia; viciſsimquè ſi Sanctus eas apud nos inſtituit Lazarus, qui Anno iam obierat eiuſdem Sæculi quinquageſimo-primo, vt ſupra dictum eſt. Quomodocumque tamen id ſe habeat; hoc ego loco libenter ea præmuniam, quæ Bellarminus *De bonis Operibus in particulari*, Libro 2. Cap. 21. diſſeruit his verbis: *Ieiunium tridui ante Aſcenſionem, vnà cùm Litanijs, inſtituiſſe fertur Sanctus Mamertus, Viennæ Epiſcopus, vt ſcribit Gregorius Turonicus Libro 2. Hiſtoriæ Francorum Cap. 34. propter multa incommoda, quæ à terræ motibus, & luporum incurſionibus, eo tempore Gallia patiebatur. Deinde idem ieiunium receptum legimus in Concilio Aurelianenſi Primo, Cap. 29. Romæ quoque olim idem ieiunium ita ſeruabatur, vt cibis ſolùm quadrageſimalibus Populus veſceretur; vt intelligi poteſt ex Ordine Romano, vbi agitur de Rogationibus. Videtur tamen, non tam præcepti, quàm conſilij fuiſſe eiuſmodi obſeruatio; cùm ſatis conſtet, inter Paſcha & Pentecoſtem, ex antiquiſsima conſuetudine, nulla ieiunia imperari. Sicubi tamen hoc ipſum ieiunium præcepti lege ſeruatur; non eſt improbandum. Seruanda eſt enim in eiuſmodi rebus Eccleſiæ conſuetudo; vt Hieronymus in Epiſtola ad Lucinium, & Auguſtinus in Epiſtola ad Caſulanum monent.* Hæc ibi ſapientiſsimè Bellarminus. De ipſarum autem Rogationum inſtitutione & cauſa, dequè ipſarum ieiunio, Populiquè in eis obeundis pietate ſingulari, legantur inter alios doctiſsimi ex eadem Societate Ieſu, Nicolaus Serarius & Iacobus Gretſerus *De Sacris Proceſsionibus*, hic Libro primo Cap. 6. & 7. ille autem Libro 2. Cap. 8. C D

XXIII. In Eccleſia porrò Mediolanenſi hoc ieiunium ante Sancti Caroli noſtri Pontificatum arbitrio & voluntati Fidelium planè reſeruabatur.

Itaque in Ambroſianis Breuiariis, Anno 1539. & 1557. impreſsis, illud A
non connumerabatur inter alia ex præcepto ieiunia. Sic etiam Mediola-
ni apud Matthæum Beſutium Anno 1555. typis editum fuit *Pſalterium
iuxta morem Ambroſianæ Mediolanenſis Eccleſiæ, diligentiſsimè reuiſum, caſti-
gatum, redintegratum, additionibuſquè nonnullis neceſſariò auctum*. Cuius in
principio *Calendarium* extat, *ſiue Martyrologium, poſtremò recognitum*: Sta-
timquè ad vberiorem illius intelligentiam Rubrica ſequitur, in qua ſic
etiam legimus: *Ad ieiunium Rogationum nullus eſt arctandus, ſed potiùs hor-
tandus*. Et paulò pòſt: *Aſcenſio Domini diſtat à Reſurrectione diebus qua-
draginta, & ſemper cadit die Iouis. Diebus verò Lunæ, Martis, & Mercu-
rij, poſt Aſcenſionem fiunt Rogationes: & in ſequenti die Dominica fit feſtum
Pentecoſtes* &c. B

XXIV. At enim hæc ieiunii libertas Antiſtiti noſtro Carolo viſa eſt à veteri
aliena & degener inſtitutò talium in hac Eccleſia Rogationum. Quam-
obrem Anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-ſexto diſtrictè præce-
pit vniuerſæ Ciuitati ac Diœceſi, vt eo triduo ieiunaretur, & à cibis
abſtineretur vetitis per eos dies, quibus cæteroqui extra Quadrageſimam
ieiunandum eſſet. Hinc igitur Petrus Gluſsianus in eius Vita, Libro 2.
Cap. 11. Annoquè Chriſti 1566. ſic narrabat: *Queſta Chieſa di Milano ac-
cettò lo ſanto inſtituto di celebrare le Litanie Triduane, che ſi chiamano Minori,
nel modo iſteſſo, che furono ordinate dal primo loro Auttore, il Veſcouo di Vien-
na in Francia, ciò è, col digiuno triduano. Per il cui fine il Rito antico Ambro-
ſiano le hà trasferite nella ſettimana doppo l'Aſcenſione; poiche la Chieſa non coſ-* C
*tuma di digiunare nel tempo Paſchale auanti queſta ſolennità. Mà ſi come
s'vſaua negligenza troppo grande nel trattare l'altre coſe di Dio, e s'andaua per-
dendo l'oſſeruanza de Sacri Riti; così in queſta ſanta attione ſi commetteuano
molte indecenze & indegnità; & era ridotta à termine, che più toſto doueua
irritare l'ira di Dio, che mitigarla, ò placarla. Imperoche non tanto ſi era tra-
laſciato il ſacro digiuno, mà ſi commetteuano molti peccati di crapola: e le Pro-
ceſsioni erano talmente diſordinate e confuſe, che non moſtrauano quaſi più ſegno
veruno di pietà, ne di religione. Dal che reſtando il Cardinale molto offeſo;
non mancò di prouederui, e con leuare quelli abuſi e diſordini, e reſtituire il di-
giuno nella ſua antica oſſeruanza* &c. Hactenùs Gluſsiani verba. Quibus
tamen parum accommodatè mihi videtur explicaſſe cauſam & rationem, D
qua Mediolanenſis Eccleſia ex inſtituto veteri, tamquàm ex obligatione,
ſoleret triduanum hoc ieiunium celebrare: quauè hoc tranſtulerit in
hebdomadam, Aſcenſione Dominica poſteriorem. Primò enim hæ Li-
taniæ fortaſsè priùs in vſu fuerunt Mediolani, quàm per Sanctum Ma-
mertum Viennæ in Gallia inſtituerentur; ſicuti paulò ante argumenta-
bar. Præterea, vt veriſsimè Bellarminus Num. 22. nos docebat, ieiu-
nium etiam illud, à Sancto Mamerto inſtitutum, non tam præcepti
fuiſſe quàm conſilii videtur. Eccleſiaquè ſic etiam Catholica non ſolùm
à Dominica Reſurrectione vſque ad Aſcenſionem, ſed etiam vſque ad
Pentecoſten, abſtinere prorsùs conſueuit ab omni ieiunio, excepta tan-

tummodò

tummodò Pentecoſtes ipſius Vigilia; ſicut etiam poſtea rurſus idem Bellarminus Capite 23. veterum Patrum teſtimoniis comprobauit. A

XXV. Alia igitur certiori ex cauſa citra dubium credendus eſt Sanctus Carolus talem illam ieiunij obligationem veteri ex inſtituto agnouiſſe. Sed qualis ea fuerit: hoc opus, hic labor. In ipſis per ſe Litaniarum Precibus, quemadmodum & in manuſcriptis illis Codicibus & in impreſsis continentur, ego quidem nullum inuenio talis ieiunii, ex obligatione ſeruandi, indicium: at in eius tridui Miſsis, & in ea præſertim quæ Feriæ ſecundæ adſcripta eſt, manifeſtum profectò videri poteſt. Sic enim ad verbum ſe habet ibi Præfatio (ne quid recitem ex Oratione ſuper Oblatam) *Aequum & ſalutare, nos te in obſeruatione ieiunij quærere, qui es Panis verus & viuus, de Cælo deſcendens. Te itaque, humiliantes niuuio* B *corpora, menteque famulantes deuota, per huius Sacrificij immolationem rogamus: vt humiliationem ieiunij huius, quam pro noſtris reatibus in hac triduana obſeruatione perſoluimus, intuearis placatus: & à delictis abſoluens ieiunantes, quos incontinentia ciborum in prauitatis tranſgreſsionem immerſit, eoſdem per continentiam reuoces ad ſalutem*. Et hæc quidem ſimiliter habentur etiam in antiquiſsimis Miſſalium noſtrorum exemplaribus manuſcriptis, quæcumque adhuc ego inuenire ac legere potuerim. Quid, quòd etiam hæc ipſa, ne diſsimulari à Sancto Carolo poſſent, ſimiliter inter Miſſarum ſolemnia recitabantur è Miſſali, Anno 1560. typis hac in Vrbe impreſſo? Quòd ſi fortè alicui ne iſta quidem ſatis eſſe videntur ad indicandam veterem ieiunij conſuetudinem, quæ non ſolo virtutis officio, ſed etiam C præcepti vinculo aliàs viguiſſet: quæquè, non ex mera deuotione, ſicut Theologi loquuntur, ſed etiam ex obligatione incœpiſſet, aut ſaltem poſtmodum ita perenniter retenta fuiſſet, vt robur ac vim legis obtinuerit, peccato etiam mortali violatores ſuos interea obſtringentis: ſi fortè, inquam, ne iſta quidem alicui ſatis eſſe videntur ad talem illam conſuetudinem indicandam; patienter ille interim acquieſcere ne grauetur tanti Præſulis iudicio; neque nunc beneuolus audiat explicantem, quid adhuc obſeruarim de origine triduani huius apud nos ieiunij, Minoribus hiſce Litaniis ac Rogationibus adiecti.

XXVI. Memini, me Numero 259. Annoque Chriſti Milleſimo quinquageſimo-ſexto, mentionem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis feciſſe Sancti D Martyris Arialdi, patria noſtratis: qui exinde vſque ad decennium ſeſe Mediolanenſis Cleri corruptelis oppoſuerit, & præſertim Simoniæ ac Matrimoniis. Eiuſdem verò Vitam ibidem profitebar mihi ſuppetere manuſcriptam ſeparatim à duobus Auctoribus: quorum primus eſſet Beatus Andreas, ex ipſius Alumno, & vſque ad mortem fideliſsimo, Monachus & Abbas Vallumbroſanus, inter eius Ordinis Viros ſanctitate illuſtres celeberrimus: alter autem poſterior ætate eſſet, ac præterea innominatus; qui tamen poſtea mihi viſus eſt Landulphus, *de Sancto Paulo* cognominatus. Sic etiam ego tunc præmonebam fore, vt, opitulante Deo, quantocyùs typis euulgarem ipſius Arialdi Vitam, Libris

quatuor comprehenſam: nec ea profectò ſpes mihi adhuc euanuit; quin- A
immò magis in dies aucta & confirmata eſt: aliumquè præterea Librum iis quatuor interponere meditor, quo Sancti pariter Martyris Herlembaldi, cognomento Cottæ, Patricij Nobiliſsimi, pro Arialdo ac Sede Apoſtolica Romana Militis ac Defenſoris ſtrenuiſsimi, Vita, per me collecta, comprehendatur. Vtraque igitur illa Sancti Arialdi Vita nunc ego fruar in præſenti cauſa de Triduanis Rogationibus, & earum ieiunio.

XXVII. Ac Beatus quidem Andreas Capite 21. (quippe Vitam ego illam per Capita eorumquè argumenta diſtribui) ſic ſcribebat: *Triduanum namque illud ieiunium, quod inter Sanctos dies Paſchales contra antiquorum dicta Sanctorum nouiter eſt peragi vſitatum, ſic vehementer horrebat, vt libenter* B
diceret, velle ſe tradere morti, ſi tantùm exhortari poſſet Populum, quatenùs in tempus mutaretur licitum & aptum. Quapropter in vno eorum dierum, vnà omni iam Eccleſia congregata, vt ſolito more ad Litanias procederet, locum, è quo docere ſolebat, conſcendit, eiſquè talia verba proferre cœpit. Debet (inquit) Dilectiſsimi, iuxta Apoſtoli dictum (Rom. 12. Num. 1.) *eſſe Domino Deo noſtro rationabile obſequium noſtrum. Quod competenter tunc agitur, quando cum Sanctorum dictis noſter actus conſors inuenitur. Hoc ieiunium, quod nunc agitis, ſcitote, me penitùs ignorare, cuius impulſione ſpiritus agatur. Si enim Dei ſit; valde miror; quoniam per illorum dicta Sanctorum, pro quibus Deum locutum non dubito, ieiunare in his diebus Paſchalibus interdictum reperio. Eſt & res alia, quæ ſuper hoc nimis me hæſitare cogit. Nam in iſtis diebus tam acriter* C
vos affligere cerno, veſtibus laneis induendo, nudis pedibus incedendo, in pane tantummodo & aqua ieiunando, quomodò, quando hæc agere debitè iuſſum eſt, vos nullo modo facere inſpicio. Scitote, quia ſicut vnus ex diebus Quadrageſimalibus non debet frangi à ieiunio, qui hanc ſignificant vitam; ſic procul dubio nec vnus ex his diebus Quinquaginta eſt ieiunandus, qui ſignificant futuram; præter Sabbatum Pentecoſten; & hoc, non propter afflictionem (ſicut cætera ieiunia alterius temporis) ieiunandum eſt; ſed propter nouorum fratrum expectationem, qui ad Nonam regenerantur; quorum renouationem nos oportet ieiunos præſtolari. Verumtamen vt ea, quæ dico, plena eſſe auctoritate demonſtrem: Sancta Synodo Nicæna (cuius inſtituta ſic ſunt recipienda, quomodò Sancta Euangelia) per hos dies nec genua flectere, nec ieiunia celebrare placuit. Nam ij D
dies, qui non ſunt ieiunandi, oranti pro hoc quondàm cuidam Patri venerando, nomine Apollonio (eius Acta, & hoc ipſum miraculum, è Ruffino, Aquileienſi Presbytero, recitauit etiam Heribertus Roſuueydus in Vitis Patrum Orientis Libro 2. Num. 19.) *qui præerat Monachis circiter quingentis, ſatis declaratum eſt. Hic enim, Quadrageſimali rigore tranſacto, cum fratribus Omnipotentem Deum rogauit, vt eis dignaretur oſtendere, ſi eos more ſolito hos dies vellet ieiunare. Quibus ipſe Dominus per incognitos viros ante eos illicò tanta dona omnium rerum ad edendum congrua miſit, quanta per hos omnes dies Paſchales eis abundanter ſufficere poſſent. Et vt euidenter hac vlterius ambiguitate carerent; eadem dona ſic fuerunt menſurata, vt, donec dies*

Pentecoſtes

Pentecoſtes complerentur, ipſa non deficerent; & dum completi ſunt, ſimiliter conſumpta vniuerſa ſunt & illa. Quod Beatus Benedictus cernens, cum omni tempore alio Monachis ieiunium indixiſſet; hos ieiunare eos nullo modo iuſſit. Quid enim Beatus Ambroſius, noſter Patronus, de his dixerit, commemorandum eſt. Ait enim (Sermone 60. in die Pentecoſtes) *Hanc Sanctam Pentecoſtes diem qua ratione curemus, vel cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit iugis & continuata feſtiuitas, itaut hoc omni tempore neque ad obſeruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus incumbamus, ſed, ſicut Dominica facere ſolemus, erecti & feriati Reſurrectionem Domini celebremus. Ad inſtar enim Dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur; & omnes iſti dies velut Dominici deputantur. Sic enim diſpoſuit Dominus, vt, ſicut eius Paſſione Quadrageſimæ ieiunijs mœrebamus, ita eius Reſurrectione in Quinquageſimæ ferijs lætaremur. Non igitur ieiunamus in Quinquageſima; quia in his diebus nobiſcum Dominus commoratur. Non, inquam, ieiunamus præſente Domino; quia ipſe ait: Numquid poſſunt filij Sponſi ieiunare, quamdiu cum illis eſt Sponſus? Hæc cuncta Beatus dixit Ambroſius. Cuius dicta quomodò ſint accipienda, non ſolùm nouimus nos, quorum eſt Patronus, ſed omnis etiam penè noſcit Mundus. Verumtamen hæc nunc tantummodò meminiſſe veſtræ Charitati ſufficiat. Cæterùm, ſi vixerimus, hac de re, Chriſto auxiliante, plus dicemus. Poſt hæc autem Plebem dimiſit, & ad Sancti Ambroſij Corpus cauſa orandi perrexit. Quidam enim illicò currentes ad Eccleſiam Maiorem, vbi iam Ciuitas erat omnis congregata, retulere hæc omnia. His itaque auditis, Sacerdotum filij, cæteriquè quamplurimi deteſtandi viri, accepta occaſione diu præſtolata, cœpere inſanire, ac dicere: Modò apertè patet, hunc, qui tam ſanctum opus damnat, eſſe hæreticum, Deiquè inimicum. Et his dictis leuauerunt pariter voces & fuſtes: omniquè Plebe commota, in Eccleſiam Beati Viri, quæ* CANONICA *nuncupabatur, cum magno impetu irruunt: quicquid inueniunt, diripiunt: domumquè deſtruere incipiunt. Seruum verò Dei ideò non interfecere, quia non inuenere. Hæc vt nobilis Herlembaldus cæteriquè fideles audiere; ſumptis armis in audacem Plebem & temerariam irruere. Quos protinus ſic exterminauere omnes, quaſi eſſent viliſſimæ pecudes. Immò cum virtute magna & poteſtate ad Eccleſiam Maiorem venientes, violenter ab impijs abſtulere quicquid de Domo Domini rapuerant. Et ſic Eccleſiæ Dei penè cuncta ſunt reddita, operante Chriſto per zelum piorum, quæ ab ea fuerant rapta, operante Satana per furorem impiorum.*

XXVIII. Hactenus Beatus Andreas de triduano Rogationum per hæc tempora ieiunio, deque Sancti Arialdi ſuper eo ſententia & ad Populum Concione, necnon etiam de Concionis euentu. Tunc autem Annus Chriſti agebatur circiter Sexageſimus-ſecundus ſupra Milleſimum; ſicut ex iis etiam colligi poteſt, quæ nos Numero 269. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis enarrauimus. Itaque tunc etiam Litaniæ Triduanæ Maioribus noſtris ita iam in vſu erant, vt ex re vera Mediolani vetuſtiores eſſent, quàm earum ieiunium; ac propterea illud Arialdo diſpliceret hoc titulo; quia contra antiquorum dicta Sanctorum nouiter eſſet peragi vſitatum,

vſitatum. De nouo igitur illud eo tempore vſitari incœperat: neque hoc ab Arialdi aduerſariis negabatur. Tota igitur quæſtio eſſe poterat, vtrùm tale per eos dies Paſchales ieiunium re vera Sanctorum Patrum pronunciatis aduerſaretur, ac propterea illicitum eſſet, nec vlla præcipi ratione poſſet. Cui quidem quæſtioni nos iam ſupra Num. 22. Bellarminum ſectati reſpondimus negatiuè. Atqui non ita ſentiebat Arialdus; qui propterea ſeſe neoterico illi vſui tantopere opponebat. Itaque meo etiam iudicio parùm fideliter & parùm aptè ad eius mentem ſe geſsit alter ille Auctor, qui Vitam ipſius aliquantò preſsiùs poſtea deſcribens aſſeruit (ſi tamen ipſe hoc aſſeruit; & non potiùs amanuenſis, qui eam deinde Vitam exſcripſerit) triduanum eiuſmodi ieiunium Arialdo viſum fuiſſe, non Eccleſiaſtica quidem inſtitutione, ſed bona tamen conſuetudine roboratum. Etenim ne hoc quidem Arialdus admittebat, nec ad huius probationem argumenta ille ſua congerebat; vti perſpicuum iam eſt ex ipſius Beati Andreæ narratione, quæ maiorem ſibi fidem meritiſsimè depoſcit. A B

XXIX. Sed Auctoris etiam illius verba, quæ pariter typis necdùm euulgata fuerunt, hic recitemus. *Inter Clericos* (aiebat) *Mediolanenſes eo tempore altercatio erat, numquid triduanum ieiunium Rogationum, quod eſt circa Aſcenſionem Domini, foret ab Eccleſia inſtitutum. Vnde Beatus Arialdus quadam vice prædicatione reſerauit, id non Eccleſiaſtica inſtitutione, ſed bona conſuetudine* (ſecundùm Arialdi ſententiam hic ego legendum arbitror *ſed noua conſuetudine*: idquè congruenter ad Beati etiam ſenſum Andreæ, quocum hic ipſe Auctor in reliquis omnibus conſentit: quinetiam congruenter id ipſaſmet querelas, quas propterea æmuli protinùs illi diuulgare cœperunt) *roborari: idquè probauit auctoritate Nicæni Concilij, ac etiam Ambroſij Sermone de Pentecoſte: necnon circumuicinarum Vrbium, id non obſeruantium, more probauit. Quæ cùm dixiſſet; ad Eccleſiam Beati Ambroſij orandi cauſa perrexit. Sed ſubitò æmuli ſui cœperunt diuulgare per Vrbem, Arialdum hæreticum eſſe, eumquè ieiunia blaſphemare. Vnde Sacerdotum filij alijquè innumerabiles concurrunt cum armis ad Eccleſiam Arialdi, quæ tunc* CANONICA *& vſque nunc nuncupatur: quæquè inueniunt, capiunt: domum diruere incipiunt: per angulos domus abſentem Arialdum quærunt, vt occidant. Hæc vt Herlembaldus audiuit; cum Fidelibus ſumptis armis in audacem Plebem irruit, & omnes more pecudum fugauit; inſequenſquè eos manu forti, ab impijs abſtulit quidquid de Domo Domini rapuerant.* Hæc alter item hic Auctor. Eccleſia verò illa, cuius ambo meminerunt, cognomento CANONICA, vbi Arialdus habitabat, abſque dubio ipſa eſt, vbi nunc propè Sancti Bartholomæi Eccleſiam intra Portæ Nouæ fines Seminarium extat Clericorum, Theologiæ Morali operàm nauantium: quæquè non ita pridem longè meliorem in formam reſtaurari cœpta eſt à dilectiſsimo meo Ioanne Petro Greggio, ſeptendecim iam annos Maximi Clericorum hac in Vrbe Seminarij Rectore, ac reliquorum item omnium Præſide ac Moderatore, ſanè quidem per omnia commendatiſsimo, meritiſsimoquè, C D

ac

ac tandem Anno proximo 1653. meritiſsimè ad Sacræ Oblatorum Congregationis & Sancti Sepulchri Præpoſituram euecto. De qua tamen Canonicæ Eccleſia mihi pluribus agendum tunc erit, quando Sacri Humiliatorum Ordinis Monumenta publicæ, vt ſpero, luci bonoquè publico tradam. A

XXX. Quoniam verò (quod ad inſtitutum noſtrum propriè pertinet) Triduanas Litanias, Beato Andrea teſte, videbamus noſtris Mediolanenſibus ita celebrari ſolitas, vt ipſarum ieiunium tunc verè dici poſſet NOVITER PERAGI VSITATVM; inueſtigemus, obſecro, ſi qua fortè nouitatis huius cauſa in Annos aptè anteriores inciderit. Quid ſi autem illa fortè fuit, quam ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 238. 239. & 240. Annoquè Chriſti Milleſimo trigeſimo-ſeptimo proſequebar? B Tunc vtique Conradus Imperator, aduersùs Aribertum (alis Heribertum) Archiepiſcopum noſtrum implacabiliter iratus, omni ope Mediolanum obſidebat, oppugnabat, gladio & igne omnia in eius circuitu conſumebat: & hæc præſertim è Dominicæ Aſcenſionis die vſque ad proximam Pentecoſtem: quo temporis interuallo Rogationes eiuſmodi ſecundùm Eccleſiæ Mediolanenſis conſuetudinem celebrari ſolent. Tunc etiam ipſomet Pentecoſtes die Sanctus Ambroſius noſter minaci ac terribili aſpectu patronus è Cælo apparuit, & è magna cæli ſerenitate ſubitò erumpentibus tonitruis ac fulminibus multos interfecit, aliquos hebetauit, atque Imperatorem ipſum à cœptis deſiſtere coegit, & re infecta in Sueuiam abire. Tunc denique idem poſtea Imperator iureiurando adegit omnes Regni ſui Primates, vt intra proximum Annum ad vaſtandum redirent Mediolanum. C Quid, ſi tunc ergo noſtri viciſsim Mediolanenſes, tot calamitatibus & periculis circumuenti, ſtato tempore Rogationes quidem ſuas de more celebrarunt; ſed eo inſuper addito ieiunio, quale nobis à Beato Andrea è Sancti Arialdi ore deſcribebatur? Quid, ſi tunc etiam tam feliciter & euidenter è Cælo vota ſua per eas Supplicationes conſecuti: ac præterea ſibi talia in poſterum mala è proximo metuentes, publico edicto ſanciuerunt, vt eædem Rogationes vnà cum eiuſmodi ieiunio perenniter in poſterum quotannis peragerentur? Hæc nempè cauſa mihi ſola in mentem venit, quæ proximiùs Annum illum Sexageſimum-ſecundum, à Beato Andrea indicatum, anteceſſerit. D Quocirca in id etiam ego libenter conſenſerim, vt Anno illo ſuperiore trigeſimo-ſeptimo noſtri Mediolanenſes Triduanis Rogationibus ieiunium inſuper adiecerint. In id ipſum ergo Monumenta illic noſtra relegantur; ſed & rei magis dilucidandæ gratia hoc præterea loco pluſculum aliquid recitemus è noſtrate Rerum Mediolanenſium Scriptore, Arnulpho, quem ibi quoque producebam teſtem.

XXXI. Arnulphus, ei tempori coæuus, & Libro Hiſtoriæ ſuæ Secundo deſcribens ea, quæ videndo ipſe cognouiſſet, ſicut in eiuſdem Libri principio præfatus eſt, Aribertum Archiepiſcopum noſtrum proximè dixerat dolo captum, & Aquileienſi Patriarchæ traditum in cuſtodiam eſſe à

Conrado

Conrado Imperatore. Tum verò ſic etiam proſecutus eſt Capite 7. *Ecce Mediolanenſis attonita inhorruit Ciuitas, proprio viduata Paſtore dolens ac gemens, à puero vſque ad ſenem. O quæ Domino preces, quantæ ſunduntur & lachrymæ! Cumquè proclamarent aſſiduè Clerus ac Populus atque Miles; facta eſt de abſolutione conuentio, datis obſidibus Auguſto. Quibus receptis, nihilominùs tenuit Heribertum, tractans perpetuo illum damnare exilio. Quinetiam tres alios vna die comprehendit Epiſcopos, Vercellenſem, Placentinum, & Cremonenſem. Præterea Beatus Ambroſius, Eccleſiæ ſuæ precibus exoratus, promeruit à Domino ſuum liberare Vicarium, ignorantibus cunctis, & ipſo Cæſare. Ecce veſpertinus Vrbis fletus ſubitò conuerſus eſt in matutinam lætitiam. Videns autem Conradus ſe deluſum; ſuum ac Reipublicæ palàm Heribertum denunciat inimicum. Igitur exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt cuncta ſuæ poteſtatis Regna concurrerent Mediolanum impugnandum. Factum eſt autem, vt omnis Italia, vniuerſa Germania, conuenirent ſimiliter ab angulo vſque ad angulum. Ac primo quidem impetu quoddam firmum aggreditur Municipium, nomine Landrianum: quod impugnans, in modico demolitur. Vnde vel inde applicuit Mediolanum, tertio ab Vrbe milliario fixis tentorijs caſtrametatus. Mediolanenſes autem, prompti reſiſtere, quæque proxima Ciuitati muniunt loca: è quibus electi iuuenes, armis compti, bellis edocti, volantes equis, proludunt telis, Cæſarianis inſultando militibus, & circumeuntes caſtra clypeo minantur & haſta, proximos quoſque cædentes. Cumquè per dies aliquot hæc exercerent præludia; factum eſt in die Sancto Dominicæ Aſcenſionis; Cæſariani omnes ſuo cum Cæſare Caſtris erumpunt; Theutones in dextro, Itali in ſiniſtro bella cientes. Ciuibus verò occurrentibus ex aduerſo, ingrauatum eſt vndique bellum, diuerſis in diuerſa pugnantibus. In prima fronte nobilis quidam Theutonicus ſtatura procerus, & Guido Italicus Marchio Signifer regius, inter media tela confoſſi ſunt. Quibus cadentibus, multiſquè aliis in proprio cruore iacentibus, paulatim belli tepeſcit ardor. Demùm Cæſariani, collecto agmine, ad caſtra tranſmigrant: Vrbani quoque, relictis caſtris, propria tecta requirunt. Igitur recedens ab Vrbe Cæſar iubet, cuncta in circuitu propè longequè vaſtari loca. Cùmquè flammis vniuerſa conſumeret; crebris fulminum ictibus & grandinea tempeſtate correptus* (& id quidem ipſamet Pentecoſtes die factum eſt, vt alij Scriptores diſertiſsimè teſtati ſunt) *à cœpto deſiſtens receſsit mœrens. Quinetiam Bertaldus Regius à Secretis, cuius cuncta fiebant conſilio, inſanæ mox mentis efficitur. De quo cùm Rex leniri debuerat, magis intumuit: in tantum, vt Heribertum adiudicaret dignitate propria priuandum. Stabilita igitur deliberatione, Præſulatum tradidit Ambroſio, Mediolanenſis Eccleſiæ Cardinali Presbytero, ſuoquè Cappellano, etſi videntibus, non tamen volentibus Epiſcopis. Quo Heribertus audito, de Rege ſimiliter tractauit honore priuando. Secreta igitur Legatione ſuggerit Oddoni, potenti Francorum Comiti, vt ſe fauente accipiat Regnum Italiæ &c.* Et paulò pòſt: *De cætero Imperator, annuam Mediolani vaſtationem vniuerſos Regni Primates iurare præcipiens, obſtinato animo repatriauit in Sueuiam, æger pedibus, & cunctis debilis artubus.* Et hæc ſatis ex Arnulpho pro pleniori eorum cognitione, quæ Mediolani geſta ſunt

Anno

Anno illo Milleſimo trigeſimo-ſeptimo, quo Triduanis hac in Vrbe A
Rogationibus adiectum fuiſſe ieiunium coniectabamus: & id auctore
præſertim Ariberto Archiepiſcopo; vt nunc tandem ſuperaddimus. Et-
enim Sanctus Arialdus (quemadmodùm iam ſupra obſeruauimus) re
quidem vera diſtinguebat inter Sacras Rogationum Proceſsiones ac ie-
iunium; illiſquè admiſsis, hoc ſolum, tamquàm diſſentaneum tempori
paſchali Eccleſiæquè Catholicæ vſui, deteſtabatur; tametſi talem diſtin-
ctionem Arnulphus poſtea diſsimularit; quò faciliùs inuidiam conflaret
Arialdo, cui erat infenſiſsimus; cùm ex aduerſo Sacerdotibus vxoratis,
& Simoniacis addictiſsimus eſſet. Libro namque tertio, Capite 13.
ſic ille ſcriptum reliquit: *Interea Arialdus inter plures alias, quas Eccleſiæ
induxerat, nouitates, Litanias illas, quas Ambroſiani poſt Aſcenſionem Domini-* B
*cam antiquitùs deuotiſsimè celebrabant, ſuis prædicationibus prædicabat Audito-
ribus execrandas. Vnde, ipſo inſtante triduo, diſsidentibus inter ſe turbis,
factus eſt in Vrbe conflictus: in quo, Deo operante, eſt fugatus & victus, cæſis,
ſuis, & interfectis aliquibus.* Qua de re maior eſt adhibenda fides Beato
Andreæ, quem ſupra in teſtimonium adducebamus. Sin autem alterum
pariter audire placet Arialdi hoſtem; audiamus ſanè Landulphum illum
Seniorem, quem Capite 39. Num. 13. aliquatenùs indicabam. Ille ſi-
quidem Libro 3. Capite *De morte Arialdi*, ſic inquit: *At Arialdus, cùm
inter Paſchalia ſolemnia Eccleſia Mediolanenſium Litanias deuotè celebraret, præ-
dicando & cum Clericis rixando, nullum ieiunium in iſtis diebus, Sancto aſſe-
rente Ambroſio, fieri debere, & carnem & vinum legaliter ijs tribus diebus* C
*poſſe comedere, firmabat. Quibus per Ciuitatem auditis, atque dictis Litanijs
interruptis, prælium magnum à partibus adorſum eſt.* In eo tamen manifeſtè
fallitur, quod paulò pòſt adiecit: *Vtinam Orationem, quæ in Portis noſtræ
legitur Ciuitatis omni coram Populo, à Sancto ordinatam Ambroſio & ſcriptam,
totius Eccleſiæ firmamentum, intelligeremus.* Atque in hunc etiam profectò
locum ea docti cuiuſdam Viri (&, vt ego arbitror, Caroli à Baſilica
Petri, Nouarienſis demùm Epiſcopi) congruit obſeruatio marginalis, quæ
iuxta titulum ſecundi eo Libro primo Capitis conſcripta eſt in vno è duo-
bus Capituli Metropolitani Codicibus pergamenis, quibus Landulphi
eiuſdem Senioris Hiſtoriæ continentur. Titulus eius Capitis hic eſt:
Expoſitio Ordinum Sancti Ambroſij, edita à ſanctæ memoriæ Datio, Epiſcopo D
Mediolanenſi. Obſeruatio autem illa his concepta eſt verbis: *Quòd hic
Auctor varios ritus, varia Clericorum genera Eccleſiæ Mediolanenſis, Sancto
Ambroſio omnia tribuit; parcat Lector homini non ſatis erudito; & eorum an-
tiquitatem omninò cognoſcat ſupra Auctoris ætatem.* Hoc ipſum igitur nos
etiam cognoſcamus par eſt in Oratione illa, quam Landulphus innue-
bat, quæquè ſine dubio illa eſt, quam egomet ipſe ad verbum recitabam
ſuperiori Numero 9. Similiter autem ne Ciuibus quidem credamus noſ-
tris; ſi fortè ita reſponderunt, quemadmodùm à Triſtano Chalco affir-
matum fuit, & his verbis: *Inſtante Litaniarum tempore, quibus maxima
cum celebritate circuire omnes Vrbis fines ſolemus; Arialdus interceſſit. Ina-*

nem eſſe ritum dictitat, nulla Christi vel Diſcipulorum inſtitutione traditum, ab antiquis tantùm Idolorum cultoribus vſurpatum, qui veri ambire agros in honorem Bacchi Cererisquè ſolebant (qua tamen in re Chalcus procul à vero Arialdi ſenſu aberrabat, ſicut ex ipſius Concione, in ſuperioribus recitata, manifeſtum iam eſt) *Contra Ciues, vetus inſtitutum, & ex Diui Ambroſij cærimonijs receptum morem retenturos ſe oſtendebant.* Sanè quidem, ne nos id credamus, vel eo ipſo moueri debemus ieiunio, quod eiſdem Litaniis adnexum erat, quodquè Ambroſij tempore non admittebatur intra ſpatium, quod à Dominicæ Reſurrectionis Paſchate vſque ad Vigiliam Pentecoſtes intercederet; quemadmodùm Arialdus etiam ipſe ſua in Concione argumentabatur. A

XXXII. Quonam verò præciſè tempore Rogationes ipſæ primùm apud nos inſtitutæ fuerint, quouè præſertim auctore: de hoc ego ne coniectare quidem ad extremum auſim. Etenim quæ de Sancto Lazaro iam ante dicebantur, mihi ſatis probari non poſſunt, vti iam explicatum eſt: ex altera verò parte me fateor idoneis indiciis adhuc omninò deſtitutum. Tempus aliquod & aliquam occaſionem optarem, qua primùm Rogationes illæ Vrbi noſtræ ſingulariter & euidenter ad præcipuum ſcopum, ea Oratione *Mæſtorum refugium Deus* explicatum, proficuæ fuerint: ipſaquè vtilitatis eius euidentia poſteros etiam, in eamdem ſpem excitatos, illexerint ad annuam ſui frequentiam: indequè rurſus nouam eis ſpem fecerint aliorum bonorum, ac nominatim etiam frugum. Tale autem profectò tempus, taliſquè occaſio fuit illa quidem, quam ego nuper Conrado Imperatore deſcribebam; ſed non illa, quæ ſuperiùs petebatur ex Attilæ irruptione in Italiam; qua quidem occaſione Ciuitatem ille noſtram euertit. B C

XXXIII. Finem igitur hac de re ſcribendi facturus, vulgarem illam quorumdam opinionem obiter refellam, quæ Cæſari quoque placuit Franciotto, cuius alioqui Librorum Spiritualium lectio mihi ſemper iucundiſsima fuit. Sexta enim Parte, in ſuis ad Rogationes Obſeruationibus, contendens Triduanis nullum adſtipulari præceptum ieiunandi, de noſtris quidem ita cenſet: *Neanco la Città e Dioceſe di Milano digiuna in quei trè giorni, perche ſia precetto alcuno di ciò; mà per ſodisfare à quei pochi giorni di digiuno Quadrageſimale; che laſciano nel principio della Quareſima, cominciandola (per loro vſo antico) dalla prima Domenica di eſſa.* Sed profectò nullam eiuſmodi cauſam & compenſationem triduano Rogationum ſuarum ieiunio Mediolanenſis Eccleſia vnquàm obtendit; ſicut etiam è prædictis intelligi datur. Quemadmodùm enim ſecundùm ſermonis proprietatem ieiunium Quadrageſimale triginta-ſex tantùm conſtabat ieiunii diebus: eaquè computabatur eſſe decima dierum cuiuſque anni ac propterea etiam ætatis noſtræ pars, quæ quotannis per nos Conditori noſtro Deo perſolueretur, vt optimè probauit Bellarminus Libro 2. De bonis Operibus in particulari, Cap. 16. ſic etiam Eccleſia Mediolanenſis ieiunium poſtea ſuum Quadrageſimale non vltra eos dies qualitercumque proten- D

dere

dere vnquàm intendit. Ambroſij tamen tempore Mediolanenſis Eccleſia A
non ieiunabat Sabbato, vt benè docuerat idem pariter Bellarminus eodem Libro 2. Cap. 15. & rurſus poſtea docuit Capite 18. Quamobrem tunc opus erat, vt Quadrageſimam inciperent per vnam hebdomadam prius, quàm nunc incipiamus. Et hæc fortaſsè cauſa fuit, cur ante Sancti Caroli Pontificatum non abſtinerent à carnibus in Prima Quadrageſimæ Dominica. Fortè ſiquidem neque tunc abſtinebant in Prima, quando ſeptenis hebdomadis Quadrageſimale ſuum ieiunium includebant; quia nempè tunc temporis non ieiunarent Sabbato.

XXXIV. Cæterùm Attila ille, Flagellum Dei, ſiue Dei peccatores flagellantis adminiſter impius, mox & ipſe viciſsim à Deo flagellandus, Anno illo Sæculi Quinti quinquageſimo-ſecundo, quo Mediolanum deſtruxit, B inter alia nominatim deſtruxiſſe traditur Arcum Romanum, & Eccleſiam Maiorem: illum, de quo nos iam ſcripſimus Capite 37. Num. 9. & aliquot ſequentibus: hanc, de qua nos Capite 47. Num. 4. & Cap. 53. Num. 6. & 8. Inde Gualuaneus Flamma in Chronico Maiori (ſecundùm exemplar in Ambroſiana Bibliotheca cuſtoditum) Cap. 175. ſic etiam de Porta Romana ſcribebat: *Ex oppoſito iſtius Portæ deforis fuit Arcus longus per duo milliaria: qui deſtructus fuit per Attilam. Et tunc factus eſt Arcus ſuper quatuor pilas, vbi fuit Turris altiſsima nimis.* Et poſtea Capite 420. *Ipſo Anno Quadringenteſimo quinquageſimo &c. Beatus Lazarus factus eſt Archiepiſcopus Mediolanenſis* (qua de re nos iam ſatis in hoc ipſo Capite diſſeruimus) *& ſedit Annis vndecim. Iſto tempore Ciuitas noſtra Mediolanenſis* C *deſtructa iacebat. Et dicit Chronica Bonuexini, quòd deſtructa fuit Anno Chriſti Quadringenteſimo quinquageſimo. Chronica Gothofredi de Buſſero, dicit, quòd fuit deſtructa Anno Chriſti Quadringenteſimo ſexageſimo. Alia Chronica dicit, quòd Attila Rex deſtruxit Eccleſiam Maiorem Beatæ Virginis Anno Chriſti Quadringenteſimo quinquageſimo-ſecundo.*

XXXV. Sed hic etiam de Attila illud, obſecro, lætanter recolamus, quod Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro 3. Annoquè Chriſti 452. commemorabat his verbis: *Cùm Mediolanum ingreſſus eſſet Attila; vidit in pariete pictos Romanos Imperatores, aureis ſolijs ſedentes; & Scythas captiuos, ſeruili habitu ad pedes eorum iacentes. Qua imagine offenſus Attila, quòd ex Scytharum genere ipſe eſſet, ſtatim pictorem accerſiri iuſſit; à quo ſe ſuperiùs* D *in throno depingi iuſſit, & Romanos Imperatores infra ad pedes ſuos inclinatos, & geſtantes humeris ſaccos plenos, ex quibus panem & aurum effundebant.* Hæc ibi Chalcus, quæ alii quoque vetuſtiores Scriptores Monimentis ſuis conſignarunt: ac nominatim Suidas, & ex ipſo Erycus Puteanus Hiſtoriæ Inſubricæ Libro 1. in Commentario pag. 53. Num. 11. Accipe verò nunc, qualis etiamnùm Attilani eius facti imago cuſtodiatur in Ambroſiano Vrbis huius Monaſterio. In eo ſiquidem quatuor aſſeruantur eburneæ tabellæ, mihi quàm optimè inſpectæ manibuſquè contrectatæ, in quarum duabus eadem prorsùs hiſtoria ſic eſt inſculpta, vt ſupernè Rex ipſe pro maieſtate ſedeat; infernè verò vnus hinc, alter inde,

Aaa 2 ſaccum

ſaccum quiſque ſuum, pecuniis plenum, è ſuis humeris ad eius pedes A
proni euacuent. Ex iis verò quatuor tabellis, hinc inde binis diuerſimodè cælatis, vetus conſtabat operimentum pretioſiſsimi eius Codicis, quo nunc Ambroſiana Bibliotheca iure merito gloriatur, quemquè ſic etiam recenter in fronte inſcripſit: FLAVII IOSEPHI DE ANTIQVITATE IVDAICA LIBRI. Cui quidem inſcriptioni ſic etiam denique addidit: *Ruffini, Presbyteri Aquileienſis* AVTOGRAPHON ESSE, *communis habet opinio. Eumquè Religioſiſsimi Patres Cænobij Sancti Ambroſij Mediolani Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Cardinali Federico Borromæo, Beati Caroli patrueli, & Bibliothecæ necnon Scholæ Ambroſianæ Fundatori, humaniſsimè tradiderunt Anno* 1605. *Antonio Olgiato, eiuſdem Bibliothecæ, quam primus omnium tractauit, Præfecto.* Hunc ipſum verò Codicem Conradus etiam B
Geſnerus (damnati nominis Auctor, ſed in Libris alioqui verſatiſsimus) in ſua indicauit Bibliotheca, typis edita Tigurinis Anno 1583. Verbo enim *Ruffinus, Monachus, & Aquileienſis Eccleſiæ Presbyter*, inter alia eius Opera litteraria hoc item connumerabat: *Ioſephum conuertit in Latinum. Cuius* ORIGINALIS *eſt Mediolani, in Sancti Ambroſij Fano, Longobardis characteribus carioſiſsimis.* Sed eo præterea mirabilis eſt ille Codex, quòd in charta conſcriptus eſt velut inſtar telæ contexta ex oblongis & interioribus corticum arborearum pelliculis. Quid, ſi verò fortaſsè Mediolanum ille allatus fuit ex Aquileia Vrbe (vbi Præsbyteratum ſuum Ruffinus olim exercuerat) ex ea, inquam, Vrbe tunc temporis, quando ea per Attilam euerſa fuit? Quid, ſi præterea tali operimento illo ebur- C
neo inſutus fuit velut in Attilæ trophæum, & in Romanorum Imperatorum ludibrium, quale videlicet noſtra in Vrbe pingendum Attila ipſe victor curauerat?

XXXVI. Hic ego tandem iam ſiſto: & ſcribendo quidem non minùs feſſus, quàm ſi Triduanas noſtri Ritus Ambroſiani Litanias ieiunus & tardigradus (ſed animo tamen alacri) celebraſſem. Miſeret me verò Lectoris etiam mei beneuoli; eumquè propterea obſecro, vt vnà mecum reſumendis viribus ad opportunum tempus conquieſcat.

CAPVT LXV.

D

Nonnullæ Sanctorum Protaſij & Geruaſij Reliquiæ, rogatu Sancti Seuerini Abbatis, ad Noricos mittuntur.

I. HOrum Sanctorum Reliquias quaſdam eſſe ad Noricos vſque allatas, Baronius nobis Capite 44. Num. 4. teſtabatur è Sancti Abbatis Seuerini, Noricorum Apoſtoli, Vita: quam Eugippius, eius contemporaneus, conſcripſit: quamquè poſtea Surius recitauit octaua Ianuarii die, Tomo Primo. Idem verò Baronius in eamdem diem ſuis ad Martyrologium Romanum Annotationibus

notationibus Seuerinum ipſum cenſuit obiiſſe temporibus Odoacri Regis, circa Annum Domini Quadringenteſimum octuageſimum-ſecundum. Sed nobis Eugippium etiam ipſum conſulere præſtat. A

II. Sic ergo Vitam ille ordiebatur: *Tempore, quo Attila, Rex Hunnorum, defunctus eſt, in vtraque Pannonia, cæteriſquè confinijs Danubij, res turbabantur ambiguæ: ac primùm inter filios eius de obtinendo Regno magna ſunt exorta certamina: qui morbo iniquæ dominationis inflati, materiam ſui ſceleris accepere Patris interitum*. Attila verò Rex obiit Anno Quadringenteſimo quinquageſimo-quarto: protinuſquè filii eius inter ſe de ſucceſsione in Regnum decertarunt; vt benè Baronius item ad eum Annum. Sequitur Eugippius: *Quibus diebus Sanctiſsimus Dei famulus, Seuerinus, de partibus Orientis in Pannoniam veniens, morabatur in Oppido, quod Caſturis dicitur: vbi ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam viuens, omni pietate præditus, in confeſsione Catholicæ Fidei venerabile propoſitum ſanctis operibus adimplebat* &c. B

III. De Sanctis Martyribus Protaſio & Geruaſio, Mediolani per Sanctum Ambroſium inuentis, perquè frequentia miracula in omnem poſteritatem celeberrimis, audierat Seuerinus: &, vt aliquid ex ipſorum Reliquiis obtineret, Nuncium miſerat: ad Vrbem videlicet, vt interpretari fas eſt, Mediolanum: è qua, velut aquam ex ipſomet fonte puriorem, ſic etiam fideliores ipſe Reliquias acciperet. Hinc igitur Eugippius, Vitam Seuerini aliquantùm ſcribendo proſecutus: *Dum hæc agerentur; Nuncius Sancti Viri, quem pro deferendis Reliquijs Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij direxerat, eius ſe conſpectibus præſentauit. At ille, condigno honore ſuſcipiens allata munuſcula, in quadam Baſilica collocauit officio Sacerdotum. Quo videlicet in loco plurimorum Martyrum congregauit Reliquias. Quas tamen ſemper, præeunte reuelatione, emeruit accipere: ſciens, Aduerſarium ſæpè ſub nomine ſanctitatis ſubrepere*. C

IV. Atqui ne Seuerinus quidem viciſsim apud Mediolanenſes celebri ſanctitatis fama carebat. Itaque poſt alia multa rursùm Eugippius: *Poſt hæc leproſus quidam Mediolanenſis Territorij ad Sanctum Seuerinum, fama eius inuitante, peruenit. Quem, ſanitatis remedia ſuppliciter implorantem, Monachis ſuis indicto ieiunio commendauit. Et continuò, Dei gratia operante, mundatus eſt homo, & gratias egit Deo*. Cui quidem nos quoque debitas in omnia temporis momenta gratias vtinam ex toto ſemper animo agamus. D

CAPVT

CAPVT LXVI. A

Sanctus Ennodius, Ticinenſis Epiſcopus, Sanctos Nazarium Martyrem, Archiepiſcopos item noſtros, Ambroſium, Venerium, Marolum, Glycerium, & Lazarum, Carminibus celebrat.

I. QVæ de Sanctis Archiepiſcopis hiſce noſtris à me poterant, è
Sancto Ennodio deprompta, ſuis inſeri Capitibus præceden-
tibus: hæc ego, maioris commodi gratia, in præſens con-
traxi Caput, quod ex ordine temporis vni Sancto Nazario
noſtro debebatur. Ennodius enim, quadraginta octo non B
amplius annos natus, occubuit Anno Domini Quingenteſimo vigeſimo-
primo; ſicut in eius Vita obſeruauit eruditiſsimus è Societate Ieſu Iaco-
bus Sirmundus; qui ſimul eiuſdem Opera, doctiſsimis à ſe Notis illu-
ſtrata, in publicum typis Pariſienſibus edidit Anno 1611. & hac qui-
dem ipſa nos vtemur editione. Sicut autem doctiſsimus pariter & ami-
ciſsimus meus Hieronymus Boſsius obſeruauit in ſuis Epiſcoporum San-
ctæ Ticinenſis Eccleſiæ Diptychis, Ennodius Eccleſiam illam vltra de-
cennium non rexit.

II. De Sancto igitur Nazario Ennodius Hymnum cecinit, qui cæteris eius Hymnis nonus connumeratur, & eſt huiuſmodi:

Anguſta vitæ tempora, C
Paruis coacta terminis,
Mors ſancta donat creſcere,
Aeterna fines præparat.
De fruge caſuum venit,
Quo ſurgat humanum genus:
In ſtirpe Nazarius bona
De morte lumen addidit.
NERONE FELIX PRINCIPE
Diuerſa perpeſſus mala,
Luſtrauit Orbem non graui
Pauore cordis algidus; D
Sed vt profanis inderet
Quo calle conſcendat Polos,
Verus magiſter actibus
Exempla, non verbis, dedit.
Nam Ductor ille fortis eſt,
Qui bella viribus docet.
Quem dicta militem trahunt,
Si Dux gerendis abſtinet?
Ventoſa linguæ hortatio,
Quod forma præſtat, non habet.

Sed

Sed magna poſtquàm ſemina, A
Scribente terram ſarculo
Glebis refudit optimis,
Mediolanum mox petit,
In qua triumpho nobili
Carnis ruinam reppulit.
Qui cade (aliter *ſede*) *non digna iacens*
Vatem tremendus mox monet;
Vt clara rursùs munera
Mundo refuſus adderet.

III. Hactenùs Ennodij habemus Hymnum. Ecce nunc Sirmundi Notas. Ab eius inſcriptione ac titulo exorſus, *De Sancto Nazario* (inquit) *Martyre Mediolanenſi. De qua extat Sermo Sancti Ambroſij* (nobis quippe in hoc etiam conſentit Sapientiſsimus hic Auctor, ſicut & ij, quos Capite 50. Num. 2. & 3. recenſebamus) *multa ijs, quæ hoc Hymno ſcribuntur, ſimillima continens. Sed quòd Nerone imperante paſſus dicitur Sanctus Nazarius; id poſt Ambroſij mortem compertum eſt; quia ſuo tempore ignoratum adhuc fuiſſe, auctor eſt Paulinus Presbyter in Vita Sancti Ambroſij:* cuius vtique verba iam ego ſupra recitaui Capite 48. Num. 1. Fortè verò Ennodius hoc ipſum compererat ex Anteceſſorum ſuorum Syri & Iuuentii Epiſcoporum Actis: quorum teſtimonio, hac de re luculentiſsimo, nos quoque vtebamur Capite 20. Num. 2. Sequitur Sirmundus: & ad eas Ennodij voces, *Vatem monet*, progreſſus, ſic addit: *Ambroſium Epiſcopum: qui, vt Paulinus idem narrat, inuentas in horto Sancti Nazarij Reliquias tranſtulit in Baſilicam Apoſtolorum. Qua de re Ambroſij ipſius Verſus leguntur in Monumentis Chriſtianis* (à Iano nimirùm Grutero collectis) *quos titulum appoſuit:* B C

---*Condidit Ambroſius Templum* &c. Cuiuſmodi quidem Verſus ego Capite 37. Num. 8. in medium proferebam. Certè autem congruenter ad veritatem Sirmundus eo loco Ambroſium nomine Vatis intellexit; ſicut & inter primores Notas ad primum Librum Carminum nomine Vatis Epiſcopum intellexerat, ſic inſuper docens: *Familiare eſt Ennodio Vatem ponere pro Epiſcopo: vt Vatis Cypriani, Ambroſij, Laurentij, Euſtorgij Vatis, paſsim. Sic in Epitaphio ipſius Ennodij, item Petri Epiſcopi Ticinenſis;* D

Hic Vates Domini, mundo quia corpore vixit;
Admixtus gaudet cœtibus Angelicis.

Cæterùm ſi quis hoc tandem loco me interroget, quam ob cauſam Nazarius ab Ennodio dictus fuerit Ambroſium *tremendus* monuiſſe, quando videlicet ei reuelatum eſt, vbinam Corpus Nazarij lateret (quod enim tunc diuinitùs factum eſt, hoc etiam ego non illibenter Nazarij miniſterio adſcripſerim) per me quidem aliis hæc diuinatio reſeruetur; niſi fortè cenſendus ille ſit Ambroſium monuiſſe, non Ambroſio tremendus ipſi, ſed Dæmonibus. Me verò fatebor etiam nonnihil hæſitaſſe aliquando, num ex Ennodij ſententia tunc Nazarius monuerit Ambro-

ſium,

ſium, an potiùs Ceratium illum, de quo diximus Capite 19. Num. 2. & 3. ipſaque particula etiam illa *mox* aliquantùm ſuadebat; & præſertim, ſi *cæde non digna* legendum eſſet in Carmine præcedenti. Sed facilè præualuit *Vatis* appellatio, quam non viderem quemadmodùm Ennodius Ceratio illi accommodare potuiſſet. A

IV. Ad Carmina me nunc recipio, quibus Archiepiſcopos etiam illos noſtros ab Ennodio fuiſſe celebratos præfabar: eaquè lubentiùs hic recito, quia è prædicta Sirmundi editione proferentur emendatiora, quam ſint in Libro *Succeſſores Sancti Barnabæ* inſcripto, typiſquè impreſſo Mediolanenſibus Anno Domini 1628. Inter Epigrammata verò ſua Ennodius continuata ſerie laudauit eos omnes Archiepiſcopos, qui poſt Sanctum Dionyſium hanc Mediolani Eccleſiam rexerunt vſque ad Laurentium, cognomento Littam, eius temporis, quo ipſe ſcribebat, Archiepiſcopum. Fuerunt autem numero duodecim. Sed ego Carmina tantùm illa ſeligam, quæ propriè pertinent ad proprios huius Operis Archiepiſcopos, & de quibus propterea cæteroqui dictum iam eſt. B

V. Primus eorum eſt Sanctus Ambroſius. De quo quidem Hymnum item alibi cecinit Ennodius, & huiuſmodi:

Cælo ferunt Ambroſium
Nomen, honor, vel actio.
Nil debet hic facundiæ,
Dos omnis eſt à moribus.
Fortis iuuantem non cupit, C
Vmbone munitus ſuo.
In carne carnis nil agit
Regina mens in corpore.
Confregit omne lubricum.
Sic vixit ille non ſibi,
Sed totus auctori Deo.
Adiectus hinc Apoſtolis,
Reduxit expulſam Fidem:
Dixit triumphos Martyrum
Linguæ virentis laureis.
Hic ore prædam ſuſtulit D
De fauce Serpentis feri.
Qui bella Chriſti militat,
Nudus timetur enſibus.
Viuit ſepultus & iuuat,
Clauum tenens Eccleſiæ.
Iuſtina vires perdidit,
Dat pœna Vati præmium.
Sedis memento Lux tuæ,
Exorna Sancte poſteros,
Auctore fultus nobili,

Ne

Ne dux ſereni culminis
In nube tectus horreat.
Qui Paſtor eſt Antiſtitum,
Quod fucat, omne ſubmouet:
Gregem gubernat Principum,
Magiſter eſt docentium. A

VI. Ad hæc verò eidem Ambroſio concinit Epigramma ſubſequens, ac numero ſeptuageſimum-ſeptimum.

Egit, quod docuit, meritis & honore ſuperſtes
Ambroſius Vates moribus, ingenio.
Roſcida regifico cui fulſit murice lingua
Vere ſuo pingens germina, quæ voluit. B
Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtinctum gemmis ore parabat opus.
Inſtituit populos geſtu, probitate, pudore:
Fouit reſpiciens, perculit, admonuit.
Vocis vt officium poſtrema pericula poſcunt,
Sic teneras culpas qui tacet, inſequitur.
Succinctus gladijs, clypei de pondere tutus,
Pectora claudebat textilibus chalybis.
Enſis habet vires, vitiorum ſector & hoſtis:
Vipera non tangit ſquamea terga viri.

VII. Ambroſio ſucceſſit Simplicianus, Simpliciano Venerius. Hinc Ennodius C Epigrammate 79. *De Beato Venerio, ſequente.*

Forma pudicitiæ iuuenis ſectanda Veneri
Venit, nominibus nil famulata ſuis.
Fortia marcebant vetulo ſub iudice membra,
Aetas præſentem perdiderat puerum.
Sublimis poſtquàm conſcendit fulcra Cathedræ,
Cana tener populis dogmata diſſeruit.
Aurea fluxerunt locupletis ſchemata linguæ,
Sol vitæ nitidum reddidit eloquium.
Aluus vt Eccleſiæ tumuiſſet ſemine verbi,
Non deerat paſtus lactis Apoſtolici. D

Hic autem ſummoperè placet, quòd Sirmundus in Notis ea ſecundi verſus verba *nominibus nil famulata ſuis*, ita interpretetur: *Quia pudicus erat; cùm Venerius vocaretur.*

VIII. Sequitur Ennodij Epigramma 80. *De Venerabilis Maroli ſucceſſione:*

Marolus, extremæ potator Tigridis oræ,
Qui iubar in madidis viderat hoſpitijs.
Quem labor in proprio Syriæ ſolidauerat axe,
Orditur Vatem dotibus innumeris.
Peruigil, intentus, ieiunus, prouidus, ardens:
Quod morem tenuit, ſat fuit officio.

Os tenerum quotiens geſtus contingit honeſti, A
Tranſit ad effectum quod fuit imperij.
Terra potens olim patribus fundata beatis,
Nobilibus Mundum partubus irradiat.

Ecce verò, quemadmodum hic ex Ennodio condiſcamus, Marolum natione fuiſſe Syrum.

IX. Martinianus Marolo & Glycerio interiectus fuit. De Glycerio propterea Ennodius Epigrammate 82.

Suffuſus minio, perquè optima facta rubeſcens,
Virginei vultus Glycerius ſequitur.
Puram ſanguineo maculat dum rore figuram,
Picta genas facies ſimpliciter placuit. B
Candentem crocea geſtans aſpergine frontem,
Læta verecundis tinxerat ora notis.
Indeptus ſceptrum, tribuit quod teſtis imago,
Purpura quem mentis prodidit imperio.
Hunc habet & Populus paruo vix tempore felix.
Sed rurſus Magni miſſus ad obſequium.

X. Denique verò etiam de Sancto Lazaro Antiſtite ſic Ennodius cecinit Epigrammate 83.

Lazarus vt diri premeret pede culmina Mundi,
Vocibus accitus trux venit in medium.
Quem frons læta parùm vitijs depinxerat hoſtem, C
Multantem culpas luminibus tacitis.
Reſpiciens lapſus deterſit nubila vitæ:
Curam ſæpè dedit vulneris obſequio.
Non latuit, tectis facinus qui fecit in antris,
Abſens criminibus tortor vbique fuit.
Innocuis placida vernabat luce ſerenus;
Ceu ſpeculum noxis iniiciens faciem.

XI. Talia verò de hiſce noſtris Archiepiſcopis (ſicut & proximè de Sanctis, Euſebio, Gerontio, Benigno, Senatore, Theodoro) ſcribebat Ennodius quo tempore Archiepiſcopalem hanc Sedem obtinebat Laurentius, vt dicebam, cognomento Litta. Quamobrem de ipſo poſt eam ſeriem Archiepiſcoporum verſiculum tantummodò appoſuit hunc ipſum Num. 89. D *Reſtat, quem longo ſeruet Rex Indytus æuo.* Itaque Sirmundus etiam in Notis ad hunc verſiculum ſic inquit: *Laurentius Epiſcopus adhuc ſuperſtes, cùm hæc ſcriberet Ennodius.* Vitam ergo illi à Deo diuturnam precatus eſt. Alia tamen multa Ennodius de ipſo ſcripta reliquit: quæ in vnum collecta legi commodè poſſunt in eiuſdem Laurentii Vita: quam ego typis Anno ſuperiori 1653. impreſſam, & meritiſſimo mihiquè beneficentiſſimo eius hoc tempore Succeſſori Alfonſo Littæ nuncupatam, euulgaui: & qua ſubſequentis item Capitis argumentum, non minùs copioſè tractatum, continetur.

CAPVT LXVII.

A

An Baſilica Nazariana hoc tempore paſſa fuerit incendium atrox; è quo tamen protinùs reſtaurata fuerit ab Archiepiſcopo noſtro Laurentio.

I. CItra dubium Laurentius hic noſter quandam Mediolani Baſilicam, incendio labefactatam, reſtaurauit; vt paulò pòſt è nono Ennodij Epigrammate conſtabit. Sed an ea fuerit Apoſtolorum & Nazariana: hoc non ita certum eſt. Timere profectò me coegit Andreas Schottus, è Societate Ieſu Sacerdos, eruditione ſingulari celeberrimus. Hic itidem Anno Domini 1611. Opera Ennodij, à ſe variis in locis emendata Notiſquè illuſtrata, typis edidit Tornacenſibus, ac litteratiſsimo ei Litterarum & Litteratorum Parenti, Federico Cardinali Borromæo, Archiepiſcopo noſtro, nuncupauit. In Sirmundi porrò editione, poſt Epigramma octauum ſequitur alterum ſic inſcriptum: *Item in Baſilica Sanctorum; quia arſerant ædificia, quæ priùs ibi fuerant; & ſic facta eſt.* Hic autem dubium mihi nullum eſt, quin ſermo ſit de aliqua Vrbis noſtræ Baſilica, quam incendio vaſtatam idem Archiepiſcopus noſter Laurentius meliorem in ſtatum redegerit. Schottus enimuerò in Indice Opuſculorum ipſius Ennodij, enumerans Epigrammata, tali ei, quod ego mox innuebam, Epigrammati titulum hunc adſcripſit expreſsiorem: *In Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum; quia arſerant ædificia, quæ priùs ibi fuerant.* Hinc igitur ſuſpicari me coegit, eam re vera eſſe Apoſtolorum Baſilicam, in qua Nazarius quieſcebat; cùm interim non aliam eius cognomenti Baſilicam cognoſcamus, quæ Mediolani per hæc tempora extaret. B C

II. Quòd ſi fortè nec Schottus nec ego fallimur; eo ſaltem conſolari nos poſſumus, quòd eadem illa Sanctorum Apoſtolorum Baſilica lucrum fecerit è detrimento, & meliorem in ſtatum redacta ſit ab Archiepiſcopo illo noſtro Laurentio. Sic enim Epigramma illud ſe habet:

Vilia tecta priùs facibus ceſſere beatis.
Sic ſplendor per damna venit: ſic culmina flammis
Conſurgunt, habitura Deum. Si perdita creſcunt D
Ignibus innocuis: ſi dant diſpendia cultum;
Qualis erit reparans crepitantibus aucta ruinis?
LAVRENTI, *tua bella gerens, incendia vince.*
Sordida marcenti latuiſſet terra receſſu,
Si ſtatus faciem tenuiſſent antra vetuſta.
Sed poſtquàm ſuperi flammas miſere ſecundas,
Ad lumen cineres traxerunt iſta colendum.
Huc oculos conuerte pios, qui cuncta vapore
Prædicis mundanda, Pater, rebuſquè docendos
Inſtrue, ne verbis titubet mens neſcia recti.

CAPVT LXVIII. A

An Sanctus Ennodius, vel potiùs Sanctus Symmachus Papa Primus, aliquid è Sancti Nazarij noſtri Reliquijs ad Africanos miſerit Epiſcopos.

I. Qvemadmodùm & quales Martyris noſtri Nazarij Reliquias
recenter ab eius cæde acceperit Eccleſia Ticinenſis per San-
ctum Iuuentium, à Sancto Syro ex ea Vrbe huc miſſum:
ſatis hæc ego iam narraui Capite 20. Num. 5. & 6. Fortaſsè
verò aliquas item alias ab ipſomet Sancto Ambroſio acce-
pit, poſteaquàm illius Corpus ab ipſo inuentum eſt. Certè quidem ali- B
quas poſtea Ennodius, vti iam diximus, Ticinenſis demùm Epiſcopus,
ad Africanos Epiſcopos tranſmiſiſſe videtur. Hinc Baronius, à nobis
Capite 49. in confirmationem aliarum eiuſmodi translationum iam pro-
ductus, in ſuis ad Martyrologium Notationibus, die 28. Iulij ſic etiam
obſeruabat: *Miſit Nazarij reliquias ad Epiſcopos Africanos, eas expoſcentes,
Ennodius Ticinenſis: cuius ad eoſdem extat Epiſtola.*

II. Hæc ipſa verò Epiſtola in editione Iacobi Sirmundi eſt Libri Secundi de-
cima-quarta, & *Afris* inſcripta. *Quod tamen* (ſic enim ad ipſos ſcribebat)
*directis ad filium noſtrum H. Diaconum litteris ſperaſtis, Beatorum Martyrum
Nazarij & Romani benedictionem poſcentes, fidelibus non negamus. Accipite
veneranda patrocinia inuictorum Militum: & quia veſtram iam fidem in præ-* C
*lijs Imperator agnouit; feliciter confeſſionis munera conſummate. Dabit Deus,
cùm ipſi placuerit, reducem Eccleſijs quietem; vt mærorem, quem indixit ad-
uerſitas, pacis dulcedine conſoletur.*

III. Quinam verò illi eſſent Epiſcopi, & quinam H. ille Diaconus, Sirmun-
dum ipſum audiamus. *Afris* (interpretatur) *exulibus Epiſcopis Africæ, quos
Traſamundus Rex Vandalorum Fidei cauſa in Sardiniam relegarat, numero
ducentos viginti. His quotidiana ſubſidia miniſtrare ſolitum Symmachum Pa-
pam, auctor eſt Paulus Diaconus Hiſtoriæ Miſcellæ Libro* 15. *Nunc illos hac
Epiſtola conſolatur, & ſacras Martyrum Reliquias mittit, quas poſtularant.
Scripta enim eſt ab Ennodio quidem, ſed pro Symmacho: cuius etiam nomine
inter alias eius Epiſtolas legitur in antiquis Collectionibus. H. Diaconum, Hor-* D
*miſdam opinor: qui Diaconus erat Eccleſiæ Romanæ. Qui de Ennodio interpre-
tantur, vt cætera omittam, à monogrammo diſcedunt.* Hæc Sirmundus.
Quocum de Africanis quidem illis Epiſcopis conſentit etiam Andreas
Schottus. Cùm enim eam Epiſtolam in ſecundo Epiſtolarum Libro de-
cimam-octauam collocaſſet; è regione illius inſcriptionis, AFRIS, in
ora marginali Cardinalem produxit Baronium Tomo Sexto Annalium,
ad Annum Chriſti 504. tametſi per errorem ibi Typographus impreſ-
ſerit Annum 304.

IV. Eamdem porrò Epiſtolam Tomo Secundo Conciliorum, Anno 1606. à
Seuerino Binio editorum, videre licet inter Symmachi Papæ Primi
Epiſtolas

Epiſtolas hoc titulo conſignatam : *Epiſtola octaua Symmachi, vel ſaltem ipſius nomine ab Ennodio Diacono ſcripta, ad Epiſcopos Confeſſores*. Ibidem A verò è regione ipſius tituli ſic habetur in ora marginali : *Extat apud Ennodium pagina* 318. Quinetiam in eiuſdem contextu Epiſtolæ ibidem ſic legitur : *Quod autem directis ad filium noſtrum H. Ennodium Diaconum litteris* &c. Quam tamen lectionem Sirmundus, vt mox vidimus, improbabat.

V. Quoniam igitur Epiſtola hæc verè vel à Symmacho Papa, vel ipſius nomine ab Ennodio, ſcripta fuit (vt Baronius etiam fatetur ad Annum 504. Num. 41.) propterea etiam ſacræ illæ Martyrum Nazarij & Romani Reliquiæ ab eodem Symmacho, vel ipſius nomine ab Ennodio, miſſæ ſunt; nec aliunde quidem, quàm ex Vrbe Roma. Quocirca tales B etiam illas Sancti Nazarij Reliquias, ego ſanè crediderim, non Nazarij fuiſſe noſtri, qui ne Miles quidem fuit; ſed illius, quem poſtea Capite 75. videbimus Romæ paſſum, vereque Militem fuiſſe, Martyrologij etiam Romani teſtimonio.

VI. Quòd ſi quis à me pariter requirat, quiſnam fuerit alter item ille Martyr ac Miles, nomine Romanus, cuius iidem Reliquiæ ad Epiſcopos illos miſſæ ſunt; ego quidem illum reſponderim non alium fuiſſe, quàm eum, de quo Martyrologium pariter Romanum quinto Idus Auguſti ſic habet: *Romæ Sancti Romani, Militis. Qui in confeſſione Beati Laurentij compunctus, petijt ab eo baptizari: & mox exhibitus, ac fuſtibus cæſus, ad vltimum decollatus eſt.* C

VII. De illa verò ad Epiſcopos Africanos Epiſtola proderit etiam ea inſpexiſſe, quæ recenter ego in Archiepiſcopi Ciuiſque noſtri Sanctiſsimi, Laurentii Littæ, Vita conſcripſi Capite 16. Num. 16. & 23.

CAPVT LXIX.

Sanctorum Nazarij & Celſi ac Protaſij & Geruaſij Reliquiæ, ex Hiſpania in Galliam deportatæ, Pariſijs perhonorificè collocantur in Sancti Vincentij Martyris Eccleſia, recenter à Childeberto Rege constructa. D

I. BAronius, nobis ſuperiore Capite 44. Num. 4. & Cap. 49. Num. 2. productus, Aimoini Libro 2. *De Geſtis Francorum*, Cap. 20. indicabat, Protaſij & Geruaſij ac Nazarii & Celſi Reliquias Pariſiis collocatas fuiſſe. Has vtique ibi collocauit Childebertus Francorum Rex Anno Regni ſui Quadrageſimo-octauo, qui Chriſti Domini fuiſſe computatur Quingenteſimus quinquageſimus-nonus: & ibi collocauit in Eccleſia recenter à ſe in honorem Sancti Vincentij Martyris conſtructa. *Cuius* (ipſemet Rex inquiebat in ſuo Diplomate, per Aimoinum recitato) *Reliquias ex Hiſpania aſportauimus,*

Digitized by Google

aſportauimus, ſeu & Sanctæ Crucis, & Sancti Stephani, & Sancti Ferreoli, & Sancti Iuliani, & Beatiſsimi Sancti Georgij, & Sancti Geruaſij, Protaſij, Nazarij, & Celſi pueri: quorum Reliquiæ illic ſunt conſecratæ. Eædem igitur Sanctorum Martyrum noſtrorum Reliquiæ priùs ex Vrbe noſtra Mediolano fuerant in Hiſpanias allatæ. A

CAPVT LXX.

Sanctorum Protaſij & Geruaſij dies anniuerſarius ob pacem, Romanos inter & Longobardos conciliatam, perpetua inter ſacra Myſteria memoria à Sancto Gregorio Papa Primo conſecratur. B

I. MEntionem huius rei videre licet in primis apud Gulielmum Durandum in Rationali Diuinorum Officiorum Libro 7. Cap. 13. Ibi ſiquidem ſic inquit: *In feſto Sanctorum Geruaſij & Protaſij cantatur ex inſtitutione Gregorij Introitus, Loquetur Dominus pacem in Populo ſuo, ex eo quòd tali die pax inter Romanorum Imperatorem, & Agiſulphum Regem Longobardorum extitit reformata. Quem Regem Theodoſia eius uxor Chriſtianiſsima, cui Gregorius Librum Dialogorum ſcripſit, ad Fidem conuertit. Officia namque Sanctorum partim conueniunt ipſis Sanctis, partim his euentibus, qui in ipſorum euenere* C *diebus.* Hæc ibi Durandus; ſed cum aliquo errore (niſi potiùs typographo imputandus hic eſt) in proprijs eius Regis & Reginæ Longobardorum nominibus.

II. Veriùs hac in parte Carolus Sigonius, Libro Primo Hiſtoriarum de Regno Italiæ, ad Annum Chriſti Sexcenteſimum-tertium: atque nos item hunc Annum dignoſcimus, in quem talia inciderunt. *Pax igitur* (inquit) *per Legatos inuicem miſſos tractata tandem nono Kalendas Iulias* (legendum videtur *tertio-decimo Kalendas Iulias*) *die Sanctorum Geruaſij Protaſijquè conuenit. Itaque Gregorius, ea re lætus, ut in ſolemni eorum Martyrum commemoratione Miſſarum initium ab ipſius pacis commemoratione duceretur, inſtituit. Quod inſtitutum adhuc in Eccleſia* (nempè Romana) *ſanctiſsimè cuſtoditur.* D *Tertio verò Kalendas, in feſto Apoſtolorum, eadem iureiurando utrimquè magna cæremonia confirmata eſt. Quo nuncio erecta Italia, ingenti gaudio exultauit.* Talia Sigonius: & hic quidem proximè dixerat, eidem illi Longobardorum Regi nomen fuiſſe Agilulfum, Reginæ verò Theodelindam. Quocirca etiam minùs aptè idem Rex apud Baronium eodem Anno Sexcenteſimo-tertio Arnulphus appellatur.

III. Tale verò illud Sancti Gregorij Papæ inſtitutum ego quidem huic præterea cauſæ adſcripſerim; quòd ille pacem hanc, de qua tunc temporis hinc inde agitabatur, tantorum Martyrum (quorum vtique anniuerſarius erat ille dies) precibus obnixè commendaſſet; eoquè ipſo die feli-

citer

Digitized by Google

citer obtentam, eorumdem præſertim precibus acceptam referre vellet, eiuſmodiquè inſtituto profiteri. Cæterùm eiuſdem inſtituti mentionem quoque fecit Bartholomæus Gauantus Tomo Secundo Commentariorum in Rubricas Breuiarij Romani, Sectione 7. Cap. 8. ad vndeuigeſimam Iunii diem. A

CAPVT LXXI.

Sanctus Aquilinus, Herbipolenſis, cùm Mediolanum, ad venerandas Sancti Ambroſij Reliquias, veniſſet, Fidemquè Catholicam tutaretur; ab Arianis occiditur, & martyrij laurea inſignis ad Laurentianam Baſilicam ſepelitur. B

I. QVO præcisè tempore Aquilinus ad Vrbem noſtram venerit, & hic martyrio coronatus ſit, multoties ego à multis interrogatus fui; neque tamen adhuc aliquid habeo certi, vel ſaltem probabilis, quod reſpondeam; tanta eſt Scriptorum diſcordia rerumquè obſcuritas, de qua poſtmodùm aliquid dicemus.

II. Lectionem in primis recitare ipſam lubet, qua Mediolanenſis Eccleſia in Matutino huius Sancti Officio vti ſolet ex Anno Chriſti Milleſimo quingenteſimo octuageſimo-ſecundo, quo Breuiarium noſtrum Ambroſianum iuſſu Sancti Cardinalis & Archiepiſcopi Caroli recognitum editumquè C fuit. Ei enim tunc quoque de integro conſita fuit eiuſmodi Lectio, & à Petro quidem Galeſinio contexta. In ſuis enim ad Martyrologium ſuum Notationibus mentioni Martyris huius à ſe factæ quarto Kalendas Februarij ſic adnotabat: *Ex Breuiario, Calendario, cæteriſquè priſcis Monimentis Eccleſiæ Ambroſianæ: è quibus illius Vitam nos exſcripſimus, & ad Breuiarij itidem Ambroſiani vſum accommodauimus.*

III. Ea verò Lectio die vigeſima-nona Ianuarii ſic ad verbum ſe habet: *Aquilinus, Herbipolenſis, claro genere natus, ab infantia pietatis zelo accenſus, æquales ſuos, de Fide impiè ſentientes, mirificè exagitauit. Adoleſcens in Canonicorum, qui cum Epiſcopo Colonienſi viuebant, Collegium cooptatus, paulò pòſt in Patriam rediens, mortuis parentibus, patrimonium omne pauperibus diſtribuit.* D *Reuerſus inde Coloniam, vitæ ſanctitate cùm præluceret; Epiſcopo mortuo, in eius locum omnium conſenſu eligitur. Sed, vt eum honorem ſuſcipere nullo modo cogeretur, Pariſios venit: quam Ciuitatem, ex peſte laborantem, mirabiliter liberauit. Inde in Italiam, Ticinum ac tandem Mediolanum profectus, vt Sancti Ambroſij, quem præcipuè colebat, Reliquias veneraretur; ab Arianis, contra quos pro Fide Catholica dimicationem ſuſceperat, dum ad Baſilicam Ambroſianam orandi cauſa de more accederet, gladio in gutture tranſuerberatus, martyrio coronatur. Eius Corpus, in Eccleſiam Sancti Laurentij à Fidelibus delatum, honorifico ſepulchro reconditum eſt.* Hactenùs ea Lectio.

IV. Quando

Digitized by Google

IV. Quando igitur Aquilinus necatus eſt, ecce nobis Arianam Sectam & perfidiam noſtræ denuò Vrbi reſtitutam, & furenter in Catholicos ſuimetipſius oppugnatores per vulnera & cædes ſæuientem; cùm alioqui eam penitùs hinc eliminaſſet Ambroſius iam ante, quàm ex hac mortali vita migraret; ſicuti Capite 54. Num. 18. iam dictum eſt. Quærendum ergo nobis ante omnia nunc ſupereſt, quandonàm Mediolani Arianiſmus ille non modò ſedem recuperauerit, ſed etiam vſqueadeò vires ſuas in Catholicos exercuerit. Odoacer quidem, Rex Herulorum, ſicut Italia, ſic etiam Mediolano potitus eſt Anno Chriſti 478. Similiter etiam poſtea Theodoricus Amalus, Gotthorum Rex, Anno 490. alijquè deinceps multi Reges, Secta omnes Ariani. Sed ſub eorum tamen dominatu Catholici non ita malè habiti ſunt, vt ipſorum aliquem interim reperiamus ob Religionem ab Arianis necatum. Et hoc nominatim de Theodorico ipſo ab Anno 489. quo Italiam inuaſit, vſque ad Annum 526. quo mortuus eſt, abundè conſtat ex iis, quæ nuper ego in Archiepiſcopi noſtri, Laurentii Littæ, Vita obſeruabam, & præſertim Capite 9. Num. 11. Longobardi poſtea, duce Alboino, ipſorum Rege, Italiam inuaſerunt Anno 568. atque Mediolanum Anno 570. in poteſtatem ſuam redegerunt; multas etiam Eccleſiæ Catholicæ clades Anno 573. intulerunt, eo quòd pars ipſorum eſſent Gentiles, pars Ariani. Sed & poſtea ſeſe ad Fidem Catholicam conuerterunt Anno 591. Cumquè rursùm Anno 626. in Arianiſmum recidiſſent; eorum poſtea Rex Grimoaldus Anno 663. factus eſt Catholicus; quinetiam ipſimet Ambroſio, Arianorum oppugnatori acerrimo, Baſilicam erexit. Ioannes tamen Epiſcopus Bergomenſis Anno 683. ab Arianis, quos ad veram Fidem redigere conabatur, occiſus eſt. Cæterùm Anno poſtea 703. Cunipertus Rex obiit Catholicus: *quæ laus* (aiebat Sigonius) *ſuperiorum Regum paucißimis contigit*. Sic etiam Luitprandus Rex, præclaro Patris ac ſuperiorum Regum exemplo Catholicam Fidem Anno 712. amplexus eſt: eamdemquè ſic etiam poſteriores Longobardorum Reges conſtanter retinuerunt vſque ad Deſiderium, qui poſtremus eorum fuit: & in quo tandem per Carolum Magnum, Francorum Regem, deuicto & in captiuitatem abducto Italicum Longobardorum Regnum extinctum fuit, & ad Francos translatum Anno Domini 774. Quibus de rebus per me quidem conſulantur Carolus Sigonius in Hiſtoriis de Regno Italiæ, ac Baronius in Annalibus. Ex ipſis enim, vel ex alterutro ſaltem ipſorum, quantum ſatis eſt ad præſens inſtitutum, ſingulæ rerum iſtarum conſtabunt. Ego quidem hinc ſummatim hoc ſaltem collegerim: Aquilinum Mediolani necatum eſſe, nec ante Annum Chriſti Quingenteſimum ſeptuageſimum, neque poſt Septingenteſimum: quinetiam ne ſpatio quidem interiecto necatum eſſe per ea tempora, quibus iidem Longobardorum Reges Catholicam Fidem profiterentur. Nunc Scriptorum hac de re varietatem inſpiciamus.

V. Aquilini Cadauer ad Eccleſiam quidem Sancti Laurentii delatum eſt, ſicut

in

in extremo ſuperioris Lectionis recitabamus ; atqui non in ea ſepultum A
eſt, ſed in altera ei contigua , eademque antiquiſsima : quæ olim *Cappellæ Reginæ, Sanctique Geneſij Eccleſia* (quippe cui ab initio nuncupata fuit) appellabatur, nunc eiuſdem Sancti Aquilini appellationem communiter habet. In hac igitur Eccleſia, ſiue in vna ex eius Cappellis ſepultum fuit: in ea nempe, cuius concauo parieti etiamnum cernuntur opere perantiquo appicta per varias tabellas eius geſta; & pleraque iam tandem ſic æuo abſumpta, vt vix appareant ; vtque Ioſepho cuidam Milano hanc præſertim ob cauſam gratias agi oporteat, quòd illa, ſupraquàm in ſuperiori narretur Lectione, recenſuerit in Aquilini Vita, quam Italicè conſcriptam typis edidit Anno Domini 1606. tametſi parùm prouidus non indicauit, vndenam illa deprompſiſſet. Eſt autem B
Cappella in latere introeuntibus dextero proxima Cappellæ maximæ, in quam denique translatum inde fuit Aquilini Corpus, & in marmoreo ſimul & candido ſepulchro, ibidem nunc extante, collocatum. Nunc ergo propè huiuſmodi ſepulchrum binæ hinc inde pendent è pariete Tabellæ, typis Anno 1621. impreſsæ, quibus Aquilini Vita ſummatim ſic enarratur, vt iam tum Mille ducenti & ampliùs Anni afferantur ex eo excurriſſe tempore, quo Aquilinus martyrio affectus fuit. Quo quidem ſuppoſito, necatus ille fuiſſet ante Annum Domini Quadringenteſimum vigeſimum-primum; ante quem tamen Annum Ariana Secta Mediolani ab obitu Sancti Ambroſij non vigebat. Milanus ille porrò Aquilinum exiſtimauit natum Anno Domini 584. Sed hæc eius opinio refellitur à C
Gabriele Pennotto in Officiis propriis Sanctorum, per Canonicos Regulares Lateranenſes recitandis: hoc eſt, in quinta Notatione, ſiue ad Aquilini Vitam, in Matutinas Lectiones à ſe diſtributam: & hac refellitur ratione. *Nam primus, qui Franconibus Chriſti Euangelium annuncians, eius Ciuitatis, alio nomine Virtzburg nuncupatæ, primus Epiſcopus fuit ordinatus, fuit Sanctus Chilianus, natione Scotus, ex Sigeberto in Chronico ſub Anno 685. & Auctore Vitæ eiuſdem Sancti Chiliani apud Surium Tomo Quarto, ad diem octauum Iulij, Petro Equilino in Catalogo, Libro 6. Cap. 167. Molano in Additionibus ad Vſuardum, die octauo Iulij, & alijs : quos idem Auctor Vitæ Sancti Aquilini (*ſiue Milanus*) ſequi videtur Capite 3. Verùm Sanctus Chilianus non ante Annum Sexcenteſimum octuageſimum-quintum cœpit illis genti-* D
bus Chriſti Euangelium prædicare, ex eodem Auctore Vitæ Sancti Chiliani apud Surium; quatenùs ait, Chilianum, priuſquàm munus illud apoſtolicum inchoaret, à Conone Romano Pontifice fuiſſe ordinatum. Quem Cononem non ante Annum Sexcenteſimum octuageſimum-ſextum in Sede Papali conſediſſe notat Baronius Tomo Octauo, ſub illo Anno. Hactenùs Pennotti ratiocinatio : quæ mihi tamen non ſatisfacit. Antequàm enim Franconia & Herbipolis ad Euangelicam Fidem concionibus Sancti Chiliani conuerterentur, nihil repugnat, quin Aquilinus adhuc adoleſcens à ſuis parentibus mitti potuerit Coloniam Agrippinam, quæ Catholicam Fidem procul dubiò ante Mediolanenſem Ambroſij Pontificatum ſuſceperat, & vſque ad

Sancti Chiliani tempora iugiter conſeruarat, ſicut ex eius Vrbis Archiepiſcoporum Catalogo, per Claudium Robertum conſito Galliæ Chriſtianæ, ſatis conſtat: nihilquè ſic etiam repugnat, quin Aquilinus ibidem Chriſtiana tunc Myſteria condiſcere ac profiteri potuerit. Idem porrò Claudius inter eos Archiepiſcopos, quorum notitiam in tempora priora expiſcari potuerit, quartum enumerat Sanctum Aquilinum, vel Solinum: quintum verò Simoneum, vel Simoenum: ac ſexto loco Ebregiſilum, qui circa Quingenteſimum nonageſimum Chriſti Annum ei Eccleſiæ præfuerit. Quid, ſi fortè Sanctus ille Aquilinus fuit vnus idemquè cum noſtro? Quid, ſi Catalogo illi adſcriptus fuit ad eum modum, quo Sanctus Bernardus, Abbas Claræuallenſis, noſtrorum item Archiepiſcoporum Tabulæ, Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſitæ, ineſt Octuageſimus-tertius? quia videlicet ad eam dignitatem communi omnium conſenſu electus fuiſſet; tametſi eam ipſe poſtea repudiarit. Quomodocumque tamen hoc ſe habeat; ego certè ne illud quidem admitto, quod ſubinde mox Pennottus illic addebat in hæc verba: *Fortè recens Auctor huius Vitæ* (Milanus) *codicem mendoſum offendit: & pro Anno Quingenteſimo octuageſimo-quarto reponendus Annus Septingenteſimus octuageſimus-quartus*. Etenim ne hic quidem mihi Annus reponi poſſe videtur. Sicut enim Longobardorum Reges iamdiu ſeſe ad Fidem Catholicam conuerterant; ſic etiam è Regno ſuo Arianiſmum iamdiu exterminaſſe credendi ſunt. Præterea verò etiam Carolus Magnus, Chriſtianiſsimus ille Rex, & Catholicæ Fidei Sediſquè Apoſtolicæ Defenſor acerrimus, Deſiderio Longobardorum Rege poſtremo in captiuitatem abducto, Regnum Italiæ iam obtinebat ab Anno Domini Septingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, vt ex Hiſtoricis compertum eſt, & vt ſupra nos quoque dicebamus. Quocirca multò minùs tam ipſe, quàm Chriſtianiſsimi Reges ipſius Succeſſores Arianiſmum in ſuo Italiæ Regno, ac nominatim Mediolani, permittere deinceps voluiſſe cenſendi ſunt. Quoniam verò Theodoricus etiam ille Gothorum Rex, vt ſupra dictum eſt, Catholicos benè habuit, quamdiu in Italia regnauit; propterea ego tandem ne Philippo quidem Ferrario aſſentior, in Catalogo Sanctorum Italiæ ad Aquilini Vitam ſic adnotanti: *Quo tempore Sanctus Aquilinus vixerit, & Martyr occubuerit, ex hiſtoria eiuſdem minimè apparet. Coniectura eſt, illum ſub Theodorico Rege, Arianorum Patrono, paſſum eſſe*. Cæterùm eiuſdem Aquilini mentionem facit etiam Romanum Martyrologium, & ibidem Baronius in Annotationibus: nec ego vlteriorem de ipſo ſermonem in præſenti proſequor; quippequi plura reſeruem deſtinatis à me Baſilicæ noſtræ Laurentianæ Monumentis.

CAPVT.

CAPVT LXXII. A

Sancti Manſuetus & Benedictus, Archiepiſcopi Mediolanenſes, in Ambroſiana Baſilica ſepeliuntur.

I. A Propria cuiuſque horum Antiſtitum exordiar Lectione Matutina, in Ambroſiano Breuiario noſtro diſpoſita: & pauculis ad vtramque adnotatis, me protinus hinc expediam; tametſi eorum (ſicut etiam Stabilij & Leti, ætate poſteriorum) mentionem vix attigerim Num. 27. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis.

II. Sic igitur primi Lectio ſe ſe habet ſecundo Septembris die: *Manſuetus, Romanus, precipuè claruit in Sexta Synodo Conſtantinopolitana, cui interfuit ſequè ſubſcripſit. Habuit verò etiam ipſe Mediolani Prouincialium ſuorum Epiſcoporum Conuentum, Catholicæ Fidei defendendæ cauſa: in quo quidem Conuentu, præter cæteras actiones, ſcripta fuit Epiſtola illa plena ſinceræ & ſanctæ eruditionis, ad Conſtantinum Imperatorem, huius nominis Quartum: qua Epiſtola Monothelitarum Hæreticorum errores arguebantur. Sanctè conſtanterquè adminiſtrata Eccleſia moriens, in Baſilica Ambroſiana ſepultus eſt magno Populi concurſu: eiuſquè Reliquiæ ibi reuerenter & piè ſemper celebratæ fuerunt.* B

III. Sine dubio autem Manſuetus Mediolani habuit Epiſcoporum ſuorum Prouincialium Conuentum: & hunc monitu Agathonis Papæ contra Monothelitas Hæreticos habuit Anno Chriſti Sexcenteſimo ſeptuageſimo-nono. Eius tamen ſola extat adhuc Epiſtola Synodalis, adiici ſolita Sextæ Synodo Generali Conſtantinopolitanæ, atque ſic etiam inſcripta: *Domino Sereniſſimo atque Tranquilliſſimo, & à Deo Coronato, Religioſiſſimo Conſtantino Imperatori, Manſuetus, Mediolanenſis Metropolitanæ Eccleſiæ indignus Epiſcopus, vel vniuerſa ſancta Epiſcoporum fraternitas, quæ in hac Magna Regia Vrbe conuenit, æternam in Domino Salutem.* Protinuſquè ſic etiam Epiſtola ipſa incipit: *Apicem Imperialis faſtigij* &c. C

IV. Eiuſmodi tamen Epiſtolam Paulus Diaconus Libro Sexto Hiſtoriæ Longobardorum, Cap. 4. ſecundùm editionem Lugduni Batauorum Anno 1617. factam, ſecundùm anteriores autem Capite 2. aſſeruit à Damiano Epiſcopo Papienſi compoſitam. Sic enim narrabat: *Eo tempore Damianus, Ticinenſis Epiſcopus, ſub nomine Manſueti, Mediolanenſis Archiepiſcopi, hac de cauſa* (Monothelitarum) *ſatis vtilem rectaquè Fidei Epiſtolam compoſuit, quæ in præfata Synodo* (Conſtantinopolitana, Sextaquè Oecumenica) *non mediocre ſuffragium tulit.* Vt autem benè fuit à Hieronymo Boſſio in Diptychis Epiſcoporum Ticinenſium ad Annum 680. & à Ferdinando Vghello, Italiæ Sacræ Tomo Primo, in Catalogo Papienſium Epiſcoporum, Num. 32. obſeruatum, Damianus eo tempore nondùm erat Epiſcopus Papienſis; ſed ſolummodò Presbyter. Ipſe ſiquidem nonniſi Anaſtaſio in Epiſcopatum ſucceſsit. Anaſtaſius autem ſubſequenti etiam Anno ſuperſtes adhuc erat, quando Concilium Romanum aduersùs D

eoſdem Monothelitas celebratum fuit; eiquè propterea & affuit; & ſemetipſum tertio poſt Manſuetum noſtrum loco ſubſcripſit. Quòd enim poſtrema denique illic ſubſcriptionum Epiſcopalium ſic ſe habet in editione Conciliorum item à Seuerino Binio elaborata Coloniæ Agrippinæ Anno 1606. quòd ea, inquam, ſubſcriptio poſtrema ſic ſe habet: *Magnus, Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Papienſis* &c. manifeſtus eſt error typographicus; & pro *Papienſis* legendum eſt *Pupilienſis*; ſicut etiam Græcè Latineque legitur Tomo Tertio Conciliorum Generalium, Græcè ſimul & Latinè impreſſorum Romæ Anno 1612. videlicet in eiuſdem Sextæ Synodi Conſtantinopolitanæ Actione Quarta, vbi ea Papæ Agathonis & Concilij Romani Epiſtola recitatur. Atque hinc corrigendus eſt etiam Baronius in Notis ad Martyrologium duodecima die Aprilis; ſicut optimè item fuit ab eodem Vghello animaduerſum ſuperioris Catalogi Numero 30. Sed hinc ad Damianum, tunc Presbyterum, reuertamur: curſimquè Lectorem præmoneamus, ne fortè contrariam in partem ſibi fauere putet eumdem Paulum Diaconum, quia Libro 5. Capite 38. eiuſdem Damiani mentionem iam feciſſet his verbis: *Erat autem eo tempore Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus Vir Domini Damianus, ſanctitate præcipuus, liberalibus artibus ſufficienter inſtructus. Qui cùm Alahim Palatium* (ſiue Regiam, Papiæ conſtructam) *inuaſiſſe conſpiceret; ne quid ipſe vel Eccleſia ſua aduerſi ab eo pateretur, Thomam Diaconum ſuum, ſapientem ſcilicet & religioſum Virum, ad eum miſit; per quem eidem Alahi benedictionem Sanctæ ſuæ Eccleſiæ tranſmiſit.* Verè profectò Paulus hæc ibi iam ſcripſerat; ſed ea narrans, quæ Alahis ille, Dux Tridentinus, poſt Partharithi Longobardorum Regis obitum, contra Chunibertum eius filium & in Regno ſucceſſorem, perfidè ac per nefas egiſſet; quæquè propterea egiſſet Anno Domini Sexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, ſicut etiam luculenter ad eum Annum dignoſcitur è Sigonij Libro Secundo *De Regno Italiæ*; quo quidem Anno Damianus, vt ego quoque vltrò fateor, Eccleſiam regebat Papienſem, Anaſtaſio iam defuncto ſubſtitutus.

V. Manſuetus enimuerò noſter poſt Concilium Prouinciale Mediolani à ſe celebratum Anno Chriſti Sexcenteſimò ſeptuageſimo-nono, & poſt eam Epiſtolam ſuo & Concilij nomine conſcriptam, verno poſtea ſubſequentis Anni tempore in Vrbe Roma fuit: ibiquè Concilio item affuit, per Agathonem Papam contra eoſdem Monothelitas congregato: ſic etiam ipſius Epiſtolæ *(quæ fuit velut Inſtructio Legatorum, qui miſſi ſunt ad celebrandam Sextam Synodum Conſtantinopolitanam)* ſubſcripſit, & in hunc quidem modum: *Manſuetus, Dei gratia Epiſcopus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, in hanc Suggeſtionem, quam pro Apoſtolica noſtra Fide vnanimiter conſtruximus, ſimiliter ſubſcripſi.*

VI. Cæterùm Sexta quoque Synodus Conſtantinopolitana eodem Anno Chriſti octuageſimo ſupra Sexcenteſimum inchoata eſt die ſeptimo Nouembris; Anno autem ſubſequenti, ac decimo-ſexto Septembris die abſoluta. Eamdem verò legi etiam vniuerſam; neque tamen vſpiàm ex ipſa, vel aliunde,

aliunde, innotuit, Archiepiſcopum noſtrum Manſuetum interfuiſſe illi, ſequè ſubſcripſiſſe; cùm alioqui nomina Epiſcoporum, qui affuerunt, identidem inter Synodi Actiones commemorentur; cumquè ſubſcriptiones eorum ad verbum recitentur Actione decima-ſeptima, & decima-octaua ſimul & poſtrema. Illud ipſum tamen etiam in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula (quam confecit Galeſinius) Actis Eccleſiæ Mediolanenſis aggeſta, diſertè affirmatur Numero 43. & ſic etiam in Catalogo *Succeſſores Sancti Barnabæ*, Numero 42. indequè mihi quinetiam contexta videtur ea Lectio. Atqui ſuſpicio mihi pariter eſt, errorem vtrobique ſubeſſe, atque hunc inde arreptum; quòd, inſpecta Synodi eius Conſtantinopolitanæ Actione Quarta, in qua ſubſcriptionem illam Manſueti videbant, hanc ipſam, non ei Epiſtolæ Synodali (cui re vera debebatur) ſed ipſimet Synodo Conſtantinopolitanæ perperàm adiudicarint. Quid, quòd etiam Galeſinius ipſe (nedùm Auctor eius Catalogi) mihi ſuſpicionem hanc confirmat? In Martyrologio enim, vndeuigeſima Februarii die (qua verè obiiſſe traditur) ſic inquit: *Mediolani, Sancti Manſueti Epiſcopi: cuius cùm in omni actione eluxit pietas, tum in Synodo Oecumenica Sexta Conſtantinopolitana, cui interfuit*. Deinde verò in Annotationibus: *Synodus Sexta Oecumenica* (vbinam verò, niſi Actione illa Quarta, qua Synodalis ea Concilij Romani Epiſtola continetur?) *Boſsius, & Monimenta Eccleſiæ Mediolanenſis*. Boſsius porrò (videlicet in Chronico) tantùm aſſerit, Manſueti Epiſtolam ſcriptam fuiſſe Conſtantinopolim *ad Synodum:* quod aliquantò excuſabilius eſt; licet aptiùs & veriùs dixiſſet *ad Conſtantinum Imperatorem*. Monimentorum verò illorum nomine mihi quidem Galeſinius non aliud videtur indicare voluiſſe, quam ſuam illam noſtrorum Archiepiſcoporum Tabulam, de qua mox loquebamur. Philippus profectò Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die pariter Februarij vndeuigeſima, diſertiſsimè Manſuetum negat Conſtantinopolitano ei Concilio affuiſſe. Quamquàm etiam ne ipſe quidem in eo nobis placet; quod eumdem innuit binas Conſtantinopolim tranſmiſiſſe Litteras, vnam ad Synodum, alteram ad Imperatorem; niſi fortè pro prima intelligit eam, quæ nomine Concilij Romani ſcripta fuit; cui vtique Manſuetus etiam ſubſcripſit. Hæc autem cùm ita ſe habeant; ego quidem Lectionem illam ita potiùs exordirer: *Manſuetus, Romanus, præcipuè claruit in Romana Synodo, aduersùs Monothelitas per Agathonem Papam congregata: cui interfuit, ſequè ſubſcripſit*. Nunc ab eius initio deſcendamus ad extremam periodum.

VII. Pro ea nempe, quam ſupra recitabamus, cùm denique Breuiarium noſtrum Anno 1649. recuderetur, ſubſtituta fuit hæc altera: *Sanctè conſtanterquè adminiſtrata Eccleſia, moriens, in Baſilica Ambroſiana ſepultus eſt magno Populi concurſu. Sacræ ipſius Reliquiæ hodie in Baſilica Sancti Stephani Maioris pia veneratione coluntur*. Verumtamen hæc ipſa mutatio (notiſſima mihi certiſsimaquè loquor) non ideò facta eſt, quia ſacræ Manſueti Reliquiæ iam tandem ſoli adiudicentur Baſilicæ Stephanienſi, &

non

non item Ambroſianæ; ſed vt peculiaris innueretur cultus, qui eas iugiter in Stephanienſi ſubſecutus ex eo eſt tempore, quo ſolemniter, vnà cum aliis multis Sanctorum Reliquiis, per Federicum Cardinalem Archiepiſcopum, perquè Comprouinciales Epiſcopos ad Synodum conuocatos, Anno 1609. tranſlatæ, ibidemquè honorificentiùs collocatæ fuerunt. A

VIII. Cæterùm, quo præciſè tempore Manſuetus Eccleſiæ Mediolanenſis regimen ſuſceperit, & quo tandem moriens deſeruerit, eiquè ſucceſſerit Sanctus Benedictus, de quo mox ſupereſt vt dicamus: ego quidem in præſenti non ſatis hæc exploratè noui. Satis ergo interim ſit, quod communiter traditum inuenio: Manſuetum videlicet eam rexiſſe per nouennium, intra quod fuerunt etiam Anni ſeptuageſimus-nonus & octuageſimus Chriſti Domini ſupra Sexcenteſimum, ſicut iam pro comperto habemus: Benedictum verò ipſi proximè ſuffectum eſſe, necnon etiam vſque ad Annum regiminis ſui, quadrageſimum-ſeptimum perſeueraſſe. Quòd ſi fortè hunc ab Anno illo Chriſti Sexcenteſimo octuageſimo computari placeat; dicemus, perſeueraſſe ad Annum circiter eiuſdem Chriſti Septingenteſimum vigeſimum-ſeptimum. B

IX. Maiorem, quàm volueramus, prolixitatem nobis extorſit neceſsitas proelucidanda Manſueti Lectione. Nunc eam Benedicti Lectio, non vſqueadeò noſtræ opis indiga, compenſabit. Hæc autem ſexto Septembris die eſt huiuſmodi: *Benedictus, Epiſcopus Mediolanenſis, magna cum omnium admiratione, coniunctam habuit animi conſtantiam prudentiamquè rerum gerendarum cum bonarum Artium ſtudijs, quibus mirificè deditus fuit. Is, poſtquam diu Rem Eccleſiaſticam ſtrenuè adminiſtraſſet, incidit in ea tempora, vt Eccleſiæ ſuæ cauſam, tum litterarum auctoritate, tum animi conſtantia, defendere neceſſe haberet. Inde fama ingens eſt ſequuta Dei Seruum, non per Italiam modo, ſed apud exteras quoque gentes. Dictauit ſcripſitquè nonnulla: & Monaſterium intra Portam Nouam condidit, cui nomen è ſuo fecit. Demum, cùm ſeptem & quadraginta annos ſediſſet, inuicto ſemper animo miraculiſquè etiam clarus; quieuit in Domino; & in Baſilica Ambroſiana ſepultus fuit.* C

X. Inter ea verò nonnulla, quæ Benedictus hic noſter dictaſſe ſcripſiſſequè commemorabatur, non aliud mihi adhuc innotuit, quàm Epitaphium illud Ceadual, Regis Angloſaxonum: qui Romam profectus Anno Domini Sexcenteſimo octuageſimo-nono, & è Gentiliſmo ad Catholicam conuerſus Chriſti Fidem, intra diem inde octauum ibidem obiit, & in Baſilica Principis Apoſtolorum ſepultus eſt. A Benedicto enim Archiepiſcopo noſtro Epitaphium illud compoſitum fuiſſe, iam tandem ſupponitur pro comperto. Quocirca etiam in Catalogo *Succeſſores Sancti Barnabæ*, Num. 43. ſiue in eodem Benedicto, recitatum extat vt ipſius Carmen. Eiuſdem verò Carminis mentionem fecit etiam Beda Libro 4. Hiſt. Gentis ſuæ, Cap. 15. & 16. Paulus Diaconus Libro 6. Hiſt. Longobardorum, Cap. 15. Ordericus Vitalis, Monachus Vticenſis, Libro 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, pag. 364. ſecundùm editionem Pariſienſem Anni 1619. D

1619. in Volumine, inſcripto *Hiſtoriæ Normannorum Scriptores antiqui:* A
Baronius ad Annum 689.

XI. Sed auidus, vt opinor, denique poſtulas, vbinam intra Portæ Nouæ fines Monaſterium eſſet illud, ab Archiepiſcopo Benedicto ædificatum... Illic autem profectò erat, vbi nunc Monaſterium exiſtit, communiter appellatum SVCCVRSVS: vbi nimirùm fœminæ interim ſeruantur, donec vel pudicitiæ conſulatur, vel cum earum viris componantur lites. Sic enim Loci eius Pii deſcribebat inſtitutum Carolus à Baſilica Petri, cùm Sancti Caroli Cardinalis & Archiepiſcopi noſtri Vitam Latinè recenſeret Libro 7. Capite 41. nec ab ipſo diſſenſit Petrus Gluſsianus, eamdem Italicè recenſens, Libro 2. Capite 17. ad Annum Chriſti 1568. Itaque nunc etiam Loci eius Eccleſia titulum ſibi retinet Sancti Benedicti (videlicet Abbatis, & Occidentalium Monachorum Parentis) B eumquè habuerat priùs, cùm Parochialis eſſet Eccleſia; ſicut idem Gluſſianus commeminit. Media verò ea eſt (ſed in altero viæ latere) inter nobiliſsimam Eccleſiam Collegiatam, cognomento Scalenſem, atque inter Fratrum ex Ordine Sancti Franciſci Reformatorum Conuentum, Italicè nuncupatum DEL GIARDINO. Tale verò Monaſterium, Eccleſiamuè, ab hoc Archiepiſcopo Benedicto conſtructam, non alibi, quàm illic fuiſſe, Paulus etiam Morigia in Mediolani Nobilitate, Libro 1. Capite 10. & in Mediolani Sanctuario, qua in parte agit de Sacris eius Eccleſiæ Reliquiis: itemquè Ioannes Franciſcus Beſutius in Hiſtoria Pontificali Mediolani Num. 44. (hi verò Libri ſunt Italicè contexti) C diſertiſsimè affirmarunt: quorum teſtimonium in eiuſmodi re ſatis quidem nobis eſſe poteſt.

XII. Vndecimo Martii die mortuus eſt Benedictus. Quocirca eodem pariter die mentio ipſius habetur in Martyrologio tam Romano, quam Petri Galeſinii, & in Philippi Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiæ. Solemne tamen ipſius Officium ab Eccleſia Mediolanenſi (quæ nullius Sancti Officium conijcere ſolet in tempus Quadrageſimale, ſicut iam diximus Capite 53. Num. 18.) celebratur ſexto Septembris die, vti iam vidimus.

XIII. *Fuit autem idem Venerabilis Archiepiſcopus Benedictus vir egregiæ ſanctitatis: de quo per vniuerſam Italiam bonæ opinionis fama fragrauit.* Tale ſiquidem eſt elogium, quod ei Paulus Diaconus Libro 6. Hiſtoriæ Longobardorum, Cap. x. adſcribebat, poſteaquàm de ipſius profectione ad Vrbem D Romam, dequè controuerſia, contra Papienſem Epiſcopum illic agitata, ſed irrito conatu, locutus fuiſſet. Qua de re Landulfus ille Senior, quem Capite 37. Num. 8. deſcribebam, decimum Libri ſecundi caput contexuit, ſic inſcriptum: *Querimonia Beati Benedicti, Archiepiſcopi Mediolani, in Synodo, eo quòd Papa Conſtantinus ipſum Archiepiſcopum priuauerat Conſecratione Epiſcopi Papienſis contra antiquam conſuetudinem.* Ad eiuſmodi verò controuerſiam nonnihil etiam illa pertinent, quæ Capite 13. in Archiepiſcopi noſtri, Laurentii Littæ, Vita ego differebam; innixus vtique veteri Metropolitanorum iure in conſecrandis Epiſcopis ſuis Suffraganeis;

ganeis ; pro quo quidem iure conſulatur interim Ioannes Fileſacus ; A
Theologus Pariſienſis , in Commentario *De Sacra Epiſcoporum Auctori-
tate* , Capite 10. §. 2. Quemadmodum verò tali iure Archiepiſcopus
etiam noſter ex officio erga Suffraganeos ſuos vti ſoleret , multa profectò
nobis ſuppetunt exempla , vel in noſtris Ambroſianæ Baſilicæ Monu-
mentis , vſque ad Annum Chriſti 1176. vtpote Num. 212. 223. 385.
542. 543.

CAPVT LXXIII.

*De Sanctis Nazario & Celſo , ac Protaſio & Geruaſio , teſ-
timonium Venerabilis Bedæ .* B

I. NOtiſsimus ille Scriptor , ſanctitate pariter ac doctrina cele-
bris , Beda , natione Anglus , cognomento Venerabilis, inter
mortales viuebat Anno Chriſti Septingenteſimo trigeſimo-
primo , vt benè probat Bellarminus in Libro *De Scriptori-
bus Eccleſiaſticis :* mortuus verò eſt Anno Septingenteſimo
trigeſimo-quarto , ætatis ſuæ ſeptuageſimo-ſecundo , vel , vt alijs placet ,
nonageſimo , ſicuti Ioannes docet Pitſeus , Tomo Primo Relationum
Hiſtoricarum de Rebus Anglicis , Num. 101. Inter alia verò plurima ,
quæ monumentis litterarum conſignauit , Martyrologium etiam circum- C
fertur : ex eoquè nos Capitis præſentis materiem colligemus.

II. Sic igitur ille pridie Idus Iunij tradebat : *Mediolani , Natale Sanctorum
Martyrum Nazarij , & Celſi pueri . Sanctus namque Nazarius à Beato Cle-
mente inſtructus & baptizatus eſt : quem Anolinus* SVB NERONIANÆ
PERSECVTIONIS RABIE *diu afflictum in carcere cum Celſo puero, quem
ipſe nutrierat , gladio feriri iuſsit . Quorum Corpora Chriſtiani furati ſepelierunt
in proprijs hortis : quos Beatus Ambroſius Domino reuelante reperit .* Nos ta-
men Capite 4. Num. 7. Nazarium audiebamus , non à Beato Clemente,
ſed à Beato Lino baptizatum .

III. Idem Beda decimotertio Kalendas Iulij ſic item habet : *Mediolano , Natale
Sanctorum Geruaſij & Protaſij .* QVI CVM PER DECEM ANNOS D
IN VNO COENACVLO CONCLVSI LECTIONIBVS ET ORA-
TIONIBVS ATQVE IEIVNIIS VACASSENT ; VNDECIMO AD
PALMAM MARTYRII PERVENERVNT , TENTI AB ASTA-
CHIO (ſiue potiùs AB ASTASIO) COMITE . *Qui primum tamdiu iuſsit
plumbatis contundi , quandiu exhalaret ſpiritum : ſequentem verò , id eſt Pro-
taſium , fuſtibus cæſum , capite truncari . Quorum Corpora Philippus , vir reli-
gioſus ,* VNA CVM FILIO SVO *furtim abſtulit , & in domo ſua in arca
marmorea ſepeliuit . Quorumquè ſepulchra multo pòſt tempore , Theodoſio Impe-
ratore , Domino reuelante Beatus Ambroſius reperit : & ita incorrupta eorum Cor-
pora inuenit , ac ſi eodem die fuiſſent interempti .* QVÆ CVM IN VRBEM
INTRO-

INTRODVCERENTVR; *quidam diu cæcus ferètri tactu lumen recepit.* A Atqui non ea tunc in Vrbem introducta fuerunt, ſed in Ambroſianam Baſilicam; quæ magis erat extra Vrbem, quàm ipſamet Sanctorum Naboris & Felicis Baſilica foret, intra quam illa per Ambroſium inuenta ſunt. Verumtamen hoc ipſum benignè vltroquè homini extero & Anglo condonetur.

CAPVT LXXIV.

Archiepiſcopi Mediolanenſes, Arifredus in Baſilica Nazariana, Stabilius & Latus in Ambroſiana, ſepulti. B

I. BEnedicto, Archiepiſcopo noſtro, de quo nos altero hinc Capite dicebamus, ſucceſsit Theodorus ille, de quo iam ante Capite 39. Num. 17. quæſiuimus, an Commentarios in Matutinum Ambroſianum conſcripſerit: & hic ſediſſe traditur Annos quatuordecim. Theodoro ſucceſsit Sanctus Natalis: idemquè vice verſa quatuordecim tantùm ſedit menſes. Nonnulli eum tradunt ſedere cœpiſſe Anno Chriſti ſupra Septingenteſimum quadrageſimo-ſeptimo, aliqui quadrageſimo-nono, alij quinquageſimo, è quorum numero Donatus eſt etiam Boſsius. Ego C interim, quando nihil certius habeo, eumdem dicam Paſtorali huic curæ circiter hos Annos inuigilare cœpiſſe ac deſiſſe. Sanè quidem ipſi poſtea ſuffectus proximè fuit Arifredus, tum Stabilius, ac tertio loco Lætus: & hi omnes ad præſentis Operis inſtitutum propriè pertinent. Non aliud ego tamen de ipſis hic proferam, quàm quæ in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis per Galeſinii Tabulam expoſita proſtant, nec aduerſarios, quantùm ego viderim, habent.

II. Sic ergo illic legitur Numero 47. *Arifredus, Zacharia Pontifice creatus Archiepiſcopus, præfuit Eccleſiæ Mediolanenſi menſes nouem.* SEPVLTVS IN BASILICA SANCTI NAZARII. Dehinc Numero 48. *Stabilius, Stephano Tertio Archiepiſcopus factus, ſedit annos duos, menſes nouem.* SE- D PVLTVS IN BASILICA SANCTI AMBROSII. Denique Numero 49. *Beatus Latius* (alijs Lætus) *Marcellinus, Mediolanenſis, Vir omni pietatis officio inſignis, & admiranda in primis charitate erga pauperes, ſedit annos tredecim, menſes vndecim.* SEPVLTVS IN BASILICA SANCTI AMBROSII. Nec ego plura de ipſis in præſenti.

CAPVT LXXV. A

De Sancti Martyris Nazarij Corpore, ſiue Reliquijs, ex Vrbe Roma in Galliam per hæc tempora translatis. Vtrùm ea fuerint Nazarij noſtri; an alterius, illic paſsi.

I. IOannes Petrus Gluſsianus, Patricius ille noſter, qui Sancti Cardinalis & Archiepiſcopi noſtri Caroli Borromæi Vitam (vt Capite 64. Num. 24. iam diximus) conſcripſit, poſteaquàm Libro 5. Cap. 9. ad Annum Chriſti 1579. recenſuiſſet inſpectionem Nazariani Corporis, Anno ſuperiore ab eodem B Carolo factam, & à Carolo Baſilica-Petri, teſte tunc in rem præſentem aſcito, Hiſtoriæ poſtea ſuæ conſignatam (ſicut ego quoque Capite 48. Num. 10. commemini) tum verò ſic item adiecit: *Et ſi hebbero ſicuri teſtimoni di queſto Sacro Corpo, che manifeſtano l'errore di coloro, i quali ſcriuono, che fù trasferito nella Città di Metz nella Germania* (Galliæ veriùs adſcribitur hæc Ciuitas) *da Grodegando, Veſcouo di eſſa Città, l'Anno di noſtra Salute 775. nel Ponteficato di Paolo Primo: coſa che è falſiſsima. Si perche quel Pontefice era morto otto anni innanzi, e la Città di Milano in queſto tempo ſi ritrouaua eſſere in pace ſotto il dominio di Carlo Magno Imperatore, il quale ne haueua cacciati i Longobardi; però non poteua eſſer ſtato leuato il detto Santo Corpo. Si anco perche San Carlo (che in queſte materie era oculatiſsimo) lo riconobbe per eſſo.* C Talia Gluſsianus in eos, qui Translationem illam dicerent ex Vrbe noſtra Mediolano factam Anno Domini Septingenteſimo ſeptuageſimo-quinto. Tunc enim Paulus Primus Pontifex Romanus re vera non viuebat; quippe quem iam obijſſe conſtat Anno Septingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo. Tunc etiam verè Carolus Magnus Vrbem noſtram regebat; ſi non Imperatoris titulo (quem obtinuit Anno tantùm Octingenteſimo) certè tamen Longobardorum Regis diademate inſignis, è ſuperiore videlicet Anno quarto, ſicut ego quoque Capite 71. Num. 5. conſentiebam; vel, vt aliis placet, è tertio, ſupra Septingenteſimum ſeptuageſimum. Non igitur binæ rationes illæ quicquam officerent Sigeberto Gemblacenſi, aut Hermanno Contracto, vel etiam Paulo Diacono: D quorum teſtimoniis ea Translatio aſſeritur facta priùs, quàm Pontifex ipſe Paulus ex hac vita decederet.

II. Vt autem à vetuſtiore incipiam, Paulus Diaconus, aliter Paulus VVarnefridus (celeberrimus nimirùm ille *De Geſtis Longobardorum* Hiſtoriographus) Libellum etiam ſcripſit *De Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ*, quem facta ipſius Antiſtitis Chrodegangi (ſic enim eum nominat) mentione concluſit: quemquè typis editum legere licet in Volumine, inſcripto *Corpus Franciciæ Hiſtoriæ, veteris & ſinceræ*, quod Hanouiæ typis VVechelianis apud Hæredes Ioannis Aubrij fuit impreſſum Anno 1613. Sic igitur ibi de Chrodegango inter alia Paulus ſcribebat: *Expetijt denique à*

Paulo

Paulo Romano Pontifice tria Corpora Sanctorum Martyrum : id eſt , Beati Gorgonij , quod in Gorzia requieſcit : & Beati Naboris , quod in Hiliriaco Monaſterio conditum eſt : BEATI NAZARII , *quod vltra fluuium Rhenum in Monaſterio , quod vocatur Loriſaim , ædificata in honorem ipſius Martyris miri decoris Baſilica , collocauit .* Et paulò pòſt : *Rexit Eccleſiam Metenſem annis vigintitribus , menſibus quinque , diebus quinque . Obijt pridie Nonas Martias , in diebus Pippini Regis .* Citra dubium autem ille loquitur de Pippino , Caroli Magni patre : quem communiter Hiſtoriographi tradunt mortuum eſſe Anno Domini Septingenteſimo ſexageſimo-octauo . A

III. Sic etiam Hermannus poſtea Contractus in Chronico , ſecundùm Henrici Caniſij editionem Tomo Primo Antiquæ Lectionis , poſteritati hæc reliquit ad Annum Septingenteſimum ſexageſimum-quintum : *Roddgangrus* (en vt etiam ipſe nomen hoc variat) *Metenſis Archiepiſcopus , Corpora Sanctorum Gorgonij , Naboris , &* NAZARII , *à Paulo Papa impetrauit .* Mox Anno Septingenteſimo ſexageſimo-ſexto . *Corpus Sancti Gorgonij in Gorza Cœnobio , Sancti Naboris in Nouacella ,* SANCTI NAZARII *in Lauresbam conditum eſt .* B

IV. Sigebertus pariter Gemblacenſis in Chronico (quale ſcilicet ab Auberto Miræo editum fuit) ad Annum Septingenteſimum ſexageſimum-quartum : *Chrodegangus Epiſcopus Corpora Martyrum , Gorgonij , Naboris ,* ET NAZARII , ROMA *ad Gallias tranſtulit : & Gorgonium quidem in Gorzia , Naborem verò in Hiliriaco Cœnobio ,* NAZARIVM *autem repoſuit in Cœnobio Loriſham : quod Canthuyr , Comes illuſtris , à ſe fundatum , Metenſi Eccleſiæ priori Anno tradiderat .* Dehinc autem Anno Septingenteſimo ſexageſimo-quinto : *Chrodegangus , Metenſium Archiepiſcopus , obit .* C

V. Quid , quòd etiam his adſtipulatur Vſuardi Martyrologium ? In ipſo enim ſic legimus : *Pridie Idus Iunij . Mediolani , Natalis Beati Nazarij Martyris ; ſed feſtiuitas martyrij agitur quinto Kalendas Auguſti . Item* ROMÆ , *Sanctorum Martyrum , Baſilidis , Cyrini , & Naboris ,* ET NAZARII . *Quorum Naborem* ET NAZARIVM *ſimul cum Gorgonio Martyre* TRANSTVLIT AB VRBE ROMA IN GALLIAM *Grodegandus Metenſis Epiſcopus , permittente Paulo Papa Romano , Anno Dominicæ Incarnationis Septingenteſimo ſexageſimo-quinto . Et collocauit prædictus Epiſcopus Sanctum Gorgonium in Monaſterio , quod dicitur Gorzia : Sanctum verò Naborem in Monaſterio , quod dicitur Noua-Cella :* SANCTVM *quoque* NAZARIVM *in Monaſterio , quod dicitur Loreshim : vbi ſigna & miracula in ſanitate infirmorum & debilium ſæpiùs fiunt .* D

VI. Denique verò Andreas etiam Sauſſayus in ſuo Martyrologio Gallicano , quod Anno 1637. typis impreſſum eſt , hæc habet pridie pariter Idus Iunij : *Eodem die coruſcat in Orbe Corona Sanctorum Martyrum , Baſilidis , Cyrini , Naboris , & Nazarij : qui Romani milites , vt genere ſic virtute nobiles , at magis Chriſtiana pietate , in perſecutione Diocletiani Romæ , contempto impio Idolorum cultu , pro Fide fortiſſimè decertando , ſuperata & cruciatuum acerbitate & Aurelij Præfecti immaniter in eos debacchantis ſæuitia , victores*

egregio agone triumpharunt. Quorum honoranda Cadauera à Chriſtianis in Ca- A
tacumbis ſepulta ſunt. Vnde poſtea Naboris & Nazarij leuata Corpora Sanctus
Godegrandus, Metenſis Epiſcopus, permiſſu ac conceſsione Pauli Papæ Primi,
vnà cum Sancti Gorgonii itidem Martyris pretioſa gleba; Roma in Gallias ad-
uexit: Sanctaquè Gorgonij Lipſana in Monaſterio de Gorzia, Sancti Naboris in
Nouacellæ Cœnobio (vbi poſtea Oppidum ſuccreuit, titulo clarum eiuſdem Mar-
tyris) Sancti porrò Nazarij in Loresham Aſceterio collocauit, vbi poſtea diuina
mirabilia in ſanitate infirmorum & debilium plurima emicuerunt.

VII. Tot igitur ac talibus Teſtibus in medium productis, neminem adhuc
videmus, qui eam Sancti Nazarij Translationem aſſeruerit eſſe factam
quo tempore Paulus Papa Primus iam obiiſſet, aut quo Carolus Ma-
gnus in Lombardia iam regnaret: vel etiam ex Vrbe noſtra Mediolano B
eſſe factam; ſed certè quidem ex Vrbe Roma; ſicut Vſuardus & Sige-
bertus expreſsè profitebantur; cùm alioqui Contractus & VVarnefri-
dus tacitè ſaltem hoc ipſum innuerent. Ego igitur talium Corporum
Translationem fatebor fuiſſe re vera factam; ſed eos Sanctos, ac nomi-
natim Nazarium & Naborem fuiſſe diuerſos ab iis, qui noſtra in Vrbe
ſepulti fuerunt; quemadmodùm etiam nuper dignoſci apertè poterat ex
Vſuardi Martyrologio.

VIII. Baronium tamen etiam ipſum audiamus: & id quidem nobis vberiùs,
quàm in præſenti optamus, adteſtantem. Eorum enim Corporum, non
quidquid erat, ſed partem ſolummodò aliquam illuc eſſe translatam in-
terpretatur; ſecundùm eam ſcilicet doctrinam, quam ego quoque in C
Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis comprobabam Num. 444. & 471.
ſecundùm quam ego itidem non inficior, noſtrorum etiam Nazarii &
Naboris Corpora in alias regiones translata fuiſſe. Baronij verba ſunt
huiuſmodi ad Annum Chriſti Septingenteſimum ſexageſimum-quartum:
Cùm iam fama increbuiſſet in Gallijs, per Sanctiſsimum Pontificem Paulum
plurima Sanctorum Corpora eſſe è Cœmeterijs in Vrbem translata; eorum cupidi
Franci, Sanctorum cultus ſtudioſiſſimi, mittunt Legatum Romam ad eum Pon-
tificem, rogantes, vt aliqua ex Sanctorum Corporibus recens inuentis darentur,
in Gallias transferenda. Functum tradunt hac legatione (in cuius rei teſti-
monium illic in margine adnotatus eſt Sigebertus in Chronico, hoc
Anno) *Crodogandum, religioſiſſimum Virum, Metenſem Epiſcopum: atque ac-* D
cepiſſe ab eo Corpora Sanctorum Martyrum, Gorgonij, Naboris, ET NA-
ZARII. *Verùm potiùs dixerimus, ex eis partem, quàm ipſa integra accepiſſe*
Corpora. Siquidem, vt taceamus de cæteris, ipſius Gorgonij Corpus vſque
hodie reconditum habetur in Baſilica Vaticana, in Confeſsione Sancti Gregorij
Papæ. Porrò qui hæc de Translatione tradunt, habent, repoſitum Gorgonium in
Gorzia, Naborem in Hillyriaco, & Nazarium in Cœnobio Lorisham. Verùm
Naboris & Nazarij ſacras Reliquias pluribus in locis iam diu ante fuiſſe diuiſas
atque honorificè collocatas, alibi diximus in Notis. Hæc Baronius Anno Do-
mini 1600. in ſuorum Annalium Eccleſiaſticorum Tomo Nono memo-
rabat.

IX. Quas

IX. Quas verò tandem innuebat Notas, eæ ſunt, quas in Martyrologium A
Romanum iam euulgauerat Anno 1586. in quibus tamen hac de re non
ſatis conſtanter ſcripſiſſe videbatur. Pridie Idus Iunij Martyrologium
ſic habebat: *Romæ, Via Aurelia, natalis Sanctorum Martyrum, Baſilidis,
Cyrini, Naboris, & Nazarij, militum: qui in perſecutione Diocletiani & Ma-
ximiani, ſub Aurelio Præfecto, ob Chriſtiani nominis confeſsionem detruſi in car-
cerem, & ſcorpionibus lacerati, capite truncati ſunt.* Ad hæc autem mox
Baronius ſic adnotabat: *De his Beda, Vſuardus, Ado, ac cæteri recentiores.
De horum Translatione in Gallias, cuius meminit hic Beda, agit etiam Sigeber-
tus in Chronico, Anno Domini 764. Qui hic ponuntur Nabor & Nazarius, di-
uerſi ſunt à Nabore & Nazario, qui paſsi ſunt Mediolani. Ille etenim Nabor
vnà cum Felice ibi paſſus eſt; Nazarius alio tempore vnà cum Celſo; hi autem* B
ROMÆ *vnà cum Baſilide & Cyrino.* In eodem Martyrologio hæc item
legebantur quarto Idus Iulij: *Mediolani, Sanctorum Martyrum Naboris &
Felicis: qui in perſecutione Maximiani paſsi ſunt.* Ad hæc autem Baronius
ibidem: *De ipſorum Reliquijs, translatis in Gallias Anno Domini 764. ſcribit
Sigebertus in Chronico; licet more ſuo Corpora translata dicat, cùm eorum pars
aliqua tantùm conceſſa eſt.* En igitur, vt Baronius Naborem noſtrum nunc
commiſceat in vnum cum eo, de quo Sigebertus illic agebat, & à quo
Baronius ipſe illum paulò ante diſtinxerat. Ecce tibi verò rursùs,
quemadmodùm etiam Nazarium noſtrum commiſceat cum altero illo.
Quinto enim Kalendas Auguſti Martyrologium ſic tradit: *Mediolani,
natalis Sanctorum Martyrum Nazarij & Celſi pueri: quos Anolinus ſub rabie* C
*perſecutionis, quæ per Neronem excitata eſt, diu maceratos & afflictos in car-
cere, gladio feriri iuſsit.* In hæc autem ſic etiam notabat Baronius: *Na-
boris item & Nazarij ſacras Reliquias rursùs translatas in Gallias Anno 760.
tradit Hermannus in Chronico.* Certè verò Hermannus ibi hoc tradebat
non de aliis Nabore ac Nazario, quàm iis, de quibus etiam poſtea Si-
gebertus.

X. Talia ergo Baronius in priori ſuarum Notarum editione ſcripſerat. Sed
cùm eam poſtea emendaſſet; ſic etiam nunc emendatum iam videmus
illud, quod parùm ſibi conſtans ſcripſiſſe olim videbatur. Etenim, re-
tentis ad verbum quæ primo loco notauerat, omiſit ea, quæ ſecundo
notauerat loco. Illis autem, quæ tertio ſcripſerat loco, hæc addidit: D
Quem tamen (Hermannum) *putamus intelligere de Nabore & Nazario Romæ
paſsis: de quibus ſupra, duodecimo Iunij, ſecundùm ea, quæ ibi notata ſunt
ex Sigeberto.* Quamobrem Baronius maturiore tandem conſilio con-
ſtanter in id conſenſit, vt à noſtris Nazario & Nabore diuerſi penitùs
illi fuerint Martyres, quorum Corpora in Gallias tunc translata, Sige-
bertus & Contractus & alij ſcribebant.

XI. Metenſis porrò Eccleſia verè, non Archiepiſcopalis, ſed ſolummodò
Epiſcopalis tunc erat Sedes, qualis etiam eſt in præſenti; vt optimè di-
gnoſcitur etiam ex eius Epiſcoporum Catalogo, quem Galliæ ſuæ Chriſ-
tianæ Claudius intexuit Robertus. Quòd autem nihilominùs Godegran-
dus

dus ille à Contracto & à Sigeberto vocatus fuerit Archiepiſcopus; ſic ego vocatum interpretor ea tantùm ratione; quia (ſicut in Faſtis Belgicis ad ſextam diem Martij affirmabat Aubertus Miræus) *ampliſsimam poteſtatem Epiſcopos per Gallias ordinandi à Stephano Papa accepit*. Quocirca etiam, teſte VVarnefrido, *à Pippino Rege omniquè Francorum cœtu ſingulariter electus, Romam directus eſt, Stephanumquè venerabilem Papam, vt cunctorum vota anhelabant, ad Gallias euocauit*: præterea verò etiam *conſecrauit Epiſcopos quamplurimos per diuerſas Ciuitates*. Cæterûm eidem Antiſtiti Miræus elogium Beati, Robertus autem Sancti non immeritò adſcripſit. A

XII. Hoc ego Caput iam tandem recognoueram, quando repentè renouata memoria Chronici Laurishamenſis, aliquot iam annos à me lecti, nouum & accommodatiſsimum pro præſenti quæſtione teſtimonium ſuppeditat. Tomus extat vnus, Francofurti primùm è Bibliotheca Marquardi Freheri, Conſiliarii Palatini, editus Anno Domini 1600. & inſcriptus: *Germanicarum Rerum Scriptores aliquot inſignes, hactenùs incogniti, qui geſta ſub Regibus & Imperatoribus Teutonicis, iam inde à Carolo Magno vſque ad Fridericum Tertium Imperatorem, perpetua ferè ſerie, ſuis quique Sæculis, litteris mandatas, poſteritati reliquerunt*. Illic autem ſecundo loco Chronicon ineſt Laurishamenſe, *à prima eius Cœnobij fundatione per Cancronem, Comitem Rhemenſem, ſub Pipino Rege, vſque ad Annum Domini* 1179. *ſub Friderico Imperatore, deductum: è peruetuſto Codice ipſius Monaſterij, in Archiuis Palatinis*. Eiuſdem igitur initio Chronici narratur, quemadmodùm Cœnobium illud fundatum fuerit Anno Dominicæ Incarnationis Septingenteſimo ſexageſimo-quarto, idemquè ſubiectum fuerit Rutgango (ibi ſiquidem ita nominatur) Metenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Quamobrem binæ itidem Donationes mox recitantur, à Fundatoribus factæ: ſubindequè Chronicum ipſum ſic ad verbum ſe habet: *Reuerendus itaque Pontifex Rutgangus, votum ac petitionem Venerabilis VVilliſuuindæ, filijquè eius Cancronis* (à quibus vtique fundatum fuerat Cœnobium) *gratanter amplexus, cùm ipſius Monaſterij curam gubernationemquè per ſe exequi non poſſet, vtpote & Eccleſiaſticis & Regalibus negotijs iugiter occupatus; Gundelandum, germanum ſuum, prudentem admodùm & ſanctæ conuerſationis Virum, fratriquè per omnia ſimilem, eidem loco præfecit; ipſumquè cum omnibus pertinentijs eo tenore, quo ſibi tradita fuerant, ſuæ diſpenſationi commendauit. Fratres quoque maturæ ætatis & conſilij, Dominiquè timentes, Reginfridum videlicet & Vluinum cum alijs quatuordecim, à Gorzienſi Monaſterio (quod ipſe pridem conſtruxerat) cum ipſo direxit, cuncta eis neceſſaria tam in alimentis quàm in cæteris ſubſidijs impartiens. Interim miſsis ad Apoſtolicam Sedem Legatis, pro cuius liberatione ab oppreſsione Haiſtulfi Regis Longobardorum multa inſtantia laborauerat, expetiuit à Paulo Papa Corpora Sanctorum Martyrum, in quorum honore conſtructas à ſe Monaſteriorum conſecraret Eccleſias. Cuius deuotionem ac meritum erga Romanam Eccleſiam Apoſtolicus Pontifex debito fauore proſequens, tranſmiſit ei Sanctum Nazarium, Naborem, & Gorgonium,*

B

C

D

gonium, per VVillibarium, Sedunenſem Epiſcopum, delatos ad Gorzienſe Monaſterium. Euoluto dehinc Anni curriculo, in Eccleſia Gorzienſi Sanctum Gorgonium, in Eccleſia Hylariacenſi Sanctum Naborem collocauit; Beatum verò Nazarium ad Laureshamenſe Monaſterium deſtinauit. In cuius occurſum tota ſimul Prouincia, plebſquè vtriuſque ſexus, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus, vſque ad ſaltum, qui Voſogus dicitur, cateruatim ruunt; Comiteſquè nobiliſſimi Cancor & VVarinus, cæteriquè id locorum illuſtres & ſpectabiles Viri, theſaurum Beati Corporis, ſibi diuinitùs deſtinatum, proprijs humeris excipiunt; & cum hymnis canticiſquè ſpiritualibus proſequente infinita multitudine vſque ad locum cælitùs prouiſum deferunt. Hæc in eo Chronico: &, ſicut ego aſſirmare auſim, digniora fide, quàm ſi aliter ab aliis deſcripta inueniantur. A

XIII. Quoniam verò ſuperiore Numero 5. & 8. prædictis Martyribus Nabori & Nazario connumeratos videbamus Sanctos Baſilidem ac Cyrinum, quorum pariter ac Naboris reliquias in huius Operis progreſſu videbimus in Celſiana noſtræ Vrbis Eccleſia collocatas; quid ſi etiam ſortaſsè illæ ab eodem Paulo Papa Primo per hæc tempora donatæ noſtro fuerunt Archiepiſcopo, qui pro Eccleſiæ Romanæ liberatione non minùs, quàm Epiſcopus ille Metenſis, laboraſſet? B

XIV. Hæc autem cùm ita ſe habeant; nemo à me hic expectet; vt noſtro Bernardino Corio, ac laminæ cuidam plumbeæ, per ipſum memoratæ, fidem adhibeam. Hiſtoriarum enim ſuarum Mediolanenſium Parte Prima, & ſecundùm Anni 1565. Venetam editionem pagina 47. locutus de Pipino Caroli Magni filio, eiuſquè reditu ex Italia in Galliam, poſteaquàm Longobardorum Regem Aiſtulphum apud Eporediam debellaſſet, ſic inquit: *In Francia l'Anno di Chriſto Settecento ſeſſantaquattro fù edificata la Città di Leriſſa* (non Ciuitas, ſed Monaſterium tunc extructum fuit) *& per commiſsione di Rotomago, Veſcouo Metenſe, vi fù traſportato il Corpo di San'Nazaro. In teſtimonio di che vi è ſtata trouata vna lama di piombo con queſte lettere*, SANCTVS NAZARIVS, MEDIOLANI PASSVS. C

CAPVT LXXVI.

De Baſilica Ambroſiana per hac tempora Cuſtode, ſiue Rectore, itemquè Reuerendiſſimo. D

I. IN Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, à Numero octauo vſque ad duodecimum., ſiue ab Anno Chriſti ſupra Septingenteſimum quadrageſimo vſque ad octuageſimum-primum, vidimus è publicis Documentis quemdam per ea tempora fuiſſe Baſilicæ illius Cellæquè Ambroſianæ Cuſtodem, qui ſimul etiam eſſet Baſilicæ Metropolitanæ Diaconus, & cui titulus etiam Reuerendiſsimi adſcriberetur: illudquè Cuſtodis nomen

ego

ego interpretabar perhonorificum eſſe (ſicut etiam poſtea Numero 207. A Annoque Chriſti 1007. confirmaui) necnon etiam paris eſſe ſignificationis cum Rectore. Hoc igitur vtrumque nunc obiter pluſculo magis comprobemus.

II. Paulus quidem Diaconus, Hiſtoriæ Longobardorum Libro 5. Cap. 17. (nempe ſecundùm Baſileenſem Anni 1532. editionem, à qua poſterior editio Anni 1617. quoad ordinem Capitum diſcrepat) ea narrans, quæ facta ſunt Anno Chriſti Septingenteſimo nonageſimo-ſecundo, ſicut etiam ſuperiore Capite 72. Num. 4. præmonuimus, ita ſcribebat: *Zeno, Diaconus Ticinenſis Eccleſiæ, qui fuit* CVSTOS *Aedis Beati Ioannis Baptiſtæ, quæ intra eamdem Ciuitatem ſita eſt, quam quondàm Gundiberga Regina conſtruxerat* &c. Capite verò rurſus 18. deſcripta Zenonis eiuſdem Diaconi cæde, B ſic addidit, velut interpretans eam Cuſtodis appellationem: *Rex Chunibertus corpus Zenonis Diaconi ante fores in Baſilica Beati Ioannis,* QVAM IPSE REXERAT, *mirificè ſepeliri mandauit*. En igitur hoc loco nomen Cuſtodis acceptum pro Eccleſiæ Rectore.

III. Sed & mirandum videri poterat, quòd idem ille Baſilicæ Cuſtos Ambroſianæ iam tum Reuerendiſsimus appellaretur. Ecce verò nobis exemplum non abſimile: quinetiam ecce nobis Concilij Mopſueſteni, Anno Quingenteſimo quinquageſimo celebrati, Patres, in hunc pariter modum de altero Cuſtode locutos. Eius enim Concilij Acta, quæ in Quintæ Synodi Conſtantinopolitanæ Actione Quinta legi poſſunt, ita ſe habent: *Sanctiſsimi Epiſcopi dixerunt: Reuerentiſsimus Sacrorum Cuſtos Vaſorum iſtius Sanctiſsimæ Eccleſiæ* (Mopſueſtenæ) *adferat ad conſiderationem nobis & recitationem, huius Sacræ Eccleſiæ Diptycha, in quibus Sanctæ memoriæ Sacerdotum iſtius optimæ Ciuitatis ſcripta continentur vocabula. Ioannes Presbyter & Cimeliarcha* (hic vtique Cuſtos erat ille, quem requiſierant Epiſcopi) *dixit: Secundùm iuſsionem veſtræ Sanctitatis, inter Sacra Vaſa, quæ à me ſeruantur, habentes iſta Diptycha, protuli, & ad recitationem protuli* &c. C

CAPVT LXXVII.

De Petro Archiepiſcopo, apud Adrianum Papam & Carolum Magnum perquàm gratioſo, Monaſterij Ambroſiani Fundatore, Malleo Hæreticorum, ac Beato Abbati Flacco Albino ſiue Alchuino dilectiſsimo, necnon etiam in Ambroſiana Baſilica ſepulto. D

I. IN eiſdem Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis, è Numero 13. vſque ad 29. multa ego recenſui, de hoc Petro Archiepiſcopo, ſed quæ præſertim ad Monaſterij fundationem pertinerent. Nunc alia quædam exequar, tanto digna Præſule,

Præſule, nec ab alijs Rerum Mediolanenſium Scriptoribus fortaſsè ad- A
huc ſatis comperta, vel explicata. Ipſe autem Metropolitanæ huic Ec-
cleſiæ iam præerat Anno Chriſti Septingenteſimo octuageſimo-quarto:
itemquè Anno ſupra Octingenteſimum ſexto iam obierat; ſicut illic
Numero 26. concludebam.

II. Quoniam verò Carolus Magnus, Francorum Rex, in Italiam cum Exer-
citu profectus, Anno tandem Septingenteſimo ſeptuageſimo-quarto (vt
aliàs præmonui) Longobardorum Regnum iam obtinuerat; propterea
etiam ſine dubio Petrus hic noſter ab Adriano Papa miſſus iam ante ad
ipſum in Galliam proceſſerat, rogatum, quantocyùs vt veniret. Illuc
autem proceſſerat (vt benè Baronius computauit) Anno Chriſti Septin-
genteſimo ſeptuageſimo-tertio: & ineunte quidem vere; ſicut è ſubſe- B
quentibus Aimoini Monachi verbis intelligi poteſt. Sic enim Libro 4.
De Geſtis Francorum, Cap. 69. ille ſcribebat: *Hoc Anno* (quo videlicet
Adrianus defuncto Stephano Papæ ſucceſſerat: Annuſquè Chriſti erat
Septingenteſimus ſeptuageſimus-ſecundus) *etiam Dominus Carolus Rex re-
pudiauit filiam Deſiderij* Regis *Langobardorum, Anno pòſt quàm eam Matris
hortatu duxerat vxorem: & Hildegardem de gente Sueuorum, præcipuæ nobi-
litatis fœminam, in matrimonium accepit. Adrianus Papa cùm inſolentiam Re-
gis Deſiderij, & Langobardorum oppreſsionem ferre non poſſet; decreuit, vt
Legationem ad Carolum Regem Francorum mitteret: eumquè ſibi atque Roma-
nis, aduersùs Langobardos, opem ferre rogaret. Et quia id terreno itinere per
Italiam fieri non poterat; eum, quem miſerat, Legatum, nomine Petrum* (erat C
autem hic noſter Oldratus) *nauim conſcendere, & Maſsiliam vſque per
mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit peruenire. Qui cùm ad
Regem in Theodone Villa (vbi tunc hyemauerat) perueniſſet, & ei Legationis
ſuæ cauſam aperuiſſet; eadem, qua venerat, via Romam reuerſus eſt. Rex
verò rebus, quæ inter Romanos ac Langobardos gerebantur, diligenti cura
pertractatis, bellum ſibi cum Langobardis pro defenſione Romanorum ſuſcipien-
dum ratus* &c. Quæ quidem ad verbum omnia leguntur in Annalibus
etiam Francorum Regum, Pipini, Karoli Magni, Hludouici Pij, per
Annos continuos octoginta-ſeptem, ab Adelmo Benedictino, vel ſecun-
dùm alios Ademaro Monacho, Scriptore contemporaneo, collectis: ea-
demquè paulò preſsiùs perſtringit Rhegino, Monachus Prumienſis, in D
Chronico ad Annum Chriſti Septingenteſimum ſeptuageſimum-tertium,
Libro Secundo. Hinc igitur Ioannes de Deis in Archiepiſcoporum noſ-
trorum Catalogo, quem *Succeſſores Sancti Barnabæ Apoſtoli in Eccleſia Me-
diolanenſi* inſcripſit, quemquè collegit è Bibliothecæ Vaticanæ, olim au-
tem Cardinalis Syrleti, manuſcriptis, ita inquit Numero 50. *Petrus Ol-
dradus, Ciuis, Adriani Primi Pontificis Secretarius, ab eodem miſſus in Gal-
liam, ad ſollicitandam expeditionem Caroli Magni in Longobardos* &c.

III. Eidem verò poſtea Catalogo multa fecit additamenta Eugenius Cattaneus
(vt planiùs ego infra indicabo) & in vnum ita commiſcuit, vt à prioris
Auctoris contextu diſcerni non poſsint, niſi poſterior hæc ipſorum edi-

tio conferatur cum priori, quam Ioannes ipſe de Deis iam antea euul- A
gauerat. Inter huiuſmodi ergo additamenta id etiam ego comperi:
*Hic Archiepiſcopus adeò hæreticæ prauitatis perſecutor fuit, vt à Carolo Magno
Malleus Hæreticorum appellaretur*. Atqui tantæ rei teſtem indicemuè nul-
lum prorsùs ille inſinuat. Mecum itaque Lector pauculis ſaltem hiſce
indiciis contentus ſit, quæ fortè fortuna didici è doctiſsimo illo Societa-
tis Ieſu Sacerdote Ioanne Bollando, quem Capite 39. Num. xi. col-
laudabam. Ille ſiquidem in Actis Sanctorum, eorumquè Tomo Primo,
ad vndecimam Ianuarii diem, cùm Sancti Paulini, Patriarchæ Aquile-
ienſis, Vitam illuſtraret; inter cætera ſic inquit §. 5. Num. 18. *Gemina
Dei Eccleſiam eo tempore hæreſis turbabat: vna in Oriente de Proceſsione Spi-
ritus Sancti; in Occidente de Verbi Incarnatione altera. Spiritum Sanctum B
Græci quidam à ſolo Patre docebant procedere.; Chriſtum aſſerebat Elipandus
Toletanus Epiſcopus in Hiſpania, cumquè eo Fælix Vrgelitanus, ſecundùm na-
turam quidem diuinam Dei Filium eſſe naturalem, ſecundùm humanam verò
adoptiuum; adeoquè Neſtorij tantò ante extinctum dogma quodammodò ſuſcita-
bant. Vtrique malo remedium admouit Paulinus in Concilio Prouinciali, quod
Foro-Iulij Anno Regni Caroli* (nempè Magni) *vigeſimo-tertio, Chriſti Sep-
tingenteſimo nonageſimo-primo, coegit*. Tum verò Num. 19. mentionem fa-
cit Concilij Ratiſponenſis, Septingenteſimo nonageſimo-ſecundo Chriſti
Anno celebrati: in quo Fælix ipſe Vrgelitanus, erroris conuictus, & ad
Pontificem Adrianum deductus, errorem ſuum abdicauit. Et hoc qui-
dem loco Bollandus in teſtimonium adducit Codicem quemdam ſuum C
manuſcriptum, & apud ſe extantem. Quo ex Codice mox item ſic ha-
bet Numero 20. *Anno Septingenteſimo nonageſimo-quarto Paſcha celebratum
eſt (vt idem habet manuſcriptus Codex) in Franconofurt: ibiquè congregata eſt
Synodus Magna Epiſcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præſentia
iam fati Principis* (Caroli nempe Magni) *& Miſſorum Domini Apoſtolici Adria-
ni, quorum nomina hæc ſunt, Theophylactus & Stephanus, Epiſcopi. Ibi tertiò
condemnata eſt hæreſis Fæliciana. Quam damnationem per auctoritatem Sancto-
rum Patrum in Libro conſcripſerunt: quem Librum omnes Sacerdotes manibus
proprijs ſubſcripſerunt*. Poſt hæc ſic item Bollandus è ſuo ſubdit: *Extant*
(in eo nimirùm Codice manuſcripto) *præter Canones Concilij, Epiſtola
Adriani Papæ, Libellus Epiſcoporum Italiæ, Synodica Epiſcoporum Galliæ & D
Germaniæ nomine, Caroli Magni Regis Epiſtola, omnia ad Epiſcopos Hiſpaniæ
miſſa. Nuſpiàm appoſitæ ſunt ſubſcriptiones. Libellum ab ipſomet Paulino pe-
culiariter eſſe compoſitum, vt qui eruditione cæteris præſtaret, licet ex ipſis eius
verbis colligere. Quapropter ego Paulinus (inquit) licet indignus peccator, om-
niumquè ſeruorum Domini vltimus ſeruus, Aquilegienſis Sedis, Heſperijs oris
accinctæ, cui Deo auctore deſeruio, nomine, non merito, Præſul, vnà cum Re-
uerendiſsimo & omni honore digno, Petro, Mediolanenſis Sedis Archiepiſcopo,
cunctiſquè cum Collegis Fratribus & Conſacerdotibus noſtris, Liguriæ, Auſtriæ,
Heſperiæ, Aemiliæ, Catholicarum Eccleſiarum venerandis Præſulibus, iuxta
exilem intelligentiæ noſtræ tenuitatem, Sancto perdocente Spiritu corde., lingua,
ſtylo,*

ſtylo, contra eorum veſanias, qui recta fidei ſunt aduerſarij, reſpondere non formido; cùm ſit Sancta & Vniuerſalis Eccleſia ſupra firmam nihilominùs immobilemquè fundata Petram, & Portæ Inferi nequeant præualere aduersus eam. Hucuſque Paulini verba, per Bollandum recitata. Tum verò ſic etiam Bollandus ipſe proſequitur: *De eodem Libello in Epiſtola ſua Carolus: Deinde ſecundo loco, quid Eccleſiaſtici Doctores & Sacerdotes Eccleſiarum Chriſti de propinquioribus Italiæ partibus, cum Petro Mediolanenſi Archiepiſcopo, & Paulino Foro-Iulianenſi vel Aquileienſi Patriarcha, viris in Domino valde venerabilibus, intelligi vel firmiter credi voluiſſent, ſuis proprijs reſponſionibus exaratum poſuimus Libellum; quia ipſi quoque præſentes noſtro Synodali Conuentui adſuerunt.* Ad hæc autem idemmet rursùm Bollandus è Continuatore Pauli VVarnefridi (ſiue Pauli Diaconi) de Hiſtoria Longobardorum recitat hæc verba: *Anno Septingenteſimo nonageſimo-quarto in Gallijs, in loco qui Franconofurth dicitur, aduersùs Eliphandum Hiſpaniarum Toletanæ Sedis Epiſcopum, & Fælicem eius ſocium, Magna Synodus congregata eſt. Hi aſſerebant, Dei Filium adoptiuum, non proprium, eſſe. Quam hæreſim Viri Sanctiſsimi, Paulinus Aquilegienſis Patriarcha, & Petrus Mediolanenſis Archiepiſcopus, ſeu Alchuinus Inſulæ Britanniæ Archidiaconus, cum cæteris Epiſcopis, diuinarum Scripturarum adſertionibus deſtruentes, proprium eum, & non adoptiuum, dici ſanxerùnt* &c. Hactenùs è Ioannis Bollandi Ianuario menſe, ad vndecimam eius diem, ſiue ad Vitam Sancti Paulini, Patriarchæ Aquileienſis. E quibus vtcumque intelligi datur, quantopere per hæc tempora Petrus Oldratus, Archiepiſcopus noſter, hæreticos errores obterere ſtuduerit, quamquè iuſtè propterea MALLEVS HÆRETICORVM à Carolo Magno appellari potuerit; quemadmodùm nobis Eugenius ille Cattaneus affirmabat.

IV. Percommodè verò nobis etiam nuper incidit Alchuini mentio illius, cui dilectiſsimum ſummoquè in honore habitum innuebamus Petrum, Archiepiſcopum noſtrum. Alchuinus hic autem, ſiue Flaccus Albinus, natione Anglus, & pro Beato celebratus, Venerabilis Bedæ fuerat diſcipulus, & tali tantoquè Præceptori gloriandus: idemquè poſtea, in Galliam profectus, & in Caroli Magni Præceptorem aſſumptus, eum docuit Rhetoricam, Dialecticam, Aſtronomiam, & Scientias omnes Mathematicas: eumquè præterea præceptis pietatis, necnon etiam ſapientiæ diſciplinis ad omnem virtutem formauit: quinetiam eidem auctor fuit, vt Academiam, non modò Pariſijs, ſed etiam Papiæ, ad publicam Reipublicæ vtilitatem inſtitueret. Sic enim præ multis alijs teſtatur Ioannes Pitſeus *De Illuſtribus Angliæ Scriptoribus*, Aetate 8. ad Annum Chriſti 790. Num. 123. conſentitquè ſic etiam Iacobus Middendorpius Libro 1. & 2. Academiarum Orbis Chriſtiani. Eiuſdem Alchuini Opera omnia, vnico ſed prægrandi Volumine comprehenſa, typis demùm edidit Pariſijs Anno Domini 1617. Andreas Quercetanus, ſanè quidem Vir egregiè doctus: inter quæ multa etiam extant, quæ typis antehac numquàm edita fuerant. Inter ipſius verò Epiſtolas vnam recitat, inter has numero

quinquageſimam-nonam, ſed inter olim editas trigeſimam-quartam, cum A inſcriptione tantùm hac: AD PETRVM, ARCHIEPISCOPVM. Ex ipſius autem contextu colligitur, Alchuinum tunc & Archiepiſcopum hunc Petrum Alpibus interiectis inter ſe diſſitos fuiſſe; vt proinde hac ex parte, ſicut Alchuinus in Galliis habitabat, ſic etiam intelligi commodè poſſet Epiſtola illa noſtrum ad Archiepiſcopum, Petrum Oldratum, Mediolani agentem, directa; præterquamquòd ne alius quidem Petrus Archiepiſcopus, Alpibus ab Alchuino diſſitus, mihi per ea tempora veniebat in mentem præter hunc noſtrum Mediolanenſem; qui pariter ſupponi poterat eiuſdem Alchuini perquàm familiaris. Cùm igitur ego ita coniectarem; verti me ad Henrici Caniſij Primum Antiquæ Lectionis Tomum, Anno Domini 1601. euulgatum; quo videlicet Alchuini Epiſtolæ tunc typis primùm editæ continentur. Inter has verò; B iuxta Querceiani dictum, animaduerti trigeſimam-quartam, & ita quidem inſcriptam: *Dilectiſſimo in Chriſto Patri, Petro Archiepiſcopo, Albinus æternæ beatitudinis Salutem.* Certè autem Caniſius illic in ora marginali, iuxta dictionem *Archiepiſcopo*, adiecit *Mediolanenſi*. Sed & in Elencho Alphabetico eorum, ad quos Alchuinus Epiſtolas illas ſcribebat, iiſdem Epiſtolis præmiſſo, certè quidem ſic extat in Littera O indicatum: *Oldrado: Vide Petro, Archiepiſcopo Mediolanenſi.* Quocirca, tamquàm ex eiuſdem Caniſij conſenſu, fidentiùs iam ego Epiſtolam recitabo illam, tamquàm noſtro Mediolanenſi Archiepiſcopo, Petro Oldrado, conſcriptam. C

V. Ea vero eſt huiuſmodi: *Dilectiſſimo in Chriſto Patri, Petro Archiepiſcopo, Albinus æternæ beatitudinis Salutem. Memor dulciſſimæ humilitatis & dilectionis veſtræ ingemiſco abſentiam illius, cuius charitatis flamma in corde ardeſcit filij. Quanta eſt huius ſæculi infelicitas, quæ tam charos disiungit amicos, quæ filium ſeparat à patre? O ſi pennas aquilæ habuiſſem, vt altitudines Alpium velocior Euro tranſuolare valuiſſem! Quàm citò ante paternos ſtetiſſem pedes, vt refrigerarem ex paterna viſione pectoris mei ardorem?*

VI. *Sed quia hoc fieri non valet; induamur nos duplicis charitatis pennis; ſimus in Chriſto ſemper præſentes, qui ſumus in ſæculo abſentes. Quid eſt charitas, niſi vnitas animorum? dicente ipſa Veritate* (Ioannis 17.) *dum pro ſuis oraret ad Patrem: Pater conſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; vt ſint vnum,* D *ſicut & nos vnum ſumus. Ego verò, filius tuus, obſecro te per eius miſericordiam, qui hæc dixit, vt in ſanctiſſimo paternæ memoriæ theſauro filij tui, Albuini, nomen habeas reconditum, & inter digniſſimas Deo oblationes orationum tuarum vel ſemel ore proferas.*

VII. *Quanta tibi, Pater Optime, apud pietatis Remuneratorem, Dominum Chriſtum, remanet merces? ſi me, peccatorum ponderibus prægrauatum, paternæ miſericordiæ precibus ſubleuare coneris. Fateor, me tantæ auctoritatis degenerem eſſe filium. Tamen iunioris filij, qui à Patre in longinquam receſſit regionem* (Lucæ 15.) *roboratus exemplo audeo dicere: Pater, peccaui in cælum, & coram te. Ideò non ſum dignus vocari filius tuus. Et te credo, paternæ memorem pietatis,*

lætis

lætis reuertenti occurriſſe amplexibus: prudentiam quoque tuam recordari Beatiſ- A
ſimi Iob (eiuſdem Iob Cap. 1.) *pro filijs deuotionis* (aliter *dilectionis*) *qui*
quotidie pro illorum proſperitate Deo ſacrificia offerre ſtuduit: valde deſiderans,
quos ſæculo genuit, Deo enutrire. Ideò in omnibus tentationibus, tamquàm au-
rum in fornace probatus, inuentus eſt. Laus enim patris in ſalute extat filio-
rum: & merces paſtoris in multiplicatione gregis adcreſcit. Nam & ipſe Prin-
ceps Paſtorum poſt reſurrectionis gloriam Beato Petro, ob confeſſionis trinæ in
ſuo amore ſoliditatem, paſcendas oues, quas redemit ſanguine, commendauit.

VIII. *Tuum eſt, Pater Sancte, abſentes precibus adiuuare, præſentes verbis erudire,*
exemplis confortare; vt paterna pietas & paſtoralis deuotio omnibus proſit in
ſalutem. Patres igitur filijs theſaurizare ſolent. Tu verò beatitudinis theſau-
ros tuis relinque nepotibus; vt per longas Eccleſiaſticæ eruditionis ſeries Cæleſtis B
Regni gloria tibi ſemper augeatur.

IX. *Opto, ſi fieri valeat, quatenùs me tuæ Paternitatis Litteris reficias; vt auidita-*
tis meæ oculis legam, quod auribus audire voluiſſem, ſi fortè fieri valuiſſet.
Conceſſum eſt enim humano generi pectoris arcana chartis mandare, & Litteris
innoteſcere tacentibus, quod lingua non valet loquente. Nam & Beatus Paulus
Apoſtolus abſentes filios pietate admonitionis ſæpiùs erudire ſolebat; vt quotidia-
na Litterarum lectio æternam patris præceptorum mentibus filiorum infigeret me-
moriam.

X. *Sanctitatis veſtræ auctoritatem Diuina Pietas, ad exaltationem & gaudium San-*
ctæ ſuæ Eccleſiæ, longæua proſperitate cuſtodire dignetur, PATER DILEC-
TISSIME. C

XI. Hactenùs Beati Flacci Albini, ſiue Alchuini, Abbatis, Epiſtola, niſi malè
coniectamus, ad Petrum Archiepiſcopum noſtrum: eademquè reueren-
tiæ pariter ac amoris plena.

XII. Eumdem verò Petrum in Ambroſiana Baſilica ſepultum eſſe, ſatis iam
probauimus in eiuſdem Baſilicæ Monumentis Num. 27. Denique verò
etiam Numero 450. ſepultum animaduertimus propè Altare Sancti An-
dreæ.

XIII. Eugenius Cattaneus eodem illo Catalogi Numero 50. addebat, Archie-
piſcopi huius noſtri extare Sermones ad Populum in feſtis Sancti Barna-
bæ & Nazarij, eoſquè mira eruditione refertos, & tanto Archiepiſcopo
dignos. Sed ò quàm ego vellem, indicaſſet, vbinam illi extarent! In- D
ſuper verò etiam Baſilicæ Ambroſianæ Canonicis id adſcribebat, quod
ne ipſi quidem Canonici ſibi depoſcunt (quippequi Canonicam ſuam
exiſtimant hoc Archiepiſcopo Petro longè vetuſtiorem fuiſſe) quodquè
Monachis re vera debebatur. Inquit enim: *Eccleſiam Sancti Ambroſij in*
Vrbe Mediolani (nomine nimirùm Vrbis etiam ſuburbia, Vrbi contigua,
complexus eſt Auctor) *Canonicorum dignitate ornauit, Canonicam à funda-*
mentis erexit, Canonicos multis redditibus dotauit & auxit. Quocirca etiam
Monachos protinùs erga ſe irritauit: eaquè verba inde tolli iuſſum eſt.

XIV. Catalogum nempe illum, ſic inſcriptum, Ioannes de Deis, iuſſu Pij
Papæ Quinti, è Vaticana Bibliotheca, necnon etiam ex eruditiſsimi
Cardinalis

Cardinalis Gulielmi Syrleti Codicibus manuſcriptis collegerat Anno A
Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo: deinde autem
octuageſimo-quarto Ioannes Oſmarinus Romæ typis ediderat. Sed enim
hoc ipſo ſubinde Anno Eugenius Cattaneus, è Regularibus Sancti Pauli
Decollati Clericis Epiſcopus Teleſinus, eumdem illum Catalogum
(quem viderat valde plauſibilem prodiiſſe, tametſi molis exiguæ foret)
nouis auxit additamentis (& inter hæc iis etiam verbis, quæ nuper ego
inde recitabam) atque octuageſimo-nono dehinc Anno Romæ pariter
euulgauit. Quippe Vincentius Accolius, Typographus, eumdem Li-
brum, ſic auctum, typis tunc impreſsit, & per Epiſtolam Calendis Ia-
nuariis datam nuncupauit Nicolao Cardinali Sfondrato, nobiliſsimo
huius Vrbis Ciui, eiuſdemquè tam ſingulari ornamento, quàm ſingula- B
ris poſtea Pontifex Romanus ipſe fuit, Gregorius nomine Decimus-quar-
tus. Cùm igitur tale illud additamentum Abbati & Monachis Ambro-
ſianis innotuiſſet; iiſdem profectò magnopere diſplicuit. Quocirca Domnum Euangeliſtam Suicum, qui tunc Romæ Abbas erat Monaſterij
Sanctæ Crucis in Ieruſalem, Procuratorem ſuum in id conſtituerunt,
vt ea inde verba, tamquàm falſa & Petri Archiepiſcopi Priuilegio (id à
me recitatum fuit in Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis Num. 17. à Mo-
nachis verò tunc etiam productum fuit in iudicium) aduerſa, legitimi
Iudicis iuſſu delerentur. Anni ergo nonageſimi ſecundi menſe Ianuario
ad Tribunal Pontificii Romæ Vicarij Generalis, Romanæquè Curiæ
Iudicis Ordinarii (qui tunc erat Hieronymus Tituli Sanctæ Suſannæ C
Cardinalis Rुſticucius) delata fuit eiuſmodi controuerſia. Ritè prop-
terea & ſecundùm Curiæ morem moniti vocatiquè fuerunt & Auctor &
Typographus ad reddendam rationem, cur ea nominatim addidiſſent
verba. Sed intra præfinitum tempus illi nunquàm comparuerunt. Ita-
que, tamquàm in contumaces, pronunciata denique fuit Sententia: de-
cretumquè, vt eadem illa verba è medio tollerentur, aliaquè ad ipſum
Petri Archiepiſcopi Priuilegium congruentia reponerentur. Eiuſmodi
verò Sententiæ authenticum in Ambroſiani huius Monaſterii Archiuo
conſeruatur exemplar: & quidem, ſicut ad extremum concluditur,
*Datum Romæ, in Aedibus noſtris, ſub Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu
Chriſti Milleſimo quingenteſimo nonageſimo-ſecundo, Indictione quinta, die verò* D
*Sabbati, vigeſimo-primo menſis Martij, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Pa-
tris & Domini noſtri, Clementis, diuina prouidentia Papæ Octaui, Anno eius
Primo. Præſentibus ibidem, Reuerendo Domino Simone Gugnetto Clerico Tul-
lenſi, & Domino Franciſco de Romulis Romano, dictæ Curiæ noſtræ Connota-
rijs, Teſtibus ad præmiſſa habitis, vocatis, atque rogatis*. Sic etiam cum
Signo Tabellionatus, ac ſolito prædicti Vicarii Sigillo, ſubſcripta de-
mùm hæc adſunt: *Et quia de præmiſsis ego Aſcanius Mazziottus, publicus
Apoſtolica auctoritate Notarius, necnon Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ Vicarij
Notarius, rogatus fui; ideò hoc præſens publicum Actorum Inſtrumentum ſub-
ſcripſi, & publicaui in fidem* &c. Et hæc de Petro hoc Archiepiſcopo ſatis
ſint in præſenti.

CAPVT

CAPVT LXXVIII.

De tribus alijs Archiepiſcopis, continuata temporum ſerie in Ambroſiana Baſilica ſepultis: hoc eſt, Oldeperto, Anſelmo, ac Dono: & vtrùm Litanias Triduanas primus inſtituerit Oldepertus. A

I. IN eiuſdem Baſilicæ Monumentis, è Numero 29. vſque ad 42. nonnulla ego iam ſcripſi de tribus hiſce Archiepiſcopis, qui Petro ex ordine ſucceſſerunt, quiquè in ea tumulati Baſilica fuerunt. Primo autem communiter aſsignari ſolent Archiepiſcopalis regiminis Anni nouem, ac menſes B ſeptem: ſecundo Anni quinque: tertio quatuor.

II. De primo tantùm illud hoc loco ſupereſt vt examinemus, quod in vno è manuſcriptis Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogis affirmatum in hæc verba inueni: *Obijt prædictus Olibertus* (mihi Oldepertus, alijs Olibertus, vel Alibertus) *Anno Domini* 814. *quinto Calendas Maij. Iacet ad Sanctum Ambroſium, vt in alio Libro legitur. Illius tempore factæ ſunt Litaniæ trium dierum.* Quarum quidem Litaniarum nomine nullum mihi eſt dubium, quin Triduanæ Rogationes intelligantur, quæ quotannis ab Eccleſia Mediolanenſi celebrari ſolent inter Aſcenſionem Dominicam & Pentecoſtem, ac de quibus multa iam diſſeruimus Capite 64. Hæc verò eæ quidem nomine Cleri Ambroſiani dicebantur à Sancto Archiepiſ- C copo Lazaro inſtitutæ; atqui ſuas etiam patiebantur difficultates, ac præſertim è ratione temporum petitas; præterquamquòd ne proficuæ quidem Vrbi noſtræ tunc fuiſſe videbantur ad eum finem, propter quem præſertim ſupponendæ ſunt ab initio inſtitutæ, ſicut ex Oratione illa, *Mæſtorum refugium, Deus, &c.* liquidiſsimè conſtat; quocirca ne tunc quidem Ciues noſtros ad frequentandum deinceps annuum ſui vſum allicere potuiſſe videbantur. Verumenimuerò ne hoc quidem Oldeperti Archiepiſcopi tempore vlla ſeſe Ciuibus noſtris obtulit eiuſmodi occaſio, vlla eiuſmodi preſſura eos circumdedit, qualis in ea pariter Oratione ſupponitur; cui vt eriperentur, tale illud remedium & in præſens & in poſterum ſibi eligere debuerint. Per ea enim tempora nonniſi Caro- D lus Magnus, & Bernardus ipſius nepos, in Italia & in Vrbe noſtra regnarunt ita, vt nullæ interim Barbarorum incurſiones hanc ipſam hoſtiliter vexarint. Quamobrem ne hoc quidem Oldeperti Archiepiſcopi tempore Triduanæ illæ Litaniæ ac Rogationes mihi videntur apud nos inſtitutæ.

III. Catalogus hic autem, quo mox vtebar, à Sancti Barnabæ hac in Vrbe Apoſtolatu pertingit ad electionem Archiepiſcopi Guid-Antonij Arcimboldi, Anno Domini 1489. factam: iſquè mihi recenter commodatus humaniſsimè fuit ab eruditiſsimo Marchione Vercellino Maria Viceeomite, cuius aliqualem feci mentionem Capite 2. Num. 14.

CAPVT LXXIX. A

De quodam legato pio, circiter hæc tempora, per Laurentianæ Baſilicæ Cimiliarcham pro Monachis Ambroſianis inſtituto.

I. TEnue quidem eſt hoc legatum; atqui rara cæteroqui felicitate tam fortunatum (ſic enim ego loquar) vt gratam eius memoriam Monachi Ambroſiani ſtudioſiſsimè pariter ac officioſiſsimè in præſentem vſque diem cuſtodierint, eiuſquè in poſterum perenniter euulgandæ occaſionem hanc mihi quoque præbuerint. Propè Sancti Satyri Cappellam, Baſilicæ Ambroſianæ propinquam, extat ædes, in qua multæ viſuntur Tabulæ marmoreæ, parietibus conſitæ, ac vetuſtis Inſcriptionibus inciſæ. Ibi ergo, non procul à Gulielmi Cottæ Abbatis ſepulchro, vna etiam extat, ſic inſculpta: ✠ *In nomine Sanctæ Trinitatis. Ego Petrus, Presbyter & Cimiliarcha* (ſiue ſacræ ſupellectilis Præſes & Cuſtos) *Sancti Laurentij* (tunc vtique noſtra in Baſilica vigebat eiuſmodi appellatio, quæ iamdudùm exoleuit) *vnà cum patre meo Iohanne, volo & iudico, ſeu per iudicatum inuiolabiliter confirmo: Vt petia illa de terra, quæ eſt extra Portam Ticinenſem* IVXTA NERONEM, *quæ eſt per menſuram ſex perticas, poſt meum & patris deceſſum deueniat proprietario iure in manus & poteſtatem Sancti Ambroſij; eo tamen ordine, vt Sacriſta & Camerarius, qui pro tempore fuerit, de cenſu & reditu, quæ inde annuè exierint, emant Camiſia & Femoraria Fratrum, & nihil aliud inde fiat. Et ſi qualibet perſona aliud inde fecerit; redeat in poteſtatem parentum; donec vnus eorum cum prædictis Fratribus, ad remedium & vitæ æternæ præmium, id adimpleuerit. Amen.* B C

II. In hæc igitur tempora hoc ego legatum teſtamentarium non illibenter eam ob cauſam conieci, quia tanti Monaſterii primordiis non incongruum videretur. NERO autem ille non aliud erat, quàm Fluuius, Vrbis noſtræ muros extrinſecùs è Porta Vercellina vſque ad Ticinenſem adlambens: eumquè fama eſt à Nerone Imperatore huc deductum, & ab ipſo propterea nomen hoc accepiſſe. Itaque Gualuaneus etiam Flamma in Chronica Extrauaganti, quæ in Ambroſiana Bibliotheca cuſtoditur, eidem conſuta Volumini, quo Chronicum ipſum Maius, ita legitur Quæſtione 15. Cap. 31. *In quibuſdam Chronicis habetur, quòd Nero, adhuc Cæſar, & nondùm Imperator, rediens de Gallia, hanc Ciuitatem aliquo tempore inhabitauit, flumen ad Ciuitatem introduxit, quod ex ſuo nomine Flumen Neronis appellauit.* Multa porrò de hoc Flumine legi poſſunt in Secundo Statutorum Mediolani Volumine, nimirùm à Capite 312. vſque ad 328. D

CAPVT LXXX. A

De Angilberto Puſterla, Archiepiſcopo, cuius liberalitate aureum Altare in Ambroſiana Baſilica conſtructum fuit, quiquè tandem in Nazariana ſepultus eſt.

I. ANgilbertum hunc ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 114. concludebam Eccleſiæ Mediolanenſi præfuiſſe ab Anno Domini ſupra Octingenteſimum vigeſimoſeptimo vſque ad Sexageſimum-primum. Quemadmodùm verò pretioſiſsimum interim Altare aureum ſuis ſumptibus in eadem illa Baſilica conſtruxiſſet, hoc item in eiſdem B Monumentis abundè proſecutus fui.

II. Pro Baſilica tantùm Nazariana dicendum nunc ſupereſt, eum ibi ſepultum fuiſſe. Qua de re quoniam Scriptores noſtri conſentiunt vnanimes, nec aliud præterea quicquam explicatiùs recenſent; propterea tacitus ego quoque hic acquieſco, nec vlteriùs progredior.

CAPVT LXXXI.

De Simeonè Metaphraſte: dequè ordine, quo Græca Eccleſia quatuor Martyres hos noſtros venerari conſueuit: ac de reſtauratione Baſilicæ Conſtantinopolitanæ, quæ ipſis olim erecta dedicataquè fuerat. Quali præterea Officio illi colerentur. C

I. ANno Domini 850. Simeon Metaphraſtes florebat: ac tandem obiit ſub Annum 859. ſi tamen vera ſunt, quæ Baronius in Annalibus ad hunc ipſum Annum, & Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, obſeruarunt; quibus ego aliquid poſtea in contrarium adiiciam. Multas ille Sanctorum Vitas Græcus conſcripſit Græcè: multas itidem, ab aliis iam Græcè conſcriptas, collegit: ordinequè omnes in ſingulos menſes diſpoſuit: quarum ego exemplaria & manuſcripta & typis impreſſa vidi recenter D in Ambroſiana Bibliotheca. Eaſdem profectò Latinitate donatas habemus in Tomis Aloyſii Lipomani; ſicut & in Laurentii Surii nonnullas; & eam nominatim, cuius varias partes adhuc recitauimus, è Græco ſic inſcriptam Latinè: *Vita & Decertatio Sanctorum & Glorioſorum Chriſti Martyrum, Nazarij, Geruaſij, Protaſij, & Celſij.* Hanc verò Surius vndeuigeſima Iunii die, Lipomanus autem quarta-decima Octobris recitauit: qua pariter die Metaphraſtes eamdem recitauerat, ſequutus Gentis ſuæ conſuetùdinem. Græci enim ea ipſa Octobris die annuam eorum quatuor Sanctorum commemorationem facere ſolebant; ſicut etiam Baronius in Notis ad vndeuigeſimam Iunij & ad vigeſimam-octauam Iulii

 diem

diem obſeruauit ex ipſorum Menologio: eamdemquèpariter facere ſole- A
bant eomet ordine, quem proximè vidimus è Metaphraſte. Quocirca Henricus etiam Caniſius Tomo Secundo Antiquæ Lectionis, recitans Menologium Græcorum, ex Bibliotheca & interpretatione Gulielmi Cardinalis Sirleti, tunc primùm è manuſcripto in lucem editum, & Notis à ſe illuſtratum, decima-quarta Octobris die ſic habet: *Natalis Sanctorum Martyrum, Nazarij, Geruaſij, Protaſij, & cæteri* (legendum eſt *& Celſi*) *ſub Nerone Imperatore in Vrbe Roma, poſt conſummationem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, martyrij certamen ſubierunt. Et Sanctus quidem Nazarius, Africani & Perpetuæ filius, fuit baptizatus à Sancto Apoſtolo Petro, Protaſius verò à Lino, Romano Pontifice, Succeſſore Apoſtoli Petri*. Talia ergo Græci. Qui tamen in eo præterea errant, quòd Nazarium aſſerant à Sancto Petro, Protaſium autem à Sancto Lino baptizatum. Re vera enim B
Protaſius à Sancto Caio (qui poſtea noſter Archiepiſcopus fuit) Nazarius autem à Sancto Lino Baptiſmum ſuſcepit; vti iam vidimus Capite 4. & 6. Quod nobis in præſenti ſufficit è Græcorum ſententia, hoc eſt; quòd noſtros eiuſmodi Martyres crediderint paſſos eſſe ſub Nerone; quodquè ipſos eo, quo dicebamus, ordine coluerint, primoquè ſemper loco Nazarium nominare ſoliti eſſent. Quemadmodum enim Capite 49. Num. 10. à nobis obſeruatum iam eſt; hinc profectò faciliùs dignoſci poteſt, non ſoli Nazario ſed etiam tribus aliis eiuſdem Commartyribus conſtructum ac dedicatum fuiſſe Conſtantinopoli Templum illud, quod tempus iam eſt vt è collapſo reſtauratum ac refectum commonſtremus. C

II. Inter Orientis Imperatores Baſilius quoque Macedo connumeratur: idemquè traditur ab Anno Domini ſupra Octingenteſimum ſexageſimo-ſeptimo vſque ad Octuageſimum-ſextum imperaſſe. Inter alia verò multa pietatis ſuæ monimenta, quæ poſteritati reliquit, ædificans reſtituens exornans, & locupletans Eccleſias, hoc etiam ſingillatim commemoratur; quòd *reſtituit Sancti Nazarij Aedem collapſam*, ſiue *Templum Sancti Nazarij collapſum erexit*. Sic enim conſtat è Georgii Cedreni Compendio Hiſtoriarum ab Orbe condito vſque ad Annum Domini 1057. necnon etiam è Ioannis Curopalatis Compendio pariter Hiſtoriarum ab Anno Domini 811. ad 1081. Quocirca etiam Baronius in Annalibus, ad Annum 886. recitat eiuſdem Curopalatis in hanc ſententiam verba, è Græco Latinè D
reddita; ſicut & in Martyrologii Notis, ad vigeſimam-octauam Iulij diem, de Sanctis Nazario & Celſo noſtris ita inquit: *Erat & Conſtantinopoli Memoria Sancti Nazarij: cuius Baſilicam, vetuſtate collapſam, reſtituit Baſilius Imperator, vt ſcribit Cedrenus in Compendio, in Baſilio Imperatore*. Vetus igitur hæc Baſilica, hoc tempore per Baſilium Imperatorem reparata, mihi quidem, vt dicebam, videtur ea fuiſſe, quæ olim à fundamentis conſtructa fuerat in honorem ac reuerentiam Nazarii, Geruaſii, Protaſii, & Celſi, quando Sacræ ipſorum Reliquiæ noſtra ex Vrbe Mediolano Conſtantinopolim allatæ fuerunt. Quod quidem, ſi non Theodoſij Senioris, certè ſaltem Honorii & Arcadii, filiorum eius, & proximorum

morum in Imperio Succeſſorum, quinetiam ſuperſtitis Ambroſij, tem- A
pore factum eſſe, conſtanter hoc etiam loco crediderim; ſicut etiam ſu-
periore illo Capite 49. Num. 10. credebam.

III. Iucundiſsimum profectò nunc erit videre Officium, quo iidem Sancti
Martyres ab Eccleſia Græca per hæc etiam tempora colebantur. Hu-
maniſsimè autem id mihi ſuppeditatum fuit ab eruditiſsimo Patre Simo-
ne VVangnereckio, Societatis Ieſu Sacerdote. Quo enim tempore binos
accepi Libros, à doctiſsimo pariter & erga me humaniſsimo ex eadem
Societate Patre Alberto de Albertis, patria Tridentino, ſed in Braydenſi
huius Vrbis Collegio Sacrarum Litterarum Profeſſore Commendatiſsi-
mo, aduersùs Gaſparem Scioppium meritiſsimè iuſtiſsimeque compoſi-
tos, ac Monachij primùm editos Anno 1649. eodem prorsùs tempore B
accepi Patris eiuſdem Simonis Librum, ibidem Anno 1647. impreſſum,
inſcriptumque *Pietas Mariana Græcorum*. Cùm igitur protinùs hunc aui-
diſsimè totum perlegiſſem, ac nominatim eius Prolegomena, per eum-
dem Patrem elaborata, quibus explicabatur, quales forent duodecim
Codices illi Græcè manuſcripti, è quibus Opus ipſe illud collegerat:
cùmque ſimul etiam viderem, hos quatuor Martyres noſtros ab Eccleſia
Græca ex antiquo cultos eſſe; continere profectò me non potui, quin
eumdem Patrem à me conſulendum ac rogandum eſſe cenſuerim, ſi
quid fortè in eiſdem Codicibus & Græcorum Menæis haberet, quo Diſ-
ſertatio hæc mea locupletari & illuſtrari poſſet. Per ipſum igitur Pa-
trem Albertum id tentaui: ac tanta mihi per vtrumque Patrem fælici- C
tate, vt nihil humanius, nihil liberalius optare potuerim. Quippe non
modò ſubſequentes Antiphonas & Odas accepi, ſed etiam prolixam
Epiſtolam, qua nonnullis aliis de rebus, ad eas pertinentibus, edoce-
bar, quamquè pretium erit operæ hic ad verbum recitari; digniſsimam
nimirùm, qua beneuolus etiam Lector meus vnà mecum perfruatur.

IV. Ea verò Epiſtola ſic ſe habet: *Quæ de Sanctis Nazario, Geruaſio, atque
Protaſio, ſimul & Celſo, Diuina Græcorum Officia ex eorumdem Menæis, quæ
numquàm Latinè prodierunt, à me deprompta, ac (velut Ampliſsima Domina-
tio Veſtra per quidem humaniter ante tres iam ampliùs menſes rogauerat) à me
inter plurimos, quibus vrgeor, ſcribendi labores, Latinè iam nunc primùm
ſunt reddita: ea modò poſt longam Dominationis Veſtræ expectationem (cui do-* D
*leo quòd citiùs gratificari non potuerim) peramanter ſimul & candidè commu-
nico; vt eiuſdem erudito Operi, quod de his Sanctis Mediolanenſibus medita-
tur, incognitis apud Latinos è veteri Græcia monimentis cumulando, inſeruiant,
quantùm eidem Dominationi Veſtræ neceſſarium fore videbitur.*

V. *Canon, ex Odarum porrò nouenario apud Græcos veteres conſtare ſolitus (qualem
Canonem de iſtis quoque Sanctis Latinè redditum nunc mitto) Canon, inquam,
Eccleſiaſticus in Menæis quid propriè ſit, inuenietur breuiter explicatum in Pro-
legomenis Pietatis Græcorum Marianæ, Numero ſeu Capite 20. poſſetquè Latinè
forſitan deſcribi Eccleſiæ Græcæ Hymnus regularis & ordinarius, in Diuinis
Officijs vſurpari ſolitus, ex Odarum plerumque nouenario conſtans. Reperiun-*

tur enim & Canones Græcorum Eccleſiaſtici, Odarum duntaxat ternario comprehenſi. A

VI. *Neque verò turbare quemquam debet, quòd in hoc Odarum nouenario ſecunda ſemper Ode in Diuinis Græcorum Officijs omitti deprehendatur; itaut octonarius potiùs Odarum, quàm nouenarius, videri poſsit. Id enim Græci non ſine myſterio faciunt. Quod quidem myſterium explicatur à noſtro Gretſero ex Zonara, Tomo 3. De Cruce, Libro 4. mihi pagina 413. item à Iacobo Goare in Notis ad Euchologium Græcorum, fol.435. Sed (vt ingenuè dicam) paulò minùs dilucidè ambo hic, quàm vellem, loquuntur. Poſſet igitur multò clariùs & breuiter dici, quòd in hoc Eccleſiaſtico Odarum nouenario, apud Græcos conſueto, ſecunda ſemper Ode penitùs omittatur; quia ſcilicet numerus ſecundus apud Græcam Eccleſiam myſticè deſignat illam poſteriorem, ſeu ſecundam quodammodo, ac à prima & ſanctiore illa degenerantem, Synagogam Iudæorum, quam & Deus penitùs abdicauit atque reiecit. Atqui tertius locus in hoc Odarum nouenario apud Græcos Chriſtianis non abſurdè tribui videtur; quòd Eccleſia Chriſtiana (poſt ſecundam, id eſt degenerantem, Synagogam) tertio velut loco ſucceſsiſse dici poſsit. Debentquè reliquæ item Odæ vſque ad nonam Chriſtianæ ſimiliter Eccleſiæ ſignificandæ accommodari; quia nempè ternarius propter Sanctiſsimam Trinitatem, ſolis Chriſtianis expreſsè reuelatam, ter in ſe ipſum multiplicatus, vſque ad nouenarium creſcit, nouem Choris Angelorum reſpondentem.* B

VII. *Quo quidem diſcurſu clariſsimè patet, cuiuſnam tandem myſterij gratia in ſuo quotidiano Odarum nouenario Eccleſia Græca, dum Officium Deo quotidianum perſoluit, ſecundam ſemper Odam diſsimulet; id quod in his etiam Græcorum Odis, quas nunc Latinas Dominationi Veſtræ communico, palàm licebit obſeruare. Sed erit hac de re pluribus adhuc differendum in Eccleſiæ Græcæ Syntagmate ſuper Sanctis Anargyris Coſma ac Damiano.* C

VIII. *Cæterùm Canonis huius, quem mitto, Acroſtichidem Græcam alia Acroſtichide Latina, litteris Græcis anxiè numeratis (quod omninò neceſſarium fuit, vt Latinæ litteræ numero Stropharum reſponderent) ipſo etiam ſenſu religioſè ſeruato, repræſentaui: itaut ſingulæ Canonis Strophæ ab vna Acroſtichidis littera incipiant.*

IX. *Quæ omnia ſi Ampliſsimæ Dominationi Veſtræ grata accidiſſe cognouero; mox enimuerò operam dabo, vt & Elogium Hiſtoricum, planè obſeruatione dignum (quod de his Cælitibus veſtris habent Menæa) pari fide communicem. Interim grates quàm amiciſsimas ago ſuper loco Mombritij indicato nuper, qui mihi planè eſt vtilis. Me ſummo cum amore & obſeruantia commendo. Monachij 22. Nouembris, 1650.* Hactenùs eruditiſsima pariter ac amantiſsima tanti ad me Viri Epiſtola. D

X. Sequitur nunc Officium eiuſmodi Sanctorum, ſicut ab ipſo itidem tranſmiſſum ad me fuit. Videlicet:

EX MENÆIS, XIV. OCTOBRIS. A

Memoria Sanctorum Martyrum, Nazarij, Geruaſij, Protaſij, & Celſij.

ANTIPHONÆ AD VESPERAS.

PRIMA: *Iſti Propugnatores Fidei, conſummato certamine, Coronam victoriæ obtinuerunt, nempe Nazarius generoſa indole præditus, magnus item Protaſius, cum ſingularis ſapientiæ Celſo, ac denique rerum diuinarum intelligens Geruaſius: quos nunc, agite, laudemus vt Generoſos Milites, vt Regni Superni Hæredes, atque vt Victimas ſuapte ſponte ſe immolantes.* B

SECVNDA: *Acclamationibus celebretur Nazarius, & vnà Protaſius cum Celſo atque Geruaſio mactetur honoribus, vt qui Athletas ſe glorioſos præſtiterunt, & Idololatrarum errores profligarunt: Angelorum propterea Choris iure ſanctiſſimo adlecti, atque ex Diuinitatis conſortio in ipſum quaſi Deum tranſmutati, ac demùm victoriæ ſertis per illam manum, in qua omnis vitæ principium continetur, locupletati.*

TERTIA: *Diuina ſapiens Nazarius, Dei Religione prædicanda, Ciuitates, quas peragrabat, illuſtrauit: cuius imitandi ſtudio Celſus, & vnà virtutum amore diuinitùs incaleſcens, è conculcata Dæmonis vafritie gloriam retulit: quos, agite, cunctis laudibus celebremus, tanquam Aſtra, atque hominum in tenebris degentium Luminaria, ac noſtrarum denique mentium Medicos.* C

QVARTA: *Victimas intelligentia præditas, Nazarium, Protaſium, Geruaſium, & Celſum prædicemus; quia omnem Tyrannorum rabiem vnà cum ipſis eorum Idolis confregerunt. Quapropter illorum precibus permotus, ò Chriſte Deus, Mundo pacem largire, & vnà animabus noſtris miſericordiam magnam.*

XI. Ecce verò nobis nunc etiam, quale fuerit Officium item Matutinum. Subditur enim:

CANON DE HIS SANCTIS MARTYRIBVS AD MATVTINVM, AVCTORE IOSEPHO.

Cuius Strophæ ſingulæ, ordine, ab littera aliqua incipiunt, quæ ad hanc Atroſtichidem pertinent:

CVM FIDE LAVDO MARTYRAS, CORONA PARES, D
IOSEP, *id eſt*, IOSEPHVS,
qui eſt Auctor huius Poematis.

Opportunè autem VVangnereckius hic internotat: *De hoc Ioſepho fusè dictum eſt Numero vigeſimo-ſecundo in Prolegomenis Pietatis Marianæ Græcorum.* Ibi ſiquidem de duobus diſſeruit Sanctis Ioſephis, & vtroque apud Græcos Hymnographo & Confeſſore: quorum alterutri nos Canonem hunc adſcripſerimus; certè Simeone Metaphraſte vetuſtiorem nanciſcemur. Ibidem verò etiam breuiter Acroſtichidem explicauit eſſe primas Stropharum litteras; ſicut etiam in ſequentibus apparet.

ODE

ODE PRIMA. A

C Cum fide contra Tyrannum pugnantes, atque certamini huic coronidem imponentes, ſimul & victoria huius coronam induiſtis, ò Diuini Martyres. Vnde & memoriam veſtram, ad Dei cultum inſtitutam, cum gaudio celebramus.

V Velis à Diuino Spiritu ſuppeditatis, tamquàm alis quibuſdam, mare ſuppliciorum tranſmiſiſtis, è fluctibus feliciter emerſi, O Glorioſi Martyres: & nunc ad ſuperni ſplendoris diuinam ſtationem appulſi, ſtabili tandem ſede conquieſcitis.

M Muniti Cruce, tamquàm thorace, Hoſtem incorporeum, ò Beati, proſtrauiſtis; in corpore, præter multifarios cruciatus, iniuſtam quoque mortem tolerantes.

AD DEIPARAM STROPHA.

F Feramus laudes Incontaminatiſſimæ Virgini: quæ ſola in vtero ſuo exiſtentem ante Sæcula Dominum collocauit, amplitudine Cælos exuperans, & digna Deo viſa, B à qua ille corpus benignè ſumeret.

ODE TERTIA.

I Inſtar bonorum diuinitùs naſcentium, ex Vite Diuina (ſcilicet Chriſto) Martyres iſti vinum nobis, quo ad pugnandum roboremur, abundè ſuppeditant: quod etiam vinum mentes noſtras ſpirituali gaudio perfundit.

D Decreto perſecutoris tui, ò Chriſti Martyr Nazari, quo te iubebat ille adulterinis Numinibus ſacrificare, fortitudine infracta reſtitiſti; ac potiùs temetipſum, vt inſtar agni ſacrificareris, valde quàm promptum exhibuiſti, ò gloria & omni beatitudine affluens Diue.

E Efferamus cuncti hodie vnanimi fide, laudumquè concentu, Nazarium, Protaſium, Geruaſium, atque Celſum, tamquàm veritatis Teſtes, per Spiritum Sanctum C conſtitutos.

AD DEIPARAM STROPHA.

L Legis Vetuſtæ Tentorium te præfigurauit, ò Intemerata: vt quæ eras futura Sacroſanctum ipſius Dei Tabernaculum; in quo nobis omnibus adueniret propitiatio, quæ donum ſanctitatis largiretur.

ODE QVARTA.

A Altior eſt omni cogitatione amor ille, quem promerentur hi Sancti Martyres: eorum luctæ, atque digna Viris certamina, ac denique præmia, quæ ipſis legitimè certantibus contuliſti, omnem verbi humani vim ac ſenſum ſuperant, ò Verbum planè Diuinum.

V Vnam profectò animam, atque ſententiam Chriſti Seruatoris hi Pugiles, dum in D diuerſis corporibus torquentur, præſtantiſſima ratione quadam demonſtrarunt: ſimul vnum, in certaminis loco, Deum confeſſi, illam erroneam de Deorum multitudine ſuperſtitionem euaneſcere paſſim fecerunt.

D Diuorum, Nazarij, Geruaſij, Protaſij, ac Celſi (tamquàm Venerabilium Martyrum) dimicationem ipſi etiam Angeli admiratione proſecuti fuerunt: quomodo ſcilicet corporei, cum Hoſte incorporeo congreſſi, eumdem animo ſummè virili humi affligere potuerint.

O O Chriſti Pugiles, Vos æterna ſortiti eſtis Tabernacula, tamquàm generoſi Milites, tamquàm inuicti Martyres, & tamquàm Religionis veræ Propugnatores; atque ideò inter Choros Angelorum nunc ſine termino collætamini.

AD

AD DEIPARAM STROPHA. A

M *Maculis ò nullis obnoxia Dei Genitrix, ille exaltatus ſuper omnes Deos, paternis*
ſinibus minimè derelictis, ſuper incontaminatos ſinus tuos conſidere non dubitat;
ſic omnibus ſedem in Dei Regno, & gloriam perenniter duraturam, præparans.

ODE QVINTA.

A *Aſsiduam quodammodò corpus tuum conſuetudinem habuit cum vulneribus, tor-*
mentis, atque multimodis cruciatibus, ò linguis omnibus celebrate Nazari. Vn-
de & perquàm fragrans ex illo corpore tuo vnguentum ſcaturit nobis, odore
ſuauiſsimo animos illorum imbuens, qui te indubisata fide colunt.

R *Rore copioſi cruoris tui extinxiſti carbones, quos multorum Numinum cultrix im-*
pietas accenderat, ò qui nunc præmijs tuorum certaminum perfrueris. Simul
prodigiorum abs te editorum ignea luce, ò Nazari Sapientiſsime, ærumnarum B
grauium materiam in nobis conflagrare facis, diuina Seruatoris gratia ſubnixus.

T *Tamquàm flores diuinæ cognitionis odorem exhalantes, tamquàm prata item vi-*
rentia mirabilibus rerum diuinarum doctrinis, tamquàm frugiſeras denique Pa-
radiſi arbores, hos vndique præclaros illuſtreſquè Martyres, Hymnorum Can-
ticis, & religione Beatis debita, honoremus.

Y *Ymnis Nazarius, & iuxtà cum illo Celſus decantetur, ac item generoſus cum Pro-*
taſio concelebretur Geruaſius: vt qui omnes columina ſint Eccleſiæ, nulla vi
vnquàm inflectenda: & eiuſdem ſimul fundamenta, nullo tempore frangenda.

AD DEIPARAM STROPHA.

R *Romphæa hæc, quæ prius Hortum Eden ſeu Paradiſum cuſtodiebat, nunc, ò Virgo,*
terga vertit coram Fidelibus, illo pretioſo Sanguine inſignitis, qui olim per ictum C
lanceæ effuſus eſt ex latere orientis ex te Filij.

ODE SEXTA.

A *Aquis inambulaſti, ò omnimodis Beate Nazari: neque tamen videbaris immergere*
illis veſtigia tua, per Spiritum Sanctum gubernata: cuius etiam vi atque vir-
tute aduerſarios omnes in ruborem dediſti.

S *Sanari nulla arte idoneis corporum morbis tu, per diuinam, ò Martyr Nazari,*
gratiam, remedium attuliſti: ac omnibus porrò, qui ad veneranda Lipſana tua
appropinquant, eximiè fragrans vnguentum ebullitione quadam ſubminiſtras.

C *Conculcando fluxas cum annexo illis potentatu diuitias, perenni gloria digni ſunt*
indicati, Diuinus ille Protaſius, Magnuſquè cum illo Geruaſius.

AD DEIPARAM STROPHA. D

O *Ordinem naturæ legitimum in nouam quaſi faciem immutaſti ò Virgo, Deum im-*
mortalem gignendo, eiquè carnem induendo mortalem; vt is benignitate ſua
mortales deificaret.

ODE SEPTIMA.

R *Robuſta cordium veſtrorum fulcra in Diuinæ doctrinæ petra cùm fundaretis, ò*
Martyres Glorioſi, inde nullis aduerſariorum machinis in tranſuerſum agi potuiſ-
tis, cantantes vnanimiter: Benedictus es Patrum noſtrorum Dominus ac Deus.

O *Occaſui nulli obnoxium lumen exortum eſt vobis, poſteaquàm vſque ad ſanguinem*
decertaſtis. Vnde & lætitia vos illuſtris excepit, ò Magni Martyres; dum
ſcilicet canitis: Benedictus es Dominus ac Deus patrum noſtrorum.

N *Non cunctanter Ciuitates varias ingreſſu veſtro quaſi conſecraſtis: dum ſcilicet in*
illis Chriſtum ante ora Tyrannorum profitemini, ò Beati Pugiles: & iuxtà gra-

Non

tiæ diuinæ auxilio indigentibus genus omne remediorum exhibetis. A

AD DEIPARAM STROPHA.

A *Aluum tuam, ò Virgo Inculpatiſsima, inſtar Palatij cuiuſdam illuſtriſsimi fulgere, Deus cùm videret; mox illam inhabitauit; vt illic filios lucis procrearet, ingenti voce cantaturos: Benedictus es Dominus ac Deus patrum noſtrorum.*

ODE OCTAVA.

P *Præmaturè ad Magnum Solem, qui quodam incomprehenſibili modo ex Virgine ortus eſt, dum vigilatis, ò Inuicti Martyres; ipſi quoque interim lumen effecti eſtis, & errorum tenebras gratia diuina ſuſtuliſtis, clarè pſallentes: Laudate & ſuperexaltate Dominum.*

A *Antiqua Roma tua prædicat certamina, ò multarum palmarum Victor Nazari: at Noua Roma (ſeu Conſtantinopolis) canit tua prodigia, per Sacras Reliquias tuas,* B *quas poſsidet, inter Fideles perpetrata, exclamans identidem: Laudate & ſuperexaltate Dominum.*

R *Ritu fontis vnguenta gratiæ profundens Diuinus ille Nazarius, inuitat omnes, qui ad eum religioſè confugiunt, vt hauriant ex ſe lucem atque munditiam mentis, clamitantes: Laudate opera Dominum.*

E *Excellentis ò fortitudinis Athletæ, Nazari, Celſe, Protaſi, atque Geruaſi, cùm vobis præpotentibus ad Deum Interceſſoribus vtamur; inde nunc auido clamore pſallimus: Laudate Dominum.*

AD DEIPARAM STROPHA.

S *Subſtantia carnis vnitus tibi Deus, qui omnibus rebus, vt eſſe poſsint, largitur, totum me refinxit, totumquè innouauit, ò Caſtiſsima, vtpote iniquitatibus tam-* C *quàm ætate decrepita confectum. Quapropter te Virginem laudamus & ſuperexaltamus in omnia ſæcula.*

ODE NONA.

I *Ieſu Chriſti potentia Vos corroborati, qui inferni Hoſtis malitiam diſsipauit, inclinata ad huius hoſtis ictum ceruice, gladio finem viuendi feciſtis, vinculo carnis exſoluti, ò magni nominis Martyres. Vnde nunc iure inter Beatos laudamini.*

O *Ornata vulneribus carne ſpecioſi extitiſtis, Angeliſquè propterea ſimiles effecti eſtis: nunc autem adſiſtitis rerum pulchrarum omnium pulchritudini Deo, lætitia perenni hilares, & per huius ſummæ pulchritudinis conſortia, illuſtriore adhuc ornatu cumulamini, ò omnibus omninò venerandi Martyres.* D

S *Singularibus vos & illuſtribus prodigiis Dominus perornauit, tum viuos tum mortuos, ò vndique decantati Cælites, & inuicti Martyres. Quare meritò nunc inter Beatorum cœtus collocamini.*

E *Eccleſia vniuerſa hodie, Sancti, benedictione quadam perfunditur, hanc Solemnitatem veſtram celebrando: quin & Martyres ipſi in Cælo, cum omni Prophetarum Choro, vobis gratulantur: cum quibus vos quoque, ò omni ex parte Beatiſſimi, pro nobis apud Deum, Benefactorem Veſtrum, ſupplicate.*

AD DEIPARAM STROPHA.

P *Perquàm nos hilares, ò Virgo Caſtiſsima, vſurpamus ad te Diuini Gabrielis verba: Aue gratia plena, Martyrum & Apoſtolorum Gloria, & cunctorum denique Fidelium Salus, Mater & Virgo, atque congreſſus nuptialis inexperta.*

XI. In

XI. In extremo ſuperioris Epiſtolæ benigniſsimus ille Pater ſponte ſua mihi A
offerebat è Græcorum Menæis Hiſtoricum de hiſce noſtris Martyribus
Elogium, ſicut proximè vidimus Numero 9. Per meas ergo viciſsim
Litteras eum rogaui, vt illud quoque, mihi quidem optatiſsimum, ſuo
commodo ad me tranſmitteret. Tranſmiſit igitur, & his quidem verbis
exaratum: *Ex Menæis, decimo-quarto Octobris, Elogium Sanctorum Marty-*
rum, Nazarij, Geruaſij, Protaſij, & Celſi. In fronte Elogij: Nazarium, ac
ſimul tres eius in certamine Collegas, ad Deum Nazarenum adduxit gladius.
Cum tribus ſocijs Nazarius decollatus eſt decima-quarta menſis die. Sequitur
nunc ipſum Elogium: Hi Diui Romæ, poſt conſummatum à Sanctis Apoſtolis
martyrium, obierunt & ipſi certamen ſub Nerone, qui tum regnabat. Ingreſſi
ſunt porrò pietatis (ſeu veræ Religionis) ſemitam, Apoſtolo Petro ducente. Anno B
autem vigeſimo ætatis ſuæ Sanctus Nazarius peragrare incipiens Italiæ Ciuita-
tes, prædicando Euangelio, multis, vt ad Fidem peruenirent, manum præbuit:
ac decem poſt annis etiam venit Placentiam, vbi Sanctos Protaſium & Ger-
uaſium in cuſtodiam coniectos reperit ab Anulio Præſide. At Nazarius Vrbe mox
eiectus fuit: ac inde profectus eſt in Ciuitatem, quæ dicitur Cimelis: atque illic
Celſum, triennem puerum, ſibi adſciſcit, ac è veſtigio à Dinobao incarceratur.
At poſt hæc denuò è carcere dimiſſus, vnà cum Celſo peruenit in Ciuitates ſitas
ad Tiberim, Euangelicam Populis Doctrinam tradens: vbi etiam locorum à Ne-
rone in vincula conijcitur, ac ad beſtias condemnatur. Quibus expoſitus, cùm
incolumis permanſiſſet, poſtliminio Mediolanum redijt: vbi Sanctos Geruaſium
& Protaſium, etiamnùm ſuperſtites, ſed in carcere item collocatos, reperit: C
moxquè iteratò Romam ab Anulio deduci iuſſus eſt: vbi & Auo ſuo auctor ex-
titit ſalutis. Exinde Mediolanum redux, capite mulctatur, vnà cum Geruaſio,
Protaſio, & Celſo.

XII. Hactenùs Elogium illud. Quoniam verò nonnulla ego meis in Litteris
indicaueram, quæ in eorumdem Sanctorum Vita, per Metaphraſtem
recitata, non ſatis mihi probarentur; propterea VVangnereckius in ſuis
ad me rursùs cum Elogio ipſo datis (datæ autem fuerunt Monachii
Anno 1651. die 28. Nouembris) ſic etiam reſpondit: *Mitto Hiſtoricum*
è Menæis Elogium, quod Dominatio Veſtra in nuperis ad me ſuis deſiderauerat.
Video tamen, illud vndique congruere cum Metaphraſtæa apud Surium Narra-
tione: quam equidem propè certum habeo non primò ab ipſo Metaphraſte con- D
textam, ſed per eum aliunde in ſua de Sanctis ſcripta tranſlatam. Quid, quòd
ille etiam nitor eloquentiæ, quo res Sanctorum proſequi conſueuit Metaphraſtes,
mihi quidem certè hic deſideratur? vt (vulgatiſsimo iam errore) ceu aliæ Cæli-
tum nunc multorum Vitæ, quarum Auctores ſunt ignoti, temerè adſcribuntur
Metaphraſtæ, ita hanc quoque Sancti Nazarij & Sociorum Vitam non profectò
arbitrer ad eum pertinere. Vetuſti tamen Auctoris hæc Narratio eſt; quando-
quidem ipſa etiam Menæa ſuum iſtud de his Sanctis Elogium ex ea, tamquàm
fonte quodam, deriuarunt.

XIII. *Verùm, antequàm hoc ipſum è Menæis Elogium ſigillatim examinemus, priùs*

paucis eloquar , quid de Metaphraſtæ Sæculo (atque hoc quidem illud eſt, A
quod initio huius Capitis me pollicebar adiecturum , contraquàm Baro-
nius & Bellarminus Cardinales cenſuerint) *iam nunc ſentiam . Nam , à
Viris Doctiſsimis , Leone Allatio , & Ioanne Bollando Noſtro* (quorum bene-
uolentiæ me quoque glorior eſſe participem) *litteris pereruditis monitus ,
video Baronium illum Magnum (cuius auctoritatem in Prolegomenis Pietatis
Marianæ Num. 28. folio 102. ſecutus fueram) aliquantùm in ætate aſsignanda
Metaphraſtæ , quòd beneficio Monimentorum quorumdam ſeriùs erutorum caruiſ-
ſet , vacillaſſe . Itaque omnium primus in hac re ſolidiùs demonſtranda , Leo
Allatius , Illuſtri Doctrina Vir , in Diatriba ſua De Pſellis , fol. 20. produxit
locum quendam Pſelli Iunioris , ex eius Canone Eccleſiaſtico nondùm edito , inquè
laudem Metaphraſtæ (vt Viri Sancti) compoſito : vbi quidem diſertis verbis B
indicat Iunior ille Pſellus , Metaphraſten primam inter omnes Sanctorum Hiſto-
rias condidiſſe Vitam Theoctiſtes Virginis : in qua certè Auctor ille conteſtatur ,
ſe ab Himerio , nobiliſsimo belli Duce , cùm in Cretam Inſulam à Leone Sapiente
mitteretur (id quod accidiſſe decem annis ante Leonis Sapientis obitum Cedre-
nus indicat , id eſt , Anno Chriſti 898.) viuida adhuc adoleſcentia præditum ,
Artis Imperatoriæ rudimenta quædam didiciſſe . Vt iam abundè liqueat , Me-
taphraſten , qui , ante hanc Sanctorum Vitas colligendi induſtriam , Aulæ iam
tum Imperatoriæ Logotheta ſeu Cancellarius fuerat , non potuiſſe hanc tam nobi-
lem de Sanctis operam ante Annum Chriſti Nongenteſimum inchoaſſe . Sed hæc
in Syntagmate proximo de Sanctis Coſma & Damiano (quorum honori Meta-
phraſtes non pauca ſcripſit , à me tunc proferenda) longè dilucidiùs demonſtrabo: C
vbi & omnes Pſelli Odas Eccleſiaſticas , de Metaphraſte ſcriptas (quas mihi
Græcè Leo Allatius humaniſsimè communicauit) Latinè à me verſas exhibebo.*

XIV. *Nunc ad Menæorum Elogium de his Mediolanenſibus Sanctis (quorum Hiſto-
riam tractatione illuſtrat pererudita Dominatio Veſtra) breuiter excutiendum
veniamus . Ac primò quidem diſertè aſſirmant Menæa , decimo-quarto Octobris
Sanctos hoſce Mediolanenſes martyrium conſummaſſe ; neque tamen non locum
habet erudita Dominationis Veſtræ coniectura . Potuerunt enim Iuniores Græci
(quod apud Latinos etiam perſæpè accidit) diem Tranſlationis Reliquiarum , aut
dedicatæ his Diuis Baſilicæ , cum die Natali horum Cælitum permiſcuiſſe . Se-
cundò aiunt Menæa ,* Romæ *quidem ſub Nerone hos Sanctos decertaſſe , at Me-
diolani tandem martyrium conſummaſſe . Verùm hæc doctis Dominationis Veſtræ D
rationibus obeſſe nihil profectò debent . Nam hic non tam Menæorum quàm Auc-
toris innominati (vnde hoc Elogium in Menæa tranſlatum eſt) fides examina-
tur . Nam & in Romano Martyrologio ac Breuiario hiſtoriarum quædam circum-
ſtantiæ , per varios temporum longorum caſus vitiatæ , à Viris Doctiſsimis cor-
riguntur . Tertiò omnes hi Sancti ſimul paſsi perhibentur . Sed hic quoque par
erit contra diſſerendi ratio ; ſi nempe certiora proferantur Monimenta . Quartò ,
quem Menæa Præſidem Anulium vocant , eum alij nominant Anulinum . Quin-
tò , quam hic Galliæ Vrbem dicunt Cimelin (Græcè* Κιμων *) Menæa , eam Ferra-
rius vocat Camelam , Narratio autem Suriana Melian . Quid , ſi fortè ſit Me-*

lodunum

lodunum Galliæ, quam hodiequè Melum dici, teſtatur Ortelius? Denique Ciuitates ad Tiberim ſitas vocant hic Menæa πόλεις Τιβερίν. *Mihi verò certum eſt, hoc loco Græcos, parùm Latinæ pronunciationis gnaros,* Τιβερίν *ſeu Tiberij nomen pro nomine Tiberis Fluuij vſurpaſſe. Nam alias quæ (obſecro) Ciuitates hæ forent in Italia, quas, Tiberij Cæſaris nomine vocitatas peragrarit Sanctus Nazarius? Ceterùm de Sancta Perpetua reliquiſquè horum Cælitum Parentibus* (de quibus prætereà ipſum ego rogaueram) *nihil penitùs, quod poſſim promere, offerunt Menæa.* A

XV. Sic igitur VVangnereckius Elogium illud examinabat. Ego autem quatuor inſuper alia in eo non approbarim. Non enim Geruaſius decollatus fuit. Non vnà cum Protaſio Placentiæ primùm in carcere à Nazario repertus. Non Nazarius beſtiis expoſitus, nec ab iis incolumis Mediolanum eſt reuerſus. Non denique in Vrbe Roma ſalutis auctor fuit Auo ſuo, ſed ad ſummum Patri ſuppetias ad eam tulit. Et hæc quidem ſatis iam patent ex iis, quæ ſupra ego ex horum Sanctorum Vita, per Mombritium item recitata, depromebam. B

CAPVT LXXXII.

De Thadone Archiepiſcopo Mediolanenſi, & in Ambroſiana Baſilica ſepulto. An primus apud nos fuerit auctor, vt quotannis celebraretur Officium Exaltationis Sanctæ Crucis. An etiam ille fuerit è Grimalda gente. C

I. PRO Thadone item hoc Archiepiſcopo nobis vſui eſſe poterunt noſtra Baſilicæ Ambroſianæ Monumenta, & præſertim à Numero 114. vſque ad 122. ſiue ab Anno Chriſti ſupra Octingenteſimum ſexageſimo-primo vſque ad ſexageſimum-nonum, quo temporis ſpatio Eccleſiam Mediolanenſem oſtendimus ab ipſo fuiſſe adminiſtratam, & ſapienter, & ſanctè, catholicequè: ipſumquè tandem in Ambroſiana Baſilica ſepultum.

II. Quæ nunc ſuperaddimus, ea nobis poſtmodùm ad notitiam peruenerunt. Thado enim, re vera Sapiens (quo fuerat elogio decoratus ab ipſomet Nicolao Papa Primo) priuſquàm moreretur, in ſuffragium animæ ſuæ iuſsit, Exaltationem Sanctæ Crucis primo menſis Octobris Sabbato quotannis celebrari, quæ alioqui decima-quarta Septembris die celebrari ſolet: eamquè curam & adminiſtrationem Abbati demandauit Ambroſiano: cui propterea reditum etiam quendam Eccleſiaſticum attribuit. Horum autem omnium narrator ac teſtis luculentiſsimus nobis eſt Beroldus ille noſter, cuius alibi mentionem iam fecimus, quemquè Anno Domini vigeſimo-tertio ſupra Milleſimum centeſimum floruiſſe iam diximus, ſuoquè quinetiam tempore ſiue Capite 97. oſtendemus. In eo D

enim Codice manuſcripto, quem libenter ego Pontificale Ambroſianum appellauerim, quiquè in Capituli Metropolitani Bibliotheca conſeruatur, ſic ille tradebat: *In primo Sabbato menſis Octubris Hebdomadarij canunt Pſalmos in Eccleſia Hyemali, & in Pſalmis dicunt Orationes illas, quæ ſunt inferiùs notatæ: incipientes ab illis, quæ ſunt in Dominicis diebus, in Matutinis. Et primus Notariorum canit primum Reſponſorium, Tua eſt potentia: Secundicerius canit ſecundum Reſponſorium, Domine miſerere nobis: & Presbyter & Diaconus & Subdiaconus canunt Miſſam ipſius diei. Quod Officium ſit pro Exaltatione Sanctæ Crucis, ſecundum iudicatum Thadonis Sapientis, quod inſtituit pro remedio animæ ſuæ. Item canunt Veſperum huiuſmodi in Hyemali Eccleſia: & dicuntur Orationes, quæ ſunt in Exaltatione Sanctæ Crucis.* Et paulò pòſt: *Finito Veſpere, totus Chorus Maior honorificè debet habere fruges & vinum, datas ab Abbate Sancti Ambroſij: qui tenet beneficium, quod iudicauit prædictus Sapiens Thado. Et ſciendum, quia, antequàm Pſallentium incipiatur, dant ſolidos quatuordecim Primicerio Lectorum, & denarios octo: & ille diuidit, ſicut ſupra legitur.* Quemadmodùm verò feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis vniuerſa deinde fuerit Vrbe communiter receptum, ſicut & in omnibus aliis Chriſtianorum locis iam ante celebrabatur: & quemadmodùm Tadelbertus quidam, qui & Tado, Vrbis huius Notarius, ad maiorem ſolemnitatis eiuſmodi celebritatem nonnullas domos agroſquè Ambroſiano Monaſterio legauerit: hæc abundè cognoſci poſſunt è noſtris eiuſdem Monaſterij ac Baſilicæ Monumentis ad Annum Chriſti 1053. Num. 252. Nonnihil tamen veritum me fateor, ne Beroldus errauerit: ac videns tale illud legatum celebrari ſolitum eſſe pro Thadone, Thadonem Archiepiſcopum acceperit pro altero illo Notario, pro quo re vera celebraretur; ſed non cum tanta ſtipe, quantam ipſe præſcripſerat; quia nimirùm interiecta temporum mutatione factum eſſet, vt longè minores reditus ex iis prouenirent bonis, quæ Monaſterio ad eum finem legata fuerant.

III. Porrò de Thadonis patria & ſtirpe nihil ego adhuc apud noſtrates comperi Scriptores. Marchio Fabricius Boſsius, celeberrimo illo Senatore atque Conſiliario Regio, necnon etiam Extraordinarij dehinc Ordinarii Magiſtratus Præſide, Simone genitus (cui, quatuor ab hinc annis defuncto, vitam beatam ex animo precor) Patricius præſtantiſsimus, & Anno Domini 1611. Vrbis noſtræ Præfectus (ſicut ad perpetuam memoriam Campanariæ item ad Forum Mercatorium Turri legitur aureis inſculptum litteris) exemplar, cum autographo fideliſsimè à me ipſo collatum, mihi dudùm ſuppeditauit Epiſtolæ, Anno 1583. die 27. Maij, ab Alphonſo Chieccarello ex Vrbe Roma conſcriptæ ad Franciſcum Boſsium, Nouarienſem Epiſcopum: qua Epiſtola ſe profitebatur typis imprimendam tunc curare ſuam Mediolanenſis Eccleſiæ Hiſtoriam, Cardinali & Archiepiſcopo tunc noſtro Carolo Borromæo nuncupatam: & in qua, tamquàm ex Eccleſiaſtico Chronico Ioannis à Murano, ſic haberet:

beret: *Thado Arbutius, Conſalonerius, cognomento Sapiens, Anno Domini* A
870. *fuit creatus Vigeſimus-tertius* (vndenam numerum ille hunc dedu-
xerit, ego neſcio) *Archiepiſcopus Mediolani à Papa Adriano Secundo, Anno*
tertio ſui Pontificatus: & ſedit Annos ſex. Ea tamen tam Ioannis à Mu-
rano quàm Chieccarelli Hiſtoria mihi nondùm innotuit: neque de ip-
ſarum fide quidquam ego in vniuerſum affirmarim vel negarim. Certè
quidem ambo in eo falluntur, quod Thadonem aſſerebant creatum Ar-
chiepiſcopum Anno Domini 870. quo ille iam obierat. Sed ne ſuſpi-
cione quidem in eo carent, quòd Thadonis nomini adiecerint *Arbutius,*
Conſalonerius; quaſi verò ille fuerit è Mediolanenſi Confanoneriorum fa-
milia. Hoc enim fortaſsè veriùs dicitur de proximo ipſius ſucceſſore
Anſperto. Donatus Boſsius in Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogo, B
Num. 57. & in Chronico ad Annum Chriſti 875. *Aſpertus Arbutij de*
Confanonerijs, Mediolanenſis Archiepiſcopus &c. Catalogus, *Succeſſores Sancti*
Barnabæ inſcriptus, Num. 57. *Aſpertus, ſiue Arbutius Conſalonerius, Ciuis*
&c. Ioannes Franciſcus Beſutius in Hiſtoria Pontificali Mediolani, Num.
59. *Anſperto, e chi dice Arbutio, della nobile Caſa de Conſalonerij, Milaneſe*
&c. Ioſephus Ripamontius Libro 9. Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanen-
ſis, pag. 598. *Aſpertus nomine, gente Conſalonerius*. Sed hoc etiam ipſum
paulò inſra examinabitur. Nunc ad Thadonem Diſſertatio ſe recipiat.

IV. Genealogica & Hiſtorica Grimaldæ Gentis Arbor, cuius ſtirps Monœcæi
Principes, à Carolo de Venaſque Anno 1646. deſcripta, & Pariſijs
Anno poſteriori edita, Thadonem hunc ex ea fuiſſe Gente commemi- C
nit. Ante omnes enim, tamquàm eiuſdem Gentis auctorem producit
Grimoaldum, cognomento Iuſtum, Pipini, cognomento Craſsi, Bra-
bantiæ & Auſtraſiæ Ducis, filium ſecundogenitum, Caroli Martelli fra-
trem, Imperatoris Caroli Magni patruum &c. atque hunc Anno Salutis
Humanæ 713. vel 714. mortuum affirmat. Secundo loco Theobaldum
nominat, cognomento Monteſinum, Galliæ Belgicæ Comitem &c. à
Carolo Martello patruo, & à Ramanſredo in eius dignitates ſubſtituto,
armata manu è Galliæ Regno expulſum, & in Hiſpaniam profugum, ſed
inde tandem reducem Anno circiter 750. Tertio loco Ramirum collo-
cat Grimaldum, Theobaldo patri non imparem. Quartum verò deſcri-
bit his verbis: *Hugo Grimaldus, Antipolis & aliarum Vrbium ac locorum in* D
Gallo-Prouincia Dominus, vnus ex præcipuis Caroli Magni Imperatoris Exerci-
tus Præfectis; cùm in Italiam tranſuectus Romam petijt, & Leonem Tertium
Pontificem Maximum, à Primoribus Romanis iniurioſè tractatum, Pontificio
ſolio reſtituit Anno 800. *Duxit* (videlicet vxorem) *N......... Archiepiſcopi*
Mediolanenſis ſororem. In quorum teſtimonium protinùs adducit manu-
ſcriptam eiuſdem Gentis Grimaldæ Genealogiam, Anno 1430. à Nico-
lao Grimaldo collectam, & in Monoeci Archiuo cuſtoditam. Quinam
verò fuerit Archiepiſcopus ille Mediolanenſis; hoc ipſe non indicat,
Subinde verò inter eiuſdem Hugonis filios enumerat Paſſanum, Anti-
polis pariter Vrbis & aliarum Vrbium ac locorum Dominum, necnon

Franciæ

Franciæ Magnum-Magiſtrum: ac Theobaldum. De quo quidem Theo- A
baldo idem Venaſquius ſexto loco ſic proſequitur: *Theobaldus, ſeu Tad-*
dus, Mediolanenſis Archiepiſcopus. Obijt Anno 876. vita ſanctitate clarus, in
Sancti Ambroſij Mediolanenſis Eccleſia ſepultus. Hucquè protinus teſtes ad-
ducit Nicolaum Grimaldum in prædicta Genealogia, & Ioannem Fran-
ciſcum Beſutium in Hiſtoria Pontificali Mediolani, folio 109. Cuius Be-
ſutii teſtimonio ſicuti Thadonem conſtat in Sancti Ambroſij Eccleſia
ſepultum eſſe; ſic etiam reliquum videtur, vt eumdem fuiſſe Hugonis
illius filium conſtet ex ea Grimaldæ Gentis Genealogia, per Nicolaum
illum Grimaldum collecta. Quòd ſi rei veritas ita ſe habet; certè Tha-
do non ſolùm Archiepiſcopus Mediolanenſis fuit, ſed etiam Mediola-
nenſis Archiepiſcopi nepos, è genitrice ſua, eius ſorore. Atque hanc B
fortaſsè ob cauſam nonnullis viſus eſt Ciuis eſſe Mediolanenſis: ac no-
minatim Paulo etiam Morigiæ, Libro 2. De Nobilitate Mediolani,
Capite 4.

CAPVT LXXXIII.

De Anſperto, Anſelmo, Landulfo, Andrea, & Achone, Mediolani Archiepiſcopis, in Ambroſiana Baſilica, vno poſt alium, ſepultis.

C

I. QVemadmodùm hi quinque Archiepiſcopi Eccleſiam rexerint Mediolanenſem, ac demùm in Ambroſiana Baſilica ſepulti fuerint: hæc ego pariter in eiuſdem Baſilicæ Monumentis per interualla indicaui è Numero 122. vſque ad 158. & ab Anno Domini 869. vſque ad 918. Lectorem igitur ego precor, vt ad ea diuertere non grauetur, meque nunc paucula tantùm quædam ſuperaddere permittat, non iniucunda ſcitu.

II. Anſpertum ſuperiori Capite innuebam videri poſſe genitum è Conſano-
neriorum ſiue Confaloneriorum familia. Huic tamen opinioni, tametſi
communiori, ſemet oppoſuit Triſtanus Chalcus, & ipſemet præſertim
Anſperti Teſtamento, quod legerat, permotus. Hiſtoriæ ſiquidem Pa- D
triæ Libro 5. ad Annum Chriſti 879. ſic inquit: *Carlomannum Regem*
Longobardorum in Italia fuiſſe, conſtat Teſtamento Anſperti, Archiepiſcopi Me-
diolanenſis, condito eius Regni Anno ſecundo. Cuius quidem lectione duo alia
commemoranda animaduerti: veritatem cognominis eius; cùm ſe dicat genitum
patre Albutio de Blaſono, & matre Garidtruda. Recentiores autem Chronogra-
phi illum inſerunt Conſanoneriorum familiæ. Haud equidem opinabar tam ve-
tuſtam. Blaſonum verò Vicus eſt non longè à Moguntia (ſiue Modoetia)
Lambroquè Flumine: quem etiam opulentiſsimus Sacerdos (Anſpertus) *Xeno-*
dochio & varijs Sacellis locupletauit. Idem Domum in Vrbe Diuis Satyro,
Ambroſii fratri (legendum eſt, *Ambroſio fratri*, ſicut ego è Triſtani auto-

grapho

grapho obſeruabam in Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis Num. 138.) *& Syluestro dedicauit. Nostra ætas collapſam reſtituit, pulchrioremquè longè & laxiorem fecit. Cumquè alijs vrbanis Cœnobijs multa largiretur; Monaſterium quoque Maius in partem nuncupat. Vnde ſecundi erroris argumentum capio contra eos, qui ſcribunt, longè poſteriùs & ſub Othone Primo fundatum hoc Cœnobium fuiſſe* &c. Sic igitur Chalcus contra Recentiorum errorem concludebat, Anſpertum è familia fuiſſe, non Confanoneriorum, ſed *de Blaſſono*. Atqui non hoc contenta nobiliſsima Boſsiorum familia, vlteriùs progreditur: & Anſpertum cognomento prætereà fuiſſe Boſsium ea ratione contendit; quia Domini *de Blaſſono* cognomentum habuerint, & in præſentem vſque diem habeant Boſsiorum, vulgoquè nunc etiam nuncupentur I BOSSI DA BIASSONO. Quocirca Sapientiſsimus ille Fabricius, cuius mentio Capite ſuperiori facta eſt, nonnullos alios, pro eadem opinione producebat teſtes: & in primis Epiſtolam illam ſuperiorem, qua non ipſius modò Chieccarelli, ſed etiam Ioannis à Murano in eius Chronico Eccleſiaſtico, & Petri Boccalini ab Orta, Tomo Primo Chronicorum Italiæ, fol. 129. teſtimonia continentur. His porrò Paulum addebat Morigiam De Nobilitate Mediolani Libro 1. Cap. 8. & Libro 2. Cap. 4. quo quidem Capite quarto idipſum ſuffragiis confirmat eorumdem Murani & Boccalini, perinde fermè ac ſi Epiſtolam pariter illam ipſe quoque præ manibus tunc habuiſſet. A B

III. Quòd autem Chalcus mentionem faciebat Teſtamenti per Anſpertum conditi, ac nonnullas eius partes indicabat; equidem illud video diuerſum eſſe ab eo, cuius exemplar in Ambroſiani Monaſterii Archiuo conſeruatur, quodquè Monumentorum eiuſdem Monaſterij & Baſilicæ Appendici conſerere meditabar, niſi iuſtas poſtea ob cauſas nouæ me potiùs Operis illius editioni reſeruaſſem. In hoc enim exẽplari nulla extat mentio Xenodochii in Vico Blaſſono conſtruendi, nulla Monaſterii Maioris, vel aliorum huius Vrbis Cœnobiorum. Certè tamen ipſum etiam ſic incipit: *In nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Iheſu Chriſti. Karlomannus, diuina ordinante prouidentia Rex Langobardorum in Italia, Anno Regni eius ſecundo, decima die menſis Septembris, ingrediente Indictione tertia-decima. Ego in Dei Omnipotentis nomine Anſpertus, humilis Archiepiſcopus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, & filius bonæ memoriæ Albuci de Blaſſouno, qui vixi Lege Langobardorum, præſentibus dixi* &c. In primis autem confirmat acta pro Baſilica, quam in ſuis habitationis ædibus intra Vrbem à fundamentis conſtruxerat *in honorem Dei, & Sanctorum Chriſti Confeſſorum, Satyri, & Sylueſtri Papæ, & Beati Ambroſij Epiſcopi*. Deinde verò totus fermè eſt in diſponendo Xenodochio, quod eidem Baſilicæ poſt ipſius obitum (niſi priùs ipſe aliter iudicauerit) adſtruatur *pro eleemoſinis pauperum, & ſuſceptione peregrinorum*, quodquè ſemper ſit *in poteſtate Monaſterij Sancti Ambroſij, ſiti foris Muros iſtius Ciuitatis Mediolanenſis, vbi eius Sanctum Corpus quieſcit humatum* &c. Meminit verò etiam octo Monachorum eiuſdem Monaſterij, qui eadem in Baſilica & Cella Sanctorum Satyri Sylueſtri & C D

Ambroſiii

Ambroſii deſeruire Deo in perpetuum debeant. Inter alios verò pauperes, quos in eo Xenodochio paſci vult, ſic etiam Monachis illis mandat: *Similiter per omnes Kalendas paſcant ibi pauperes, qui dicantur Schola Sancti Ambroſij, inter maſculos & fœminas numero viginti: & dent per vnumquemque ſingulos panes, vinum ſingulas minas, companatic.um lardum aut caſeum dimidia libra, legumina per Kalendas totis inſimul ſextaria duo.* Sed & alia profectò inſunt nonnulla, viris doctis deſiderium ſui excitantia: tandemquè Teſtamentum ipſum his concluditur verbis: *Actum autem Ciuitate Mediolanium.* Vtrùm verò hoc, an illud quod à Chalco indicabatur, fuerit tempore poſterius, atque adeò præualuerit: per me quidem hoc interea relinquatur in ſuſpenſo; quia Chalcus neque menſem, neque diem, neque Indictionem illius nobis reliquit adnotatam. Et hæc ſatis de Anſperto. A B

IV. Inter Ambroſianæ Baſilicæ Monumenta iam vidimus Numero 142. & 151. Archiepiſcopos Anſelmum & Landulſum ſepultos ante Altare Sanctæ Marcellinæ: de quo Altari iam dictum eſt ſuperiore Capite 56. Num. 16. Nunc tamen ante illud prægrandis extat quidem tabula marmorea, pauimenti loco ſtrata; ſed nullo prorsùs Epitaphio inſcripta. Solius ergo Landulſi Epitaphium præſtò mihi eſt: idquè deſumptum è Franciſco Caſtello, Baſilicæ Metropolitanæ Canonico Ordinario, veterum eiuſmodi Monumentorum collectore ſtudioſiſsimo. In Ambroſiana enim Bibliotheca Codex ipſius extat, ex autographo exſcriptus, in quo ſic habetur: C

Epitaphium Archiepiſcopi Landulſi.

✠ B ☧ M ✠

Hic ſacrum tegitur Landulſi corpus humatum,
Præſul in hac annis qui fuit Vrbe tribus.
Vnica ſubiectis quamquàm iactura fuiſſet,
Morte ſua Regno publica damna tulit.
Pacis enim ſectator erat, fauceſquè repreſsit
Protinùs à Gregibus improba præda ſuis.
Sed quia mortalis nemo ſine ſorde quieſcit;
Da veniam famulo, da Pater Alme tuo.

Obijt Anno Incarnationis Domini Nongenteſimo, quarto Nonas Nouembris, Indictione tertia. D

V. Landulfi ſucceſſor Andreas poſtea obiit Anno Domini Nongenteſimo-ſexto; ſicut & Anno Sæculi eiuſdem decimo-octauo mortuus eſt Acho, Andreæ ſucceſſor; vti iam diximus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 153. 155. 157.

VI. De Achone autem ipſo (aliter Athone) operæ pretium erit obſeruaſſe, quod ei adſcripſit Petrus Galeſinius in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula, Numero 63. his verbis: *Is in Eccleſia Mediolanenſi primo Sabbato Septembris Veſperarum Officium de Cruce agi inſtituit.* Sed errat profectò Galeſinius: & ſicut primum Septembris Sabbatum perperàm ponit pro

primo

primo Sabbato Octobris; ſic etiam prò Thadone illo, de quo iam ego differui Capite ſuperiori, perperàm ponit Achonem hunc, ſiue Athonem. Et hic quidem Galeſinij error aliquantò manifeſtiùs ex eo etiam deprehenditur, quòd in altero Catalogo, per officioſiſsimum Marchionem Vercellinum Mariam Viceecomitem, vt ſupra dictum eſt, mihi commodato, ſic in eamdem ſententiam recenſetur: *Hic inſtituit, Veſper Crucis in primo Sabbato Octobris fieri cum Proceſsione in Eccleſia Maiori; prout patet ex Beraldo*: eo ſcilicet, quem nos (& magis congruenter veritati) BEROLDVM appellauimus, & cuius tandem verba recitabamus Capite ſuperiori, Numero 2. A

CAPVT LXXXIV. B

Ardericus, Archiepiſcopus, in Baſilica Nazariana conſtruit Sancto Lino Papæ Sacellum, in quo tandem ſepelitur, ac miraculis coruſcat.

I. BEnè commodequè hic etiam eſt, quòd Baſilicæ Ambroſianæ Monumenta nobis maiorem adimunt partem laboris, quem Arderico huic Archiepiſcopo nunc impendi oporteret. Numero enim 163. cum iam diximus electum eſſe Archiepiſcopum Anno Chriſti Nongenteſimo quadrageſimo: eumdemquè poſtea quadrageſimo circiter octauo ex hac vita migraſſe diximus Num. 170. C

II. Inter hæc verò etiam Numero 168. innuimus, quemadmodùm Rex Italiæ Hugo curauerit, vt Ardericus promoueretur ad Archiepiſcopatum, ac deinde vt occideretur: teſtemquè illuc ex parte aſciſcebamus etiam Arnulfum, Hiſtoriæ Mediolanenſis Scriptorem, iis temporibus ætate propinquum, ac re vera (ſi pauca quædam excipiamus) fideliſsimum. Sed profectò iuuabit etiam placebitquè integrum eius produxiſſe in præſenti teſtimonium. *Regnauit quondàm* (narrabat ille Libro 1. non procul ab initio) *in Italia cum Lothario filio, natione Burgundio, Vgo: qui, vt tutiùs ageret in Regno, egregiam inter cæteras Vrbem, Mediolanum, ſibi vindicare præuidit. Priſcam namque nouerat Loci conſuetudinem, vt, decedente Metropolitano, quilibet vnus ex Maioris Eccleſiæ præcipuis Cardinalibus, quos vocant Ordinarios, ſuccedere debeat: quod à Romanis Præſulibus, ab ipſis quoque Imperatoribus conceſſum, ſub auctoritate quidem Canonum teſtantur Cedulæ in Secretario reconditæ. Cuius rei cauſa iuniorem Filium in eadem Eccleſia tonſurari decreuit. Sed quia in puerili ætate ad Epiſcopatum minimè videbatur idoneus; Ardericum, grandæuum ſenem, interim ſubrogauit Antiſtem, vel Antiſtitem; ſperans, eum ſubitò caſurum. Quoniam verò ſæpenumerò cogitantem fallit opinio; prolixiùs vixit Sacerdos in ſæculo. Quod vbi præſenſit; necem illicò meditatur occultam. Statuto autem Generali Papiæ Colloquio cunctorum Regni* D

Principum; Palatini, ipſo iubente ex induſtria Cæſare, cum Mediolanenſibus A
litigabant; vt, accepta occaſione, trucidaretur Senex ille. Quibus rixantibus,
grauis pugna committitur: qua feruntur interfecti Mediolanenſes nonaginta viri
prudentes. Sed propitia Diuinitate liberatus euaſit Antiſtes. Cumquè diutiùs
non poſſet latere dolus; vehementer erubuit, criminis tanti reus; veritus etiam
Beatum Ambroſium, cuius fuerat ille Vicarius. Factum eſt autem, vt conuen-
tione dignæ ſatisfactionis concederet Eccleſiæ pro nonaginta interfectis Abbatiam
Nonantulæ, quæ propter nonaginta ſui iuris Curtes ſic vocata perhibetur. Inſu-
per & Capellam auream cum Cruce, quæ ſuper Altare in Hyemalis Eccleſiæ ſunt
collocatæ tugurio. Hæc Arnulfus in rem præſentem pro Arderico Archie-
piſcopo.

III. Catalogus ille noſtrorum Archiepiſcoporum manuſcriptus, cuius ego B
mentionem in fine Capitis etiam ſuperioris faciebam, ſic inſuper addi-
dit: *Iſte Archiepiſcopus conſtrui fecit Eccleſiam Sancti Andreæ ad Murum Rup-*
tum, & Capellam Sancti Lini in Eccleſia Apoſtolorum. Et paulò pòſt: *Obijt*
Ardericus prædictus Anno Domini Nougenteſimo quadrageſimo-nono, tertio Idus
Octobris. Iacet in prædicta Capella Sancti Lini. Eumdemquè iam dixerat
creatum Archiepiſcopum ſuperiori Anno Sæculi eiuſdem Quadrageſimo
Eadem verò fermè ad verbum repetierunt etiam Donatus Boſsius tam in
Chronico Mediolanenſi ad Annum 940. quàm in Archiepiſcoporum
Catalogo: itemquè Galeſinius in eorumdem Tabula, Num. 67. Quibus
ego ſic aſſentior, vt Eccleſiam illam Sancti Andreæ interpreter ab Ar-
derico conſtructam, hoc eſt, de nouo reparatam & refectam; cùm alio- C
qui ex antiquo tempore iamdudùm ea extitiſſet, vt Capite 64. Num. 21.
iam indicaui. Solam igitur Sancti Lini Cappellam ego quidem cre-
diderim non antea illic extitiſſe, primumquè ab Arderico fuiſſe con-
ſtructam: quinetiam Sancto Lino propterea dedicatam; quia ipſe Sancto
Nazario Chriſtianum Baptiſmum miniſtraſſet; vti Capite 4. explicui.

IV. Eadem verò Cappella etiamnùm extat inter Baſilicæ Odæum Aedeſquè
Canonicales, in eo latere ipſi contiguas: eiuſquè oſtium patet adhuc quà
tranſitus illac inter Odæum Aedeſquè datur. Quia tamen obſcuriſsima
eſt, nec alicunde lumen interim excipere poteſt; idcircò ne Sacris qui-
dem Miniſteriis deſeruire poteſt interim; ac ſolo Sancti Lini titulo, per-
enniter adhuc retento, venerabilis perſeuerat; cùm alioqui ne vlla D
quidem ibi appareant indicia ſepulchri, quo tumulatum ibi credimus
Ardericum, illius conditorem.

V. Cæterùm è nobiliſsima Cottarum familia ille fuit; quemadmodùm diſertè
aſſirmatum eſt etiam in prædicto Catalogo manuſcripto, itemquè à Boſ-
ſio & à Galeſinio in prædictis locis, ac ſimiliter ab aliis multis, quos
breuitatis gratia prætermitto. Quocirca etiam hodiernus ex eadem fa-
milia Lucius Hadrianus Cotta (idem ſcilicet ille, à quo Triſtani Chalci
Reſidua ego accepi autographa, typiſquè Anno 1644. iam edidi) ſicut
inter præcipua Gentis ſuæ decora, è Maiorum ſuorum traditione, com-
putat Ardericum hunc; ſic etiam pro ſua erga me humanitate nuper
mihi

mihi ſuppeditauit ſubſequens ipſius Elogium, inter domeſtica litterarum monimenta repertum, ac typis Ariminenſibus Anno Domini 1562. impreſſum, vereque dignum, quod prodeat in publicum, & poſteritati iam tandem communicetur. E quo quidem Elogio plus aliquid præterea & maioris momenti, quàm è ſuperioribus Scriptorum teſtimoniis, intelligemus, hoc eſt, perinſignem Antiſtitis huius noſtri ſanctitatem. A

VI. Sic igitur illud ſe habet:

DIVI ARDERICI COTTÆ,

ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS,

HISTORIA. B

Pontificem canimus Cottam, natumquè, patremquè,
Infeſtis auſos olim concurrere ſignis.
Dic mihi Calliope, quis tanti incendia belli
Sequanicos inter Reges exciuerit ardor.
Ardericus erat magnæ celeberrimus Vrbi,
Quam poſuiſſe ferunt inter duo flumina Gallos,
Seu, penès Hetruſcos eſſent cùm ſceptra, Tyrannos
Italiæ: Medi & lani de nomine dictam
Credidit antiqui ſententia dia Catonis:
Seu duo circumdent Vrbem quòd flumina noſtram. C
Dum ferus hunc ergo Paſtorem perdere dudùm
Gliſcit Vgo; iuſsit Ticini ad pulchra vocari
Mœnia, vbi aerijs pulſantur turribus aſtra,
Lataquè viſuntur variarum ſepta ferarum.
Hunc ſpreto fieri nato potuiſſe dolebat
Pontificem. Tantane malis ſunt Regibus iræ?
Iuſſus adeſt: in quem ſtrictis mucronibus audax
Turba ruit. Stetit intrepidus: nec deſerit Heros
Pugnantes animo ſocios, ſed viribus impar.
Fit cædes: Craſſuſquè cadit, fortiſquè Cribellus, D
Et gemini Cottæ, Cottiſquè propinquus Iaſon,
Et quos longa foret celebres mora dicere Ciues.
Has inter ſtrages facundus depulit iras
Principis Antiſtes, cùm iam data corpora letho
Penè forent centum. Facti iam pœnitet illum,
Ambroſijquè piget ſceptrum violaſſe Regentem.
Et petijt veniam: certa quam lege Tyranno
Pontificis dedit Ambroſij venerabilis Hæres.
Scilicet vt Teglæ fundaret in Aede Sacellum
Ante Crucis Signum: Fidei quod Maxime Cultor

Inſubribus dono Rex Conſtantine dediſti, A
Inter delicias & regia frena repertum.
Soluere Dux etiam non parui ponderis aurum
Cogitur in mulctam, tanto pro munere dandum
Pauperibus, faceretquè pius quo Templa Sacerdos.
Sed regnare diu Diuina Potentia Vgonem
Non tulit: expulſus patrijs conceſsit ab oris,
Inquè Patris Regno Populi poſuere volentem
Lotherium. Cui dum Genitor fera bella minatur,
Hæc ſecum indignans: Potuit me pellere Regno
Filius inſontem, ſolius fraude Tenentis
Ambroſij ſceptrum, cui neſcius ante peperci? B
Experiar, quid enim mea Celtica Gallia poſsit.
Vt lupus, inſidijs capta quem fortè iuuenca
Inſequitur paſtor, prædamquè relinquere cogit:
Ille indignanti ſimilis, ſimiliſquè timenti,
Conſuetas repetit ſyluas: recubanſquè ſub altis
Arboribus, turpi diuerberat ilia cauda:
Sic furit, incertus quid agat, qua protinùs arte
Obruat Inſubres miſeros, Natumquè potentem.
Infelix, quantas clades dedit ille ruenti
Italiæ? noſtræ quæ funera præbuit Vrbi?
Heu quantas & opes Eccleſia perdidit illis C
Temporibus? Deſunt Calices Altaribus, & Crux
Plumbea pro fuluo ſpoliata reponitur auro.
Non bona pauperibus data ſunt; rapit impetus illa
Militis: incultis & ruſticus exulat agris.
Multa volutanti ſub pectore mittitur Hamo
Celtarum ad Populos: quorum de finibus amnis
Exit Arar, varias quo mittit Gallia merces,
Vorticibuſquè rapax Lugdunum interſecat Vrbem,
Et mox in Rhodanum, non ſeruans littore nomen.
Rex erat his clarus bello & iuuenilibus armis
Ludrier: in ſyluis peperit quem Daria mater: D
Aſſuetum Voleſi canibus circumdare montis
Deuia, ſetigeros imis aut vallibus apros
Figere, Moſa ſuas aperit quà leniter vndas,
Fluctibus & celerem Rhenum maioribus auget.
Impiger, vt Regno ſpoliatum ſenſit Vgonem
Ludrier, extemplò Lotoringos Marte potentes,
Tullenſeſquè feros, & cum Lingonibus acres
Mandubios, quondàm qui Alexia rura colebant,
Flauiatumquè vetus, quiquè & tenuere Lemani
Littora piſcoſi, duroſquè in bella popoſcit

Allobroges.

Allobroges. Dicto parent Populiquè Duceſquè.
Nec mora conueniunt. Senſit ſibi bella parari A
Lotherius: duroquè patri parat obuius ire.
Protinùs huic Lari ſtagnum ſocia agmina iungit,
Vercellæ & veteres, & fida Placentia Romæ,
Derthonaquè animoſa cohors, & iuncta Cremonæ
Mantua, Pierij necnon Verona Catulli,
Et cum Cenomanis pulchræ noua mœnia Parmæ,
Et Papia dedit, tantiquè incendia Martis
Accola Verbani, pinguiſquè Nouaria Regi
Feſtinant parere ſuo. Iam plurimus hoſtis
Cernitur. Extemplò pugnæ dant cornua ſignum. B
Hic vbi Veronæ pandit ſe proximus Vrbi,
Non fœcundus ager, raris ſed inutilis herbis,
Primus init pugnam Comenſis ſorte fidelis,
Vulnere proſtratus Comij inter tempora & oris
Labra: ferox cui dum tentat ſuccurrere Paulus,
Cadurci occubuit transfixus pectora telo.
Iulius, vt ſubita proſtratum morte fidelem
Audijt, Inſubres Celtarum miſit in agmen.
Inſurgit clamorquè virum, clangorquè tubarum.
Ambigatus, Regum ſoboles, cadit enſe Triuulci,
Quem nunc Magne refers titulis Iacobe, vel acri C
Militia inſignis, noſtro & Dux inclyte Sæclo.
Sternitur Ambigati frater: cui gloria dudùm
Mandubios inter, Tullenſiaquè arua colentes.
Prima fuit bello viridis ſeu flore iuuentæ
Ludrier: attonitus Celtarum ſtrage ſuorum,
Ambroſium inuadit, nitentem tollere ſaxum
Ponderis immenſi, Camerinus quo ruit acer.
Protinùs ille cadens immanis vulnere Celta,
Plangit humum, larguſquè fluit de pectore ſanguis.
Hac eadem dextra transfixus pectora Parmæ
Accola, Thadæus, vitam cum ſanguine fudit. D
Hanc niſi nox pugnam Cæli ſurgentibus aſtris
Finiſſet, Regeſquè ſuos in caſtra vocaſſent,
Militibus cædis quantum lux illa dediſſet?
Succeſſu vt dubio parti ſors hæſit vtrique,
Sic varijs hominum ſtudijs nutare fauorem
Aduertit Sapiens Paſtor; ſic protinùs ipſos
Conciliat Reges, paciſquè ad commoda tranſit.
Barbara quòd Ligurum interea veniſſet ad oras
Claſsis, & hanc Ciues ſecum prædamquè tuliſſet,
Fama fuit. Super hoc queſtum Legatio venit:

Vt

Vt quoque ferret opem miſeris Pater, illa rogabat. A
Annuit: & ſubitis impleuit claſsibus æquor.
Vir Sacer Ambroſium Cottam præfecit & illis.
Vndecimus Claues Petri tunc fortè regebat
Acer Ioannes, fidei per ſingula cuſtos.
Surgit odoratis Arabum contermina terris
Inſula: quam Tetrên veteres dixere coloni,
Fluctibus & crebris pelagus diuerberat Indum.
Hic Ligurum Ciues & opes gens ſæua tenebat:
Cùm ſubitò, innumeris allabi claſsibus æquor,
E ſpecula videre Arabes. Capit impiger arma.
Miles: & vt noſtras littus tetigiſſe carinas B
Aduertunt, ſugiunt omnes per deuia paſsim
Oppida. Cum dominis nobis hinc reddita præda:
Hæc fuit ingenti victoria digna triumpho:
Qua Ligur exultans noſtram mox miſit ad Vrbem
Centum Oratores:
Vt grates agerent tanto pro munere priſcis
Inſubribus: gentiſquè piæ tibi Maxime Rector
Poſcit, vt his Patriæ ſit fas inſignia noſtræ
Sumere: quodquè foret Genuenſi Ciuis in Vrbe
Inſuber. Hi muri nos & cinxere corona.
Talibus atque alijs poſtquàm Memorabilis Heros C
Impleuit magnum factis ingentibus Orbem,
Protinùs ad curas mentem conuertit egenum,
Et viduas releuare labor fuit atquè pupillos:
Hæreſis hic etiam ratione & viribus omnem
Extinxit labem. Letho quoque proximus Aedem
Andreæ, pariterquè Lini diuinitùs Aram
Nazarij in Templo ſtatuit: fieriquè ſepulchrum
Hic ſibi, mandauit: tandem poſt omnia fato
Extinctus, ſummum meritis conſcendit Olympum.
Hic erat egregium, ſanari protinùs ægros,
Aſpicere. Hic greſſum claudis, & lumina cæcis D
Reddidit: ardentis ſanauit vlcera lepræ.
Hic abigit febres, hunc ſumma frequentia noſtri
Semper adit Populi, meritos & ſoluit honores.

Finis.

Impreſſum Arimini apud Aſtulphum de Grandis, Veronenſem, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-ſecundo.

VII. Hactenùs Arderici Cottæ, Archiepiſcopi noſtri, Elogium illud typis eo Anno impreſſum. Idipſum verò Raphael etiam Fagnanus, cùm de Familia ſcriberet Cotta, in ſuas Vetuſtarum & Nobilium Mediolani Familiarum

miliarum Hiſtorias tranſtulit; ſed, vt ipſe affirmabat, *ex antiquiſſimo Libro, qui Archiepiſcoporum Mediolanenſium ſeriem & ordinem narrat*. Quocirca etiam longè prius, quàm typis illis ederetur, iam extabat; prætérquamquòd tunc etiam temporis, quando compoſitum fuit, eius argumentum ego crediderim ex aliquo depromptum fuiſſe vetuſtiori probatæ fidei monumento, quod ad manus tunc eſſet. Non enim credibile mihi videtur, eam, ſicut Poeta ille nominabat, Hiſtoriam, & ea præſertim, quæ ad ipſius Antiſtitis ſanctitatem ac miracula ſpectarent,quæquè maiori fide indigerent, ex vano temerè accepta eſſe. Hæc igitur ipſa, ſpero etiam fore, vt ipſimet etiam Collegio Nazariano non diſpliceant; tametſi nihil tale, non modò in Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogis legatur, ſed ne in propria quidem Baſilicæ ipſius Nazarianæ Tabula illa, Latinè conſcripta (cui vtique maiorem præſtare fidem oportet, quàm Italicæ verſioni, illic item expoſitæ) quam Capite 37. Num. 15. indicabam. Non enim Ardericus illic Archiepiſcopus inter Sanctos computatur. Hæc enim ſunt ipſius verba: *Dicta Eccleſia* (Sancti Nazarii) *ædificata fuit per Sanctum Ambroſium in honore Apoſtolorum: & in dicta Eccleſia iacent Corpora Sanctorum Confeſſorum* (de voce *Confeſſorum*, Epiſcopis & non Epiſcopis communi, ſatis iam ego in Laurentij Littæ Archiepiſcopi Vita diſſerui Capite 27. Num. 10. & ſeqq.) *Veneri, Maroli, Clicerij, Lazari, Oldrici* (de quo nempe Oldrico mox ego dicam ſubſequenti Capite) *Matroniani, Ariſredi, Angelberti, Anſelmi* (qui tamen tres non connumerantur Sanctis in Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogis) *& Sancti Nazarij. Et ibi reconditæ ſunt Reliquiæ duodecim Apoſtolorum per Sanctum Ambroſium, & maximè brachium vnum Sancti Petri.*

VIII. Sanè quidem Ardericus hic in Baſilica Nazariana, velut adſcriptus Sanctorum numero, religioſiſsimè iam ante colebatur, quàm ij Verſus typographiæ beneficio in publicum Anno Chriſti 1562. prodirent. Anno enim ſuperiore 1547. typis editam ego habeo luculentam Orationem, qua diſertiſsimè idipſum affirmatur. Eam verò publicè hac in Vrbe atque in Ampliſsimo Iuriſperitorum Collegio, cùm Pomponius in illud Cotta ſolemniter eſſet receptus, recitauit Hieronymus Montius, qui tunc temporis ex eodem Collegio erat, quiquè poſtea Regius fuit Senator, tum etiam Publicæ Præſes Sanitatis, idemquè commendatiſsimus in omnem poſteritatem, mihiquè grata commemoratione celebrandus hoc etiam nomine, quòd auus fuerit Eminentiſsimi Cardinalis & Archiepiſcopi olim noſtri, Cæſaris Montij, Præſulis certè quidem immortali memoria digniſsimi. Sed ipſummet Oratorem illum audiamus. *Verùm* (inquiebat) *vnde meliùs, quàm ex Arderico Cotta, Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, incipiam? Qui, ſi illis, quæ de eo ſcripta ſunt, litterarum monumentis, fidem habere volumus, Mille iam & ſeptem ab hinc annis ad eam dignitatem ſubleuatus* (à qua tamen temporis ſupputatione longè differunt ea, quæ nos ſupra dicebamus) *improbi Principis ambitioni ac petulantiæ fortiſsimè obſtitit: qui immenſas opes, pretioſiſſimos Genuenſium theſauros,*

quos

quos immaniſsimi Saracenorum prædones , direpta Genua , abſtulerant , & in A
Arabici vſque Sinus Inſulam auexerant, ſuo milite , præfecto Claſsi Ambroſio Cotta, per vim recuperauit , & Genuenſibus dominis reſtituit . Quo facto obnoxiam ſibi adeò Genuenſium Rempublicam deuinxit , vt non ſatis putauerint illius Ciues quoſcumque honores Arderico exhibere , niſi & in illius gratiam receptarum pecuniarum partem expoſuiſſent ; & hanc Ciuitatem ſuo ſumptu , ſuis pecunijs , foſſa muriſquè muniuiſſent . Vitæ verò probitate tantum promeruit , vt , in Sanctorum numerum relatus , hodie quoque in Diui Nazarij Aede religioſiſsimè colatur .

IX. Quid , quòd etiam hic ipſe Ardericus mihi videtur infra Capite 127. Num. 2. Henrici nomine appellatus, & inter Sanctos computatus?

B

CAPVT LXXXV.

De Sancto Vldarico , ſeu Oldrico, vel Olderico , vel Henrico , miraculis claro , cuius Corpus in Baſilica Nazariana quieſcit .

I. QVÆ de Sancto Vldarico, ſiue Auguſtano, ſiue noſtro (noſtrum appello eum , cuius Corpus in Baſilica Mediolani Nazariana conquieſcit) copioſè ſcripta ſunt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 472. hæc in præſenti ſummatim perſtringam : eaquè præſertim , quibus noſter ab C
Auguſtano diſcernatur . Auguſtanum enim , ſiue Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopum, ego rursùs fateor à noſtro diuerſum eſſe , illumquè re vera ſepultum Auguſtæ conquieſcere. Sic etiam noſtrum viciſsim fateor non fuiſſe Mediolani Archiepiſcopum , quinetiam ne alterius quidem Vrbis Antiſtitem, ſed potius Monachorum Abbatem ſolummodò.

II. Quamobrem in hoc ego penitùs acquieſco poſtremæ ac maturiori ſententiæ , cui ſe tandem addixit Carolus à Baſilica Petri , cùm Epiſcopus iam eſſet Nouarienſis: quamquè demùm explicauit in Fragmentis Hiſtoriæ Mediolanenſis, Titulo *De Corpore Sancti Henrici Baſilicæ Apoſtolorum* , & his verbis conſignatam reliquit : *A dextra parte Eccleſiæ Sancti Nazarij , apud ipſum angulum , ſeu paroſtatam , quæ Cappellam Maiorem à brachio Eccle-* D
ſiæ dextro diſtinguit , erat fornix , ſeu parua camera , & ſub illam Arca lapidea, in qua Corpus erat Pontificali habitu : & ibidem eius ſtatua lignea , & Altarè , ad eius honorem erectum . ARDERICVM *alij dixere , alij* VDALRICVM *; ſed vulgò* ARRIGO , *quod vulgò item pro* HENRICO *à Mediolanenſibus dicitur . Qui* ARDERICVM *appellarunt , nomen Archiepiſcopi Mediolanenſis (* de quo nimirùm Capite proximo nos diximus*) videntur ſecuti : qui* VDALRICVM , *Sancti Epiſcopi Auguſtani memoria adducti ſunt . Sed is (* nempe Ardericus*) inter Sanctos relatus non eſt . Huius verò (* videlicet Vdalrici*) Corpus hic ſepultum , hucuè allatum fuiſſe , nullum extat , quod ſciam, indicium . Contra autem Berno Abbas , eius Vitæ Scriptor (* hæc apud Surium

habetur

habetur Tomo Quarto, quarta Iulij die) *& alij graues Scriptores, Auguſtæ* A
eum fuiſſe ſepultum affirmant. Immò etiam à Viris fide admodum dignis acce-
pimus, eius Sancti Epiſcopi Corpus adhuc ibi cum veneratione aſſeruari, & coli.
Vt mirandum ſit, HOMINEM ILLITERATVM *nullo argumento auſum*
fuiſſe, hunc Epiſcopum Auguſtanum, eius Vita vulgari ſermone edita, facere
(quem tamen in Ardericum vertit) ſumptis ad Vitam conſarcinandam quæ li-
buit ex Bernone, aliiſquè affictis quæ nullo loco reperiuntur: non minuſquè mi-
randum; quòd ei id permiſſum ſit ab ijs, qui præſunt.

III. *Cùm ad Arcam inſpiciendam iuſſu Beati Caroli* (Cardinalis Archiepiſcopi
Borromæi) *eò veniſſemus Anno Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-octauo;*
inuenimus Corpus cum Epiſcopalibus indumentis; quæ tamen ferè euanuerunt.
Circulis æneis, quibus Baculus Paſtoralis ligneus cingebatur, hæ litteræ inſculptæ B
erant: HENRICO HIGVDSTANNO DILECTO FILIO. *Quas tunc*
in libellis noſtris notauimus, quos ad Sancti Caroli Vitam conſcribendam para-
bamus; cùm tamen IDEM HOMO (illiteratus ille) *alias litteras falsò po-*
nat; falsò item affirmans, ita in Actis Archiepiſcopalibus haberi. Præſtat au-
tem hoc etiam loco recognoſcere, quinam fuerit HOMO ILLE ILLI-
TERATVS, quem tacito ipſius nomine modeſtiſsimus hic Epiſcopus
talibus indiciis deſignabat. Sicut ergo Numero illo 472. admonebam,
ne quis fortè aliquando in re tam graui deciperetur; abſque dubio ille
fuit Ioannes Franciſcus Beſutius, hac in Vrbe olim Bibliopola, ſed Sa-
pientem atque Hiſtoriographum agens; qui proinde Pontificalem quo-
que Mediolani Hiſtoriam Italicè conſcripſit. Ille igitur per Franciſcum C
Paganellum Typographum Anno Milleſimo quingenteſimo nonageſimo-
nono Libellum itidem hac in Vrbe hoc titulo edidit, *Vita del Confeſſore*
di Chriſto, Santo Arderico, Veſcouo di Auguſta: eamquè Baculi Paſtoralis
inſcriptiunculam in hunc modum corrupit, *Nella ſummità di eſſo era vna*
lammetta d'argento, che cingeua detto Baſtone con queſte lettere intagliate in eſſo
DILECTO FILIO, ARDERICO, EPISCOPO AVGVSTENSI.
Eiuſmodi verò Libellum ego ipſe in Ambroſiana Bibliotheca peraccu-
ratè legi: atque per omnia talem, qualem Carolus ipſe à Baſilica Petri
deſcribebat, inueni.

IV. Sequitur idem Carolus: *Corpus deinde tranſtulit vnà cum alijs eius Baſilicæ*
idem Beatus Præſul Anno proximo cum Epiſcopis Prouinciæ, qui ad Concilium D
conuenerant: & in extremo brachio ipſius Eccleſiæ, ianua, quæ ibi erat, clauſa,
Altariquè ibi conſtituto, recondidit.

V. *Quiſnam hic Epiſcopus fuerit, neque ſcio, neque habeo coniecturas, quas proferam.*
Omninò, Tranſalpinum fuiſſe, & Sanctum Virum, immò miraculis clarum,
affirmare poſſumus; cui & ſtatua & Altare erectum ſit, & ſanctitatis laus ve-
nerarioquè non mediocris à Populo Mediolanenſi tributa. Quæ veneratio, propè
extincta, proximis Annis renouata eſt; nonnullis prædicantibus, ſe ægrotos, eius
ope inuocata ſanatos eſſe. Cùm autem Dunſtannum, & alia nomina multa eiuſ-
dem terminationis lego apud Anglicarum Rerum Scriptores, neſcioquid Anglicum
olere mihi videtur hoc nomen: exiſtimoquè, Religioſum Virum in peregrinatione

Romana (vti alios) hic defeciſſe. Licet verò hunc Abbatem potiùs, quàm Epiſcopum, exiſtimare propter illa verba DILECTO FILIO: *quæ Papæ fuiſſe videntur, tradito ei Baculo Paſtorali.* Sic igitur ſenſa tandem ſua ſcribendo exprimebat Carolus à Baſilica-Petri de hoc Sancto Antiſtite, cuius Corpus in Baſilica Nazariana conditum eſt. A

VI. Quòd autem illum crediderit Abbatem potiùs, quàm Epiſcopum; eiuſdem videtur opinionis fuiſſe Gualuaneus etiam Flamma in Opuſculo manuſcripto *De Corporibus Sanctorum, in Ciuitate Comitatu ac Diſtrictu Mediolani iacentium.* In eo enim ſic legitur: *Sancti Olderici*, CONFESSORIS, *die quarto Iulij. Iacet ad Sanctum Nazarium.*

VII. Quòd item aſſerebat, eius Sancti venerationem proximis Annis renouatam propter admirabiles morborum curationes, quæ per ipſius interceſſionem impetratæ crederentur; hoc vtique factum eſt ex Anno nonageſimo-octauo ſupra Milleſimum quingenteſimum; ſicut ego quoque infra in eumdem illum Annum commemorabo. B

VIII. Cæterùm ipſius Corpus ſic in Altari ſuo reconditum eſt, vt caput nihilominùs ſeparatim ſeruetur, in argenteo capite incluſum, publicequè aliquando ad cultum exponatur: eoquè præſertim die, quo celebritas ipſius anniuerſaria recolitur. Eſt autem quartus Iulii dies. Quo enim die Mediolanenſis Eccleſia Sanctum celebrat Vldaricum Auguſtanum Epiſcopum: eodem prorſùs die Nazariana ſuum celebrat Vldaricum, ſeu Henricum; ſiue quia binos illos eſſe vnum eumdemquè Sanctum crediderit aliquando; ſiue quia proprium Sancti ſui diem natalem neſciens, ei proprium Auguſtani accommodauerit. Ego quidem ſimili fermè adductus ratione, Vldarici noſtri mentionem in hunc locum & in hæc tempora conieci; quia ſcirem, Auguſtanum ex hac mortalitate migraſſe ad Dominum Anno ſeptuageſimo-tertio ſupra Nongenteſimum, idquè didiciſſem à Bernone Abbate Augienſi propè finem Vitæ, quam illius conſcripſit, quæquè, vt ſupra dicebam, deſcripta legitur apud Surium Tomo Quarto, quarta Iulii die. C

IX. Propitius mihi perſeueret beneficentiſsimus ac thaumaturgus hic Antiſtes: ſequè meminerit præcipuum mihi eſſe Tutelarem ac Patronum, & ex ea præſertim delectum die, quo Clericalem Habitum ſuſcepi. Hunc enim Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, ætatis meæ decimo-ſeptimo, die tertio Nouembris, ſuſcepi mane ad ipſius Vldarici Altare, intra Baſilicam constructum; cùm ſub veſperam recipiendus eſſem in Clericorum Seminarium Alumnus: eumquè illic ſuſcepi è manu Cæſaris Bonomij, patria mihi pariter communi Gallaratenſis, eiuſdemquè Baſilicæ Præpoſiti, pietate profectò ac doctrina perinſignis, Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo Federico Borromæo chariſsimi, & à Sacris Confeſſionibus, perquè omnia Sacerdotis certè quidem admirabilis, & ad imitationem proponendi. Quocirca ego ex eo met die me totum Sancto præſertim Vldarico in omne tempus deuoui, deuotumquè me rurſùs in præſenti profiteor, & eius patrocinio commendatum quàm maximè cupio. D

CAPVT

CAPVT LXXXVI. A

Landulfus Archiepiſcopus, cognomento Carcanus, Monaſterium adſtruit Celſianæ Baſilicæ. Baſilicam quoque ipſam reſtaurat: & accitis Comprouincialibus Epiſcopis, Corpus Sancti Celſi ſolemniter transfert. Anniuerſarium etiam pro ſalute animæ ſuæ quotannis in ea celebrandum inſtituit: ac tandem in ea ſepelitur.

I. AD Baſilicam tandem Celſianam nunc reuertor: quam profectò me tædebat velut in remotiſsima ſolitudine, non in horto ſuburbano, reliquiſſe Capite 48. Num. x i. quo tandem illic ædificatam oſtendi, vbi Corpus Sancti Celſi fuerat à Sancto Ambroſio & inuentum & relictum. Nihil enim deinceps (ſi Triduanas excipiamus Litanias) nobis occurrit memorabile, quod ipſam interim ab obliuione vendicaret, ſuoque tamquàm cultui reſtitueret. Nunc ergo tandem illa ſe nobis offert in eiuſdem Sancti Celſi honorem ac reuerentiam & reſtaurata, & amplificata, & nouo inſuper Monachorum aucta Monaſterio. Sicut enim ex Archiepiſcopis noſtris Petrus Oldradus ſub Annum Chriſti Septingenteſimum octuageſimum-quartum Baſilicæ Ambroſianæ Monaſterium adſtruxerat, ibiquè Monachos collocarat, qui ante Corpora Sanctorum Chriſti Martyrum Protaſij ac Geruaſij & Confeſſoris Ambroſij diuinas iugiter laudes concelebrarent; ſic etiam non multò ante Milleſimum Annum Landulfus Carcanus Eccleſiæ Celſianæ Monaſterium & Monachos in eumdem finem adiecit.

II. Nullum tamen eius Diploma inuenire adhuc potui, quo fundationē illius Monaſterij ſanciuerit. Qua tantùm ex cauſa & occaſione illud à fundamentis extruxerit, multos equidem habeo Teſtes; ſed nunc ſolius Arnulſi narratione contentus ero; Arnulſi ſcilicet illius, qui temporibus iis valde propinquus paulò ante à me nominabatur, & cuius genus & auctoritas & fides à me pariter indicata olim fuit in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 182. In progreſſu primi Capitis ſiue Libri Arnulfus proximè deſcripſerat Ottonis Secundi Imperatoris obitum D (quem incidiſſe conſtat in Annum Domini octuageſimum-tertium ſupra Nongenteſimum) cùm Hiſtoriam ſuam hunc in modum proſecutus fuit: *Iam enim ſucceſſerat Gothofredo Landulfus Archiepiſcopus: qui, propter nimiam patris & fratrum inſolentiam, grauem Populi perpeſſus eſt inuidentiam. Inſtabant perſolito Ciuitatis abuti dominio; vnde Ciues indignati vna ſeſe coniuratione ſtrinxerunt. Inde ciuilis ſeditio & partium eſt facta diuiſio: quibus aſsiduè rixantibus; graue commiſſum eſt in Vrbe certamen. Videns autem ſe prægrauari vndique Præſul, nec poſſe reſiſtere; diſceſsit ab Vrbe cum fratribus, relicto patre, qui fuerat iam ſenex & viribus imbellis. Quamobrem Eccleſiæ facultates, & multa Clericorum militibus diſtribuit Beneficia. Interim autem*

collecto ex diuerſis partibus agmine conflixerunt eiſdem cum viribus in Campo A
Carbonariæ (nomen hoc eſſe Ruris ego interpretor, quod adhuc in Agro
Mediolanenſi perſeuerat, quodquè Carbonatum appellatur) *vbi facta
eſt plurima cædes vtrinque: à quo bello ægrè diuertit hac etiam vice. In Ciui-
tate autem quidam vernula, audita domini ſui cæde, accurrens, Patrem Præ-
ſulis, lecto iacentem, cultro transfixit. Poſt hæc & alia multa, inſpirante Deo,
& interueniente conſultu Sapientum, partis vtriuſque noua pax vetera diſſol-
uit odia. Archiepiſcopus enim memor Paſtoralis diligentiæ, Populus vero recor-
datus Ciuilis obedientiæ, donanteſquè prætérita, fæderati ſunt pace perpetua.
Præterea ſentiens ſe Præſul diſperſis facultatibus offendiſſe Eccleſiam; vt Clerum
leniret ac Populum, Sancti Celſi fundauit Monaſterium, multiſquè ditauit opi-
bus: vbi, completo dierum numero moriens, ſuo quieuit in tumulo.* Hactenùs B
Arnulfus. Eadem verò ſcriptis etiam ſuis alii multi conſignarunt: ac
nominatim Landulfus Senior Libro 2. Cap. 17. Gualuaneus Flamma in
Chronico Maiori Cap. 234. & in Manipulo Florum Cap. 134. Auctor
item Chronici *Flos florum*, ſol. 125. pag. 2. præterea verò Triſtanus
Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro 6. ad Annum Chriſti 982. & Carolus
Sigonius De Regno Italiæ Libro 7. ad Annum 995. Qui quidem Chal-
cus eiuſdem Monaſterii ſitum paulò explicatiùs indicauit his verbis:
*Pace poſtmodùm inter Ciues facta, Landulfus in emendationem eorum, quæ de
Eccleſia auerterat, Cænobium extra Vrbem, inter Romanam & Ticinenſem Por-
tam erexit in honorem Sancti Celſi Martyris, ampliſquè prædiis ditauit: atque
moriens ſepeliri ibidem voluit Anno Nongenteſimo octuageſimo-ſecundo.* Quo C
tamen Anno ille re vera mortuus non eſt, vt ex ipſius Teſtamento mox
conſtabit.

III. De hoc Landulfo Auctor Catalogi noſtrorum Archiepiſcoporum, in-
ſcripti *Succeſſores Sancti Barnabæ*, ſic ſcribebat Num. 71. *Hic, vt dicitur,
à fundamentis extruxit Eccleſiam, & dotauit Monaſterium Sancti Celſi*. At-
qui concors noſtrorum Scriptorum ſententia hæc eſt, vt à fundamentis
ille conſtruxerit Cœnobium, ſed non Eccleſiam; quippe quæ ibi iam
priùs extabat. Non ego tamen eam propterea negauerim ab ipſo reſtau-
ratam, & in melius reformatam; vel etiam vice ipſius ampliorem alte-
ram ibidem à fundamentis extructam fuiſſe. Atque hoc ſubſequentibus
etiam indicatum mihi videtur his carminibus: D

. . . . *atque locum diuinis vſibus aptum*
Ipſe lubens ſtruxit, miroquè decore parauit.

IV. Sed ad excitandum præterea Sancti Celſi cultum, eiuſdem ibi Corpus,
è priore loco amotum, tranſtulit ſolemni pompa, magnoquè Fidelium
concurſu, quinetiam non ſine Comprouincialibus Epiſcopis, in hoc ip-
ſum aſcitis. Quos quidem Vatum vocabulo deſignatos mox videbimus:
ea ſcilicet loquendi formula, qua Ennodius etiam Ticinenſis ſuperiore
Capite 66. Num. 2. & 3. vtebatur, quæquè nobis etiam ſatis eſt frequens
inter Hymnos, quibus noſtra Mediolanenſis Eccleſia vti ſolet. Eiuſmodi
verò Translationis teſtimonio nobis ea ſint Carmina, quorum partem
proximè

proximè producebam: quæquè nobis Alciati ac deinde Fontanæ beneficio ſalua ſunt in præſens. Fontana enim ſuas inter Obſeruationes, Catalogo noſtrorum Archiepiſcoporum manuſcripto adnotatas], ea recenſuit in ipſomet Landulfo, nominis huius Secundo, & inter Archiepiſcopos Septuageſimo, his verbis: *Ex Andrea Alciati Antiquario. Laudulfus Carcanus, Archiepiſcopus Mediolani, hoc Monumentum Diuo Celſo Martyri dicauit Anno 975.* A

Eximium hæc Celſi Corpus complectitur Ara,
Quem pia Nazario Mater ſub Rure Cymelli
Obtulit, ad Cæli pariter qui ſcanderet Arces:
Morte obita, longum pariterquè iaceret in æuum.
Ambroſius tandem hos ſeparè (ſiue ſeparatim) pòſt condidit ambos. B
Nazarium apportans aliò, Celſumquè relinquens,
Sæcula Landulfus donec poſt plurima Præſul,
Vatibus adſcitis, viciniſquè vndique turbis,
Lætitia ſumma ſtudio & certantibus omni,
Tranſtulit, atque locum diuinis vſibus aptum
Ipſe lubens ſtruxit, miroquè decore parauit.

Poſ. Ann. 976.

Vt in vetuſtiſsima & obſoleſcente membrana leguntur, Verſus Sanctiſsimi Celſi:

Cænobium, Clauſtrum præſentis ritè ſacratum
Eximium Celſi complecti Martyris Almi C
Nouimus, obſequijs veneramur iure di........
Corpus, quæ mulier, ſua nempe probiſsima Mater,
Obtulit Almifico, reſidens in Rure Cymelli,
Nazario, celſam ſecum qui ſumere palmam
Martyrio meruit, ſimul ac ſuper Aſtra migrauit.
Ambo nam longum pariter iacuere per æuum.
Pòſt tamen Ambroſius, ſecernens Corpora Sancta,
Nazarium geſſit, hic Celſum ritè relinquens.
Antiſtes multum Landulfus poſt quoque Sæclum,
Vatibus accitis, vicinis vndique turbis,
Lætitia ſumma, cunctorum laude ſuperna, D
Tranſtulit, atque locum diuinis vſibus aptum
Ipſe libens ſtruxit, miroquè decore parauit.
Quorum præſidio, iuuantequè per omnia Chriſto,
Empyrei Regiam penitùs nos ſcandere ſumet.

Hactenùs Fontana ex Alciati Antiquario. Vtinam verò Fontana hic ſuis eiuſmodi Obſeruationibus nomen etiam ſui proprium præmiſiſſet! Non enim iuſta me nunc & tam erudito digna homine curioſitas in eo inquirendo laborare, vel etiam nonnihil hæſitare compelleret. Mihi quidem non alius videtur, quàm ille, cuius mentionem faciebat Carolus Sigonius in fine priorum Quindecim *De Regno Italiæ* Librorum: quos

eruditiſsimo

eruditiſsimo cuique iam probatos, ac propterea ſemel iterumquè iam in Italia Gallia & Germania typis mandatos, ille rurſùm edidit Bononiæ Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octuageſimo, multarum præterea rerum ac nominatim etiam copioſiſsimi recenter Indicis acceſsione adauctos. Illic enim poſt rerum ac verborum memorabilium Indicem, Scriptorum pariter enumerat Monumenta, è quibus ſuam illucuſque Hiſtoriam excerpſerat. Subinde verò illos itidem recenſens Viros, qui ad ea conquirenda colligendaquè ſuam præſtiterant auctoritatem, ſtudium, & operam; Ioannem Baptiſtam quoque Fontanam gratus commemorat his verbis: *Ioannes Baptiſta Fontana, Mediolanenſis: qui nuper magno Hiſtoriarum detrimento eſt mortuus.* Quod profectò detrimentum Notæ itidem illæ, prædicto Catalogo adiectæ, luculenter commonſtrant; vſqueadeò eruditæ illæ ſunt, Collectoremquè ſapiunt hominem in Hiſtoriis verſatiſsimum. Idem verò etiam Fontana mihi videtur Vitam ſcripſiſſe Angelicæ Paulæ Antoniæ de Nigris, patria Mediolanenſis: quæ ſimul cum eius Epiſtolis impreſſa Romæ fuit Anno 1576. & hunc in fronte titulum præſert. *Vita della deuota Religioſa, Angelica Paola Antonia de Negri, raccolta dal Dottore Giouan' Baetiſta Fontana de' Conti.* Quod ſi res ita ſe habet; eum profectò video præterea fuiſſe Virum ſingulari etiam pietate perinſignem. A B

V. Quòd autem in eo Alciati Antiquario Monumentum illud dicebatur à Landulfo dicatum Sancto Celſo, ac poſitum Anno Domini ſupra Nongenteſimum ſeptuageſimo-quinto, ac poſtea ſeptuageſimo-ſexto (niſi potiùs vnus idemquè Annus errore amanuenſis variatus hic fuit) atque adeò tunc etiam ædificatum à fundamentis Monaſterium, ac reparata ſaltem Eccleſia fuiſſe; illud ego quidem non admiſerim; ſicut ne iſta quidem illius conſectaria. Quemadmodùm enim ex Arnulfo aliiſquè multis Rerum noſtrarum Hiſtoricis intelligi datur, Landulfus ea non egit, niſi aliquantò poſt Ottonis Secundi Imperatoris obitum, quem Anno Chriſti Nongenteſimo octuageſimo-tertio ſecundùm communem Chronologorum ſententiam paulò ante adſcribebamus. Propiùs ad veritatem hac in re mihi videntur acceſsiſſe Gualuaneus Flamma, & Auctor Chronici *Flos florum*. Ille ſiquidem in Chronico Maiori, Capite 234. ſic tradebat: *Finaliter Landulfus Archiepiſcopus, conſcientia ductus, quòd Eccleſias defraudaſſet; conſtruxit Monaſterium Sancti Celſi Anno Domini* 992. (*Gloſſa dicit* 983.) *vbi moriens tumulatur iuxta oſtium, vbi eſt Aqua Sancta.* Similiter Auctor etiam ille alter fol. 125. pag. 2. *Hic conſcientia ductus, eo quòd Eccleſias deprædaſſet; in Nongenteſimo nonageſimo-ſecundo de bonis Eccleſiæ conſtruxit Monaſterium Sancti Celſi.* Et paulò poſt: *Iacet ad Sanctum Celſum, iuxta oſtium, vbi eſt Aqua Sancta.* Sic enimambo hi Scriptores proprium etiam ſimul indicabant locum, in quo Landulfus intra Celſianam Eccleſiam ſepultus eſſet: atque non procul ab ingreſſu portæ ſepultum eſſe ſignificabant. C D

VI. Teſtamenti porrò, quod à Landulfo Archiepiſcopo conditum eſſet, aliquam

quam ego iam feci mentionem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, A
Numero 227. Illud enim perhumaniter mihi fuerat ex Archiuo Baſilicæ Nazarianæ ſuppeditatum. Imperatoris Ottonis Tertii Anno ſecundo, menſe Nouembris, Indictione vndecima, Septembre videlicet ſuperiore inchoata, & propterea Chriſti Domini Anno ſupra Nongenteſimum nonageſimo-ſeptimo (non autem octauo, vt illic à me ſcriptum fuerat per errorem) conditum illud fuit: atque ſic etiam incipit: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.* OTTO TERTIVS, *Dei gratia Imperator Auguſtus, Anno Imperij ſui ſecundo, menſe Nouembris, Indictione vndecima. Ego Landulſus, Dei gratia Archiepiſcopus Mediolanenſis Eccleſiæ, filius bonæ memoriæ Ambroſij patris* &c. Aſsignat ergo Archiepiſcopus Abbati Monaſterij Sancti Celſi, à ſemetipſo constructi *foris, & propè Mediolanenſem Vrbem,* B
ad locum, vbi antiquitùs TRES MOROS *vocabatur:* aſsignat, inquam, ei quædam bona, ibidem ſingillatim commemorata, ſuiſquè limitibus deſcripta; ſed cum hac tamen conditione; *itaut faciat Abbas ipſius Monaſterij Sancti Celſi de rebus, ſeu redditibus, quibus ex ipſis molendinis, ſeu rebus ipſis, Anniuerſarium vitæ meæ in feſtiuitate Sancti Celſi, honorificè paſcat Preſbyteros illos Decumanos, Officiales Eccleſiarum Sanctorum Nazarij Martyris & Ambroſij Confeſſoris, vbi eorum Sancta requieſcunt Corpora: & det pro vnoquoque denarios tres, & cereum vnum* &c. Hæc igitur nobis etiam in præſenti ſufficiant ex eo Teſtamento.

VII. Quamdiu verò Landulſus ipſe vixerit Archiepiſcopus: id quidem ſatis ambiguum eſt propter opinionum, inter ſe diſcrepantium, varietatem. C
Donatus Boſsius in Chronico, ad Annum Domini 978. *Secundo autem Anno ſequenti* (ac proinde Anno 980.) *Landulſus Secundus de Carcano Archiepiſcopus Mediolanenſis Septuageſimus efficitur. Sedit annis octo, & menſibus tribus. Iacet in Templo Sancti Celſi.* Eademquè poſtea repetit in Archiepiſcoporum Catalogo, ſeparatim ad finem Chronici elaborato. Petrus etiam Galeſinius in Archiepiſcoporum Tabula (vt aliàs diximus, Actis conſita Mediolanenſis Eccleſiæ) Num. 72. *Archiepiſcopatum occupauit annos octo, menſes tres. Obijt octauo Calendas Octobris. Sepultus in Baſilica Sancti Celſi.* Eidem opinioni adhæſit etiam Carolus Sigonius *De Regno Italiæ*: qui proinde ipſius promotionem conijcit in Annum 990. mortem verò, atque ſucceſſoris Arnulfi Arciaci electionem in Annum D
999. Neque rurſum plus temporis, ſed potiùs aliquantò minus ei Triſtanus Chalcus adſcripſerat. Etenim Libro 6. Hiſtoriæ Patriæ, ab Anno 968. vſque ad 982. ſupputabat trium ætatem Archiepiſcoporum, Arnulfi Primi, Gottofredi, ac ipſius Landulfi, de quo præſens eſt quæſtio: ac primo triennium, ſecundo quinquennium binoſquè præterea menſes aſsignabat. Claudius etiam Robertus in Secunda Parte ſuæ ad Galliam Chriſtianam Appendicis, qua noſtrorum quoque Archiepiſcoporum Catalogum incluſit, ſex tantùm annos eidem tribuit Landulfo.

VIII. Ex altera verò parte Gualuaneus Flamma in Archiepiſcoporum Catalogo (de quo poſtea ego dicam vberiùs) Landulfi huius Archiepiſco-

patum

patum ſupputabat ab Anno 982. vſque ad tertium Imperatoris Ottonis Tertii Annum, quem illicò poſtea dixit eſſe Milleſimum, aut circiter Milleſimum. Sicut autem illum aſſerebat creatum Anno 982. nono Calendas Ianuarij; ſic etiam ſcribebat mortuum nono Calendas Aprilis. Catalogus autem noſtrorum Archiepiſcoporum, Notationibus Fontanæ locupletatus, hæc habet: *Landulfus Secundus de Carcano, Mediolani Archiepiſcopus Septuageſimus, Anno Domini 980. ſedit annos decem & octo, menſes tres*. Ac denique: *Obijt prædictus Landulfus Anno Domini 998. non ante Calendas Octobris*. Auctor item Chronici *Flos florum*, fol. 125. pag. 1. *Landulfus, huius nominis Secundus, Mediolani Archiepiſcopus Sexageſimus-nonus, Anno Domini 980. Sedit annis decem & octo, menſibus tribus*. Ac deinde fol. 127. pag. 1. ſubſtitutum ei tradit Anno Domini 999. Arnulſum de Arzago. Poſterior hæc igitur Auctorum claſsis in id conſentit, vt Landulfi Archiepiſcopatus durauerit ad annos vſque decem & octo, prætereaquè ad tres menſes. Quocirca etiam inter ſe diſcrepant de Anno tantùm, ex quo ille incœperit, & in quem deſierit; ſicut etiam diſcrepant de die, quo tandem Landulfus ex hac vita migrauerit. A B

XIV. In hac igitur opinionum diſcordia ſic ego in primis exiſtimo: vt Landulfus Archiepiſcopalem Sedem obtinuerit per octodecim annos, ac tres menſes. Hanc quippe iam obtinebat priùs, quàm Otto Secundus Imperator Anno Domini 983. moreretur, vti iam diximus. In eadem pariter perſeuerabat Anno 996. quo ab Ottone Tertio impetrauit illud pro Ambroſiano Cœnobio Diploma, quod ego in eius Monumentis recitabam Num. 192. Inſuper verò etiam perſeuerabat Anno 997. quo Teſtamentum illud condidit, à me nuper etiam indicatum. Quòd ſi Arnulfus de Arſago in eius locum ſucceſsit Anno 999. ſicut in eiſdem Monumentis ego itidem Num. 197. docebam cum Sigonio; nihil profectò vetat, quin Landulfus Archiepiſcopalem tenuerit Sedem ad octodecim vſque annos, & ad tres prætereà menſes: eoſquè iam inde ab Anno potiùs 980. quàm 982. incœperit. Quòd ſi etiam illos incœpit è nono Calendas Ianuarii, vt Gualuaneus aſfirmabat; certè congruentiùs etiam exiſtimabimus, illum tandem obiiſſe, non octauo aut nono Calendas Octobris, ſed nono Calendas Aprilis. Sic enim potiùs oſtendere poſſumus, quemadmodùm ille, poſt octodecim Archiepiſcopatus annos, tribus præterea menſibus, nec ampliùs, vitam produxerit. Quæ quidem animaduerſio iis etiam comprobanda erit, quorum iudicio Landulfus octo tantùm annos ac tres menſes in Archiepiſcopatu tranſegit. C D

CAPVT

CAPVT LXXXVII. A

Giximbertus de Iſola, Archiepiſcopi Arnulfi hoc nomine Secundi Camerarius, Anno Domini 1021. *mortuale ſibi Anniuerſarium inſtituit, in Celſiana Baſilica quotannis celebrandum.*

I. GValuanei Catalogus ille, quem ſuperiori Capite, Num. 8. nominabam, ſic inſcriptus fuit: *Fratris Gualuanei Flammæ, Ordinis Prædicatorum, De Archiepiſcopis Mediolanenſibus, & alijs memorabilibus eiuſdem Eccleſiæ, ad Ioannem Vicecomitem, Archiepiſcopum ac Dominum Mediolani, Milleſimo trecenteſimo trigeſimo-nono,* Tum verò ſuam ille Nuncupatoriam Epiſtolam ſic etiam B incœpit: *Sacroſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Electo in Archiepiſcopum, Venerabili Domino Iohanni Vicecomiti, Epiſcopo Nouarienſi, & Domino Populi Mediolanenſis, ac plurium aliarum Ciuitatum, in Prouinciis Liguriæ Aemiliæ Venetiæ poſitarum, Frater Gualuanus de la Flamma, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Vitam & Gloriam poſsidere perpetuam.* Hoc autem ipſi Opus nuncupabat eodem illo Christi Anno 1339. Octobri menſe, in feſto Sancti Lucæ. Videlicet eodem Anno, die quarta Iulij, Aychardus Archiepiſcopus, poſt tranſactos velut in exilio vnum & viginti Archiepiſcopatus ſui Annos, tandem venerat ad capeſſendam Sedem Archiepiſcopalem: dieque tandem ſubſequentis Auguſti decima occubuerat; cùm protinùs in Archiepiſcopum eius Succeſſorem Ioannes ille C Vicecomes, Matthæi Magni filius, electus fuit; tametſi deinde nonniſi Anno 1342. creatus in Archiepiſcopum fuerit. Et hæc quidem abundè narrata fuerunt ab eodem Gualuaneo Flamma in Actis Azonis Vicecomitis, Capite 46. & 47. ac ſubſequenti Libro 18. Cap. 35. & 40. prout in Codice Bibliothecæ Ambroſianæ legi poteſt; eo nempe, quo Chronicum item Maius eiuſdem Gualuanei continetur.

II. Eiuſmodi verò Catalogi, per Gualuaneum Flammam tunc collecti, bina ego adhuc vidi exemplaria. Primum eſt beneficentiſsimi erga me, tempuſque in omne celebrandi, Aloyſij ab Eccleſia, Secretarij Vrbani: cuius etiam beneficio hac in parte nunc fruor. Alterum in Capituli Metropolitani Bibliotheca cuſtoditur: nullumque præferebat ſui auctorem: ac, D quiſnam ille fuiſſet, ignorabatur; cùm ipſi Gualuaneo à me aſſertum, meaque manu adſcriptum in fronte fuit.

III. Ibi ergo Gualuaneus, in Arnulfo Secundo, ſuperioris Landulfi Succeſſore proximo, hæc poſteritati conſignauit. *Huius Arnulfi fuit Camerarius Giximbertus de Iſola, cuius Teſtamentum eſt in Eccleſia Sancti Laurentij Maioris, continens, quòd factum fuit Anno octauo Imperij Henrici Primi, de menſe Aprilis, Inditione quarta; in quo inſtituit ſibi Annuale fiendum in Eccleſia Sancti Celſi: cui intereſſe debent Præpoſitus & Canonici Sancti Laurentij Maioris Mediolani, & vnus Capellanus Sancti Petri in Curte, & vnus Capellanus Sanctæ Euphemiæ, & duo Sacerdotes Eccleſiæ Sancti Petri in Campo Laudenſi*

denſi, omni Anno, in perpetuum. Henricus autem ille Primus Imperiali Diademate coronatus à Romano Pontifice fuerat Anno Domini Milleſimo decimo-quarto, vigeſima-quarta menſis Februarij die; ſicut ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis obſeruabam, Num. 210. Quocirca Teſtamentum illud conditum poſtea fuit Anno Sæculi eius vigeſimo-primo. Eius enim Aprili menſe octauus excurrebat Henriciani eius Imperij Annus, è vigeſima-quarta ſuperioris Februarii die inchoatus: ſic etiam tunc è Septembre ſuperiori excurrebat Indictio quarta; ſicut è receptiſsimis Indictionum Tabulis conſtat. A

IV. Certè autem ipſe ego per id temporis, quo Laurentianæ Baſilicæ ab Anno ſupra Milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo-nono vſque ad quinquageſimum-ſextum Archipresbyter deſeruio, nonnunquàm vnà cum Præpoſito Canonicisquè noſtris ei Anniuerſario, in Sancti Celſi Eccleſia celebrando, interfui: ac nobiſcum intererant etiam Parochi earum Eccleſiarum, quæ in Teſtamento ipſo nominantur: videlicet, Parochus Eccleſiæ Sancti Petri IN CAMPO LAVDENSI, vnus è duobus Parochis Sanctæ Euphemiæ, ac Parochus Sancti Firmi, & hic loco Parochi Eccleſiæ Sancti Petri IN CVRTE. Huius enim Eccleſiæ Parochique (qui olim Capellanus vocabatur) iura omnia poſtmodùm fuerunt in Eccleſiam & Parochum Sancti Firmi à Sancto Cardinali & Archiepiſcopo Carolo Borromæo tranſlata. Eadem verò Sancti Petri Eccleſia nihilominùs adhuc propè alteram Sancti Firmi cernitur ſuperſtes, & hanc in fronte inſcriptionem præfert: *Ioannis Antonij de la Turre, Epiſcopi Parmenſis, Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo*. Eſt autem lapideæ inciſa tabulæ vnà cum gentilitio ipſius Epiſcopi ſtemmate, mitram Epiſcopalem habente. Subtùs autem appictum parieti eſt *Templum Sancti Petri in Curte*. Quod quidem in præſenti etiam eſt domeſticum Sacellum nobiliſsimæ familiæ *de la Turre*: cuius etiam eſt ampliſsimum illud domicilium, cui ea cohæret. B C

V. Gualuaneum tamen Flammam ego ſuſpicor in Præpoſiti & Canonicorum titulo Sacerdotibus Sancti Laurentii Maioris adſcribendo attendiſſe communem ſui temporis vſum, quo tunc illi communiter ita vocarentur; non autem ipſius Teſtamenti contextum. Quo enim tempore conditum illud fuit, nondùm in Collegiatis Mediolani Eccleſiis vſitatum fuiſſe videtur Præpoſiti & Canonicorum nomen. Itaque ne illud quidem videbamus Anno Domini 997. in Arnulfi Archiepiſcopi Teſtamento, cùm nominaret Officiales Nazarianæ Ambroſianæque Baſilicarum. Præterea verò etiam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis nihil tale poſtea inuenimus in Ariberti Archiepiſcopi Teſtamento, quod Anno 1034. & Num. 224. ad verbum recitaui, & in quo iidem illi Collegiatarum Eccleſiarum Officiales nudo Decumanorum & Officialium nomine deſignabantur; ſicut ego quoque Num. 227. oſtendebam. Illud etiam huc accedit; quòd in eiſdem Monumentis Anno tantùm 1053. ac Numero 254. Canonicorum inueni nomen, talibus Eccleſiarum Officialibus inditum; D

ditum;

ditum; Præpoſiti verò nomen ne tunc quidem inuenire cœpi, ſed Anno tantùm poſtea 1096. ac Numero 284. Hinc igitur ego ſuſpicor, nullum Baſilicæ noſtræ Laurentianæ Præpoſitum extitiſſe Anno 1021. nec vllos tunc Officiales hic affuiſſe, quibus inditum eſſet Canonicorum nomen; quamobrem ne talia quidem nomina in eo Giximberti Teſtamento re vera extitiſſe. A

CAPVT LXXXVIII.

Petribertus, Officialis Eccleſiæ Sancti Ioannis Itolani, Anno Chriſti 1052. bona quædam legat Sanctorum Nazarij Celſi & Ambroſij Baſilicis, in quarum ſingulis ſingula eorum Corpora quieſcunt. B

I. PVblicum huius legati Documentum apud Ambroſianæ Baſilicæ, non modò Canonicos, ſed etiam Monachos extat: à quibus Monachis ego illud accepi.

II. Sic autem incipit: *In Chriſti nomine. Secundus Henricus, Dei gratia Imperator Auguſtus, Anno Imperij eius ſexto, menſe Decembris, Indictione ſexta. Ego Petribereus, Presbyter de Ordine Decumanorum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, Officialis Eccleſiæ Sancti Ioannis, qui dicitur Itolani, & filius quondàm item Ioannis, de Ciuitate Mediolani* &c. Varia ergo prædia & domos enumerat, è quibus binas fieri mandat portiones æquales. *Vna verò exinde portio deueniat in iure & poteſtate Monaſterij Sancti Celſi,* VBI EIVS QVIESCIT CORPVS, *quod eſt conſtructum foris, & non multùm longè ab hac Ciuitate Mediolani, ad locum, vbi antiquis* TRES MOROS *vocabatur. Alia verò exinde portio deueniat in iure & poteſtate Eccleſiæ & Cellæ Sancti Satyri, quæ eſt conſtructa intra hanc Ciuitatem Mediolani. Faciendo exinde, tam Abbas & Monachi, qui in iſto Monaſterio Sancti Celſi, & Monachi in antedicta Eccleſia Sancti Satyri præordinati & conſtituti fuerint, tam ipſi, quàm eorum poſteri vſque in perpetuum* &c. *quod voluerint, pro anima mea mercede &c.* C

III. Nec multò pòſt ſequitur alterum legatum, aliis domibus & prædiis innixum: quo præcipitur, vt eorum bonorum tres fiant portiones æquales. *Vna verò exinde æqualis portio deueniet in iure & poteſtatem Baſilicæ Sancti Nazarij,* VBI EIVS SANCTVM REQVIESCIT CORPVS: *ſecunda verò exinde portio deueniet in iure & poteſtatem Baſilicæ Sancti Ambroſij,* VBI EIVS SANCTVM REQVIESCIT CORPVS: *tertia verò exinde portio deueniet in iure & poteſtatem Eccleſiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur Hyemalis. Facientibus Presbyteris illis, qui in ipſas Eccleſias ordinati, & Officiales, de fruges & cenſum, ſeu vinum* &c. D

IV. Verè autem Documentum id confectum fuit Anno Chriſti Milleſimo quinquageſimo-ſecundo. Huius enim Anni menſe Decembri verè age-

 batur

batur Indictio ſexta (ſicut è communibus ac receptiſsimis Indictionum A
Tabulis conſtat) è Septembre nimirùm ſuperiori recens: ſic etiam ſextus
Imperij Annus vigeſima-quinta menſis eiuſdem die complebatur. Hic
enim Annus ſecundùm rei veritatem non aliunde ſupputandus eſt, quam
è Dominica Natiuitate Anni ſupra Milleſimum quadrageſimi ſexti: qua
die Henricus hic Secundus à Romano Pontifice, Clemente Secundo, in
Vrbe Roma coronatus fuit Imperator; vt ego quoque in Monumentis
iam diſſerui Numero 243. ac mihi conſentit archetypum etiam illud
Documentum, quod poſtea Num. 252. recitaui; vtquè Baronius itidem
iam ante docuerat ad eumdem Annum Milleſimum quadrageſimum-
ſextum; quinetiam ex Hermanno Contracto, ex Otthone Friſingenſi, &
è Leone Oſtienſi Libro 2. Cap. 80. confirmarat. Falluntur ergo qui Do- B
cumentum eiuſmodi crediderunt Anno confectum Milleſimo quadra-
geſimo-quinto: ideoquè falluntur, vt opinor, quia Henriciani eius Im-
perii Annos deducere perperàm cœperunt à Conradi patris & Impera-
toris obitu: quem conſtat incidiſſe in Annum Milleſimum trigeſimum-
nonum, & in Iunium eiuſdem Anni menſem; quemadmodùm ego quo-
que iiſdem in Monumentis obſeruabam Num. 241. Itaque nullam etiam
rationem habuerunt Indictionis: quæ Anni Milleſimi quadrageſimi-
quinti menſe Decembri, non ſexta excurrebat, ſed quarta-decima, è ſu-
periori videlicet Septembre inchoata.

V. Quòd autem Petribertus ille, Sancti Ioannis Itolani Officialis, ſimul etiam
vocabatur *Presbyter de Ordine Decumanorum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ*: C
hoc ego ſic interpretor, vt ita vocatus ille fuerit; quia talem aliunde
titulum obtineret; non autem quia vllus è centenario Decumanorum
Ordine ſoleret ei Sancti Ioannis Eccleſiæ adſcribi. Apud Ambroſianos
itidem tam Canonicos quàm Monachos exemplar extat Sententiæ (de
qua ego alibi copioſiſsimè diſſerui) per Iordanum Archiepiſcopum noſ-
trum Anno Chriſti Milleſimo centeſimo decimo-nono, die tertio menſis
Nouembris, Indictione decima tertia, pro Decumanis illis pronunciatæ
aduerſus alios quoſdam Vrbis noſtræ Cappellanos: qua Sententia Centum
illi Decumani aſſeruntur ex antiqua conſuetudine, iam inde à tempore
Guidonis Archiepiſcopi (quem ſediſſe conſtat ab Anno Chriſti ſupra
Milleſimum quadrageſimo-ſeptimo vſque ad Septuageſimum-ſecundum) D
in vndecim Eccleſias Matrices, ſiue Collegiatas, & in decem alias Cap-
pellas diſtribui; neque tamen inter eas Eccleſias Matrices aut Cappel-
las nominata vnquàm inuenitur ea Sancti Ioannis Itolani Eccleſia.

CAPVT.

CAPVT LXXXIX. A

Beati Petri Damiani teſtimonium pro Sanctis Nazario & Celſo ac Protaſio & Geruaſio Martyribus: eoſdem Anno Chriſti 1059. teſtantis fuiſſe diſcipulos Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum.

I. Beatus Petrus Damiani, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Anno Domini Milleſimo quinquageſimo-nono Legatus Apoſtolicus Mediolanum venit, vt hinc Simoniacam & Nicolaitarum hæreſes, quæ diu Clerum hunc contagione ſua infectum tenuerant, conuelleret, exterminaret. Qua de re prolixam ego habui tractationem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 262. multiſquè ſubinde alijs; ſed longè prolixiorem poſtea in Libris Quatuor de SS. Martyribus Arialdo Alciato & Herlembaldo Cotta, Mediolanenſibus, veritati ac luci reſtitutis. B

II. Sicut autem illic recitabam, inter alia multa, quæ ille tunc publica Concione declamauit, hæc etiam erant: *Vt autem, omiſsis alijs, ad id, quod nunc agitur, veniamus: non debet ignorare ſancta veſtra Deuotio, quia Beati Apoſtolorum Principes, Petrus & Paulus, ſicut per ſuum ſanguinem Romanam Eccleſiam conſecrarunt; ita mox inter ipſa naſcentis Fidei rudimenta hanc Mediolanenſem Eccleſiam per ſuos diſcipulos lucrati ſunt Chriſto. Nazarius quippe, Martyr inſignis, ſicut ſcripturæ teſtantur, Petri auctoritate Baptiſma à Lino eius ſucceſſore ſuſcepit: qui poſtmodùm cum Beato Celſo in hac Sancta Vrbe* (nomine ſiquidem Vrbis hic etiam ſuburbia intelliguntur) *martyrio coronatus eſt. Sancti verò Martyres Protaſius atque Geruaſius Beatum Paulum Apoſtolum magiſtrum ac præceptorem habuiſſe noſcuntur; ſicut Beato Ambroſio & ipſe teſtatur. Iſti ſunt (inquit) qui, monita mea ſecuti, reſpuentes prædia & diuitias, ſecuti ſunt Domini noſtri veſtigia. Sicut ergo Saluator noſter binos ante faciem ſuam Diſcipulos miſit; ita quodammodò vterque Sanctus Apoſtolus ex magiſterio ſuo in hanc Vrbem Prædicatores Sanctæ Fidei geminos deſtinauit. Cùm ergo veſtra ſalutis Auctores ex Romana Eccleſia prodierint diſciplina; conſequens eſt, iuxta æquitatis ordinem, vt Eccleſia Romana Mater, Ambroſiana ſit Filia.* C

III. Subinde verò confirmat hoc ipſum exemplo Patroni noſtri Ambroſii, qui contra Nicolaitas auxilium Sedis Apoſtolicæ quæſierit, quiquè ſe in omnibus Magiſtram ſequi profiteretur Sanctam Eccleſiam Romanam. D Tum denique ſignatas ad tabulas prouocat, noſtris vtique Mediolanenſibus & notas, & probatas, & indubitatas. *Scrutamini itaque* (ſubdit) *ſcripturas veſtras: &, per quod vultis, diligenter inquirite. Et ſi non poteſtis apud voſmetipſos inuenire, quod loquimur; mendacij arguite. Si autem poteſtis, nolite veritati reſiſtere, nolite Matrem veſtram crudeliter impugnare; ſed, ex cuius vberibus lac ſuxiſtis Apoſtolicæ Fidei, eius ſemper gaudete ſolidis doctrinæ cœleſtis dapibus recreari.* Petri ergo Damiani teſtimonio, cui Mediolanenſes quoque noſtri contradicere non poſſent, Sancti Nazarius & Celſus, necnon etiam Protaſius & Geruaſius, in Vrbe noſtra iam erant paulò

poſt

poſt Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum cædem, atque inter ipſa naſcentis Chriſtianæ Fidei rudimenta. Quod perinde prorsùs eſt, ac ſi dixiſſet: Mediolani erant, cùm Nero crudeliſsimus imperaret, atque in Chriſtianos deſæuiret. Adhuc enim conſtans in aperto & confeſſo perſeuerauerat hæc temporis notitia, quæ cæteroqui Sanctum Ambroſium effugerat, & in obſcuro deliteſcebat, quando Sanctorum Nazarij & Celſi Corpora per ipſum inuenta fuerunt; vti iam vidimus. Ecce verò, quemadmodùm idem præterea Beatus & doctiſsimus Cardinalis verè Ambroſianam & legitimam cenſuerit Epiſtolam eſſe illam, quæ nunc inter Ambroſii Epiſtolas computatur quinquageſima-tertia, quamquè nos item ſupra recitauimus: qua nempe mirabilis illa recenſetur Inuentio Corporum Protaſii & Geruaſii; quaquè deſcriptus ad verbum continetur ille Philippi Libellus, qui ad eorum caput inuentus eſt. Quocirca etiam Libellum illum ſic habuit pro authentico & genuino, vt eumdem appellauerit VERACISSIMAM HISTORIAM; ſicuti Capite ac Numero 7. videbamus. A B

CAPVT LXXXX.

Baſilicæ Celſianæ Abbatiam Simoniacus quidam occupat; ſed inde per Sanctos Arialdum & Herlembaldum diſpellitur. Translatio Sancti Nazarij ſolemniter interim celebrata. C

I. IN prædictis Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Anno Domini 1034. & Num. 224. Ariberti Archiepiſcopi Teſtamentum mentionem nobis faciebat Abbatis & Monachorum Sancti Celſi. Circiter autem Annum 1062. Numero 269. indicabatur, quemadmodùm, Abbate mortuo, quidam Clericus Abbatiam ſibi eam ſimoniacè coemiſſet. Beatum Andream, Vallis Vmbroſæ Monachum (cuius mentionem in hoc Opere iam fecimus Capite 64. Num. 26.) ibi teſtem producebam in Sancti Martyris Arialdi Vita: neque tamen ea de re verba ipſius recitabam; quippe quæ non ita inſtituto tunc meo congruerent, ſicut ea congruebant, quæ ad Baſilicam pertinerent Ambroſianam. Nunc igitur ea ipſa proferam. Capite autem 17. continentur, & eiuſmodi ſunt: *Per idem tempus Abbas Cœnobij Sancti Celſi obijt: cuius locum quidam Clericus, nomine Lanfrancus, protinùs rapuit, refutato pro eo tyrocinio non modico, quod annuatim ſumebat de Pontificali domo. Cuius nefandæ præſumptioni tam conſtanter per tempora plurima Vir Domini Arialdus, cum Herlembaldo nobili ſocioquè Fideli, obſtitit, donec eum facerent exulem, non ſolùm malè empta Abbatiæ regimine, ſed etiam penè finibus eiuſdem Parochiæ.* Herlembaldus hic autem ille eſt, quem pariter Martyrem in eiſdem Monumentis Anno 1076. ac Numero 277. recolebam; ſicut & ſuperiori Capite 89. Num. 1. D

II. Cæterùm

II. Cæterùm alter ille Auctor, à quo rursùs deſcriptam poſtea eiuſdem Arialdi Vitam diximus Capite 64. Num. 26. & 29. deſcripturus initium prædicationis, qua ille noſtra in Vrbe contra Clericorum Simoniam & Matrimonia inuectus eſt, ſic narrabat: *Arialdus itaque, ex Decumanis Canonicis, cœpit cum Landulſo* (hic erat Herlembaldi frater, & Baſilicæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius) *tacitè ſeminare inter Clericos & Laycos Vrbis, quæ foris* (in Oppido Variſio) *prædicauerat in aperto. Cumquè Tranſlatio Beati Nazarij à cunctis Clericis & Ciuibus deuotè celebraretur; cœpit Arialdus detrectare familiariter coniugia & ſtupra Clericorum* &c. Quamobrem Sancti Nazarii Translatio, non à Clero tantùm, ſed à Populo etiam, per hæc tempora feſtiuo die quotannis celebrabatur; atque adeò ſolemnius, quàm in præſenti fiat. De anniuerſaria enim eiuſmodi Translatione citra dubium Auctor ille iis verbis loquebatur; & non de prima, tunc temporis celebrata, quando Sancti Nazarii Corpus primò inuentum eſt; ſicuti Ripamontius perperàm exiſtimauit. In Arialdi enim Martyris Vita, quam ille ſibi denique ſeparatim, vt additamentum ad ſuos Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Libros, in lucem iam editos, aſſumpſit enarrandam ex Ambroſianæ Bibliothecæ manuſcripto, quo nimirùm eiuſdem Martyris Vita per Auctorem illum conſcripta continetur, velut explicans, qualem Nazarij Translationem Auctor ille iis indicaſſet verbis, quæ proximè in hoc ipſo Numero à nobis recitabantur, ſic inquit: *Suberat fortè dies, quo die Celſi & Nazarij Martyrum Oſſa, tunc primùm effoſſa ex hortis* (quod quidem Sancti Præſulis Ambroſii noſtri tempore factum iam fuerat) *maximo Cleri Populiquè totius concurſu, qualis ad noua omnia fieri ſolet, ducta per Vrbem pompa, deportanda eſſent, vt mortale Corpus, vtriuſque Diui quod fuerat, collocaretur in ſede honeſta: qui Sacris Reliquijs inter mortales honos præmiumquè eſt.*

A B C

CAPVT LXXXXI.

Sanctus Martyr Arialdus Anno Chriſti 1067. ex Ambroſiana Baſilica defertur ad Celſianam, in qua Sancti Celſi venerabile Corpus adoratur: ibiquè inter ipſam & Eccleſiam Sancti Nazarij in Campo ſepelitur. D

I. NOſtris hic etiam vtor Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. Illic enim Anno Chriſti 1066. Num. 273. eodem teſte Beato Andrea indicaui, quale fuerit Arialdi martyrium: & Numero 274. quid poſteà factum de ipſius Corpore: quamquè ſolemni pompa delatum fuerit ad Vrbem, atque per aliquot dies in Ambroſiana Baſilica expoſitum ad hoc, vt piè coleretur: ſed & Numero 275. quantus interea fuerit in ea Baſilica concurſus, & alia miranda: decimoquè tandem inde die translatum fuerit ad Celſianum

num Monaſterium, & ibi ſepultum. Cùm igitur hæc omnia ibi commodè legi poſsint; eam tantùm hiſtoriæ partem hic repetam, qua poſtrema hæc Arialdi Translatio & ſepultura recenſetur. A

II. De qua quidem Beatus Andreas Capite 32. ſic ſcribebat: *Congregata igitur eſt iterùm in die Sancto Pentecoſten* (Anni nempe 1067.) *tanta virorum ac mulierum diverſæ ætatis multitudo de proximo & longinquo, vt numquàm ſe vnam tantam vidiſſe etiam ſenes dicerent: & ſic cum magna gloria laudequè ineffabili ad Monaſterium delatus eſt Sancti Celſi. Ibi namque in locum mirabiliter aptum traditus eſt ſepulturæ. Siquidem ex vna parte habet Eccleſiam*, IN QVA SANCTI CELSI VENERABILE NVNC ADORATVR CORPVS: *ex altera verò Eccleſiam, vbi quondàm (vt fertur) diu Sanctus perlatuit* (in ſubterraneo nempe ſepulchro) *Nazarius. Exhinc quippe ibi à multis Fidelibus adoratur & colitur; ab Infidelibus autem nec Chriſtus vniverſorum Dominus, nec Arialdus ipſius famulus.* B

III. Talia ibi Beatus Andreas. Quibus ego hæc proximè ſubtexebam: *Illic igitur Sanctus hic Martyr tumulo datus conquieuit vſque ad Annum Chriſti Milleſimum nonageſimum-ſextum: quo per Anſelmum Archiepiſcopum, nominis huius Quartum, translatus inde fuit ad Sancti Dionyſij Eccleſiam, vbi Sanctus item Martyr Herlembaldus Cotta iacebat. Quibus de rebus abundè nos alibi agemus, hoc eſt, Primo illo & Quarto in eiuſdem Arialdi Vitam Libris, quos Numero 259. polliciti fuimus.* Inter quos tamen nunc proprium computamus Librum de ipſius Herlembaldi Vita.

IV. Operæ verò pretium erit, ſi alterum quoque illum audiamus Auctorem, à quo Sancti Arialdi Vita conſcripta fuit. Quod enim Beatus Andreas ſuperioribus verbis explicauerat, his ille paulò aliter ſignificauit. *Denique in feſto Pentecoſten; vt per Herlembaldum ſtatutum erat, tanta vtriuſque ſexus multitudo de longinquo & de propinquo coadunata eſt, vt decrepiti ſe numquàm tantam multitudinem vnitam vidiſſe dicerent. Sicquè cum laude ineffabili magnaquè gloria propè Eccleſiam Sancti Celſi eumulatum eſt: ſcilicet inter dictam Eccleſiam, & Eccleſiam paruam, vbi quondàm Sanctus Nazarius latitauit: quæ Eccleſia Sancti Nazarij in Campo dicitur.* C

V. Inter hæc autem omnia, de Arialdo huc congeſta, illud præcipuè nobis placet, quod Beatus Andreas diſertè affirmabat, in Eccleſia Sancti Celſi venerabile Corpus ipſius adorari; quippecùm illud ibi quieſcere non ex vano crederetur. D

CAPVT

CAPVT LXXXXII. A

Guido Archiepiſcopus, in Celſianum Monaſterium coniectus, cuſtodia commendatur.

I. ARnulfus ille Hiſtoricus Mediolanenſis, cuius teſtimonio
aliquoties vſus adhuc fui, & cuius auctoritatem ac fidem
Numero 182. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis in-
dicabam, Celſiani huius Monaſterii hanc Capite ſiue Li-
bro 3. fecit mentionem, quæ ad Annum Chriſti circiter
Septuageſimum ſupra Milleſimum pertinet: *Per idem
tempus fuerat quidam ex Ordinarijs Eccleſia* (Metropolitanæ) *Subdiaconus,* B
nomine Gothofredus, illius (Guidonis Archiepiſcopi) *à Secretis, præ omnibus
vnicus: qui, ex quo Domini ſui penetrauerat mentem, in ſe transferendum
omnimodis ſatagebat honorem. Secreta igitur facta conuentione cum eo Præſul,
datis communis pacti ex alterutro ſacramentis, Dignitatem deponit abſens, Vir-
ga cum Annulo Cæſari per Legatos directa. Gothofredus autem cùm iampridem
labore multo ſibi Regis conciliaſſet affectum, recenti tamen pacto ab eodem Au-
guſto gaudens eſt adeptus Præſulatum.* Et paulò pòſt: *Interea Guido fateba-
tur, ſe Gothofredi deluſum inſidijs, communis pacti transgreſſorem illum appel-
lans. Qui cùm amiſſum reſumere vellet honorem; cum Herlembaldo* (illo ſci-
licet, quem ſupra ego Martyrem nominabam) *pacis fœdera ſociauit. O
mens cæca mortalium! Veniens enim illo duce Mediolanum, non ad Vrbem, vt* C
voluit, ſed ad Sancti Celſi Monaſterium (quod tunc erat extra Vrbem, vt
iam vidimus) *ducitur. De priuato factus eſt priuatior. Ibi commendatus cuſ-
todibus* (ad pœnitentiam, vt ego interpretor, agendam; cuius agendæ
locus erat Monaſterium, vt benè docuit etiam Ioannes Fileſacus, Theo-
logus Pariſienſis, in Syntagmate de Pœnitentia, Capite 4.) *multis die-
bus reſedit inglorius, hac vice deluſus.* Et rursùs aliquantò pòſt, deſcripto
Vrbis noſtræ incendio, quod communiter *Caſtellionenſe* vocatum fuit,
quodquè in Annum incidit Septuageſimum-primum ſupra Milleſimum,
& de quo ipſe ego iiſdem in Monumentis egi Numero 276. ſic addit:
*Iam enim migrauerat à ſæculo Archiepiſcopus ille Guido, ſepultus in loco, qui
vocatur Burguli vulgò, vbi poſt Vrbis* (Mediolani) *incendium in amaritu-* D
dine animæ diem clauſit extremum.

II. Quippe Guido demùm fuerat ex eo Cœnobio dimiſſus; vt benè Triſtanus
obſeruauit Chalcus, inter eiuſdem Septuageſimi-primi Anni geſta, his
verbis: *Inter hæc Guido Velates, Cœnobio Celſiano dimiſſus* (in quod vtique
recenſuerat ipſum Anno ſuperiore coniectum, & cuſtodiæ commenda-
tum) *euaſerat ad Transpadanos Populos: & non procul Derthona defunctus,
Bergoglij, ad Tanarum amnem ſito Oppido, ſepelitur Anno ſexto & vigeſimo,
ex quo Mediolanenſi præfuit Eccleſiæ.*

CAPVT LXXXXIII. A

Nazariana Baſilica & alia multa atrox incendium paſſa Anno Chriſti 1075.

I. SVperiore Capite 67. & Ennodii Ticinenſis ætate, incendium atrox Baſilicæ timebam Nazarianæ: neque conſolabar eo ſaltem, quòd ex incendio (ſi fortè tunc illi ſuccubuerat) meliorem poſtea in ſtatum redacta eſſet. Atqui nunc indubitatum & horrendum cernimus eius incendium; neque tamen interim de reſtauratione aliquid conſtat. Tale hoc incendium ex Arnulfi, quem proximè nominabam, Hiſtorici Libro B Quarto deſcripſi Numero 276. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. Verumtamen hoc etiam loco verba rurſum ipſius recitabo; tametſi nouum mihi horrorem incutiant.

II. *Anno Humanitatis Dominicæ* (ſic enim teſtis ipſe oculatus narrabat) *Milleſimo ſeptuageſimo-quinto, Indictione tertia-decima, tranſactis quatuor à memorato ſuperiori incendio* (Caſtellionenſi) *annis, propinquante Sanctiſſimo Paſcha feſto, ſecunda videlicet Hebdomadis Authenticæ Feria, miſeranda iterùm Ciuitas diuinam perſenſit iracundiam: experta, quàm ſit horrendum incidere in manus Dei viuentis. Celebratis itaque Miſſarum Solemniis, vrgente iam ſole, in Vrbis apparuit medio denſa fumus caliginis, flante ventorum violentia nimia per aerem volitans: quem ſequebatur vapor flammiuomus, inter cælum & C terram vniuerſa conſumens. Siquidem plures, velut fulmina, faces ab illo maximo & inextinguibili erumpentes igneo globo, totam ſubitò miſerunt per Vrbem; vt, quod Ciuitatis reſiduum iamdictum illud euaſerat incendium, totum penè flammis adureretur præſentibus, ſolo tenùs conquaſſatum. Nec tamen ex toto illis ardor iſte pepercit ædibus, quæ priùs incenſæ multis iam fuerant reparatæ ſudoribus. Quid enim dici valet vlteriùs? quàm quòd ignis hic inſtar fuit per omnia ſuprataxati alterius: hoc tamen crudelior, quòd multò plures ac maiores combuſſit Eccleſias. Illam ſcilicet Aeſtiuam ac mirabilem Sanctæ Virginis Teglæ, Beati quoque Nazarij, necnon Protomartyris Stephani, cæteraſquè complures: quarum parietina annis apparebunt, vt reor, ampliùs mille. Inter quas aliarum Mater, Sanctæ Dei Genitricis Hyemalis Baſilica (ò dolor, iterumquè dolor!) exuri permittitur, collapſis funditùs parietibus. Cuius Sacroſanctum* D *Altare non apparet, quantum fuerit, aut quale: laminæ verò aureæ liquefactæ ſunt nimio præ chaſmate. Sed mille talenta auri Librorum damno nequeunt comparari. Hanc quidem peccata noſtra merentur ærumnam; quoniam Sancti Spiritus offendimus in noſtro felle Columbam* &c. Hactenùs de hoc ſecundo incendio Arnulfus.

III. Ibidem verò, ſiue in Baſilicæ Monumentis Ambroſianæ, Num. 276. mox Arnulfo Triſtanum adijciebam Chalcum, eodem Anno Septuageſimo-quinto ita narrantem: *Denique tota Ciuitas aduſta: & illuſtris Aedes Teclæ, quæ primaria habebatur, & ei propinqua Hyemalis, & Nazariana, labefactata.*

labefactata. Stephaniana verò penitùs abſumpta eſt. Cui quamquàm poſteritas A
egregiam hanc, quæ extat, ſubſtruxerit; haud tamen priori parem eſſe, inſcripti
in limine eius verſiculi admonent; quemadmodùm ego ipſe vberiùs illic
oſtendebam. Vtinam verò Nazariana ipſa meliorem, quam Stephaniana, conditionem ſortita fuerit, ſiue cùm exureretur, ſiue cùm poſtea reficeretur.

CAPVT LXXXXIV.

Anſelmus Archiepiſcopus, huius nominis Tertius, ex intruſo legitimus, ac de Sede Apoſtolica Romana quàm optimè meritus, in B
Baſilica Nazariana ſepelitur.

I. QVemadmodùm Anſelmus hic Archiepiſcopus ex intruſo legitimus euaſerit, atque de Romana & Apoſtolica Sede tam benemeritus fuerit: ſatis hæc intelligi poſſunt è noſtris Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 279. & 280. ſimulquè ab Anno Chriſti 1084. quo illum dicebamus electum, vſque ad 1093. quo denique mortuum. Eumdem verò in Baſilica Nazariana ſepultum eſſe, poſtquàm pridie Nonas Decembris obiiſſet: id quidem planè conſtat è communi noſtratum Scriptorum conſenſu; ſicut & illud, Anſelmum ipſum è familia fuiſſe Rhaudenſi, non autem C
Puſterla; ſicut perperàm exiſtimauit Claudius Robertus in Secunda Parte Appendicis ad ſuam Galliam Chriſtianam, in Catalogo Mediolanenſium Archiepiſcoporum, Num. 78. Nonnulla tamen ſunt etiam, quæ à noſtratibus etiam Scriptoribus Anſelmo huic Tertio contra rei veritatem adſcribuntur, quæquè curſim à nobis hic refelli oportet.

II. Catalogus in primis, *Succeſſores Sancti Barnabæ* inſcriptus, Num. 76. ſic habuerat: *Thealdus Caſtillioneus, Ciuis, Henrici Imperatoris auxilio ſuffultus, & opibus adiutus, Eccleſiam Mediolanenſem inuaſit. Quam ob cauſam à Gregorio Septimo Pontifice Sacris Ordinibus interdictus, exul Aronæ moritur, & ibi ſepelitur.* Certè autem Gregorius Papa Septimus Anno Chriſti ſupra Milleſimum Septuageſimo-tertio ſucceſſerat in locum Alexandri Secun- D
di, eodem Anno defuncti. Quamobrem vel hinc facillimè dignoſcemus, quàm parùm ſibimetipſi conſtet idem Catalogus, cùm proximè Num. 77. ita proſequitur: *Anſelmus de Rhò, Ciuis, ab Alexandro Secundo Pontifice Mediolanenſis Epiſcopus creatus, præfuit Concilio Mantuano: in quo mirabilis extitit contra Schiſma, quod Gibertus Parmenſis, Vir potentiſſimus, annuente Henrico Imperatore, excitauerat, creando Pontificem Cadolum, antea Parmenſem Epiſcopum. Compoſito Schiſmate opera & induſtria ipſius Anſelmi, idem Alexander Papa ab omnibus confirmatur, & Paſtor Catholicus adoratur.* Talia Catalogus ille. Quamobrem ineptè ſupponit in primis, Gregorium Septimum fuiſſe Romanum Pontificem ante Alexandrum Secun-

dum: nec minùs ineptè aſſerit, Concilio illi Mantuano, quod Anno A
Domini 1064. celebratum eſſe conſtat; præfuiſſe Anſelmum hunc Tertium, qui citra dubium ſupponi debet in Archiepiſcopum creatus circiter Annum eiuſdem Sæculi octuageſimum-quartum, Annoquè tandem nonageſimo-tertio defunctus; vti iam diximus; poſtquàm nimirùm ſediſſet circiter Annos octo.

III. Quid, quòd etiam nonnulli falsò adſcripſerunt Anſelmo huic Tertio, quæ re vera ſoli Quarto debentur? Hinc profectò Galeſinius in Archiepiſcoporum Tabula, Num. 77. ſic ſcribebat: *Anſelmus Tertius, Rhaudius, Mediolanenſis, Archiepiſcopus creatus, magnam Claſſem Exercitumquè comparauit, vt Babyloniam caperet: qui profectus, multis commiſsis prælijs, nihil profecit.* Hinc itidem Catalogus ille Manuſcriptus, à Nobiliſsimo Marchio- B
ne Marcellino Maria Vicecomite mihi commodatus, de hoc ipſo loquens Anſelmo Tertio, ſic habet: *Hic dedit Indulgentiam Eccleſiæ Sancti Sepulchri, quam fundauit Rozo de Corteſella Anno Domini* 1036. Hæc vtique duo ſecundùm rei veritatem non alteri Anſelmo Archiepiſcopo noſtro debentur, quàm Quarto; ſicut è noſtris conſtat Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 284. & 289.

CAPVT LXXXXV.

De immunitate, conceſſa venientibus ad anniuerſariam feſtiuitatem Sanctorum Protaſij ac Geruaſij. C

I. ANſelmus ipſe Quartus, quem nuperrimè nominabam, primus fuit auctor eius immunitatis, quam proximum eſt vt videamus. Silentio autem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis eam idcircò tranſegi; quia me interim latebat lapidea illa tabella, cui ea conſignata eſt.

II. Extra portam Atrij, quod circumquaque præaltam porticum habens, Baſilicæ proſtat Ambroſianæ, in latere ingredientibus dextero, conſita parieti eſt eiuſmodi tabella: & ita in alto ſita, & ita paruis inſculpta characteribus, vt è terra ſatis benè ac certò per ſingulas partes legi non
poſsit. Quocirca ego quidem inſcenſa ſcala illam è propinquo & in D
meridiana luce legere quàm optimè volui, lectam ibidem protinùs exſcripſi, exſcriptamquè denuò recognoui, ne vel minimum quid à primæuo illo exemplari aberrarem.

III. Ea igitur Inſcriptio ſic ſe habet: ✠ *In nomine Sanctæ Trinitatis. Ad eius honorem, & Sanctorum Protaſij & Geruaſij Martyrum, ſtatutum eſt ab Archiepiſcopo Anſelmo, & eius poſtea Succeſſoribus, ſub nomine excommunicationis, & communi Conſilio totius Ciuitatis, vt non liceat alicui homini in eorum feſtiuitate, & per dies tres antea, & per tres poſtea,* CVRTADIAM *tollere, & in ius ſibi proprium vſurpare. Iterùm confirmauerunt per octo dies ante feſtum, & per octo poſt feſtum, firmam pacem omnibus hominibus ad ſolemni-*

tatem

tatem venientibus, & redeuntibus. Adam & Pagano huic bone opem dantibus. A
Anno Domini Milleſimo nonageſimo-octauo,

IV. Eiuſdem Inſcriptionis ac Statuti mentionem fecit Carolus à Baſilica Petri
in Hiſtoria Mediolanenſi: grauiterquè propterea Mediolanenſes hunc in
modum admonuit in Caio, Archiepiſcopo Tertio, propè finem: *Illud
in huiuſmodi hiſtoria* (quam de Sanctis Protaſio ac Geruaſio Martyribus
proximè præmiſerat) *Ciuibus meis prædicandum eſt: quæ lætitia Sanctus Pa-
ter noſter Ambroſius Inuentionem horum Martyrum celebrauerit: quàm magnam
ſpem & fiduciam ex eis contra omnia aduerſa omneſquè iniurias conceperit:
quàm magnificè eos Sanctæ Plebi ſuæ, hoc eſt Mediolanenſibus, obtulerit tan-
quàm perpetuos Defenſores; vt agnoſcant, quæ præſidia ad hæc tempora negle-
xerint, quantumquè eis debiti cultus deſideratum fuerit. Certè adhuc lapis ex-* B
*tat in parte anterioris partis Porticus, quæ eſt ante Baſilicam Ambroſianam: in
quo legitur, olim Anſelmum Archiepiſcopum vnà cum communi Conſilio totius
Ciuitatis, pœna excommunicationis propoſita, ſtatuiſſe, ne quis tribus diebus
ante feſtum horum Martyrum, & tribus pòſt,* GVARDIAM (ſic enim ipſe
legit) *tolleret: item conceſſiſſe, vt fide publica octo dies ante, & totidem pòſt,
omnes ad eorum ſolemnitatem conuenire poſſent. Annus autem inſcriptus non
rectè percipitur, qui poſt Milleſimum fuerit. Sunt enim hæ notæ MIIC.* Quas
tamen notas numerales ego detractis è numero centenario, per notam
C deſignato, duabus vnitatibus, nihil cunctatus aut veritus ſum ita in-
terpretari, vt Annum Chriſti (ſic enim loqui liceat) duodecenteſimum,
ſiue nonageſimum octauum, ſupra Milleſimum ſignificent. Sequitur C
idem Carolus: *Ex quo apertè perſpicitur, celeberrimam olim fuiſſe horum
Martyrum ſolemnitatem; ſicuti etiam ei rei indicio eſt, quòd Clerus Eccleſiæ Ma-
ioris ad Baſilicam Ambroſianam in ea ſolemnitate ſe confert ad Diuina celebran-
da; item Populus Mediolanenſis per Artium genera diſtinctus, & Prouiſionum
Præfecti, ad Sanctos Martyres honorandos cum oblatione accedunt: Qua de re
Carolus Archiepiſcopus nuper etiam conſtituit.* Hactenùs Carolus à Baſilica
Petri.

V. Non igitur ego quicquam dubitaui de illo per ſe Annorum numero, ſed
aliis potiùs de rebus, & his quidem quatuor. Prima eſt: Quiſnam fue-
rit Anſelmus ille Archiepiſcopus, Statuti eius Auctor primus. Secunda:
Vtrùm Annus ille Milleſimus nonageſimus-octauus referri debeat ad pri- D
mam eius Statuti inſtitutionem, an ad poſteriorem illius ampliationem.
Tertia: Quandonàm ea tabella fuerit illic collocata. Quarta: Quid
vocabulum illud CVRTADIA ſignificet.

VI. Anſelmus huius nominis Quartus citra dubium fuit Archiepiſcopus ab
Anno Chriſti Milleſimo nonageſimo-ſexto vſque ad Milleſimum cente-
ſimum: idquè ſatis iam conſtat ex Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis,
Numero 284. & 290. ac ſimul etiam è ſuperiori Capite 9. Num. 8. 9. 10.
Annus igitur in tabella illa deſcriptus neutiquàm vetat, quin eiuſmodi
Statutum eidem Anſelmo Quarto referatur acceptum: & quin Annus
ipſe referatur ad primam eius Statuti inſtitutionem. His autem poſitis,

reliquum

reliquum eſt, vt eiuſmodi tabella fuerit ibi collocata, non ex eo ſtatim A tempore, quo Statutum illud ab Anſelmo Archiepiſcopo conditum fuit; ſed poſt multos deinde Annos, intra quos ab ipſius Anſelmi Succeſſoribus potuerit illud idem Statutum & comprobari, & ad vlteriores illos dies protendi. Sic igitur ego me tandem prioribus illis tribus dubitationibus extraxi.

VII. Quòd verò tandem attinet ad CVRTADIÆ vocabulum: ego quidem illud credidi certum eſſe vectigalis genus, quod à viatoribus perſoluendum eſſet. Fortè autem idipſum vocabatur etiã CVRATVRA, vel TVRADIA, vel CVRARDIA, vel CVRARIA: quibus vocabulis alibi vidimus certũ item vectigalis genus indicatum eſſe. Exemplum primi & ſecundi habemus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. Etenim Numero 289. Annoquè B Chriſti 1100. Anſelmus ipſe Quartus, de feſtiuitate Dedicationis Eccleſiæ, Dominico Sepulchro nuncupatæ, ita ſtatuebat: *Tunc ante Magiſtratum preterea ſancimus, vt octo diebus ante Solemnitatem prænarratam, & octo poſtea, ita ſit pax & tregua per noſtrum Comitatum firma, quòd omnes, qui ad hanc Solemnitatem voluerint accedere, poſsint ſecuri & ſine moleſtia confluere vndique.* Et paulò pòſt: *Stabilitur quoque & communi inſtitutione à nobis laudatur, quatenùs ibi ſit Mercatum annuale, omnium rerum fluens & venale: ex quo nullus præſumat* CVRATVRAM *quærere* &c. Sic etiam deinde Num. 302. Annoquè Chriſti 1105. Ordinarij Cardinales Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, reliquuſquè Clerus & Populus, abſente Archiepiſcopo, pro Solemnitate Sanctæ Mariæ AD PORTAM, quotannis celebranda, ſic C etiam ſtatuerunt: *Quo etiam die, ad frequentationem huius Solemnitatis, ſtatutum eſt annuale Mercatum: & omnibus venientibus ad hanc Solemnitatem, vel cauſa orationis, vel cauſa mercandi, & redeuntibus, ſtabilita eſt ab omni Ciuitate firma & inuiolabilis treuia, octo ante feſtum, & octo dies poſt feſtum: Quòd ſi quis huius treuiæ violator extiterit; indignationem non effugiet; & iram totius Ciuitatis ſuper ſe & ſuper ſua bona grauiſsimam indubitanter incurret.* COLONEVM, *quod vulgò* TVRADIA *dicitur, ſiue* PORTENATICVM, *in his præfatis diebus nulli omni modo tolletur.* Pro vocabulo autem CVRARDIÆ peropportunum eſt Friderici Primi Imperatoris (vulgò Aenobardi) Diploma *De Eleuatione & Canonizatione Corporis Sancti Caroli Magni Imperatoris*: quem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis ego D quoque Numero 34. iure merito Sanctis adſcriptum eſſe commemorabam. Eſt autem datum *Aquiſgrani Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſexageſimo-ſexto, Indictione decima-quarta, ſexto Idus Ianuarij, regnante Domno Friderico Romanorum Imperatore, Anno Regni eius decimo-quarto, Imperij verò vndecimo.* Quod autem obiter hoč loco dictum ſit, Fridericus in eodem Diplomate aſſerebat, Sancti Caroli Magni Corpus inter alios fines tunc eleuatum etiam *ad ſalutem dilectæ Conſortis noſtræ Beatricis Imperatricis, & filiorum noſtrorum Friderici & Henrici*; quia nimirùm illis tunc natus nondùm eſſet Ottho, tertio fœtu genitus; quemadmodum ego quoque concludebam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis,

Numero

Numero 601. Cæterùm in eo Diplomate Fridericus Aquiſgranenſibus inter alia priuilegia hoc etiam confirmat: *Vt omnes Ciues noſtri Aquenſes per omne Romanum Imperium negotiationes ſuas ab omni telonij, pedagij,* CVRARDIÆ, *vectigalis exactione liberi, abſque omni impedimento, liberè exerceant.* Idipſum verò Diploma ego legi apud eruditiſsimum Ioannem Bollandum in Actis Sanctorum menſis Ianuarij; die videlicet eius vigeſima-octaua, qua Sancti Caroli Magni Vita, multis è Scriptoribus collecta, continetur. Denique verò CVRARIÆ vocabulum fortè fortuna ego nactus ſum in manuſcripto Volumine, ac ſanè quidem ingenti, quod humaniſsimè mihi commodatum fuit à Nobiliſsimo Marchione Theobaldo Vicecomite. Quamplurima eo continentur Documenta publica, & à Notariis firmata, è quibus vetuſtiſsima Gentis eius Genealogia facili negotio elici poteſt. Illis autem vnum etiam connumeratur, Mediolani rogatum Anno Milleſimo ducenteſimo octuageſimo-octauo, quartadecima die Martii, per Benacircum Panianum: cui Diuiſio ineſt bonorum tunc temporis facta inter Petrum patruum ex vna parte, ac Maffæum (hic autem ille fuit, qui communiter Matthæus appellatur, quique Mediolani dominatum Magniquè cognomentum ſibi poſtea obtinuit) & Vbertum fratres nepotes ex altera, & eos quidem omnes Vicecomites. In eo igitur exemplari, quinimmò etiam in eius archetypo, per eumdem Marchionem ſuppeditato, ſic etiam ego ſcriptum inueni: *Item* CVRARIA, *vtilitas, & iura* CVRARÆ, *quas habent in Mercato Burgi de Gallerate.* Quod quidem Mercatum ſingulis Sabbatis perſeuerat adhuc frequentiſsimum & celeberrimum, mihiquè magis eo etiam notum, quia illic natus adoleſcentiam tranſegi.

VIII. Vt autem ad noſtrum illud CVRTADIÆ vocabulum iam tandem reuertar; ego quidem illud crediderim euſdem fuiſſe ſignificationis, ac TELONEVM ARCHIEPISCOPI: quale ſcilicet à Gualuaneo Flamma in Chronico Maiori, Cap. 227. hunc in modum deſcribebatur: *Inſuper Archiepiſcopus Mediolanenſis quoſdam alios maximos redditus Imperiali auctoritate recipiebat. Quia ſuper ſtratas regales in exitu quolibet de Comitatu* (Mediolani) *habuit* TELONEVM: *& dum intrabat aliquis extraneus in equo, vel cum curru, aut pedibus, dabat* TELONARIO ARCHIEPISCOPI, *immò innumerabilibus Telonarijs, cenſum: & Archiepiſcopus tenebatur cuſtodiri facere paſſus, & omnibus damnificatis infra territorium reſtituere de ſuo tantum, quantum damna fuiſſent æſtimata. Item de quolibet curru lignorum recipiebat vnum, de qualibet ſporta piſcium vnum, de qualibet fornata panis vnum: & omnia alia, quæ Ducibus conceſſa fuerant, Imperiali auctoritate ſibi dabantur.* Inter hæc autem, quæ hoc Numero poſtremo recitauimus, ſimul etiam ſatis explicatum ſit, qualiſnam eſſet firma illa pax, omnibus confirmata hominibus, ad Solemnitatem venientibus, & redeuntibus; quemadmodùm in ea tabella continebatur.

IX. Obſeruatu autem dignum etiam hic eſt, quod ego tandem animaduerti: eandem Inſcriptionem à Paulo itidem Morigia recitatam eſſe Libro Primo de

de Nobilitate Mediolani, Cap. 17. ſed inter alias nonnullas eorum ver- A
borum mutationes hanc extare, quòd pro CVRTADIAM TOLLERE
ipſe legerit, legendumquè tradiderit, CVRAM ALIAM TOLLERE.

CAPVT LXXXXVI.

De Iordano Archiepiſcopo, in Ambroſiana Baſilica ſepulto. Non hic, ſed Olricus, eius ſucceſſor, annuam Fidelium Defunctorum Commemorationem inſtituit.

I. DE hoc ipſo Iordano Archiepiſcopo abundè ſcripſimus in B
Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis à Numero 315. vſque
ad 333. ac ſimul ab Anno Chriſti 1112. vſque ad 1120.
neque quidquam in præſenti ſupereſſet, quod addamus;
niſi Galeſinius (cui Beſutius quoque in Hiſtoria Pontificali
adhæſit) in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula, Num. 81. ſeu in eo-
dem Iordano, ſcriptum de ipſo reliquiſſet: *Diem Commemorationis Mor-
tuorum decreuit*. Hoc enim poſtmodùm animaduertimus re vera non ipſi
adſcribendum eſſe Iordano, ſed Olrico, qui protinùs in Archiepiſcopa-
tum ei ſucceſſit, Annoquè tandem 1123. mortuus eſt; ſicut in eiſdem
Monumentis iam oſtendimus Numero 333. & 335.

II. Certè autem non mediocri erit oblectamento videre inſuper, qualibus ab C
initiis ea Mortuorum Commemoratio ad præſentis temporis ſtatum &
vſum prouecta ſit; cùm præſertim primarium in hac Cauſa teſtem habea-
mus Beroldum; qui per ea ipſa Iordani & Olrici tempora florebat; vt
Capite ſequenti commonſtrabo. Ille igitur in ſuo illo Manuali, & Co-
dice Manuſcripto, quem alibi vtcumque indicauimus, in Rubricis ad
Feriam ſecundam poſt tertiam Octobris Dominicam, hæc memoriæ con-
ſignabat: *Feria ſecunda poſt Dedicationem Eccleſiæ* (quæ videlicet Dedicatio
tunc temporis, quemadmodùm etiam nunc, in tertiam Octobris Domi-
nicam incidebat) *inſtituit Dominus Olricus, bonæ memoriæ Archiepiſcopus,
Commemorationem & Officium fieri Omnium Fidelium Defunctorum in Eccleſia
Mediolanenſi, pro animæ ſuæ remedio: quod hoc ordine celebratur. Finito ita-* D
*que Matutino ſupradicti diei, omnia tintinnabula Eccleſiarum pulſentur. Et Ma-
tutinum Defunctorum publicè cantatur. Simili etiam modo facto mane* (quippe
Matutinum quoque Defunctorum antelucana fuerat hora cantatum)
*Miſſa vbique Defunctorum tantùm voce excelſa celebratur. His verò finitis,
& ſonito ſigno, vniuerſus Clerus Vrbis conuenit in Eccleſiam Aeſtiuam cum
Præſule ſuo; vt vadant cum Proceſſione in Eccleſiam Hyemalem.* In id ergo
Beroldus mox indicat duodecim Pſallendas, & Miſſam pro Mortuis:
hanc in Eccleſia Hyemali, ſed illas in Proceſſione decantandas. Et quia
id erat Olrici Legatum pium, pro quo propterea exequendo certa etiam
fuerat eleemoſina Miniſtris præſentibus decreta; idcircò ſic etiam pro-

tinus

tinùs in hæc verba ſubſequitur: *Solidorum quinquaginta hæc eſt diuiſio*, A QVOS OLRICVS ARCHIEPISCOPVS IVDICAVIT. *Ex quibus Archiepiſcopus, ſi in hac Vrbe præſens fuerit, debet habere ſolidos quatuor, & debet facere Miſſam ſuper Altare Sanctæ Mariæ Hyemalis Eccleſiæ in ipſo die. Et ſi abſens fuerit; habeant* MALESANI (quinam hi eſſent, explicatum à me iam eſt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 54. & 641.) *ipſos ſolidos quatuor. Et Hebdomadarij ſolidos quatuor, & denarios quatuor. Item quatuor Presbyteri & quinque Diaconi Cardinales habeant per vnumquemque denarios ſex, incipiendo ab Archipresbytero vſque ad quatuor, & ab Archidiacono vſque ad quinque. Item quatuor Subdiaconi, & quatuor Notarij, incipiendo ſimiliter à maiori, habeant per vnumquemque denarios quatuor, præter Hebdomadarios. Quatuordecim Lectores, præter Hebdomadarios, habeant* B *ſingulos denarios: & Cuſtodes ſingulos denarios: pro Cruce aurea denarium vnum: & qui miniſtrauerit incenſum, denarium vnum: & Clericuli denarios duos inter panem & vinum: Veglones denarios viginti. Item Primicerius Presbyterorum Decumanorum habeat ſolidos triginta: quos debet diuidere inter omnes Presbyteros Mediolanenſes.* Cuius quidem poſtremæ diuiſionis mentione nos illud obiter hoc loco confirmamus, quod Numero 227. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis diſſeruimus de Baſilicæ Metropolitanæ Decumanis, qui ſimul etiam eſſent Officiales aliarum Vrbis Eccleſiarum Collegiatarum; præterquamquòd erant etiam decem aliarum Vrbis Cappellarum; itaut iis decem Cappellis, aliiſquè vndecim Eccleſiis Collegiatis & Matricibus centenarius Decumanorum numerus præeſſet; ſicut ego vberrimè alio in Opere oſtendi. Sed ego prætereà nunc C nomine omnium Presbyterorum Mediolanenſium, inter quos facienda eſſet ea ſolidorum triginta diſtributio, eos etiam comprehenſos exiſtimo duodecim Cappellarum Mediolanenſis Eccleſiæ Cappellanos, contra quos, in fauorem Decumanorum Centenarij Ordinis, Iordanus ipſe Archiepiſcopus Sententiam pronunciauit, cuius exemplar in Ambroſiani etiam Monaſterii Archiuo conſeruatur. Eſt autem data *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo decimo-nono, tertio die menſis Nouembris, Indictione tertia-decima*. Sic etiam in eius initio, tamquàm primus inter Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Cardinales, qui aderant, nominantur *Olricus Archipresbyter & Vicedominus*. Idemquè poſtea, poſt Iordani Archiepiſcopi & aliorum Comprouincialium Epiſcoporum ſubſcriptiones, D ita ſemetipſum adiecit: *Ego Olricus, Archipresbyter & Vicedominus interfui & ſubſcripſi*. Quid, quòd etiam rursùs poſtea, cùm creatus iam eſſet Archiepiſcopus, hunc item in modum ſubſcripſit? *Ego Olricus, gratia Dei Archiepiſcopus, ſubſcripſi ſub quodam ſigno*............ Quantus verò Mediolani per hæc tempora eſſet eorum ſolidorum ac denariorum valor: hoc me quidem adhuc latet. Certè tamen vel è ſuperiore quinquaginta ſolidorum diuiſione, inter tam multos facienda, eoquè facienda modo quo dictum iam eſt, hoc ſaltem conſtat, eos per hæc tempora Iordani & Olrici longè maioris fuiſſe valoris, quàm eæ ſint pecuniæ, quæ à

nobis hodie ſolidi aut denarij nuncupantur. Verumtamen hinc ad propoſitam Mortuorum Commemorationem reuertamur. A

III. Non igitur eam Iordanus inſtituit, ſed Olricus. Atqui ne Olricus quidem illam inſtituit per id temporis ſpatium, quo fuit Archiepiſcopus; ſed per illud, quo Archipresbyter & Vicedominus Baſilicæ priùs fuerat Metropolitanæ. Itaque cum ſuperiore Beroldi teſtimonio ſimul etiam illud ego admitto, quod in Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogo, per Marchionem Vercellinum Mariam Vicecomitem mihi commodato, perhibetur. Ibi ſiquidem, in eodem Iordano Archiepiſcopo, ſic legitur teſtatum: *Iſtius tempore Olricus, Archipresbyter & Vicedominus Eccleſiæ Mediolanenſis, ordinauit feſtum Mortuorum ſequenti die poſt feſtum Dedicationis.*

IV. Ex eiuſmodi autem legato pio, in Eccleſiam Mediolanenſem introducto, ſatis iam conſtat, quando & quemadmodùm Maiores noſtri cœperint illud imitari, vſuquè recipere & comprobare, quod Sanctus inſtituerat Odilo, Cluniacenſis Abbas, Anno Domini octauo ſupra Millesimum quadrageſimum defunctus. De quo ſic habetur in Martyrologio Romano, prima Ianuarij die: *Apud Siluiniacum Sancti Odilonis, Abbatis Cluniacenſis: qui primus Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum prima die poſt feſtum Omnium Sanctorum in ſuis Monaſterijs fieri præcepit. Quem ritum poſtea vniuerſalis Eccleſia recipiens comprobauit.* Clerus vtique noſter Vrbanus per occaſionem illius legati primus incœpit: & non ſecunda Nouembris die, ſed feria illa ſecunda poſt tertiam Octobris Dominicam. Progreſſu deinde temporis eumdem ritum in eamdem diem adamauit vniuerſus Clerus Ambroſianus: necnon etiam legatum illud, quod Vrbano tantùm Clero incumbebat, obliuioni traditum eſt, perinde ac ſi nullum iam extaret: atque hinc ea paulatim conſuetudo inualuit, vt omnibus in vniuerſum Ambroſiani Ritus Sacerdotibus proponeretur eiuſmodi Commemoratio Defunctorum, quinetiam vt liberæ Sacerdotum voluntati & arbitrio permitteretur. B C

V. In Calendario illo Ambroſiano, quod ego aliàs in hoc etiam Volumine aſſerui meum eſſe, atque in charta pergamena conſcriptum Anno Domini octuageſimo-primo ſupra Milleſimum trecenteſimum, ſic intra menſem legitur Octobris: *Nota, quod Dedicatio Eccleſiæ Mediolani eſt ſemper tertia Dominica Octobris: & feſtum Mortuorum eſt die Lunæ ſequenti.* Sic etiam in Calendario Miſſalis Ambroſiani, typis impreſsi Anno Milleſimo quingenteſimo-quinto: *Dedicatio Eccleſiæ Maioris Mediolani ſemper celebratur in tertia Dominicâ huius menſis: & in die Lunæ ſequenti fit Officium Mortuorum.* Similiter in alio poſtmodùm edito in lucem Anno Sæculi eiuſdem vigeſimo-ſecundo. *Dedicatio Eccleſiæ Maioris Mediolani: quæ ſemper celebratur in tertia Dominica huius menſis. Et in die Lunæ ſequenti fit Commemoratio Omnium Defunctorum.* Sed in hoc Calendario illud inſuper ſecunda Nouembris die legitur: *Commemoratio Omnium Defunctorum ſecundùm Romanos.* Et hoc ipſum die pariter illa legitur ad verbum in alio Calendario Miſſalis editi Anno poſtea quadrageſimo-octauo; cùm alioqui D

qui poſt nominatam Octobri menſe Dominicam tertiam, Dedicationi A
Eccleſiæ Maioris Mediolani deſtinatam, hoc protinus addatur: *Et die*
Lunæ ſequenti ſit Commemoratio Omnium Defunctorum more Ambroſiano. Ac-
cipe verò etiam ex Anni quinquageſimi-ſeptimi Breuiario, quemadmo-
dùm hæc ipſa Commemoratio fuerit Clericorum arbitrio, facerentne an
omitterent, reſeruata. Siquidem poſt Officium Dedicationis Eccleſiæ
Rubrica hæc ſubſequitur: *Lectiones ſequentes dicuntur; ſi aliquis velit face-*
re Commemorationem pro Omnibus Defunctis in ſequenti die. Et nemo tenetur,
niſi qui velit. Subinde verò prima etiam Lectio ab his incipit verbis:
Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum hac die inſtituta eſt; vt, qui ſpe-
cialia beneficia habere nequeunt, generalibus adiuuentur. Et hoc ſecundùm
reuelationem quandam, diuinitùs factam. De qua legi poteſt Petrus de B
Natalibus in Catalogo Sanctorum Libro 10. Cap. primo in fine, & Cap.
8. in principio.

VI. Hucuſque igitur pia & ſuffragatoria hæc celebritas & ab Olrici Archie-
piſcopi voluntate & à Sancti Odilonis inſtituto declinauerat; cùm tan-
dem ad illud vtcumque accommodatur. In Miſſali namque Anni poſtea
ſexageſimi *Commemoratio Omnium Defunctorum* ſoli adſcribitur ſecundæ
diei Nouembris. Sequitur deinde Sanctiſsimus ille Carolus Cardinalis
& Archiepiſcopus noſter: Annoquè tandem octuageſimo-ſecundo Bre-
uiarium Ambroſianum, à ſe reformatum, hac in parte componit ad
vſum in Eccleſia Romana iam receptum & approbatum: præciſequè
mandat, vt omnes, qui More Ambroſiano Diuina Officia obire debent, C
ad eiuſdem Breuiarii præſcriptum Canonicas Horas Diuinumquè Offi-
cium deinceps tam priuatim quàm publicè in perpetuum perſoluant.
Sed & nihil ex eiuſmodi mandato deinde remiſit Archiepiſcopus item
noſter Gaſpar Vicecomes, cùm Miſſale ſimiliter & ipſe reformatum
emitteret Anno poſtea nonageſimo-quarto. Quocirca nos etiam omnes
Ambroſiani Ritus Sacerdotes hoc tempore Commemorationem illam
nonniſi ſecundo menſis Nouembris die iuxta Ritum Eccleſiæ Romanæ
iam celebramus; neque quicquam in hac re de Olrici legato, tamquàm
per nos exequendo, cogitamus; ſicut etiam neque quicquam nobis im-
penditur ex illis quinquaginta ſolidis. Quid, ſi autem à Maioribus quo-
que noſtris illud fuit intermiſſum, & obliuioni denique traditum; quia D
ne illi quidem, ad quos pertinebat, ſtipem illam perſoluerent? Quid, ſi
prædia, è quibus annuus ille reditus percipi deberet, ad ſterilitatem
redacta ſunt? Quid, ſi ab exteris vſurpata? Quid, ſi qua fortè alia eiuſ-
modi cauſa tam ſtipis illius quàm legati vicisſim annuam ſolutionem
interuerterit?

CAPVT LXXXXVII. A

De Beroldo, Scriptore noſtrate. Quale miniſterium in Baſilica Metropolitana exercuerit : quando ſcripſerit, & quales Lucubrationes.

I, BEroldi teſtimonio aliquoties adhuc in hoc Opere vſus fui.
Nonnumquàm verò etiam promiſi fore, vt ſuo tempore
probarem, floruiſſe illum circiter Annum Domini vigeſi-
mum-tertium ſupra Milleſimum centeſimum. Turpe ſiqui-
dem atque ineptum arbitrabar eſſe; ſi (quemadmodùm alii
fecerunt) ego quoque non oſtenderem, quo ille vixerit tempore. Hoc B
enim ſuis tenebris relicto, ne ſuum quidem pondus ac momentum ha-
bere poſſunt illius teſtimonia, quæ quandoque in medium proferantur.
Promiſſo igitur meo fides nunc tandem ſtabit : Beroldiquè propterea
ſimul & officium & Lucubrationes indicabo; prout nimirùm in eo ſe
habent Codice manuſcripto, quem Baſilicæ Metropolitanæ Capitulum
inter alios plurimos Bibliothecæ ſuæ libros chariſsimum cuſtodit.

II. Suum autem officium ætatemquè non alibi expreſsiùs ille ſignificauit,
quàm in Opuſculo, cuius initium eſt huiuſmodi: *In nomine Sanctæ &
indiuiduæ Trinitatis. Incipit Ordo Mediolanenſis Eccleſiæ : qualiter vnicuique
ſit agendum iuxta officium ſuum.* Mox enim textus etiam ipſe ſic incipit:
In Eccleſia Mediolanenſi diuerſa vaſa, diuerſaquè adminiſtrationes eſſe noſcun- C
*tur; omnes verò dicatæ, & ad officium Eccleſiæ neceſſariæ. De quibus, Deo
opitulante,* EGO BEROLDVS, CVSTOS ET CICENDELARIVS
EIVSDEM ECCLESIÆ, *quidquid vidi, & audiui, & ſcriptum reperi,
huic noſtro Libello tradere diſpoſui.* In hòc igitur Libello Miniſtros enume-
rat huius Baſilicæ Metropolitanæ, ipſorumquè miniſteria: necnon etiam
recenſet, quemadmodùm Diuina Officia in eadem Baſilica celebrarentur.
Miniſtrorum verò numerum in hæc verba concludit, quæ nobis ad alia
quòque multa magno vſui erunt: *De cætero ſexdecim Cuſtodes adnotantur,
ſub Cimiliarcha ſuo præſcripti. Quorum octo Maiores, & octo Minores ſunt;
ita tamen, quòd quatuor Maiores vocantur* CICENDELARII, *& quatuor*
OSTIARII; *& ij octo Maiores iacent in Secretario, ad cuſtodiendum theſau-* D
*rum Eccleſiæ; ſed tantùm bini per hebdomadam; vnus Cicendelarius, & alter
Oſtiarius. Hebdomadarius Subdiaconus ſimiliter ſemper iacet in Secretario : &
dat vinum & fruges per totius anni circulum Cuſtodibus Hebdomadarijs, &
ligna per totam hyemem, ad faciendum ignem ibidem; quia ipſi veſtiunt eum
tantùm Amictu & Alba, cùm neceſſarium eſt. Et octo Minores iacent in Tri-
bunali* (locus hic erat à Secretario diuerſus) *Eccleſiæ, ad ipſius cuſtodiam.*
SED NVPER (ò chariſsimum NVPER, mihiquè opportuniſsimum!)
IN TEMPORE DOMINI OLRICI ARCHIEPISCOPI *Subdiaconi
cum Cuſtodibus conuenerunt, vt quatuor Cuſtodes Hebdomadarij ſuſcipiant in
omni cadauere* (ſiue cadaueris funere) *denarios, qui dantur Subdiaconis ſupra*

omni

omni die, in loco vini & frugum, & lignorum in hyeme. Supra hos denarios Subdiaconus Hebdomadarius omni die Dominico dare debet quatuor denarios Cuſtodibus Hebdomadarijs: Et propter hunc Conuentum (ſiue Conuentionem) *Cuſtodes debent eos induere in Miſſa, vel Veſperis, aut in Matutinis, quoties opus fuerit. Et ſi tempus pluuiæ fuerit; iidem Cuſtodes portabunt veſtes vſque ad feſtum* (nempe ad Eccleſiam, vbi feſtum celebratur) *ſin autem; Subdiaconi portabunt Camiſium indutum tantùm.* Et paulò pòſt: *Poſtremò ſubſequitur Ordo* VIGINTI VETVLORVM *cum Ferula ſua: quorum ſunt decem maſculi, & decem fœminæ: ſimiliter ſub Cimiliarcha adnotati. In fine verò ſubponitur Lacalis Ferula, videlicet* VICECOMITIS *: qui in Natalis Domini, & in Sancti Stephani, & in Sancti Ioannis Euangeliſtæ, & in Reſurrectione Domini, & in ſecunda Feria & in tertia Feria poſt Reſurrectionem, præcedit Archiepiſcopum, parando ſibi viam, ſeruitoribus ſuis præcedentibus eum cum flagellis ligneis & ſciſsis.* Hactenùs ex Beroldo. Et hinc quidem inter cætera ſatis diſcernimus, eum in Baſilica Metropolitana functum munere Cuſtodis Cicendelarij; necnon etiam proximum fuiſſe tempori, quo Archiepiſcopus Olricus Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtrauit. A B

III. Cicendelarios autem Cuſtodes (è quorum numero ſe Beroldus profitebatur vnum eſſe) liquidò conſtat ſic eſſe appellatos è cicendelis, hoc eſt è lampadibus, quas præſertim pro muneris ſui ratione geſtare, vel etiam curare ſoliti eſſent. Atque hoc luculentiſsimè patet ex eodem ipſo Beroldo in Rubricis præſertim Vigiliæ, quæ Natiuitatem Dominicam præcedit. C

IV. Libellum porrò hunc ſcripſiſſe Beroldus videtur poſteaquàm Manuale ipſum & Pontificale Ambroſianum, in eodem Codice iam ante diſpoſitum, ſuiſquè Rubricis in proprio cuiuſque rei loco diſpoſitis illuſtratum, conſcripſiſſet. Quocirca etiam in eodem Libello liberrimè profeſſus aliquantò pòſt ita fuit: *Si quid verò defuerit; hic* (ſcilicet in hoc Libello) *non quæras. Quia, quicquid Ordinis Ambroſiani quæſieris, in hoc Libro, & in ſuo loco* (nimirùm in anteriore Codicis parte, in qua extat Manuale ac Pontificale ipſum, & in eo ritus omnes ſuis in locis recenſentur) *Deo annuente, reperies.* Quoniam igitur in Rubricis eiuſdem Manualis, Feria ſecunda poſt tertiam Octobris Dominicam, Olricum nominabat tamquàm defunctum, ſicut Capite ſuperiori Num. 2. iam vidimus; propterea Libellum etiam hunc tam exiguo poſt eius obitum tempore conſcripſit, vt nupera tunc etiam eſſet ea Conuentio, inter Subdiaconos & Cuſtodes inita, cùm Archiepiſcopus adhuc viueret Olricus. Vixit autem ab Octobri menſe Anni Milleſimi centeſimi vigeſimi vſque ad Maium vigeſimi-tertii; vt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis iam oſtendi Num. 333. & 335. neque me ita illic ſenſiſſe nunc pœnitet; tametſi Ferdinandum nuper viderim Vghellum, Tomo Quarto Italiæ Sacræ, in Laudenſibus Epiſcopis Numero 20. recitantem quoddam ex Archiuo Cathedralis Eccleſiæ Laudenſis Documentum, è quo ipſe ibi collegit, Olricum Anno etiam 1125. vixiſſe; cùm alioqui eodem Tomo iam ante D

in

in Archiepiſcopis Mediolanenſibus Num. 83. eum ſaſſus eſſet obiiſſe A
Anno 1123. quarto die ante Iunii Calendas. Documentum verò illud (& ex ipſomet quidem veteri & antiquo exemplari) ego dudùm iam videram; mihi vtique ſuppeditatum ab humaniſsimo erga me doctiſsimoque Viro, Defendente à Laude, Cathedralis illius Canonico meritiſſimo, à quo citra dubium ſimiliter Vghellus etiam illud accepit. Continet autem Sententiam quandam, priùs ab Olrico pronunciatam, deinde autem ab eius Succeſſore Anſelmo renouatam, & Anno Dominicæ Incarnationis 1125. menſe Decembris, Indictione quinta, conſignatam. Sed hoc profectò tempus, non ad primam eius Sententiæ pronunciationem, ab Olrico factam, referendum eſt; ſed ad eius renouationem, ab Anſelmo; à quo proinde continenter poſt alios quinque ſubſcripta fuit; B
& poſt cuius ſubſcriptionem, ac poſt multorum ſubinde Teſtium enumerationem, ſubſcriptio denique ſubtexitur Olrici Archiepiſcopi, multorumque pariter aliorum. Hiſque tandem omnibus hæc ſubſcriptio ſuccedit: *Ego Erlembaldus, Cauſidicus, authenticum huius exempli ſcripſi, præter litteras, plus minuſuè.* De Olrici ergo obitu ego in priori mea perſiſto ſententia: mihique ſecundùm rei veritatem affirmare poſſe videor, eum Beroldi Libellum paucis menſibus, vel Annis, conſcriptum fuiſſe poſt Olrici obitum: ipſumque propterea eius Auctorem floruiſſe Anno Domini vigeſimo-tertio ſupra Milleſimum centeſimum, & circiter eum Annum ab Olrici obitu ſcripſiſſe, dicam etiam fortaſsè circiter eius Anni finem. Aduerbium profectò NVPER, vt Grammatici docent, ad paucos ante dies vel menſes vtplurimùm referri ſolet; ſed ego nihil etiam C
repugnabo, ſi ad paucos itidem Annos anteriores referatur; itaut paucis ante Annis facta fuerit ea Conuentio, ſuperſtite adhuc Olrico Archiepiſcopo.

V. Quoniam tamen in eiuſdem Beroldi Manuali frequens habetur mentio Sancti Galdini, Antiſtitis noſtri; operæ idcircò noſtræ pretium erit oſtendere, quemadmodum id proximæ de Beroldo aſſertioni noſtræ non aduerſetur. Sanctum igitur Galdinum promptiſsimi lubentiſsimique fatemur ex hac vita migraſſe tantùm Anno ſupra Milleſimum centeſimum ſeptuageſimo-ſexto. Idque ſatis iam conſtat ex iis, quæ dicta ſunt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 533. 536. 543. 544. 547. D
Sed inſuper etiam in præſenti Opere infra confirmabitur contra ſuſpicionem, nuper in contrarium excitatam occaſione duorum Documentorum, quæ nuper in Archiuo Monaſterii Morimundenſis, in Agro Mediolanenſi propè Ticinum fluuium constructi, comperta ſunt. Ea enim præcisè aſſeruntur confecta Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-tertio, Indictione ſeptima, menſe Nouembri, vnum die ſecundo, alterum ſexto-decimo: eademque verè ſubſcripta cernuntur ab Algiſio Archiepiſcopo, qui quidem proximus fuit Sancti Galdini ſucceſſor. Eadem igitur ego quoque accuratiſsimè legi, tandemque animaduerti ſubſcripta quidem ab Algiſio Archiepiſcopo; ſed

non

non eo ſtatim tempore, quo fuerant confecta; verùm alio poſtea tempore; ſcilicet, vt inde intelligeretur, eos Contractus, de quibus ibi ſermo eſt, ab Algiſio item Archiepiſcopo comprobatos poſtea fuiſſe. Quocirca congruenter ad eandem Sententiam ego illic obſeruaui tertium etiam Documentum, eodem Anno atque Indictione, ſed Octobris die ſexta, confectum; cùm Galdinus adhuc eſſet Archiepiſcopus, cumquè Algiſius adhuc eſſet Cimiliarcha tantùm & Cancellarius. Si enim ſubſequentis Nouembris die ſecundo Algiſius iam erat Archiepiſcopus; igitur Galdinus etiam mortuus iam fuerat intra illud temporis ſpatium, quod à ſexta præcedentis Octobris die fluxerat vſque ad ſecundam ſubſequentis Nouembris diem. Quomodo igitur mortuus ille fuerat decima-octaua menſis Aprilis die, quemadmodùm Eccleſia Mediolanenſis itemquè Martyrologia communiter affirmarunt? Hac de re legantur, ſi lubet Ambroſianæ Baſilicæ Monumenta ſingillatim Num. 544. Sed hæc vberiùs diſſeram ſuo illo, quem indicabam, loco ac tempore. Nunc, quod agimus: ac Sanctum Galdinum denuò ſupponamus re vera mortuum eſſe Anno Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-ſexto. Quàm optimè verò vidimus etiam ipſum in Beroldi Enchiridio ſiue Manuali ſæpiùs connumeratum Sanctis: & in Litaniis præſertim quæ recitantur in Feriis de Exceptato: ſic etiam in quartis & ſextis Quadrageſimæ Feriis: ac deniquè in Triduanis Rogationibus. Quid; quòd etiam ſecundæ poſt Albas Dominicæ adiectam obſeruauimus hanc Rubricam? *Sciendum eſt, quòd in hac Dominica ſemper celebratur feſtum Beati Galdini, Archiepiſcopi Mediolani, atque Confeſſoris*. Hæc igitur & eiuſdem generis alia nos quidem non negamus, ſed vltrò confitemur. Quod ergo negamus, hoc eſt: Codicem illum eſſe per omnia talem, qualis fuerat à Beroldo compoſitus: vel eum eſſe ipſum, quem idemmet Beroldus conſcripſerat. Hoc vtique conſtanter ac præfractè negamus. Teſtimonioquè nobis etiam ſit, quod in eodem nunc Codice, folio 372. pagina 2. quidam Presbyter Ioannes, cognomento Boſſa, Rector Eccleſiæ Sancti Viti in Porta Ticinenſi, exſcripſit Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo-octauo quoddam publicum Inſtrumentum, aliàs confectum Anno Sæculi eiuſdem ſexto: in quo fiebat mentio prioris eius Codicis à Beroldo ipſo compoſiti, vel etiam fortaſsè propria ipſius manu conſcripti, qui quidem Codex abſolutè BEROLDVS nuncupabatur: cùmquè illud exſcripturus eſſet, ita præfabatur: *Et tranſcripſi* DE BEROLDO VETERI, *& in iſto* BEROLDO NOVO *poſui*: atque Inſtrumentum etiam illud certè quidem additamentum erat, priori Beroldo illi veteri poſtea factum. Cùm igitur nouus hic Beroldus poſtea rursùs exſcriberetur; tunc etiam ſuperaddita fuit eius Manuali (quod vtique in dies adhibendum erat iuxta Ritum Eccleſiæ Mediolanenſi per ea tempora vſitatum) mentio illa Sancti Galdini; ad eum prorsùs modum, quo noſtra etiam ætate Breuiariis aliiſquè Ritus Ambroſiani Libris, & inter prædictas nominatim per varia tempora Litanias Sanctorum, ſuperadditam

vidimus

vidimus ac videmus Sancti quoque Cardinalis & Archiepiſcopi noſtri A
Caroli mentionem. Idemquè profectò iudicium feratur etiam neceſſe
eſt de altero illo eiuſdem Beroldi exemplari, quod Capite 64. Num. 10.
mihi donatum ab Amico dicebam, ſed multis identidem folus mutila-
tum. Exſcriptor ſiquidem huius exemplaris, omiſſo interim ſuo nomi-
ne, ſic denique monebat: *Ego Presbyter* ....
Capellanus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Podonis (nos iam *Pedonis* appellamus) *&*
Canonicus Eccleſiæ Sancti Stephani de Segrate, hunc Librum meis proprijs ma-
nibus ſcripſi: & exemplaui totum illud, quod inueni IN BEROLDO EC-
CLESIÆ MAIORIS (erat autem Beroldus ille nouus, quem ipſemet
ego legi, & cum iſto contuli) *ad vtilitatem mei tantùm, & non alicuius*
Eccleſiæ. Vtinam verò perfectus adhuc & integer eſſet hic Codex! Ex B
hoc enim multa reſtaurari poſſent loca, in quibus characteres iam eua-
nuerunt illius, quo cæteroqui Capitulum Metropolitanum geſtire glo-
riariquè iure merito poteſt. Codicem verò iſtum, nunc meum, Amicus
ille meus fortè fortuna redemerat, non modò è Salſamentarii Mercato-
ris, ſed etiam è puerorum manibus: quibus pueris frequens fuerat ludus
inde folia illa pergamena extrahere ſuos ad iocos, & præcipuè ad crepi-
tacula quædam, quibus per vicos & plateas ita fermè perſtrepebant, ac
ſi ſclopulum aliquem diſploderent. Et hæc quidem Amico cauſa fuit
& occaſio; vt & folia multa iam diſtracta, & reſiduum, quod adhuc
conſutum perſeuerabat, redemerit; ac meorum conſcius ſtudiorum mihi
perhumaniter fuerit elargitus. C

VI. Sicut autem in vtroque prædicti Manualis exemplari mentionem Sancti
Galdini extare fatebamur vltrò; ſic etiam prouidè monemus, nullam
prorsùs in eis extare celebritatis alterius, quæ poſt Annum Domini Mil-
leſimum centeſimum vigeſimum-tertium inſtituta fuerit, & Mediolanenſi
Eccleſiæ in vſum ſuſcepta. Quamobrem ibi nuſquàm reperies Sanctos,
Bernardum Abbatem Claræuallenſem, Franciſcum, Dominicum, An-
tonium Patauinum; quorum tamen extat mentio in Martyrologio, ſiue
Calendario, quod ad calcem Codicis Metropolitani (de meo enim Co-
dice, cui illud deeſt, nihil tale affirmare poſſum) exſcriptum extat,
quodquè manifeſtò liquet exſcriptum fuiſſe Anno Sexageſimo-nono ſupra
Milleſimum ducenteſimum. Hunc ſiquidem Annum excurrere tunc D
diſertiſsimè affirmabat illius Exſcriptor in primo ſtatim poſt Martyrolo-
gium illud folio, Codicis autem penultimo, cùm tandem explicaret,
Quid ſit Aureus Numerus, vel Decemnouennalis Cyclus, & quare ſic dicatur,
& qualiter valeat. Quoniam verò hæc ipſa Explicatio cernitur conſcrip-
ta eodem prorsùs characteris & atramenti genere ac forma, qua Marty-
rologium ipſum (penes ea videlicet, quæ primæuo charactere ſcripta
continet) qua pariter Inſtrumentum illud, Anno Milleſimo ducenteſi-
mo-ſexto confectum (cuius mentionem paulò ante faciebamus) qua de-
nique præcedentia eiuſdem Codicis omnia ſine dubio ſcripta ſunt; hinc
ego iam tandem pro certo & explorato affirmare auſim, Exſcriptorem
illius

illius Codicis (quoad illa omnia, quæ primæuo & antiquiori charactere A
ſcripta inſunt) non alium fuiſſe, quàm Presbyterum illum Ioannem,
cognomento Boſſam. Hic ergo vnus, quemadmodùm Anno Milleſimo
ducenteſimo ſexageſimo-octauo publicum illud exſcribebat Inſtrumen-
tum, E VETERI BEROLDO, ſicut ipſe loquebatur, deſumptum;
& abſque dubio ſuperadditum Beroldi Auctoris autographo; ſic etiam
poſtero tandem Anno Martyrologium iſtud conſcripſit, Codicemque
vniuerſum abſoluit.

VII. Quæ cùm ita ſe habeant; reliquum eſt etiam, vt facilè ſimul & pruden-
ter nobis perſuadeamus, primitiua & legitima Beroldi Opera (& nomi-
natim eius Manuale, ac ſimilia) ſic à Ioanne Boſſa, & deinde ab eo
Sancti Stephani Segratenſis Canonico, exſcripta fuiſſe, vt non aliam tex- B
tui primæuo interſeruerint mutationem, quàm eam, quæ Sancti Antiſti-
tis Galdini mentione continetur; vtque propterea in reliquis nihil diſ-
crepent à Beroldi autographo, quod Sæculi Duodecimi Anno circiter
vigeſimo-tertio primitùs compoſitum arbitramur. Quòd verò ad Mar-
tyrologium ipſum attinet, vel ad noſtrorum quoque Archiepiſcoporum
Catalogum: ea omnia vltrò concedam eſſe ipſis aliunde ſuperaddita,
quæ poſteriora fuerunt eo tempore, quo Beroldus ſcribebat. Etenim
credibile cæteroqui admodùm eſt, aliquod ab ipſo collectum fuiſſe
Martyrologium, ſiue Calendarium, quod ſuo præſertim Manuali reſ-
ponderet. Gualuaneum præterea Flammam in Chronico Maiori Cap.
111. & Auctorem Chronici *Flos florum*, habeo teſtes, quorum aſſeuera- C
tione oſtendam, eiuſmodi Catalogum ab ipſo compoſitum fuiſſe. Quo-
circa etiam in eo ſingillatim obſeruant prætermiſſum ex induſtria fuiſſe
Auxentium Arianum, qui Sancto Dionyſio, Sancti Ambroſii Deceſſori,
ſucceſſit.

VIII. Quando autem vetus ille Beroldi Codex nobis in præſenti non ſuppe-
tit; hic ſaltem ad extremum explicabo; quemadmodùm vniuerſa noui
ſeries ſe habeat. Ante omnia ille ſic incipit: *Hymnus Sanctorum Confeſ-
ſorum, Ambroſij & Auguſtini*, DE FIDE CHRISTIANA, *Te Deum
laudamus* &c. Subinde verò Pſalterium ſequitur, ſic inſcriptum: *Incipit
Liber Pſalterij, ſecundum translationem Sanctiſſimi ac Venerabilis Patris noſtri
Ambroſij, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi*. Poſt Pſalterium & D
aliquot alios Hymnos & Cantica ſuccedit *Forma ſacramenti & fidelitatis,
quam faciunt & facere debent Cuſtodes & Veglones Sanctæ Mediolanenſis Ec-
cleſiæ*. Mox folio 69. *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis incipit Liber
Manualis de diuerſis feſtiuitatibus, & Dominicis, & ſingulis diebus, tam de
Matutinis, Miſſis, Veſperis, & Vigilijs totius Anni, ſecundùm inſtitutionem
Sanctiſſimi ac Venerabilis Patris noſtri Ambroſij, Mediolanenſis Archiepiſcopi*:
& incipit à Vigilia Sancti Martini: atque hoc quidem appellari etiam
verè poſſet Pontificale Ambroſianum; quippe cùm ſuis identidem locis
conſitæ ſint inſtructiones & rubricæ functionum Archiepiſcopi noſtri
propriarum; quas tamen inſtructiones numquàm in aliis reperi generis

huius Manualibus, quæ communiter hodie à nobis Breuiaria nuncu- A
pantur. Præterea verò inter hæc Opuſculum quoque ſub hoc titulo ex-
tat: *Incipit Ordo Officij Exceptati, qualiter debet fieri in Hebdomada ante Na-
tiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Atqui Opuſculum id (quod etiam ſe-
paratim Anno Domini 1470. deſcriptum apud me extat) ita demum
concluditur: *Nomen verò Auctoris huius Operis Lector ſcire cupiens, compu-
ta capitales litteras per ordinem Feriarum. Incipiendo à B capitali vſque in
finem, nomen præfatum reperies:* hoc eſt, BEROLDVS; non autem, vt
aliqui legunt, BERALDVS. Folio deinde 377. pag. 2. Presbyter ille
Ioannes Boſſa recitat illud Inſtrumentum, cuius mentionem paulò ante
faciebamus. Poſt hæc, bina occurſant Beroldi Opuſcula. Folio ſiquidem
384. pag. 2. *Incipit Ordo, qualiter denarij omnium feſtiuitatum diuiduntur:* B
Clero videlicet ad eas feſtiuitates conuenienti. Et folio 388. pag. 1. *In
nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, incipit Ordo Sanctæ Mediolanenſis Ec-
cleſiæ, qualiter vnicuique ſit agendum iuxta officium ſuum:* ſicut etiam nos
paulò ante recitabamus. Folio deinde 410. pag. 1. legitur *Commemoratio
ſuperbiæ Rauennatis Archiepiſcopi. Quomodò ſe Mediolanenſi Archiepiſcopo Romæ
ſuperbè præferre præſumpſit: & qualiter inde victus ſuccubuit, & confuſus
abijt* &c. *Anno Milleſimo vigeſimo-ſeptimo poſt diuinitùs aſſumptam mortali-
tatem* &c. Deinde autem folio 412. pag. 2. *Catalogus & Ordo Epiſcoporum
Suffraganeorum Archiepiſcopi Mediolani.* Sic etiam folio 413. Catalogus
noſtrorum ſubſequitur Archiepiſcoporum, & hoc titulo prænotatus:
Commemoratio huius Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcoporum, quantum in C
hoc ſæculo vixerunt, aut vbi ſepulti ſunt. Quamobrem Auctoris ſcopus
tantummodò hic erat: vt breuiter explicaret, quamdiu quiſque Præſu-
lum noſtrorum in hac dignitate vixiſſet, aut vbinam ſepultus eſſet.
Certè autem hoc videre licet ſeruatum ſolummodò vſque ad factam An-
ſelmi illius mentionem, qui Olrico proximus ſucceſsit. Etenim poſt
Anſelmum contuemur explicatum præterea, quantum temporis ab obi-
tu cuiuſque Deceſſoris effluxerit ad Succeſſoris electionem: in tribus
autem poſtremis alia inſuper multa contuemur, quæ anguſtos tituli eius
fines longè lateque excedebant. Ego igitur ſic exiſtimo: vt Beroldus
hunc Catalogum compoſuerit vſque ad eiuſdem Anſelmi mentionem, &
non vltra; vtque propterea Ioannes ille Boſſa vel è ſuo ſubtexuerit, vel D
ex alieno ſaltem exſcripſerit, ſupraquàm narratum prius à Beroldo in-
uenerat, reliqua omnia, veteri ſcilicet ac priori eo charactere conſcripta:
qualia profectò ad Leonem denique pertinent Peregum, Anno Domini
Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo-ſeptimo defunctum. Si enim
Boſſa folio 372. Annoque Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo-
octauo exſcribebat publicum illud Inſtrumentum, de quo ſuperiùs iam
diximus; ſi poſtero etiam Anno ſexageſimo-nono Martyrologium ſiue
Calendarium exſcripſit Ambroſianum, de quo pariter iam egimus, nec-
non etiam mox agemus; quidni à nobis etiam credi poſsit ea exſcripſiſ-
ſe, quæ de Archiepiſcopo noſtro Leone Perego in Annum denique

illum

illum quinquageſimum-ſeptimum inciderunt? Cæterùm in eiuſmodi A
Catalogo non alia poſt Leonem ſuperſunt, quàm quibus Otthonis & Gulielmi Archiepiſcoporum geſta continentur. Hæc autem ſicut à præcedentibus manifeſtè differunt characteris forma; ita etiam neceſſe erit, vt alteri amanuenſi & auctori accepta referantur. Quoniam tamen in ea Catalogi huius parte, quam ego iam Beroldo auctori adiudicaui, ſic etiam legitur: *Guido ſedit Annos viginti-ſex: Obijt decimo Kalendas Septembris: ſepultus eſt in Bergolio Veteri propè Alexandriam*; idcircò ego, non Beroldo, ſed Boſſæ hoc tandem additamentum adſcripſerim *propè Alexandriam*. De Alexandria enim citra dubium ſermo eſt, Inſubriæ Ciuitate: quam certum eſt conſtructam eoquè nomine appellatam fuiſſe Anno tantùm Chriſti Domini Milleſimo centeſimo ſexageſimo-octauo, B
vt benè Baronius ad eumdem Annum, Articulo 65. cùm alioqui Guido ille Archiepiſcopus iam obiiſſet Anno Milleſimo ſeptuageſimo-primo, vt egomet ipſe alibi iam oſtendi. Venio nunc tandem ad extremum Codicis, & ad folium ipſius 428. In cuius pagina prima ſic habemus: *Incipit Martyrologium Bedæ Presbyteri, ſecundùm Ambroſianum Morem*; quia nempe ſecundùm maiorem ſui partem deſumptum è Bedæ Martyrologio, aptè fuiſſet accommodatum ad Mediolanenſis vſum Eccleſiæ. De hoc autem Beroldi Martyrologio ſatis iam diſſeruimus, quemadmodùm à Beroldo priùs conſcribi potuerint ea feſta, quorum inſtitutio ſcriptionem illius anteceſſerat; reliqua verò, Beroldi ſcriptione poſteriora, ſuperaddita fuerint, & eodem prorsùs charactere vetuſtiori, ab eodem Ioanne Boſſa, C
qui Martyrologium illud conſcribere deſiit Anno illo ſexageſimo-nono. Certè quidem nihil vetat, quominùs in eodem antiquo exemplari ea quoque antea extiterint, quæ de Sanctis Nazario & Celſo nunc habentur. Sunt autem huiuſmodi: *Sexto Idus Maij, Translatio Sancti Nazarij à Sancto Celſo* (videlicet à loco, vbi extat Eccleſia Sancti Celſi) *ad Sanctum Nazarum*, ſiue ad Sancti Nazarii Eccleſiam, cui priùs nomenclaturam Baſilicæ Apoſtolorum indiderant. Et rursùs: *Quinto Calendas Auguſti, Sanctorum Martyrum, Nazarij & Celſi. Ad Baſilicam Apoſtolorum*, IN QVA CORPVS BEATI NAZARII QVIESCIT. Et hinc quidem iteratò diſcernimus, ſolum Sancti Nazarii Corpus ab initio tranſlatum fuiſſe ad Baſilicam Apoſtolorum, quæ proinde poſtmodùm ap- D
pellata fuit, non *Sanctorum Nazarii & Celſi*, ſed *Sancti Nazarii Eccleſia*. Denique verò: *Quarto Calendas Auguſti, Proceſſio ad Sanctum Celſum*. Quippe poſtridie quàm Sanctum Nazarium ſolemniter coluiſſent in Eccleſia, in qua Corpus ipſius quieſcebat; ſic etiam ſolemni Proceſſione Sanctum Celſum, in ſui nominis Eccleſia quieſcentem, venerabantur. Eadem verò ſic etiam ratione nihil vetat, quominùs in eodem illo antiquo exemplari extiterint ea itidem, quæ Capite 22. Num. 6. recitabamus pro die, quo Sancti Protaſius ac Geruaſius martyrium re vera paſſi ſunt. Talia igitur (vt me tandem hinc expediam, alioſquè ſubleuem hoc labore, aut ſaltem deſiderio) præcipua ſunt Opera, quæ in hodierno Beroldi Codice, quem Capitulum conſeruat Metropolitanum, continentur.

CAPVT LXXXXVIII. A

Variæ celebritates & conſuetudines, ad ſplendorem Baſilicæ præſertim & Monaſterij Ambroſiani pertinentes, quæ Beroldi tempore vigebant.

I. COmmonſtrato iam tempore, quo circiter Beroldus ſcribebat, peramænus nobis nunc pateſcit aditus ad multas Baſilicæ præſertim ac Monaſterii Ambroſiani prærogatiuas & conſuetudines: quas eodem ad minus Beroldi tempore viguiſſe conſtabit, dum primam ipſarum originem aſsignare non poſſumus; aduerſante vel etiam fortaſsè nobis earum antiquitate, quæ B primas origines, vt plerumque ſolet, poſteritati penitùs occultarit. Tametſi verò eiuſmodi rerum teſtis ille nobis vnicus erit; eo tamen contenti ſumus. Etenim pro miniſterii ſui, quod in Baſilica Metropolitana exercebat, ratione ſatis ſuperquè idoneus eſt, omniquè maior exceptione: quinetiam inſtar eſt totius Eccleſiæ Mediolanenſis, cuius publicos,& quotannis vſitatos, & ſibi compertiſsimos ritus deſcribebat. Quod tamen attinet ad Latinam ſcribendi rationem: commeminiſſe ſufficiat, illum fuiſſe Cuſtodem Cicendelarium, ſicuti iam ſupra expoſuimus. Quocirca frequentibus ipſius contra ſanam Grammaticam erratis benignè ignoſcendum erit. Ego namque ipſiſsima eius verba ſecundùm inſtituti mei rationem recitabo: curamquè Lectori hanc reſeruabo, vt è caſibus C etiam nominum aliquando malè diſpoſitis verum ac legitimum pro ſua prudentia ſenſum eliciat.

II. Vt autem à Nouembri exordiamur menſe: primùm ſe nobis offert ipſius dies poſtremus, & Sancto Andreæ Apoſtolo ac ſimul Ambroſii noſtri Baptiſmo ſolemnis. Hoc enim die Capitulum quoque Metropolitanum ad Baſilicam veniebat Ambroſianam, & ad alias in propinquo Eccleſias: ad Sanctum nempe Victorem AD CÆLVM AVREVM (de quo iam diximus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 19. 302. & 304.) ad Sanctum Vitalem (de quo ibidem, Num.76. & 78.) ad Sanctum Naborem: variaſquè tam in iis Eccleſiis, quàm inter eundum ad ipſas, concinebat preces in honorem Sancti Andreæ. Cùm verò tan- D dem in Ambroſianam rediiſſent; ſic erat præſcriptum: *Hic Obſeruatores debent cantare Miſſam de Baptiſmo Sancti Ambroſij, ad Altare eiuſdem*. Quocirca illam quoque re ipſa ibi cantabant.

III. Solemnior deinde ſuccedebat ſeptima Decembris dies, Ordinationi eiuſdem Ambroſii conſecrata. Capitulum ergo Metropolitanum ipſius diei Vigilias ad hanc Baſilicam & ad circumiectas aliquot Eccleſias celebrabat: necnon etiam ex eo aliqui propterea in Domo Archiepiſcopi prandebant. *Finita Vigilia* (Beroldi ſcilicet rubrica hæc eſt) *ſi vis ſcire, qui ſunt in Domo refecturi; require in hoc Volumine, in Vigilia Sanctorum Protaſij & Geruaſij*. Quorum quidem Martyrum Vigiliæ rubricam ego quoque

quoque paulò pòſt recitabo. Attende nunc Archiepiſcopi munificentiam, cùm ad ipſam Ordinationis feſtiuitatem huc veniret: ac teſte pariter vtere Beroldo, ſic tradente: *In Ordinatione Sancti Ambroſij Archiepiſcopus ponit duos* (legendum videtur *duodecim*, vt infra legit Gualuaneus Flamma) *congios vini in Sarcophago, quod eſt iuxta puteum in Atrio ipſius Eccleſiæ*. Hic autem Sarcophagus (ſic enim ego potiùs loquar) erat vas ingens lapideum, quod fortè aliàs in ſepulchrum deſeruierat, ſibiquè proptereà ſarcophagi, hoc eſt carnes comedentis, retinebat nomen. Ille verò puteus erat in medio Atrij, ſiue (vt communiter vocant) Cortinæ, ante præcipuas eiuſdem Baſilicæ portas patentis, & porticibus amplis in hanc vſque diem circumſeptæ: multiquè hoc tempore ſenes eum aliàs viderunt, priuſquàm obſtrueretur, & è conſpectu penitùs tolleretur. Sequitur Beroldus: *Et ex hoc vino habent Veglones* (de quibus proximo diximus Capite, Num. 2.) *ſextaria duo. Cùm verò Archiepiſcopus cum Proceſſione illuc peruenerit; ſignat Signo Crucis prædictum vinum. Hoc facto, multitudo pauperum ſumit idem, ſecundùm quod quiſque poteſt. Simili etiam modo facit in feſto Sancti Stephani* (cùm ſcilicet ad eius Baſilicam procedit Archiepiſcopus) *de ſextarijs ſexdecim, Veglonibus accipientibus de eodem vino ſextaria duo*. Prædictum porrò Sarcophagum Gualuaneus Flamma in Chronico Maiori Cap. 123. porphyreticum fuiſſe aſſeruit his verbis: *In feſto Conſecrationis Beati Ambroſij Archiepiſcopus debet ponere* IN SARCOPHAGO PORPHYRETICO *duodecim congios vini pro pauperibus: & in feſto Sancti Stephani debet ponere ſexdecim*. Sed Beroldus inſuper in Opuſculo De Ordine, *qualiter denarij omnium feſtiuitatum diuiduntur*, ſic addit propè finem: *Sciendum eſt, quòd in Natiuitate Domini, & in Sancti Stephani, & in Epiphania, & Reſurrectione, & Pentecoſte, & in Sanctorum Protaſij & Geruaſij, & Sancti Laurentij, & in Dedicatione Eccleſiæ, & in Depoſitione Sancti Ambroſij, Archiepiſcopus dat omnibus Veglonibus, maribus & fœminis, viginti panes, decem de ſecale, & totidem de frumento: & vnum arietem, viridem, aut ſiccum: & duo ſtaria de vino. In Ordinatione Sancti Ambroſij, ad eiuſdem Eccleſiam, pauperibus dat Archiepiſcopus pro eleemoſina centum panes inter ſecalem & frumentum, ex quibus dantur viginti Veglonibus:* ET BAFFAM VNAM, *quam mediam Veglones habere debent. Si verò in ſexta feria feſtum prædictum venerit; Archiepiſcopus tantum tribuit Caſei, quantum* BAFFA *ſub æſtimatione valeret: cuius medietas eſt Veglonum, altera pauperum*. Cæterùm BAFFÆ notionem, quæ citra dubium tempore Beroldi non poterat non eſſe notiſſima, ego quidem fateor à me diligenter fuiſſe variis inueſtigatam viis, ſed in caſſum. Quippe ipſa etiam vocabula nonnumquàm prolixitate temporis non modò in deſuetudinem abeunt, ſed etiam in obliuionem. Itaque ne alibi quidem vſpiam vocabulum illud vidi vſurpatum, aut ſaltem memoratum. Vel è contextus tamen ſerie BAFFAM nemo non interpretabitur, opinor, cibi fuiſſe genus, quo noſtra in Vrbe per ea etiam tempora veſci vel inſuetum vel etiam illicitum eſſet die Veneris, non ſic autem

A B C D

Vide Du Cangium in Glossario ex quo [illegible] Porci significare [illegible]

cæteris hebdomadæ diebus; ac ne Sabbato quidem. Certam ego quidem A
opinor fuiſſe carnium quantitatem (vt medietatem bouis, vel ſuis, vel arietis, vel alterius eiuſmodi animalis, quam medietatem Italicè nos appellare ſolemus VNA MEZZENA) quæ in ſingulos poſtmodùm Veglones & in pauperes ſubdiuidenda eſſet. Quoniam ergo inſtitutum erat, vt Veglones & pauperes, congruenter ad feſtiuam eius diei lætitiam, ea ipſa die fruerentur tali Archiepiſcopi congiario & eleemoſyna; propterea etiam factum eſt, vt ſola Veneris die, in quam feſtiuitas illa incidiſſet, Caſeus in locum BAFFÆ diſtribueretur. Quocirca Mediolanenſes noſtri per ea quoque tempora die Veneris ita ieiunabant, vt abſtinerent, ſi non à prandio, ſaltem à carnibus, quemadmodùm Bellarminus aptè benequè explicauit Libro 2. *De Bonis Operibus in particulari*, B
Cap. 17. propè finem, ac quemadmodùm in præſenti nos itidem ieiunamus; ſed illi præterea die Sabbati non ita quidem ieiunabant, BAFFAMQVE propterea comedere licebat. Et hoc quidem loco mihi venit in mentem vetus illa Maiorum noſtrorum conſuetudo, cuius mentionem faciebat Sanctus Auguſtinus Epiſtola 86. & 118. Cùm enim Catechumenus adhuc ille Mediolani eſſet, Sanctuſquè Ambroſius Præſulis obiret munus; in Eccleſia Mediolanenſi, ſicut etiam in omnibus Orientis, quinetiam in pleriſque Occidentis Eccleſiis (contraquàm facere ſolerent Romana & paucæ quædam aliæ pariter Occidentales) hoc erat in more poſitum inſtitutoquè Maiorum, vt Sabbato pariter ac Dominico die abſtinerent ab omni ieiunio, carneſquè propterea comederent in ſignum C
lætitiæ; quia ſcilicet (vt Epiſtola 86. idem loquebatur Auguſtinus) *Sabbato caro Chriſti in monumento requieuit; ſicut in primis operibus Mundi requieuit Deus die illo ab omnibus operibus ſuis*. Hinc igitur ipſemet Sanctus Antiſtes noſter Ambroſius in Libro *De Elia & Ieiunio*, Cap. 10. ſic aſſerebat: *Quadrageſima totis*, PRÆTER SABBATVM ET DOMINICVM, *ieiunatur diebus*. Hinc etiam eiuſdem conſuetudinis, quandocumque Mediolani exiſteret (ſecùs enim alioqui ſe gerebat Romæ, ibiquè Sabbato ieiunabat) tam tenax fuit, vt ſuimetipſius exemplo (quemadmodùm in vtraque illa Epiſtola teſtatus eſt Auguſtinus) Monicam, eius matrem, quid hac in re agendum eſſet, edocuerit. Quocirca etiam Paulinus in eiuſdem Ambroſii Vita nobis ita teſtatum reliquit: *Erat autem Venerabilis Epiſcopus multæ abſtinentiæ, & vigiliarum multarum & laborum, quotidiano ieiunio macerans corpus. Cui prandendi nunquàm conſuetudo fuit, niſi die Sabbati & Dominico, vel cùm Natalitia celeberrimorum Martyrum eſſent*. His enim diebus ille prandebat; quia non ieiunabat. Ieiunio enim, non prandium congruit, ſed cœna; vt Viris doctis notiſſimum eſt. D

IV. In Dominicæ Natiuitatis Solemnitate hoc item ſolemne erat, magniquè inſtar myſterii ſeruabatur: vt primum in Archiepiſcopi menſa ferculum non aliud imponeretur, quàm quod eſſet ab Ambroſiani Abbate Monaſterii allatum, ſiue tranſmiſſum: perinde fermè ac ſi per illud certam

&

& indubitatam menſæ benedictionem ſibi à Sanctiſsimo Præſule Ambro- A
ſio pollicerentur. Illud autem non ab alio quopiam imponebatur homi-
ne, quàm qui ex certa eſſet Canobiorum familia: cui propterea homini
viciſsim Archiepiſcopus chirothecas ac nobilem cereum donabat. Be-
roldum audiamus, hæc omnia diſertè affirmantem in eius Solemnitatis
rubrica. *Mane* (inquit) *ſonito ſigno, omnes Presbyteri & Diaconi Cardina-
les, induti pluuialibus, vadunt ad Curiam Domini Archiepiſcopi. Et ille ſin-
gillatim ſuſcipit eos dicendo* PVER NATVS EST NOBIS, ET FILIVS
DATVS EST NOBIS: *illi ſic reſpondent,* DEO GRATIAS, *oſculantes
ei manus & os, demùm reſidentes. Et hoc peracto, videntibus cunctis, dat
Vicecomiti* (cuius officium ſuperiore Capite vidimus deſcriptum Num. 2.)
ferulam & chirothecas: & duas chirothecas Oſtiario, qui eſt domeſticus Magiſter B
*Cuſtos Sedis eius. Et ſimiliter dat chirothecas & vnum bonum cereum illi, qui
in ipſo die impoſiturus eſt menſæ ſuæ prius ferculum; id eſt* SODINGAM, *qua
fertur à Sancti Ambroſij Abbate: & hic eſt de cognatione Taſonis de Canobio.
Et ſcito, quia hec talis receptio, & talia dona ſimiliter fiunt in die Paſche;
excepto, quod in oſculo dicitur* CHRISTVS DOMINVS RESVRREXIT.
*Deinde cum iſtis omnibus deſcendit in Chorum, ad canendam Miſſam, præce-
dente eum Vicecomite cum ſuis, habentibus flagella, ad præparandam Domino
viam. Finita Miſſa, ſicut moris eſt, Subdiaconus Hebdomadarius cum Primi-
cerio Subdiaconorum, & Primicerius Notariorum cum Primicerio Lectorum, &
quatuor Magiſtri Scholarum cum Clauiculario Hebdomadario, cum vno quouis
Lectore, & Puer qui cantauit Pſallentium, & Cicendelarius cum Oſtiario* C
*Hebdomadario, cum illo qui portauit Textum Euangelij, & Vicecomes cum
ſuis, omnes prædicti reficere* (ſiue prandere) *debent cum Archiepiſcopo hono-
rabiliter. Et eodem modo & ordine reficiunt in Paſcha Reſurrectionis cum ipſo.
Et propterea ſciendum, quia, quòd duo Cuſtodes Minores Hebdomadarij cuſto-
diunt theſaurum ſuper Altare in Natale Domini & in Epiphania, prædictus
Archiepiſcopus dat eis duos panes,* ET VNVM CAPVT PORCI, *& mi-
nam vini: & ſexdecim Cuſtodibus dat medium arietem, & quatuor panes, &
ſextaria vini: videlicet in hoc die, & in Epiphania, & in Reſurrectione,
& in Pentecoſte. In Epiphania omnes Diaconi & Presbyteri Cardinales, &
Subdiaconus Hebdomadarius, & Primicerius Lectorum, & duo Lectores Heb-* D
*domadarij, & Cicendelarius & Oſtiarius Hebdomadarij, & Magiſter Schola-
rum cuius hebdomada eſt, & qui portat Euangelij Textum, omnes debent pran-
dere cum Archiepiſcopo honorificè.* Sic igitur qui cum Archiepiſcopo pran-
ſuri erant in die Natalis Domini, de quibus præſertim hoc agere loco
ad nos pertinet, ijdem omnes famem integram afferebant ad SODIN-
GAM illam, quam Sancti Ambroſij Abbas miſerat, & quam ſolemnis
ille dapifer in menſam intuliſſet. Sicut autem liquidò apparet, SO-
DINGÆ vocabulum per ea Beroldi tempora vſitatiſsimum erat, & ſigni-
ficationis vel ipſi etiam vulgo notiſsimæ, quinetiam propriè (ſicut ego
interpretor) Lombardum. Atqui nunc illud, ſicut & alia generis eiuſ-
dem multa, vſqueadeò exoleuit, vt alibi nuſquàm mihi occurrerit,

neminemquè

Vide Ducangium v. Sodis et v. Sudis

neminemquè præterea nactus adhuc fuerim Auctorem, qui veram & propriam eius etymologiam ediſſerat. Quodnam igitur eſſet illud ferculum, nulli ego hactenùs pro certo affirmarim. Hoc tamen ſcio, viginti aſſes Archiepiſcopali Menſæ quotannis cenſus nomine à Monaſterio Ambroſiano perſolui hoc etiam tempore in locum, & vicem duorum pullorum gallinaceorum, ac quatuor panis buccellarum, itemquè ſuilli rictus (Italicè GRVGNO DI PORCO) quæ olim eidem Menſæ quotannis pendebantur. Illud etiam nobis compertiſsimum eſt, apud Nobiles etiam Mediolanenſes inuiolabiliter adhuc ex antiqua & immemorabili Maiorum traditione hunc vigere vſum, vt in Natiuitate Chriſti Domini ſuillas carnes, & ex capite præſertim, comedant in prima menſa, velut in execrationem Iudæorum, qui Meſsiam & Saluatorem pertinaciter negant nobis eſſe natum, obſtinatiquè contendunt, antiquæ Legis cæremonias & ritus (quales etiam Leuitici Capite XI. præſcribebantur) adhuc ſeruandos eſſe, ac proinde à ſuillis etiamnùm carnibus, tamquàm immundis, abſtinendum. Quòd ſi quis fortaſsè talem illum cibarium cenſum ad Beroldi tempora retrotrahere velit, ac SODINGÆ vocabulo illum porci rictum & maxillas interpretari; ego quidem interim non ita procul abero, quin aliquatenùs aſſentiar. Nihil enim vetat, quin eiuſmodi conſuetudinem vſumquè ſuillarum carnium in Dominica Natiuitate ſimiliter apud noſtros Mediolanenſes viguiſſe credamus Beroldi quoque tempore: nihil, quominùs tunc Abbatis Ambroſiani nomine cenſus ille, ac nominatim ſuillus ille rictus ad Archiepiſcopum noſtrum deferretur ſub eandem Natiuitatem, tamquàm in primum Natalitij eius prandij ferculum: quinimmò rationi ſatis congruit, vt hæc ambo tunc fierent. Quid, ſi verò etiam talem illum ac veluti religioſum & myſticum ſuillarum carnium tali die vſum Mediolanenſes noſtri exiſtimabant ab ipſomet Antiſtite Ambroſio primitùs, velut inter proprios Eccleſiæ Ambroſianæ ritus, inſtitutum? Quid, ſi propterea noſter Archiepiſcopus, in eius inſtituti commemorationem, carnes illas in menſam ſuam non aliunde admittebat, quàm ex eo Monaſterio, vbi ſacrum eiuſdem Antiſtitis & Inſtitutoris Corpus quieſceret? Quid, ſi propterea velut ab ipſo benedictas excipiebat tanta illa celebritate, quantam nobis Beroldus enarrauit? Sed ab incertis eiuſmodi coniecturis, curioſitati condonatis & indultis, ad effata certa & proſpicua reuertamur.

V. Per hæc tempora Mediolanenſes noſtri Dominicam in Capite Quadrageſimæ (quæ dicebatur etiam CARNEVALIS DOMINICA) nequaquàm celebrabant ritu Quadrageſimali, mœſto ſcilicet ac lugubri: proindequè Diuinis eius diei Officijs ſæpè ac ſæpiùs inclytum illud lætitiæ canticum *Halleluiah* ingeminabant, perinde ac ſi dicerent: Hodie gaudeamus, & exultemus; quia craſtina die ieiunandum in multos dies & plorandum erit. Quocirca etiam Matutina illius ad Crucem Antiphona hæc erat: *Halleluiah claude, & ſigna ſermone Halleluiah: & requieſcat in interioribus veſtris Halleluiah vſque ad tempus conſtitutum. Et cùm gaudio*

magno

magno dicetis die illa, qua venerit, Halleluiah, halleluiah, halleluiah. Proxi- A
ma igitur inde feria Quadrageſimam cum ieiunio incipiebant. Vide
autem, quanta noſtratum animis reſideret fiducia patrocinij, quo pec-
catores, pœnitentiam meditantes, Ambroſius noſter apud Deum proſe-
quuturus eſſet. Poſtquàm in Eccleſia Hyemali Matutinum antelucana
hora Officium recitaſſent; mane facto Litaniam celebrabant, quæ AD
SANCTVM AMBROSIVM vocabatur. Itaque varias ad Deum preces,
doloris & pœnitentiæ plenas, fundentes, priùs ad Georgianam, deinde
verò ad Ambroſianam Baſilicam procedebant, indequè ſimiliter occupati
ad Hyemalem reuertebantur.

VI. Excurrente interim Quadrageſima, nihil apud Beroldum inuenio, quod
ad Baſilicam vel ad Monaſterium Ambroſianum pertineat; præterquàm B
in Dominica Palmarum, & in Sanctioris Hebdomadæ Sabbato: de quo
Sabbato quæ ſuppetebant, ea iam deprompſimus ſuperiori Capite 53.
Num. 16. De Dominica verò illa nos quidem multa iam diximus in Am-
broſianæ Baſilicæ Monumentis, à Numero 50. vſque ad 56. (vbi etiam
Numero 52. Beroldus ipſe in teſtem productus eſt) & rurſum etiam
Numero 641. denique verò etiam ſuperiore Anno 1653. in Laurentij
Littæ, Archiepiſcopi noſtri, Vita, Cap. 2. Num. 2. & Cap. 26. Num.
13. Verumtamen operæ pretium nihilominùs erit hoc item loco ea om-
nia in vnum colligere, quæ duobus in locis Beroldus de celebritate illa
ſcriptis ſuis conſignauit, nec ea in aliam ſcribendi occaſionem reſeruare.

VII. Folio ergo 407. ſub hoc ſeparatim titulo, *Proceſsio ab Eccleſia Sancti Lau-* C
rentij in Eccleſiam Hyemalem, Beroldus hæc tradebat: *Dominica in Ramis*
Palmarum, congregato Clero & Populo in Eccleſia Sancti Laurentij, Primice-
rius Notariorum incipit Hymnum, MAGNVM SALVTIS GAVDIVM,
vſque ad REX ECCE TVVS HVMILIS: *& ibi præſtolantur aduentum*
Pontificis. Et illo intrante Eccleſiam, omnes excelſa voce dicunt: REX EC-
CE TVVS HVMILIS. *Finito Hymno, Pontifex in gradu facit Sermonem*
ad Populum. Interea Presbyter & Diaconus & Subdiaconus, Obſeruatores,
priuatim canit ibi Miſſam. Finita Miſſa & Sermone, Pontifex benedicit Pal-
mas & Oliuas. Poſtea dicit: DOMINVS VOBISCVM. *Tunc Diaconus*
hebdomadarius incipit Pſallentium, Primicerio Lectorum indicante, & eodem
ſtatim cum ſuis ſubſequente. Et ſic exeunt Eccleſiam, Pontifice dante Palmas, D
& Primicerio Presbyterorum ſimiliter dante ſuis. Tunc extra atrium Eccleſiæ
equus, albo nacco coopertus, ſtat præparatus ad ſuſcipiendum Dominum ſuum
Pontificem, vt ei ſuperſedeat. Ille verò equum aſcendens, Oſtiarius domeſticus
Magiſter porrigit ſibi Crucem cryſtallinam, ornatam Palmis & folijs Oliuæ. Ipſe
verò, ſumens & tenens in ſiniſtra, ſignat Populum dextra: & vnus Egregius
Miles de genere Rhodenſium, eleganter indutus, cum chirothecis in manibus, de
Camera Pontificis ſumptis, dextrat & ducit eum per frænum, per mediam viam
carrarium, vſque ad Eccleſiam Sancti Ambroſij, VBI EIVS SANCTISSI-
MVM CORPVS QVIESCIT: *antecedente eum Schola Sancti Ambroſij*
cum Cruce argentea: & Oſtiarius hebdomadarius portat Crucem auream ante

Presbyterum hebdomadarium. Cùm autem peruenerint vſque ad Portam Tici- A
nenſem; totus Clerus venit in Eccleſiam Hyemalem. Archiepiſcopus verò, ſe-
dens, Cappellanis ſuis ſequentibus eum, ducitur cum triumphali gloria ad San-
ctum Ambroſium, turba multa Populorum ſequente & præcedente ipſum. Sed
cùm ille peruenerit ad locum, VBI LEPROSVS LAVARI SOLET AB
IPSO; *Abbas Sancti Ambroſij debet eſſe ibi præparatus & induens Puuiali,*
cum Diaconibus ſuis & Subdiaconibus, indutis Dalmaticis albis; & ibi Pontifex
tribuit Abbati magnum ramum Palmarum, & honorabilem Troctam. Et ſtatim
præcedens Abbas cum Clero ſuo, cantando & pſallendo, præcedit eum vſque ad
prædictam Eccleſiam. Et Pontifex in atrio Eccleſiæ deſcendit de equo, & præ-
parat ſe ad Miſſam canendam (in Eccleſia quippe Sancti Laurentii non
eam ipſe cecinerat, ſed Presbyter Obſeruator) *ſeruiente ſibi Abbate cum* B
Clero ſuo vſque ad finem Miſſæ. Prædicti verò Ordinarij (qui nimirùm cum
reliquo Clero regreſsi ad Portam Ticinenſem, illic deſeruerant Archie-
piſcopum læua tendentem ad Baſilicam Ambroſianam, ipſique dextera
per aliam viam inde flexerant ad Baſilicam Metropolitanam Hyemalem)
canunt Miſſam in Eccleſia Hyemali. Finita Miſſa (per Archiepiſcopum ce-
lebrata in Ambroſiana Baſilica) *ſupradictus Miles Rhodenſis debet prandere*
cum Archiepiſcopo, cum ſuis ſeruitoribus: cui dat etiam aureum vnum. Et
Oſtiarius hebdomadarius, qui portauit Crucem auream in Proceſſione, debet
prandere cum Archiepiſcopo.

VIII. His ergo Beroldus illic ſeparatim obſeruabat, quid ea die quotannis
agi ſoleret. In ipſomet autem Ambroſiano Manuali, ſecundùm Anni ac C
Diuinorum ſeriem Officiorum diſpoſito, cùm ad eam Palmarum Do-
minicam ventum eſſet, hanc pro Sabbato præcedenti Rubricam præmi-
ſit, folio 167. pag. 1. *Sabbato in Ramis Oliuarum Archiepiſcopus dat Palmas*
omnibus Ordinibus Eccleſiæ Maioris hoc modo: Archipresbytero magnum ramum
Palmæ, ex quo tribuit cæteris Presbyteris, ſibi ſubiectis: Archidiacono ſimiliter
vnum, ex quo dat ille Diaconibus ſuis: Primicerio Subdiaconorum vnum, ex
quo tribuit Subdiaconis: Primicerio Notariorum vnum, ex quo dat ille ſuis:
item Notario, qui eſt Cuſtos Sedis, vnum, ex quo ille ornat cryſtallinam Cru-
cem: Primicerio Lectorum vnum: Lectoribus Cuſtodibus verò & Veglonibus
& Veglonis (ſeu Veglonisſis) *ſingula folia: ſed duobus Cuſtodibus Maioribus,*
& duobus Veglonibus Maioribus, duo folia: Primicerio Presbyterorum Mino- D
rum ramum vnum, ex quo dat omnibus ſibi ſubiectis. Sed in mane ad San-
ctum Laurentium debet Archiepiſcopus habere multas Oliuas, ex quibus dat
omnibus illas petentibus.

IX. Executioni datam videre nunc licet eam formulam, quam ſuperiùs è Be-
roldo exſcribebamus præſcriptam pro ipſamet Palmarum Dominica.
Priùs igitur diſpoſito eiuſdem diei Officio Matutino, ſic ibidem habetur
folio 168. *Mane ad Sanctum Laurentium Hymnus: Magnum ſalutis gaudium.*
Mox itaque continenter totus hic Hymnus recitatur: & quia dignus
profectò eſt, vt exteris etiam, nedùm Ambroſianis, innoteſcat; propte-
rea ne mihi quidem hoc loco prætermittendus eſt; tametſi vnà cum

Miſſali

Miſſali Ambroſiano propè finem, vbi reliquæ præter Miſſam diſpoſitæ ſunt eius Dominicæ functiones, circumferatur. Sic autem ille ſe habet: A

Magnum ſalutis gaudium:
Lætetur omne Sæculum;
Ieſus, Redemptor Gentium,
Sanauit Orbem languidum.
Sex ante Paſchæ ferias
Aduenit in Bethaniam:
Vbi piè poſt triduum
Reſuſcitauit Lazarum.
Nardo Maria piſtico
Vnxit beatis Domini
Pedes, rigando lachrymis, B
Et extergendo crinibus.
Poſt hæc iugalis aſinæ
Ieſus, ſupremus Arbiter,
Pullo ſedebat, inclytam
Pergendo Ieroſolymam.
O quàm ſtupenda pietas,
Mira Dei clementia!
Seſſor aſelli fieri
Dignatur Author Sæculi.
Olim Propheta præſcius
Prædixit almo ſpiritu: C
Exulta, dicens, Filia
Sion, ſatis & iubila.

Poſt hæc interſita ſubſequitur hæc Rubrica, *Quando Archiepiſcopus venit, dicunt excelſa voce:*

Rex ecce tuus humilis,
Noli timere, veniet,
Pullo iugalis reſidens,
Tibi benignus, patiens.
Ramos virentes ſumpſerat,
Palma reciſos tenera, D
Turba, procedens obuiam
Regi perenni plurima.
Cœtus ſequens, & præuius,
Sancto repletus Spiritu,
Clamabat: In altiſſimis
Hoſanna Dauid Filio.
Quidam ſolutis proprijs
Viam tegebant veſtibus:
Pluresquè flores candido
Iter parabant Domino.

 Ad

Ad cuius omnis Ciuitas A
Commota ingreſſum tremuit:
Hebræa proles aurea
Laudes ferebant debitas.
Nos ergo tanto Iudici
Curramus omnes obuiam,
Palmas gerendo gloriæ,
Mente canentes ſobria.
Honos, decus, imperium
Sit Trinitati vnicæ,
Patri, Nato, Paraclyto,
Per infinita ſæcula. B

Tum rursùs hæc Rubrica: *Finito Hymno, Pontifex in gradu facit Sermonem ad Populum. Interea Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, Obſeruatores, priuatim canit ibi Miſſam. Canticum:* LEVAVI OCVLOS MEOS. *Euangelium ſecundùm Ioannem:* TVRBA MVLTA. *Finita Miſſa & Sermone, Pontifex benedicit Palmas & Oliuas, dicendo hanc Orationem:* DOMINVS VOBISCVM: *Benedic ✠ Domine, quæſumus, hos Palmarum ſeu Oliuarum ramos: vt, quod Populus tuus in tua veneratione hodierna die corporaliter agit, hoc ſpiritualiter ſumma deuotione perficiat, de Hoſte victoriam reportando, & opus miſericordiæ ſummoperè diligendo. Humiliter etiam te, Domine, deprecamur, vt prædictarum arborum germina ita ✠ ſanctificare digneris, vt loca, ad quæ deportata fuerint, ſanctificata efficiantur: quò iniquitas omnis ſeu illuſio Dæmonum abſcedat, & tua nos ſemper dextera protegere dignetur. Per Dominum &c. ℟. Amen. Kyr. Kyr. Kyr. Sequitur:* BENEDICAT ET EXAVDIAT NOS DEVS. ℟ *Amen. Deinde:* PROCEDAMVS &c. *Poſtea: Benedictio Dei Patris ✠ Omnipotentis, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti deſcendat ſuper hos Palmarum ſeu Oliuarum ramos.* Hactenùs Benedictiò. Tum rursùs: *Finita Benedictione, Archiepiſcopus dicit:* DOMINVS VOBISCVM. *Tunc Diaconus Hebdomadarius incipit Pſallentium:* PVERI CLAMABANT IN TEMPLO, *dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in excelſis.* ℣. BEATI IMMACVLATI. I. TVRBA MVLTA *venit ad diem feſtum, & obtulerunt ei medullas Palmarum: & clamabant, dicentes:* BENEDICTVS, *qui venit in nomine Domini. Pòſt, Kyr.* AD PORTAM (hoc eſt, Ticinenſem) CIVITATIS. *Teſtificata eſt turba, quæ erat cum Ieſu, quia Dominus Lazarum vocauit dè monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis. Propter hoc cum ramis Palmarum obuiauit ei, clamans & dicens: Hoſanna Regi Iſrael: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in excelſis. II. Inclinaſti cælos, & deſcendiſti ad terram vt miſericors: thronum Cherubim non dereliquiſti: pullum propter nos ſediſti Saluator Mundi: & pueri Hebræorum occurrerunt tibi: & ſumentes Palmas in manibus benedixerunt te. Benedictus, qui veniſti ad Paſſionem voluntariè, ad liberandum nos: Gloria tibi. III. Cum ramis Oliuarum pueri laudantes te: ſuper pullum nouum oſtenſus es veniens: in quo tibi pſallimus: Hoſanna Deus, mi-*

C and D margin letters appear at right.

ſerere

ſerere nobis. IV. Venite omnes: adoremus thronum Dominationis ante ſex dies Paſſionis; quia veniens Dominus in Ciuitatem Ieruſalem adimplere Scripturas, occurrerunt ei pueri, ſternentes veſtimenta ſua, & in manibus portantes ramos Oliuæ: & clamabant voce magna, dicentes: Hoſanna in excelſis: Benedictus, qui venisti in multitudine: miſerere nobis. V. Pleni ſunt Cæli & Terra gloria Maieſtatis tuæ, Domine: Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael, vt hymnum dicamus nomini tuo, Domine. VI. Hoſanna in excelſis: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in excelſis. VII. Deus Dominus, & illuxit nobis. VIII. Conſtituite ſolemnitatem. IX. Deus meus es tu, & confitebor tibi. X. Confitebor tibi, Domine: quoniam exaudiſti me. XI. Confitemini Domino, quoniam bonus. Pòſt: Kyr. & Gloria. Benedictus, qui venit. Et hæ quidem Antiphonæ vſque ad ſeptimam præſcriptæ ſunt etiam in hodierno Miſſali Ambroſiano propè finem; vt hinc etiam dignoſcamus, quàm conſtanter Eccleſiæ Ambroſianæ ritus ad hæc vſque tempora retenti ſint; quod quidem pariter dignoſcimus ex eiuſdem feſtiuitatis Miſſa & Veſperis, quæ protinùs ibidem indicantur. A B

X. Quoniam verò in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 55. Leproſum ego illum conie&tabam in ea Palmarum Dominica lauari ab Archiepiſcopo ſolitum eſſe ob eamdem cauſam, propter quam poſtridie illius diei Leproſus alter in propinqua Sancti ad Ticinenſe Carrubium Viti Eccleſia lauaretur: & huc paucula quædam è Beroldi verbis in teſtimonium aſciſcebam; propterea nunc planiùs & explicatiùs agendum mihi eſt; & omnia proinde ipſius hac de re verba producam. Poſteaquàm igitur nonnulla recenſuiſſet, quæ vniuerſim ad poſtremam Quadrageſimæ hebdomadam, quæ tunc etiam vocabatur *Authentica*, pertinerent; tum verò folio 408. pag. 1. ſic tradebat: *Feria ſecunda in Authentica, hora tertia, Pontifex cum Cappellanis ſuis, cum Presbytero Sancti Michaelis in Domo* (Eccleſia hæc ætate mea diruta fuit: & parùm à Baſilica diſtabat Metropolitana, iuxta cuius Chorum extra Campum Sanctum erat) *& Sancti Ioannis ad Concham, & Sancti Alexandri, & Sancti Kalimerij, & Sancti Petri in Campo Laudenſi* (& hinc rursùm refelle illos, qui dixerunt, eam Campi Laudenſis appellationem illi Eccleſiæ acceſsiſſe tantùm ex eo tempore, quo Fridericus Imperator Aenobarbus Vrbem noſtram ſecundò obſedit, ac demùm Anno 1162. diruit) *& quatuor Presbyteris Sancti Laurentij (quorum eſt afferre thuribulum, & incenſum, & Librum Orationum huius Officij, & duo candelabra cum totidem cereis) & cum tribus hominibus, vel pluribus, illius progeniei,* CVIVS FVIT LEPROSVS, QVEM SANCTVS AMBROSIVS DIVINA OPE MVNDAVIT, *in Eccleſia Sancti Saluatoris, quæ modò Sancti Viti appellatur, conuenire & coadunari debent. Iſtis autem in vnum collectis in eadem Baſilica, tres illi, vel plures, ſternunt ante Altare flexis genibus. Super quos Archiepiſcopus dicit hanc Orationem: Omnipotens ſempiterne Deus, qui hos famulos tuos, ſaua corporis contagione obtectos, ad huius lauacri purgationem accedere permiſiſti, concede propitius: vt, depoſito ſqualore ſordium, fomento gratiæ tuæ valeant membrorum* C D

omnium

omnium & animarum conſequi medicinam: & nobis, famulis tuis, qui eorum
artus diluimus, tolerantiam ad perficiendum opus conferas, & ſalutem. Per
Dominum. Sequitur Kyr. tum Benedicat & exaudiat nos Deus. Amen. Hoc
finito, illis adhuc iacentibus, Pontifex ſpargit ſuper eos Aquam ſanctam & incen-
ſum: poſt hoc ſtatim ſumit illum per manum, quem lauaturus eſt: & ſic ducit eum
vſque ad balneum, antecedentibus eum Presbyteris Sancti Laurentij cum Libro,
& incenſo, & cereis & candelabris accenſis. Et eundo ad balneum Presbyter
Sancti Michaelis, & Sancti Kalimerij, & Sancti Petri in Campo Laudenſi, can-
tant Pſalmum, incipientes à BEATI IMMACVLATI vſque ad OMNIS
SPIRITVS LAVDET DOMINVM. Et Presbyteri ſimiliter Sancti Ioannis
ad Concham & Sancti Alexandri faciunt Litanias, eundo per eamdem viam.
Et ſimiliter Presbyteri Sancti Laurentij canunt hanc Antiphonam vſque ad bal- B
neum (cui quidem Antiphonæ hic non deſunt ſuæ Cantus etiam Firmi
notulæ) Sanctus Deus, qui ſedes ſuper Cherubim, ſolus inuiſibilis: Sanctus
fortis, qui Archangeli Michaelis orationem ſuſcepiſti: Sanctus immortalis, qui
ſolus immaculatus: Saluator miſerere nobis. Oratio: Deus, qui Naaman Sy-
rum, ſepties in Iordane tinctum, à lepræ colluuione ſanaſti, reſpice propitius ad
preces humilitatis noſtræ: & Septiformis Spiritus benedictionem ſuper hos famu-
los tuos largus infunde: vt, corporis mentiſquè nouitate recepta, te Saluatorem
omnium omni tempore benedicant. Per Dominum. Hac finita, leproſus intrat
balneum: & Presbyter Sancti Michaelis de Domo lauat ſibi caput, & pectus.
Hoc facto, exiens de balneo, ſtatim induitur camiſia noua, & femoraribus nouis,
& SERRABARRO de noua corrigia, & cingulo nouo de noua corrigia ſimi- C
liter. His omnibus datis ab Archiepiſcopo, & iſto ita induto, ſedere debet ſuper
ſcamnum, & Archiepiſcopus accingere ſe manutergio: & flectitur ad pedes eius,
& lauat pedem eius dextrum, & extergit manutergio, & oſculatur eumdem
pedem. Denique tunc percutit de calcaneo ſuper caput ſuum: & ſtatim ille ſur-
git, ligans tibilia (ſiue tibialia) ad talum. Ducitur per manum ab Archiepiſ-
copo in Eccleſiam Sancti Laurentij, prædictis Presbyteris canentibus idem Pſal-
lentium, quod ſupra diximus, tintinnabulis etiam omnibus Sancti Laurentii ſo-
nantibus. Et ille cadit in faciem ante Altare Sancti Laurentii, Pontifice dicente
ſuper eum hanc Orationem: Deus, qui es, ſicut omnipotentia, ita etiam miſeri-
cordia infinitus, adeſto his famulis tuis: & quorum corpora lauamus exteriùs,
purificationem delictorum interiùs exhibeto: Abſint morbi, cedant contagia, infir- D
mitates procul recedant: vt Dæmonum ſæuitia, iam olim tua pietate ſecluſa,
corrumpere non valeat, quos tua pietas, Sanctis intercedentibus, reparauit.
Per Dominum &c. Sequitur Kyr. Kyr. Kyr. deinde BENEDICAT ET
EXAVDIAT &c. Hoc finito, leuat eum de terra, & oſculatur eum. Ille verò
ſe veſtimentis ſuis veſtit: & Archiepiſcopus canit Miſſam, & ille eſt auditor.
Sed finita Miſſa Archiepiſcopus dat prædicto Leproſo ſolidos triginta-tres, & tres
denarios, vt diuidat cum ſuis, qui eos habituri ſunt. Et iſte, qui lauatur, ſpe-
cialiter illius loci eſt, qui vocatur PONS SERRIALIS (à fluuio nempe
Serrio, cui pons ille impoſitus eſt: locuſquè ille non multùm ab Vrbe
noſtra diſtat) Prædicti etiam Presbyteri honorificè debent prandere cum Archie-
piſcopo.

piſcopo. Et generatio SCARIORVM *debent calefacere balneum vſque in perpetuum. Et iſti* SCARII *debent habere ſex denarios, & SERRABAR vnum nouum ab illo Leproſo. Sed ſi Archiepiſcopus defuerit; Archipresbyter facit prædictum officium; Archiepiſcopium verò facit conditium;* ſiue prandium, cui Presbyteros illos intereſſe debere paulò ante dictum fuerat. Talia ibi Beroldus. Quæ quidem mihi gratiora tantò ſunt, quantò magis ad Baſilicam quoque noſtram pertinent Laurentianam. Vocabulum porrò illud SARRABARRVM, ſiue SARRABAR, mihi quidem videtur idem ſignificare, quod pluralis numeri SARABALLA (& corruptè SARABARA) apud Danielem Prophetam Cap. 3. Verſu 94. & hoc loco genus fluxæ veſtis mihi videtur ſignificatum. Qua de re conſuli poſſunt Benedictus Pererius Libro 3. Commentariorum in eumdem Prophetam, Gaſpar Sanctius in eum ipſum Prophetæ locum, & Marianus Victorius in Scholiis in Sancti Hieronymi Epiſtolam 49. Num. 10. Ne verò quiſquam dubitet, an Opuſculum illud, è quo demùm hæc deprompſimus, re vera euſque ſit ipſius Beroldi, vereque ad illud vſque folium 408. pertingat: ecce nobis, quid ille ipſe poſtmodùm folio 409. pag. 2. ſuperaddiderit. Inquit enim: *Prætermiſimus etiam* (in eodem videlicet Opuſculo illo, & ante folium illud 408.) *quod in hac prædicta Quadrageſima Oſtiarius hebdomadarius ponit pannum nigrum ſupra menſam Pulpiti.* A B

XI. Reliquum nunc eſt, vt ad Feriam progrediamur quintam intra Paſchalem Dominicæ Reſurrectionis Hebdomadam & Octauam. Quòd enim Ambroſij noſtri Obitum ac Depoſitionem, quinimmò Tranſitum ad beatam in cælis vitam Sabbato illo Archiepiſcopus in eum, quem Beroldus recenſuit, modum celebraſſet, non id ſatis videbatur eſſe cultui, qui tanto conſummatiſsimæ ſanctitatis Præſuli & Patrono, virtutum & miraculorum gloria tam inſigni, atque de Mediolanenſi præſertim Eccleſia tam benè merito, deberetur. Solemni ergo pompa redibat Archiepiſcopus, Capitulo inſuper Metropolitano comitatus, proxima illa Feria quinta. Itaque Beroldus in illo eodem Opuſculo, de multis Vigiliis in commune loquens, ſic inquit folio 400. pag. 1. in fine: *In Vigilia Sancti Stephani, in Depoſitione Sancti Ambroſij, & Sanctorum Protaſii & Geruaſii, & Petri & Pauli, & Nazarij & Celſi, & Sancti Laurentij, & Ordinatione Sancti Ambroſij, Archiepiſcopus facit quatuor cereos, habentes per ſingulos tres libras ceræ & dimidiam: quos ille mittit Cimiliarchæ prædictarum Eccleſiarum: duos quorum ipſe Archiepiſcopus accendit in principio Hymni ad Vigiliam, cæteros accendit in Miſſa Maiori. Similiter etiam mittit tantum incenſi eidem Cimiliarchæ, quantum ſufficit ad Officium ipſius feſti.* Atque hic etiam obiter & in tranſitu id aduertamus: vnicuique prædictarum Baſilicarum per hæc Beroldi tempora ſuum affuiſſe, non re tantùm ac miniſterio, ſed etiam nomine Cimiliarcham; cùm alioqui ſub Annum Milleſimum ducenteſimum in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis viderimus id nominis tantummodò retentum in Baſilicis Metropolitana & Ambroſiana. De ipſamet autem Ambroſii feſtiua Depoſitione idem Beroldus rubrica C D

quintæ

quintæ in Albis Feriæ ſic teſtatur: *Mane ad Pſallentium ad Sanctum Ambroſium Archiepiſcopus induitur, ſicut ad canendam Miſſam: & Diaconi Dalmatica, Subdiaconi Alba, Presbyteri Cardinales cum Presbytero* (legendum eſt *cum Primicerio*) *Lectorum & . . . . cum illo qui portat Textum Euangeliorum, & qui baiulat Crucem auream, cum Magiſtro Scholæ Sancti Ambroſii cum Flagello, omnes iſti induuntur Pluuialibus. Et hoc eodem ordine procedunt in Pentecoſten, & in feſto Sancti Petri (ſed tamen in feſto Sancti Petri omnes Diaconi portant manipulum dictum per caputium, & Sacerdotes induti Planetis portant manipulos ſimili modo) & in feſto Sancti Nazarii* (ad cuius Baſilicam celebrabatur, ſicut etiam hodie celebratur, feſtum quoque Sancti Petri) *& Sancti Laurentii, & in Aſſumptione Sanctæ Mariæ, & in Ordinatione Sancti Ambroſij, & in feſto Sancti Stephani, & in Sancti Ioannis Euangeliſtæ, ſic induuntur, vt ſupra docuimus, excepto feſto Sancti Petri, in quo aliquantulum differtur, ſicut ſupra legitur. Et notandum, quia in omnibus iſtis feſtis ante Pſallentium incœptum quatuor Cicendelarii debent præparare & dare thuribula & candelabra accenſa Subdiaconibus, ad portandum in Proceſſione: & Oſtiarius Obſeruator portat Crucem argenteam ante Primicerium Presbyterorum: cum qua poſtea accendit Pharum. Antiphona I. Qui redempti ſunt à Domino: II. Reſurrexit tamquam: III. Venite benedicti Patris mei: IV. In conſpectu Agni. Hic Archiepiſcopus ſtatim cùm exierit de Eccleſia Sancti Georgii* (ad hanc vtique iam proceſſerat à Baſilica Metropolitana) *habens Virgam Paſtoralem in manu, incipit hanc Antiphonam excelſa voce, verſus meridiem: & Primicerius Lectorum ſtatim ſubſequitur, Dicant nunc Iudæi* &c. Inde verò ad Baſilicam vſque Ambroſianam inter eundum concinebantur duodecim Antiphonæ: Miſſaquè tandem ibi celebrabatur. Erat autem partim de Paſchatis Octaua, partim autem de Sancto Pontifice & Confeſſore. Quocirca Euangelium tunc erat è Ioannis Capite 10. *Ego ſum Paſtor bonus* &c. quod pariter initium protinus repetitum poſtea erat Antiphona poſt Euangelium: ſicut & nos hodie facimus in Communi Pontificis & Confeſſoris Miſſa, Sanctis Archiepiſcopis noſtris deſtinata. Qualiſnam verò tunc eſſet eiuſdem Miſſæ Præfatio, nimirùm de ſolane Paſchali ſolemnitate, an potiùs partim de ipſa, & partim de Ambroſii Vita, vel etiam ſolius eſſet Ambroſii propria (his enim tribus modis eam per varia tempora in variis Miſſalibus diſpoſitam vidi) hoc ego, Beroldum lectitans, non ſatis adhuc diſcernere potui. Quia tamen nullam ille pro hac Miſſa præſcribit Præfationem; idcircò mihi perinde videtur ac ſi eam dixiſſet eſſe deſumendam è Miſſa Feriæ illius quintæ propria, & purè Paſchali. An verò quotannis hæc Sancti Ambroſii feſtiuitas inuiolabiliter Beroldi tempore celebraretur ea ipſa die, hac de re Beroldus ipſe me nonnihil dubitare coegit his alio in loco (ſiue folio 286.) verbis: *Feria quinta infra Albas, in qua ſæpiùs celebratur Depoſitio Beatiſſimi Ambroſij, finito Veſpere Reſurrectionis, conueniunt Ordines ad Sanctum Stephanum ad Rotam. Solemnitas trium Puerorum.* Hanc quippe tunc ibi celebrabant in ipſorum honorem, ſicut ex ordine ibidem

ibidem recenſetur: eorum ſcilicet Puerorum, qui, Babylonicam in fornacem coniecti, diuinitùs incolumes euaſerunt. Cæterùm *in Depoſitione Sancti Ambroſii* (ſic enim cum eodem Beroldo in Opuſculo, *Qualiter denarii omnium feſtiuitatum diuiduntur*, concludamus) *omnes Presbyteri & Diaconi Cardinales, & omnes Subdiaconi, & Primicerius Decumanorum, & omnes Notarii, & Primicerius Lectorum cum omnibus Lectoribus, & omnes Cuſtodes, & Pueri qui cantauerunt Pſallentium, debent honorificè prandere cum Pontifice.* A

XII. De Triduanis Litaniis, à Clero Populoquè Mediolanenſi ad varias Vrbis Eccleſias quotannis intra Chriſti Domini Aſcenſionem ac Pentecoſten celebrari ſolitis etiam Beroldi tempore, multa nos iam ſcripſimus Capite 64. Hoc tantùm in præſenti recolendum eſt, quòd tunc etiam quotidie in vna, præ cæteris illius tridui Eccleſiis primaria, celebrabantur *Litaniæ* (ſic enim eas Beroldus vocabat) *Maiores*; quia nimirùm ſolemniori & Pontificali ritu illic peragerentur. Hic autem ritus non in eo conſiſtebat, quod in iiſdem ſolis tribus Eccleſiis Miſſa etiam caneretur (nec enim canebatur) ſicut hodie aſſolet; ſed in hoc tantùm, quòd Diacono, mox Euangelium tono ſolemni cantaturo, tres Oſtiarii, ſitu inter ſe diſiuncti, ſeparatim quiſque Populo alta voce denunciarent, primus *Parcite fabulis*, ſecundus *Silentium habete*, poſtremus *Habete ſilentium*; ſicut etiam præſenti videmus retentum vſu; cùm alioqui tunc cæteris etiam in Eccleſiis Euangelium tono tantùm feriali, & ſine vlla tali denunciatione caneretur. Eiuſmodi verò tres Eccleſiæ, ſicut hodie, ſic etiam Beroldi tempore erant Ambroſiana, Nazariana, & Laurentiana: & primo quidem die ſupplicatum ibatur ad Ambroſianam, ſecundo ad Nazarianam: nec aliud quidquam celebrius in tribus illis Eccleſiis eo triduo fiebat. B C

XIII. In Vigilia Pentecoſtes aliquid habemus memorabile: quod Ambroſiani Monachorum ac ſimul etiam Maioris Monialium Monaſterii præcellentiam illuſtrare non minùs poſſit (præterquamquòd ſtudioſos antiquitatis nonnihil etiam in aliis delectabit, & ad inquirendum exacuet) quàm in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis ad Annum Chriſti Milleſimum trigeſimum-quartum illuſtrata fuerit Ariberti Archiepiſcopi Teſtamento.

In Vigiliis Pentecoſtes (inquit ergo Beroldus) *Sarcitectus emundat Fontes* (nempe Baptiſmales) *ac duo Minores Oſtiarii trahunt aquam cum hidria & fune, ſumpta ab Archiepiſcopo. Et Archiepiſcopus ducit ad Fontes. Et quatuor Oſtiarii debent habere octo panes, quatuor de frumento & quatuor de ſecale, & quatuor piſces, & quatuor fruſta caſei, & vnum ſtarium vini. Et duo Maiores Oſtiarii debent ligare quadraginta & vnam tabulas cereas, ſumptas à Cimiliarcha, in modum Crucis, ſuper Fontes, cum filo ſumpto à Monacha ipſius Eccleſiæ Sancti Stephani* (quæ nimirùm dicebatur *ad Fontes*, atque diuerſa erat ab Eccleſia Sancti Stephani *ad Rotam*) *& ſuper tabulas ponunt Copallos cereos tredecim cum candelis intùs poſitis, quas duo Minores Oſtiarii accendunt. Et hoc fit quando Archiepiſcopus accedit ad Fontes, ad ſanctificandam* D

 aquam.

aquam. Pro quo Officio Iudicatum eſt factum in loco Caſoreto. Ex quo quatuor A
prædicti Oſtiarii, cum Cappellano eiuſdem Eccleſiæ & cum Sarcitecto mundatore
Fontium, & Rector honeſtè inſimul reficiuntur. Cantato Cantico, & dicta Ora-
tione, Archiepiſcopus vadit in Secretarium: & induit ſe Paludamento baptiſma-
li: & præcingit ſe manutergio cum cingulo, nexu veniente à ſiniſtro latere (le-
gendum videtur *ad ſiniſtrum latus*) *in ſimilitudinem enſis: & ſimiliter nexum*
ſandaliorum facit iuxta calcaneum, in ſimilitudinem calcarium: & ſic incedit ad
Fontes ſine proceſsione, habens mitram in capite. Eodem modo facit conſecratio-
nem Fontium, & conditum, & cætera quæ conueniunt, ſicut in Sabbato Sancto;
excepto quòd in Sabbato Sancto baptizantur tres pueri, in hoc tantùm duo. Sed
ſciendum eſt, antequàm Chriſma mittatur in aqua, duo Maiores Oſtiarii debent
colligere prædictas tabulas & copallos: & debent conſignare Archipresbytero & B
Archidiacono: & illi debent diuidere cum Presbyteris & Diaconibus Cardinali-
bus pariter & æqualiter tabulas; ſed Archipresbyter & Archidiaconus debet
habere duplum. Et paulò poſt: *Sed ſciendum eſt, quòd in hoc die Archiepiſ-*
copus debet dare tabulas cereas hoc modo: Primicerio Subdiaconorum, & Pri-
micerio Presbyterorum Decumanorum, & Notariorum, & Lectorum, & qua-
tuor Magiſtris Scholarum, binas: Subdiaconibus, Notariis, Lectoribus, Cuſto-
dibus, Veglonibus maribus & fœminis, ſingulas; ſed duobus Maioribus Cuſto-
dibus, & Maiori Veglonum, & Maiori Vetularum, binas. Sciendum eſt, quòd
duo Minores Cuſtodes debent portare tabulas, ſumptas de Camera Pontificis, ad
Monaſterium Sancti Ambroſij ſex: & ad Monaſterium Sancti Victoris, & Vin-
centij, & Simpliciani, & Dionyſij, quaternas. Alij duo, qui ſequuntur, ſimi- C
liter portant tabulas, ſumptas de ſupradicta Camera, ad Monaſterium Maius
ſex: & ad Monaſterium Nouum; & ad Monaſterium Dauidis, & Lentaſij, &
Giſonis, & Radecundæ, ſimiliter quaternas. Hæc ibi Beroldus. Qui qui-
dem quoniam inter cætera memorabat Monacham Eccleſiæ Sancti Ste-
phani, videlicet *ad Fontes*; propterea hoc item loco nonnihil de illa Ec-
cleſia ſuperaddere lubet iis, quæ iam ego in Sancti Laurentii Litæ, Ar-
chiepiſcopi noſtri, Vita recenſui Capite 33. Num. 12. & 13. Hoc autem
humaniſsimè ſuppeditatum mihi fuit ab hodiernis Baſilicæ Metropolita-
næ Beneficiatis, è ſuo nempe ipſorum Archiuo. Prægrande in primis
erat communis chartæ ſolium, in quo delineatus viſitur Baſilicæ Metro-
politanæ, quæ Maior & Hyemalis & Sanctæ Mariæ dicebatur, ſitus ille D
anterior eo, quem nobiliſsima nunc occupat Metropolitana, iam inde
ab Anno Chriſti octuageſimo-ſexto ſupra Milleſimum trecenteſimum
inchoata. Sic etiam in eo viſuntur ſex Eccleſiæ minores Maiorem illam
circumſtantes: tres in latere Meridionali, totidemquè in Aquilonari:
necnon etiam ex his hinc inde binæ ad frontem, ad medium, ad ter-
gum, ac ſingulæ propriis etiam nominibus indicatæ. In Meridionali ad
frontem eſt *Eccleſia Sancti Ioannis ad Fontes Maſculorum*: ad medium eſt
Sancti Vrielis, hodie Sancti Michaelis ad Murum ruptum: ad tergum eſt
Sancti Michaelis: ac propè ipſam ſic etiam eſt adnotatum, *In hoc ſpatio*
erant Aedes Archiepiſcopi, & Ordinariorum. In altero autem latere pariter

ad

ad frontem eſt *Eccleſia Sancti Gabrielis*, ac propè ipſam quadrato circum- A
ſcripta ſpatio *Canonica Decumanorum*: ad medium eſt *Sancti Raphaelis*: ad
tergum eſt *Sancti Stephani ad Fontes Fœminarum, Monialium*: ac propè ip-
ſam, *In hoc ſpatio erat Monaſterium Monialium Sancti Stephani ad Fontes Fœ-
minarum*. Hæc in eo folio. Sed & alterum præſtò fuit, quo ſingularum
eiuſmodi Eccleſiarum interpretatio continebatur, & è quo duarum ego
item hoc loco depromam. Prima verò ſit hæc: *Eccleſia Sancti Ioannis ad
Fontes, quæ ſituata erat in anteriori angulo Eccleſiæ Maioris verſùs Meridiem,
in qua aderat Sacrum Maſculorum Baptiſterium, & inſtruebantur ibi in Fide
Chriſti, poſtea baptizabantur. Ioannes enim ſonat* LVCIFER. *Nam demon-
ſtrando cum indice Chriſtum tulit lucem, à quo in Iordane fuit baptizatus. Vo-
catur etiam Angelus, iuxta illud: Maior Prophetis, & minor Angelis &c. Item:* B
*Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante te. Et ob hoc poni-
tur ante faciem Eccleſiæ à Meridie; ſicuti Gabriel ab Aquilone. De hoc vltra
Scripturas, quòd ibi fuerit hæc Eccleſia, adhuc extat Parochia ab ea parte: quæ
vnita fuit Eccleſiæ Sanctæ Theclæ noſtris temporibus. Item extant ædificia Pa-
rochialia: in qua inſtruebantur adulti: Quæ licet ſint Curiæ Ducali inſerta; ta-
men Fabrica* (Baſilicæ nimirùm Metropolitanæ) *percipit emolumenta, ex
quibus Capitulum recompenſat*. Accipe nunc alterius Eccleſiæ interpreta-
tionem, quam pollicebar, & his conceptam verbis: *Eccleſia Sancti Ste-
phani ad Fontes, quæ ſituata erat in angulo poſteriori Eccleſiæ Maioris verſùs
Aquilonem: & vſque in hodiernum diem Aedes, ab ea parte ſituata, nominatur
Parochia Sancti Stephani ad Fontes: & in qua Moniales reſidebant, prout etiam* C
in Beroldo legitur (iis nempè verbis, quæ inter initia Numeri præſentis ego
quoque recitabam) *ibiquè aderat Baptiſterium Puellarum, quæ pro honeſtate à
Sanctimonialibus in Chriſti Fide inſtruebantur, poſtea baptizabantur. Et in
Sancti Stephani honorem dedicata fuit; prò eo quòd in Apoſtolorum Actis Cap. 6.
legitur; quòd iſte Sanctus Stephanus ab Apoſtolis deputatus fuit ad viduarum
puellarumquè curam; & Angelis æquiparatur, prout Diuus noſter Ambroſius in
ſuo Hymno cecinit: Vultum gerens Angelicum. Stephanus autem interpretatur
Corona; & ideò puellæ, in Fide Chriſti ibi inſtructæ & baptizatæ, coronabantur
vt Reginæ. Quòd autem ibi fuerit hæc Eccleſia, adhuc extat Parochia ſua ab
eo latere. De Monialibus translatæ fuerunt in Sancta Radegunda. Ratio eſt;
quia dant mantilia ad Fontes, quæ ab eis dabantur Archiepiſcopo, Ordinariis, &* D
*Cuſtodibus. Idem faciunt Moniales Monaſterii Maioris: in quo pars ipſarum col-
locata fuerunt, deſtructo ipſo Monaſterio Sancti Stephani*. Hactenùs ex altero
eo folio ad noſtrum inſtitutum. Certè autem Maioris eius Monaſterii
Moniales in præſentem vſque diem quotannis Archiepiſcopo in Vigiliis
Pentecoſtes ſenos manutergiorum ſiue mantilium cubitos perſoluunt, ac
præterea trium cum dimidia librarum Imperialium pecuniam numera-
tam: viciſſimquè Archiepiſcopus pridie Dominicæ Palmarum & Oli-
uarum ad ipſas mittit per Abbatiſſa palmam, pro reliquis autem Monia-
libus oliuarum ramos.

XIV. Prima feſtiuitas ad Baſilicam celebrata Ambroſianam, ſicut ex huius

Operis Capite 41. conſtat, Translatio fuit Sanctorum Protaſii ac Geruaſii Martyrum. Quemadmodùm igitur ipſemet Ambroſius eam primus inſtituit; quid, ſi etiam talem, maiori ſaltem ex parte, inſtituit, qualem per hæc Beroldi tempora videbimus? quid, ſi etiam reliquis in Ambroſiana Sede Succeſſoribus exemplar extitit aliarum eiuſmodi feſtiuitatum, quæ deinceps celebrandæ forent? Vtcumque tamen iſta ſe habeant, Beroldus profectò eam ipſam Martyrum feſtiuitatem ſic à Vigiliis recenſet: *In Vigiliis Sanctorum Protaſii & Geruaſii Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, & Magiſter Scholarum, & duo Lectores, & quatuor Cuſtodes, omnes iſti hebdomadarij, & Primicerius Lectorum, & Primicerius Notariorum, & illi Notarii qui cantant & legunt ad Pſalmos & ad Vigiliam: & Lectores qui cantant Reſponſorium ad Pſalmos & ad Vigiliam; omnes debent prandere in Domo Archiepiſcopi. Et ſimiliter in Sancti Petri, & Sancti Nazarii, & Sancti Laurentij, & Sancti Ambroſii Ordinatione, in Vigiliis.* Præſcribitur ſubinde Miſſa: *Ad Miſſam Ingreſſa: Stabunt iuſti. Canticum: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Offertorium: Gloriabuntur. Confractorium: Ego vos elegi. Tranſitorium: Laudate Deum.* Dehinc Veſperæ indicantur: *Lucernarium: Signatum eſt. Verſus: Dediſti lætitiam. Antiphona in Choro: Iuſti epulentur. Hymnus: Grates tibi Ieſu nouas &c. Reſponſorium cum Infantibus: Hi ſunt, qui ſequuti ſunt Domini mei Ieſu Chriſti veſtigia &c. Verſus: Ecce quàm bonum &c. Antiphona: Plantati in Domo Domini, in atriis Dei noſtri florebunt. Verſus: Bonum eſt confiteri. Oratio: Martyrum tuorum, Domine, Protaſii & Geruaſii, natalitia præeuntes &c. Antiphona: Ecce quàm bonum eſt, fratres habitare in vnum vſque in ſæculum. Verſus: Sicut vnguentum. Oratio: Concede, quæſumus, Domine Populo veniam peccatorum &c. In Magnificat: Dico autem vobis, amicis meis, ne timeatis ab his, qui occidunt corpus. Oratio: Sanctorum Martyrum tuorum nos, Domine, Protaſii & Geruaſii confeſſio beata communiat &c.* Abſolutis Veſperis, proceditur ad Eccleſiam Sancti Vitalis. *Pſallentium vſque ad Sanctum Vitalem: & hic finitur Veſperum: Iuſti & Sancti in Domino gaudete. Oratio: Adeſte Domine ſupplicationibus noſtris, quas in Beatiſſimorum Martyrum tuorum Protaſij & Geruaſij commemoratione deferimus &c. Ad Vigiliam Reſponſorium Archidiaconi: Hæc eſt vera fraternitas, quæ numquàm potuit violari certamine &c. Verſus: Hi ſunt, qui monita mea ſequuti ſunt &c. Antiphona: Plantati in Domo Domini. Verſus: Bonum eſt confiteri. Oratio: Præſta, quæſumus, Omnipotens Deus, vt nos geminata lætitia hodiernæ feſtiuitatis excipiat &c. Reſponſorium Subdiaconi: Iſti ſunt Sancti Martyres. Verſus: Sancti omnes per fidem. Antiphona: Ecce quàm bonum eſt. Verſus: Sicut vnguentum. Reſponſorium Notariorum: Iſti ſunt triumphatores. Verſus: Iſti ſunt, qui lauerunt. Antiphona: Dico autem vobis. Verſus: Beati omnes. Pſallenda: Iuſtorum animæ. Secunda: Clamauerunt iuſti. Tertia: Oculi Domini. Quarta: Sanctis, qui in terra. Poſt Kyrie eleiſon cum Gloria: Gaudete & exultate. Ad Sanctum Vitalem Litaniæ: Domine miſerere. Oratione dicta, ſequitur Pſallentium ad Sanctum Naborem* (hanc ſiquidem ad Eccle-

ſiam

ſiam illicò procedebatur ab Eccleſia Sancti Vitalis) *Facti ſunt Domine. Secunda: Gaudete gaudio. Poſt Kyrie eleiſon: Ecce dedi poteſtatem. Reſponſorium Lectorum: Vidi Sanctos congregatos. Verſus: Sub vmbra Domini. Antiphona: Vos eſtis amici mei. Verſus: Gaudete iuſti. Reſponſorium Notariorum: Coronam gloriæ. Verſus: Induit Sanctos. Antiphona: Fratres mei & amici. Verſus: Beata gens. Reſponſorium Lectorum: Exultabunt Sancti. Verſus: Cantate Domino. Antiphona: Vos amici mei. Verſus: Credidi, propter quod. Pſallenda vſque ad Sanctum Ambroſium: Sanctus Ambroſius dixit. Secunda: Vos eſtis Ciues. Tertia: Hi ſunt. Poſt Kyrie eleiſon cum Gloria: Ecce quàm bonum eſt.* In hunc igitur modum Vigiliæ horum Martyrum abſoluebantur. A B

XV. Officium ſequitur ſubſequentis diei. *Ad Matutinum: Reſponſorium poſt Hymnum: Iuſtorum animæ in manu. Verſus: Etſi coram. Reſponſorium inter Lectiones: Vidi Sanctos. Verſus: Sub vmbra Domini. Reſponſorium: Exultabunt Sancti. Verſus: Cantate Domino. In Benedictus: Gaudete Sancti ante. In Benedicite: Plantati in domo. In Laudate: Ecce quàm bonum eſt. Capitulum: Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Pſallenda: Sanctus Ambroſius dixit.* Subinde verò Beroldus ita proſequitur: *Mane, ſonito ſigno, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, & ille qui portat Crucem auream, & ille, qui fert Textum Euangelij, & ille qui portat Scuticam Sancti Ambroſij, veſtiti cum Pluuialibus, procedunt ad Sanctum Protaſium ad Monachos, deinde ad Sanctum Naborem, poſtremò ad Sanctum Ambroſium. Pſallentium: Iuſtorum animæ. Verſus: Gaudete iuſti. Secunda: Clamauerunt iuſti. Tertia: Oculi Domini. Quarta: Sanctis, qui in terra ſunt. Poſt Kyrie eleiſon cum Gloria: Gaudete & exultate.* Tum rurſus Beroldus: *Presbyter Obſeruator debet cantaſſe Miſſam vſque ad Halleluiah, Et ſtatim, cum Proceſſio in Chorum venerit, Puer Magiſtri Scholarum incipit: Halleluiah: Depoſuiſti. Et Diaconus Obſeruator legit Euangelium, Subdiacono Obſeruatore præcedente eum, & Cicendelario Obſeruatore præbente incenſum, & candelabrum accenſum. Sequitur Antiphona prima ab Eccleſia Sancti Protaſij ad Monachos vſquè ad Sanctum Naborem: Facti ſunt, Domine: Secunda: Quis in nubibus. Tertia: Sancti tui, Domine, magnificant. Quarta: Sancti tui, Domine Angelorum. Quinta: Sanctorum memoriam. Sexta: Fratres mei. Septima: Dico autem vobis. Octaua: Vos amici mei. Nona: Gaudete Sancti. Foris muros poſt Kyrie eleiſon: Quanta virtus eſt. Secunda: Gaudete gaudio. Tertia: Ad honorem Sanctorum. Quarta: Beati qui in toto. Quinta: Tradiderunt Sancti. Sexta: Beati pacifici. Septima: Amen dico vobis. Octaua: Congregamini omnes. Nona: Iſti ſunt, qui confeſſi. Decima: Veſtri capilli capitis. Vndecima: Sanguis Sanctorum Martyrum. Poſt Kyrie eleiſon cum Gloria: Ecce dedi poteſtatem.* Suas ad Rubricas reuertitur Beroldus in hæc verba: *Hic Presbyter Obſeruator ſecundus debet incæpiſſe Miſſam vſque ad Halleluiah. Et ſtatim, poſtquàm Proceſſio peruenerit in Chorum, Puer Magiſtri Scholarum canit Halleluiah in pulpito: Et ſecundus Obſeruator Diaconus canit Euangelium, præcedente eum ſecundo Subdiacono Obſeruatore. Finito Euangelio, Archiepiſcopus,* C D

veſtitus

veſtitus ſicut ad canendam Miſſam, cum ſuis Presbyteris Cardinalibus, cum A
quatuor Magiſtris Scholarum, indutis Pluuialibus, & cum Primicerio Lectorum:
& ille qui portat Crucem auream, & Textum Euangelij, & qui fert Flagellum
Sancti Ambroſij, ſimiliter. Sequitur Pſallentium ab Eccleſia Sancti Naboris
vſque ad Sanctum Ambroſium: Sanctus Ambroſius dixit: Gratias tibi, Do-
mine Ieſu &c. Antiphona: Vos eſtis Ciues Sanctorum &c. Antiphona: Hi
ſunt, qui ſequuti ſunt &c. Poſt Kyrie eleiſon cum Gloria: Ecce quàm bonum
& quàm iucundum habitare fratres in vnum. Et hinc progredimur ad
Miſſam. *Ingreſſa: Bonos medicos habentes; Patriæ noſtræ gaudete fratres,*
Beatum Protaſium & Geruaſium Martyres Domini, & Ambroſium: qui ſuis
ſanctis interceſſionibus à malis omnibus liberauerunt nos. Finita Ingreſſa, &
Paſſione (videlicet horum Martyrum) *incœpta, Archiepiſcopus aſcendit in* B
Tribunal ad ſtadium: & Cimiliarcha Eccleſiæ repræſentat duos cereos Rotulario
cum vna candela accenſa, quos porrigit Archiepiſcopo. Qui cùm eos accendit,
Rotularius tenet candelam ſuccenſam, & Cimiliarcha tenet papyrum: & illis
accenſis, Archidiaconus tollit eos de manibus Archiepiſcopi, & Cimiliarcha de ma-
nibus Archidiaconi, ponens illos poſt Altare, vt in Miſſa ardeant. Et candelas
vnde accenſi ſunt, ſemper remanet Rotulario. Sequitur Pſallenda: Ecce quàm
bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Verſus: Sicut vn-
guentum in capite, quod deſcendit in barbam, in barbam Aaron. Ad Epiſto-
lam Diaconus: Cùm eſſetis mortui. Verſus in Halleluiah Diaconi: Plantati in
domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri florebunt. Secundum Lucam Archi-
diaconus: Attendite à fermento Phariſæorum. Poſt Euangelium: Vos eſtis va- C
ſa ſancta Domino, auro fulgentes ante Dominum; quia ſponte obtuliſtis Domi-
no Deo animas veſtras in æternum, & in ſæculum ſæculi. Offertorium: Gloria-
buntur. Halleluiah. Quoniam ad te orabo, Deus. Confractorium: Signa eos,
qui in me credent, hæc ſequentur: Dæmonia eijcient, ſuper ægros manus impo-
nent, & benè habebunt. Tranſitorium: Iſti ſunt, qui propter ſacrum. Et ita
quidem Miſſa etiam concluditur, nec ſine multorum poſtea prandio in
Domo Archiepiſcopi. Quamobrem Beroldus quoque celebritatem hanc
in hunc modum concludit: *Finita Miſſa, omnes Presbyteri & Diaconi Cardi-*
nales, & Subdiaconi, & quatuor Magiſtri Scholarum, & Primicerius Lectorum,
& Primicerius Notariorum, & omnes Notarij, & ſexdecim Lectores, & ſexdecim
Cuſtodes, & duo Pueri qui cantant Pſalmos, omnes debent prandere in Domo D
Archiepiſcopi. Similiter in Feſto Sancti Laurentij, & in Dedicatione Eccleſiæ,
in Ordinatione Sancti Ambroſij, & in Sancti Stephani, & in Depoſitione
Sancti Ambroſij. Et nemo iſtorum ducit ſecum Clericum ſuum.

XVI. Sed ne illud quidem nobis hoc loco prætereundum eſt, quod in primam Octobris Dominicam recenſet his Beroldus verbis: *Mane, ſonito ſigno, omnes Maioris Ordinis vadunt ad Sanctum Ambroſium ſine Proceſſione. Oſtiarius Hebdomadarius cum Cruce aurea, & Obſeruator cum Cruce argentea, & vnus Minorum Cuſtodum portat Pluuiale, & Presbyter indutus. Diaconus Hebdomadarius incipit ibi Pſallentium vſque in Eccleſiam Æſtiuam.* Et paulò pòſt: *Et Obſeruatores faciunt Miſſam in Eccleſia Æſtiua de Dominica. Finito Euangelio,*

Euangelio, Hebdomadarij vadunt in Eccleſiam Hyemalem. A

XVII. Talia ſunt, quæ, cùm nulli certo adſcripta eſſent Annorum numero, cumquè ad Baſilicam propriè ac Monaſterium Ambroſianum præcipuè pertinerent, hoc nobis loco Annoquè præſentis Sæculi vigeſimotertio commemorari placuit, quo circiter Anno per Beroldum conſcribebantur. His autem tria inſuper alia commixta ſunt, quæ peculiarem à nobis obſeruationem requirunt. Primum eſt, quid item in feſtiuitate Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon etiam Sancti Nazarij, ad Baſilicam ipſam Nazarianam, & in Archiepiſcopali Domo ſeruaretur. Secundum eſt Sancti Ambroſij Scutica & Flagellum, quod in ſolemnibus per hæc tempora Proceſsionibus tam decorè geſtari videbamus ſolitum à Magiſtro Scholæ Sancti Ambroſij, hoc eſt, à Veglonum & Veglonisſarum Primario: & hunc quidem locum Lectori noſtro innuebamus Capite 54. cùm de ſymbolo iſto diſſereremus. Tertium eſt, quod in præcipuis feſtiuitatibus Archiepiſcopus noſter multos è ſuis adminiſtris prandio exciperet. Atque hic quidem nos quoquè pluſculùm immoremur, obſecro, perinde fermè, ac ſi pariter inuitatos eidem nos menſæ aſsidere oporteret. B

XVIII. Neque verò ſum neſcius fore; vt eiuſmodi ritus hodiernis fortaſsè cenſoribus videatur indecorus, leuis, ac ridiculus. Sed ego delicata eorum faſtidia nihil moror: Maioribuſquè potiùs noſtris applaudo, quibus idipſum ex aduerſo plenum ſinceræ in Domino charitatis, quinetiam opportunum ad alacriores hilarioreſquè Dei laudes incitamentum videbatur. Quamobrem, qua die Canonicis Ordinarijs prandendum eſſet cum Archiepiſcopo, idipſum in Matutino eius diei Officio, paulò poſt initium, ſiue poſt primum hymnum, *Aeterne rerum Conditor &c.* & poſt immediatum eius Reſponſorium, alta voce omnibus in Choro adſtantibus prænunciabatur. Beroldum ipſum audiamus, in Opuſculo De cuiuſque Miniſtri officio expreſsè his verbis atteſtantem: *In omnibus illis feſtis, vel ſolemnitatibus, in quibus Ordinarij comedunt in Domo cum Archiepiſcopo, quando incipitur Benedictus es Domine, Deus patrum noſtrorum &c. tunc Primicerius Lectorum ex præcepto Archiepiſcopi, vel ſui Legati, inuitat eos, qui comeſuri ſunt cum Archiepiſcopo, dicendo: Reficite cum Domino.* C D

Quàm multi verò forent eiuſmodi feſti ſolemneſquè dies; vel ex ijs colligi poteſt, quos Beroldo teſte nos adhuc recenſuimus. Sed & alij prætereà fuere multi: è quibus in præſenti ſolam commemorare lubet Feriam quintam in Cœna Domini. Sic enim Beroldus poſt eius diei Veſperas tradit: *Et ſic Veſperum compleatur: & Pontifex vadat in Sacrarium. Ibi præcipiat Subdiaconibus, vt diligenter cuſtodiant Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini. Similiter autem præcipiat duobus Notarijs, vt Chriſma & Oleum cum magna cautela diſtribuant. His ritè peractis Presbyteri omnes, & Diaconi, & Subdiaconi, & Primicerius Lectorum, & Magiſter Scholarum, cum duobus Lectoribus Hebdomadarijs, & cum illo qui cantauit Tamquam ad latronem, vadunt in Domum Archiepiſcopi, ad reficiendum cum magno honore:*

Expleto

Expleto conuiuio Subdiaconi pergunt in Eccleſiam Aeſtiuam, ad lauandum Chorum: & honorificè debent habere vinum ab Archiepiſcopo. Interea verò Archiepiſcopus lauat Presbyteris & Diaconibus, & Primicerio Lectorum, & Magiſtro Scholarum, cum magna reuerentia ſingulis ſingulos pedes, hiſdem canentibus hanc Antiphonam, Poſtquàm reſurrexit Dominus à Cœna. Poſt hæc ſubdit Beroldus Orationem, ab Archiepiſcopo ſuccinendam, & ita demùm concludit: *His finitis, pro charitate cum eis bibit Archiepiſcopus: & dat Presbyteris & Diaconibus duodenos denarios, Primicerio Lectorum & Magiſtro Scholarum totidem denarios.* A

CAPVT LXXXXIX.

Curioſa digreſſio ad Inuentionem Sanctæ Crucis, per hæc Beroldi tempora Mediolani celebratam. B

I. PRoximo Capite nobis è Beroldo actum eſt iis de rebus, quæ vel ad ipſummet Beroldum eiuſquè Codicem, vel ad Baſilicam præſertim ac Monaſterium pertinerent Ambroſianum, vel etiam quas inquirendi nobis occaſionem dediſſet earumdem rerum narratio. Nunc à pio ac beneuolo Lectore facultatem nobis hanc poſtulamus, vt ad gloriam triumphalis Dominicæ Crucis, quæ nos à cunctis eruat malis (quemadmodum inter Matutini etiam Officii Lectiones comprecamur) narrationem hanc quoque ſuperaddi placeat de Crucis eiuſdem Inuentione; ſicut etiam de ipſius Exaltatione nonnihil iam diximus Capite 82. C

II. Sic igitur Beroldus per hæc tempora ſcribebat: *In Inuentione Sanctæ Crucis Obſeruator Cicendelarius portat Crucem auream gemmatam, volutam manutergio, ad Sanctam Mariam ad Circulum, vbi feſtum celebratur: & ibi ponit ante Altare ſuper quodlibet ſtadium. Et ſtatim Presbyter oſculatur eum, qui cantaturus eſt Miſſam, quando accedit: deinde cæteri ſimiliter. Et ipſemet Cuſtos portat eandem Crucem ad Sanctum Petrum in Vinea cum Subdiacono Obſeruatore. Et ibi Subdiaconus expoliat ſe cappa: & exutus, Camiſio tantùm indutus, portat Crucem honorificè vſque ad Maius Monaſterium, tintinnabulis eius ſemper ſonantibus.*

III. Cur autem ad hoc Monaſterium illa tandem iam honorificè deferretur: ego quidem non aliam exiſtimo fuiſſe cauſam; niſi quia in eius Eccleſia, binarum illarum capite ac matrice, multò celebriùs perageretur hæc ipſa Crucis inuentæ feſtiuitas. Inde Beroldus in Martyrologio, ad quintum Nonas Maii, ſic tradebat; *Inuentio Sanctæ Crucis. Ad Maius Monaſterium.* Quia nimirùm inter alias Vrbis Eccleſias ibi præſertim, & apparatu pompaquè ſolemniore, celebraretur. D

IV. Talia ſcilicet erant apud Maiores noſtros primordia ſolemniſsimæ illius Proceſsionis, quæ nunc circumlato per Vrbem Chriſti crucifixi Clauo, in equeſtre frœnum aliàs efformato, celebratur. Cæterùm hæc ipſa

feſtiuitas

ſeſtiuitas tunc etiam Veſperis Matutino & Miſſa ſolemnibus (quæ hic à A
Beroldo indicantur) per vniuerſas Mediolani Eccleſias celebrabatur; ſed
peculiariter tamen ac tamquàm propria feſtiuitas in Eccleſia Monaſterij
Maioris , ac Sanctæ Mariæ (ſicut etiam hodie vulgus loquitur) AD
CIRCVLVM; ſed emendatiùs AD CIRCVM diceretur . Inde verò
prædictum in modum procedebatur ad Eccleſiam Sancti Petri IN
VINEA., dehinc ad Monaſterium Maius , hanc , opinor , ob cauſam;
quia , ſicut è publicis eiuſdem Monaſterij Documentis nuper comperi,
ambæ iſtæ Eccleſiæ olim erant ipſi ſubiectæ; tametſi ſola nunc Eccleſia
Sanctæ Mariæ ſubiecta perſeueret; eiuſquè propterea Rector & Parochus
hodiequè à Monialibus ipſis eligatur. Sed ſatis hactenùs cum Beroldo,
& circiter Annum Chriſti vigeſimum-tertium ſupra Milleſimum centeſi- B
mum : è quo quidem Anno tam in præteritos quàm in futuros proſpi-
cere poſsimus .

CAPVT C.

De Arca & Idæa, ad quas ſolemniter geſtandas quotannis conuenirent etiam Decumani Officiales Baſilicarum Ambroſianæ ac Nazarianæ.

I. EQuidem Beroldo iam tandem in reliquum Diſſertationis C
huius valedixiſſe me putabam, quando me ſubitò ad illum
reuocarunt Ambroſianæ ac Nazarianæ Baſilicarum Decu-
mani, mentionem à me non importunè hoc item loco ac
tempore flagitantes Arcæ pariter ac Idææ, ad quas ſolem-
niter geſtandas ipſi etiam quotannis conuenire ſtatis temporibus ſole-
rent; quemadmodùm ego ipſe in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis
iam probaui Numero 590.

II. Arca verò illa ſimile quiddam erat Iſraeliticæ Teſtamenti Veteris Arcæ:
atque illam in Paſchate Reſurrectionis Dominicæ ſolemniter ab Eccleſia
Hyemali transferebant ad Aeſtiuam, indequè poſtmodùm ad Hyemalem
tertia Octobris Dominica referebant . Quibus quidem Eccleſiis vnica D
tantùm platea interiacebat, ſicut aliàs diſtinctiùs nos explicabimus. Aeſ-
tiua Martyri Theclæ ſacra erat, & æſtiuo præſertim tempore ac ritu
diuina illic miniſteria peragebantur à Clero Metropolitano; ſicut etiam
hyemali præſertim tempore ac ritu peragebantur in altera, quæ Deipa-
ræ Virgini Mariæ ſacra erat, & Hyemalis vocitabatur. Situm Aeſtiuæ,
qui nobis duplex fuiſſe diuerſis temporibus videtur, alio tempore indi-
cabimus: ſatiſquè ſit in præſenti ea reminiſci, quæ Num. 230. in Am-
broſianæ Baſilicæ Monumentis è Triſtano Chalco recitabamus. Hye-
malis profectò partem occupabat potiorem illius areæ, quam nunc vaſ-
tiſsima & admiranda Templi Metropolitani moles obtinet, à Ioanne

Galeacio, Mediolani Duce Primo, primùm inchoata circiter Annum Domini octuageſimum-ſeptimum ſupra Milleſimum trecenteſimum. Huius autem Arcæ mentionem fecerunt etiam Gualuaneus Flamma in Chronico Maiori, Cap. 130. & in Manipulo Florum Cap. 49. Catalogus Archiepiſcoporum noſtrorum cum Annotationibus Fontanæ, in Euſebio, Archiepiſcopo xx. Donatus Boſsius in Chronico ad Annum 461. Gualuanei verba eo Cap. 130. ſunt huiuſmodi: *Quia Athila, tyrannus peſsimus, in Eccleſijs, in contemptum Dei & Sancti Ambroſij, equos & animalia ſtabulauerat; cunctis eiectis ſpurcitijs* (Beatus Euſebius Archiepiſcopus) *omnes Eccleſias euacuauit, ſiue mundauit, & feſtum Enceniationis ſiue Dedicationis inſtituit fieri in Dominica tertia Octobris; & Arcam de Aeſtiuali Eccleſia ad Hyemalem deportari fecit.* Qua de re vberiùs etiam ſcripturum ſpero me in Laurentianæ Baſilicæ noſtræ Monumentis. A B

III. Idæa porrò non aliud erat, quàm Beatiſsimæ Virginis Imago: quam geſtatorio veluti tabulato (ſcalam nominare conſueuerunt) ſuperpoſitam erectamquè duo hinc inde Miniſtri ſuppoſitis ambobus humeris in Purificatione ipſius Deiparæ, ſecunda videlicet Februarii die, ferebant ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ BELTRADIS, indequè protinùs pompa ſolemni referebant ad Hyemalem. Sanctæ Mariæ BELTRADIS Eccleſia extat adhuc: biniquè illic Parochi curam exercent animarum. Sic autem cognominata fuit è Comite Beltrado, à quo circiter Annum Domini 836. conſtructa; vt affirmat Auctor Chronici *Flos florum*, fol. 114. pag. 1. in Angiberto Archiepiſcopo noſtro, nominis huius Secundo. C Verba ipſius, è quibus etymologiam quoque aliarum trium Eccleſiarum dignoſcere poterimus, hæc ſunt: *Comes Pedonus fecit fieri Eccleſiam Sanctæ Mariæ Pedonum: & Comes Folcorinus fecit fieri Eccleſiam Sanctæ Mariæ ad Folcorinum: eorum* (quippe Fratrum) *ancilla, dicta Secrea, conſtruxit Eccleſiam Sanctæ Mariæ ad Secream* (quam nos hodie *Secretam* vocamus) *& Comes Beltradus conſtruxit Eccleſiam Sanctæ Mariæ Beltradis*: de qua nobis præſens eſt ſermo. Ad perpetuam verò celebritatis illius memoriam viſitur adhuc in ipſius Eccleſiæ fronte conſitus parieti quadratus lapis, in quo eadem Imaginis geſtatio, à mitrato Præſule aliiſquè comitata, cernitur exciſa perantiquo pariter ac rudi ſcalpro: &, ne quiſquam dubitaret, ſubter ipſam Virginis Effigiem prægrandi charactere ſcalpſerunt etiam dictionem IDEA. D

IV. Placet autem omnia hæc è Manualis ſiue Pontificalis Ambroſiani Rubricis, per Beroldum noſtrum collectis, in animum ac memoriam reuocare, quinetiam velut ob oculos proponere. Beroldus igitur de Arca, quæ nobis iamdudùm in deſuetudinem abiit, ſic ſcribebat in diem Sanctum Paſchatis poſt Matutinum: *Sonito ſigno* (ſcilicet è Campanaria Turri) *& Tertia cantata, Presbyter Obſeruator canit Miſſam in Eccleſia Hyemali cum Diacono & Subdiacono Obſeruatore. Sed finito Euangelio, congregato Clero in eadem Eccleſia, Archiepiſcopus, indutus ſacris veſtibus, ſicut ad Miſſam celebrandam, cum Diaconibus & Subdiaconibus cum thuribulis & candelabris*

labris accenſis, & Presbyteris Cardinalibus cum pluuialibus, & cum Primicerio A
Lectorum indutus (ecce tibi, Lector, nominatiuus caſus pro ablatiuo, *indutus* pro *induto*: qua in re poſtmodùm etiam multoties erratum videbis) *pluuiali cum Tabulis eburneis & Colurna, & cum quatuor Magiſtris Scholarum, & Cuſtodibus portantes Crucem auream & Textum Euangeliorum, omnes induti pluuialibus: & cum Primicerio Presbyterorum indutus planeta: & cum Magiſtro Scholæ Sancti Ambroſij indutus pluuiali, & Flagello, & Ferula: omnes iſti præcedunt Arcam Teſtamenti, in qua ſunt libri Veteris Teſtamenti & Noui: quam coopertam pallio portant duodecim Sacerdotes Centeni Ordinis, induti tantum camiſio & ſtola. Ante quam etiam & iuxta Primicerius Presbyterorum fert thuribulum accenſum cum incenſo. Et in capitibus cuius Arcæ duo Lectores portant duas Cruces. Et hoc ordine procedunt ad Eccleſiam Aeſtiuam:* B
& ibi in Choro Archiepiſcopus cum Clero, cum magna reuerentia inclinato capite, tranſit ſubtùs Arcam. Sic igitur illam relinquebant in Eccleſia Aeſtiua vſque ad tertiam Octobris Dominicam, in qua Dedicatio Maioris Eccleſiæ celebrari ſolebat, ſicut etiamnùm ſolet.

V. Quamobrem Beroldus pariter in Rubricis ad eam Dominicam ſic tradebat: *Mane, ſonito ſigno, congregato Clero in Eccleſia Aeſtiua, Obſeruator Presbyter cum Diacono & Subdiacono canunt Miſſam*. Et pauló pòſt: *Finito Euangelio, Archiepiſcopus indutus ſacris veſtibus, cum Diacono & Subdiacono, quaſi ad Miſſam canendam, & Presbyteris Cardinalibus, & Primicerio Lectorum, & illo qui fert Crucem auream, & illo qui portat Textum Euangelij, & Scuticam Sancti Ambroſij: omnes iſti induti pluuialibus: necnon & Primicerio* C
Presbyterorum, indutus planeta, habente thuribulum accenſum cum incenſo: præcedunt Arcam vſque ad Eccleſiam Hyemalem: & duodecim Presbyteri Centeni Ordinis portant Arcam, induti camiſio & ſtola: & duo Minores Lectores cum ſingulis Crucibus iuxta capita ipſius Arcæ. Subinde autem indicando proſequitur nouem Pſallendas, quæ inter eundum concinendæ erant: ac deinde Miſſam, in Eccleſia Hyemali celebrandam.

VI. Quemadmodùm verò ſuis Adminiſtris Archiepiſcopus noſter aliquando, & in præcipuis maximè ſolemnitatibus, conuenienter ad earum myſteria, ſolebat, in mutuæ charitatis ac lætitiæ ſignum, donaria quædam tradere, vel etiam eos prandio excipere (qua de re iam egimus ſupra) ſic etiam, oblata mihi ſolemnitatis huius occaſione, facere non poſſum, D
quin curioſis veterum Eccleſiæ noſtræ rituum inueſtigatoribus ritum quoque hunc rursùs proponam, & è noſtro pariter Beroldo. Ille ſiquidem, poſt enarratam translationem Arcæ ad Eccleſiam Aeſtiuam, protinùs Miſſam deinde in Hyemali canendam explicare exorſus, & ad Offertorium progreſſus, hanc interſerit Rubricam: *Offerenda incœpta, Cicendelarius hebdomadarius porrigit panem azimum Subdiacono hebdomadario, receptum de manibus Archiepiſcopi, vel Camera eius: & ille dat quatuor Archipresbytero, & quatuor Archidiacono: Presbyteris & Diaconibus binos per vnumquemque: & Primicerio Decumanorum, & Notariorum, & Lectorum, & Subdiaconorum, & Magiſtris Scholarum, binos. Et, quando dat, dicit*

omnibus per vnumquemque, CHRISTVS DOMINVS RESVRREXIT: *&* A
reſpondent, DEO GRATIAS, *& oſculatur illum, & panem. Similiter dat quatuor Clauicularijs, & duobus Lectoribus, qui portant Cruces in capitibus Arcæ: omnibus Subdiaconibus, & tribus Cicendelarijs, ſingulos ſingulis; ſed hebdomadario Subdiacono & Cicendelario binos per vnumquemque.* Ac deinde talia ſubtexit: *Finita Miſſa, Vicecomes cum ſuis ſeruitoribus, & Primicerius Subdiaconorum, & Subdiaconus hebdomadarius, & Primicerius Lectorum, & Primicerius Notariorum, & quatuor Magiſtri Scholarum, & Pueri qui cantant Pſalterium, & hebdomadarius Lector cum alio quouis Lectore, & Cicendelarius, & Oſtiarius hebdomadarii, & ille qui portauit Textum Euangelij, omnes debent reſici in Domo Epiſcopi.*

VII. Sic etiam rursus poſtmodum matutina miniſteria in Dedicatione Maioris Eccleſiæ hac denique Rubrica concluſit: *Finita Miſſa, omnes chorus Maioris Ordinis honorificè debent reſicere in Domo cum Archiepiſcopo, excepta Sancti Ambroſij Schola.* Hactenus ex occaſione Arcæ, cuius geſtationem Decumanis vſitatam fuiſſe conſtat. B

VIII. Sed ne prætermittenda quidem mihi eſt eiuſdem Arcæ mentio illa, quæ deinde in eiuſdem Beroldi habetur Opuſculo, inſcripto *Ordo Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, qualiter vnicuique ſit agendum iuxta officium ſuum*. Titulo enim *De communibus Veſperis, exceptis feſtiuis*, hæc leguntur: *Antequàm tertia* (ſiue tertium Veſperarum ſignum) *ſonetur, Cicendelarius hebdomadarius accendit candelabra in Secretario: & vnus duorum Maiorum Cuſtodum hebdomadariorum ſemper veſtit Subdiaconum: & porrigit pluuiale Subdiacono; & Subdiaconus induit ex eo Presbyterum: & ipſe Subdiaconus vadit in Eccleſiam ad Arcam, quæ ibi poſita eſt, & percutit eam cum manu: in qua Libri Veteris Teſtamenti & Noui poſiti ſunt cum Tabulis eburneis. Per quem ſonum productus Cuſtos pulſat tintinnabulum in Choro, & Oſtiarius hebdomadarius cum Obſeruatoribus ſonant in campanili.* C

IX. Sic igitur hinc etiam dignoſcimus, quemadmodum in Arca conſeruari ſolerent eburneæ illæ Tabulæ, quas vnà cum Columna Primicerius Lectorum pluuiali paludatus, ſeparatim geſtabat in ſolemni Arcæ tranſlatione ab Eccleſia Hyemali ad Aeſtiuam. Certè autem Tabulæ illæ conſeruentur adhuc in Baſilicæ Metropolitanæ Sacrario: & quatuor ſunt numero, & argenteis circùm laminis ornatæ: iiſdemque ab vna parte, D quæ ſcilicet inter geſtandum conſpicua erat Populo, affabrè inciſa cernuntur præcipua Vitæ Chriſti myſteria. Binæ tamen earum recentiores ſunt, & aliquantò profectiùs elaboratæ. Quod ego factum interpretor; quia duæ tantùm ſolerent in Proceſsione deferri; ac proceſſu temporis in locum vetuſtiorum ſubſtitutæ fuerint recentiores. Singulæ verò magnitudine ſunt inter ſe pares: ac ſicuti latitudinis ſunt fermè palmaris, ita ſunt longitudinis ad minus duplo maioris.

X. Quidnam porrò Columna illa eſſet (ſiue illam corno, ſiue corylo, aut alia ex arbore opinemur factam) ego quidem adhuc inuenire non potui; ſicut etiam neque, quid ſint *columna virgulta intùs cùm folijs*, quæ alibi

Vide Du Cange in v. Columna

video

video portari olim ſolitã ſimul cum eiuſmodi Tabulis. Etenim Sabbato A
in Traditione Symboli, fol. 166. pag. 2. ſic ab eodem Beroldo ſcriptum inuenio: *Deinde Archiepiſcopus vadit in Secretarium ad ſe præparandum, necnon Primicerius cum Lectoribus induunt ſe planetis: & veniunt tollere licentiam ab Archiepiſcopo ad aperiendas ianuas pueris* (qui nempè baptizandi erant.) *Et pergendo orant in tribus locis: ſemel in Choro, deinde iuxta gradum, tertiò iuxta regias* (hoc eſt, ianuas) *Et tunc aperiunt valuas pueris, & dicunt: Ingredimini filij in Domum Domini: audite Patrem veſtrum, docentem vos viam ſcientiæ. Et reuertendo ſimiliter orant in tribus locis: & ſemper portat Primicerius Tabulas, & colurna virgulta intùs cum filiis.*

XI. Cæterùm ſi fortè videre placet eiuſmodi Tabulas per aliam quoque occaſionem geſtari ſolitas; en illam. Beroldus quippe in eo, quod proximè B
nominabamus, Opuſculo, non multò ante verba nuper inde recitata, cùm Titulo, *Ordo Dominicarum dierum vel ſolemnitatum ſic incipit*, deſcriberet Miſſæ ſolemnis celebrationem, iſthæc etiam tradiderat: *Finita Lectione, Puer Magiſtri Scholarum, acceptis Tabulis eburneis de Altari vel de Ambone, poſitis per Claniculariam hebdomadarium, veſtitus camiſiolo, aſcendit Pulpitum, vt canat Pſalmellum: & hoc ſemper, excepto in Quinquageſima, & in Dominicis diebus Quadrageſimæ, in quibus Lectores cantant; & in Annunciatione Sanctæ Mariæ, quando duo Subdiaconi & totidem Notarii cantant, ſi Archiepiſcopus adfuerit.* Et paulò pòſt, de cantata mox Epiſtola loquutus, hæc addidit: *Qua finita, Notarius iuſſu Primicerii ſui tollit Tabulas de Altari vel Ambone, indutus camiſio canit Alleluia in Pulpito bis ante Verſum.* Et C
hactenùs de Arca ſatis ſuperquè. Nunc tandem ad Idæam procedamus.

XII. Vt autem ab ipſa Purificationis Vigilia paulò altiùs incipiamus, ita prorsùs, teſte illic Beroldo in Manuali, ſeruabatur: *In Vigilia Purificationis Sanctæ Mariæ Archiepiſcopus hoc modo dat cannellas* (fortè ſiquidem tunc vulgò ita loquebantur, nos *candelas* nihilominùs intelligemus) *Archipresbytero quatuor, Archidiacono quatuor: Presbyteris & Diaconibus Cardinalibus, & Primicerio Subdiaconorum, & Notariorum, & Primicerio Lectorum, & Magiſtris Scholarum, binas: Subdiaconibus & Notariis, Lectoribus & Cuſtodibus, Veglonibus maribus & fœminis, ſingulas; ſed duobus Maioribus Cuſtodibus, & Maiori Veglonum & Vetularum, dantur binæ: pro Cruce aurea ſeptem, pro Cruce Vetulorum quinque.* D

XIII. De ipſomet autem Purificationis feſto ſic etiam ex Beroldo accepimus: *Mane facto, & ſonito ſigno, Pontifex cum Clero, & ſine Proceſſione, vadit ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur* BELTRADE: *& duo Minores Presbyteri Decumanorum, qui fecerant Baptiſmum in Sabbato Sancto, portant Idæam ad prædictam Eccleſiam ſuper ſcalam. Et Presbyter illius Eccleſiæ præparat Librum, & aquam, & incenſum cum thuribulo. Cum quibus benedicit candelas, dicendo hanc Orationem: Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die cum legalibus ſacrificiis in Templo præſentari, & iuſti Symeonis vlnis geſtari dignatus es: ✠ benedic, quæſumus, hanc papyrum, & ceream pinguedine ſuperductam: vt ad honorem & gloriam nominis tui Populus geſtans, indeficiens ſe*

lumen

lumen habere cognoſcat. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis &c. Hac Oratione finita, & benedictis candelis, Archiepiſcopus dat cannellas (en vt à candelis ad cannellas reuertitur Beroldus) *complures Primicerio Decumanorum, quas ille iterùm dat Sacerdotibus ſuis: & omnis Clerus accendit cannellas ad Pſallentium. Archiepiſcopus verò incipit Pſallentium, dicendo Dominus vobiſcum: & Diaconus hebdomadarius incipit Pſallendam primam. Et Crux Vetulorum præcedit omnes, cum candelis quinque ſurſùm accenſis. Et Obſeruator Oſtiarius ſimiliter portat Crucem ante Primicerium Decumanorum, cum ſeptem candelis accenſis. Et Septimanarius Oſtiarius portat Crucem auream inter Sacerdotes & Leuitas. Et duo Presbyteri, quos prædiximus, induti planetis, portant Idæam poſt Lectores vſque in Eccleſiam Hyemalem. Et tertius & quartus Obſeruator Oſtiarius ſonant tintinabula.* Nec ibi plura Beroldus de hac feſtiuitate; niſi quòd breuiter mox indicat viginti & vnam Pſallendas, dum Clerus à Sancta Maria Beltrade procederet in Eccleſiam Hyemalem, concinendas: deinde verò Miſſam & Veſperas, ea ibidem die celebrandas. A B

XIV. Cùm igitur ille nihil ampliùs de hac Idæa nobis expreſſerit; periucundum profectò fuit illud, quod in Calendario inuenimus Ambroſiano, pluries adhuc in teſtimonium à nobis producto, & Anno Sæculi Decimitertij octuageſimo-primo in charta pergamena conſcripto. Siquidem ſecunda Februarij die ſic in eo notatum inuenimus: *Purificatio Beatæ Virginis Mariæ. Habet Vigiliam per conſuetudinem. Fit feſtum in Eccleſia Fratrum Seruorum Sanctæ Mariæ. Portatur à Sancta Maria Beltrade vſque ad Sanctam Mariam Eccleſiam* (erratum eſt, ac ſine dubio legendum *ad Sanctam Mariam Maiorem*) *vna Mageſtas* (hoc eſt, *Effigies & Imago*) *Dominæ Sanctæ Mariæ, in ſignum Præſentationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ad Templum.* C

XV. Sed ad vberiorem huius Idææ intelligentiam ecce tibi, Lector, exemplar, & fideliter expreſſum, lapideæ illius Tabulæ, quam Eccleſia Sanctæ Mariæ Beltradis in fronte adhuc oſtentare nuper à nobis aſſerebatur.



D

XVI. Hic ergo Idæam ipſam contuere, hic eius geſtamen, ac gerulos vſitatis olim planetis indutos: hic pediſequas, eum qui poſt Idæam geſtat Crucem, eumquè qui mox Librum defert Euangeliorum, deinde Archiepiſcopum,

chiepiſcopum,

chiepiſcopum, paſtorali baculo & mitra inſignem, alioſquè quatuor A
contuere. Quid, quòd Archiepiſcopi eiuſdem capiti circulum etiam, ſiue diadema, vſitatum ſanctitatis indicium, adſcalpſerunt? Sic autem fortè ſignificare volebant, primum celebritatis huius inſtitutorem fuiſſe noſtris ex Archiepiſcopis vnum, qui cæleſtibus honoribus publicè coli ſoleret. Poſtremo certè tamen illo viro non alium mihi videntur adumbraſſe, quàm Vetulorum Magiſtrum, qui à nobis Num. 652. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis obſeruabatur appellatus etiam PRIMICERIVS VEGLONORVM. Prolixam illi proinde barbam, cæteris verò abraſam, effinxerunt. Sic etiam breuiorem, quàm ei, qui proximus Archiepiſcopum ſubſequitur, & à me creditur Archipresbyter; appoſuere baculum, ſiue ferulam: eidemquè præterea tranſuerſum in ſummitate fulcrum addiderunt, quippe regendis ſenilibus membris aliquantò magis accommodatum. Pluuiali tamen & ipſe cernitur paludatus; B
ſicut olim moris erat, & è Beroldi teſtimonio iam conſtat. Illud autem, quod elata dextera poſt Archiepiſcopum primus & vltimus, medii autem ſiniſtra geſtant, candelæ ſiue intortitia ſunt accenſa, ſine quibus luminibus ſacra eiuſmodi Proceſsio non celebratur.

XVII. Cæterùm iſtius Idææ perſeuerat adhuc vſus: eademquè geſtatur adhuc in ſolemni Proceſsione, qua cum Capitulo Metropolitano Archiepiſcopus quotannis Purificationem Deiparæ Virginis colit, ſi non ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Beltradis, certè quidem intra Baſilicam ipſam Metropolitanam. Poſt Tertiam è Canonicis Horis in Choro decantatam, benedicuntur atque primùm Clero deinde Populo diſtribuuntur candelæ. C
His accenſis inſtruitur ſubinde Proceſsio: in eum ſcilicet modum, quem habemus etiam in Miſſali Ambroſiano, recens edito, præſcriptum. In Baſilica verò Metropolitana ſingulariter id ſeruatur, vt vetus quædam Deiparæ circumferatur Imago: quam ego quidem coniectare auſim eam eſſe ipſam, quæ olim ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Beltradis ad Metropolitanam deferebatur. Vetus ea, vt dicebam, eſt Tabula lignea, ſatis eleganter hinc inde picta: tres circiter alta palmos, & binos ac dimidium lata. Supernè deſinit in angulum: cui clauus inſitus & in altum aculeatus erectum accenſumquè ſuſtinet cereum quatuor circiter librarum. Geſtatur autem immediatè ante Archiepiſcopum, pluuiali violaceo paludatum, atque poſt Capituli Metropolitani Canonicos Ordinarios, violaceis item indumentis ſuperindutos; Presbyteros nimirùm planetis, D
Diaconos verò & Subdiaconos Dalmaticis. Menſula illi ſubeſt, quaternos ſubtùs habens iuſtæ longitudinis pedes, & ad imos vſque pedes ſtrato ſerico & candido circumtecta. Geſtatoria verò hæc eſt; quippe binis ſuffulta baculis, antrorsùm ac retrorsùm ſatis ad hoc, vt geſtari poſsit, protenſis. Bini Sacerdotes, & induti planetis albi coloris, eam hinc inde ſibi ambos in humeros attollunt, ac geſtant, ad eum prorsùs modum, quo Idæam geſtari olim ſolitam eſſe dignoſcebamus è propoſita lapidea Tabula. Tali ergo menſulæ, atque ita inſtratæ, Tabula illa

lignea

lignea & picta inſiſtit tranſuerſa & recta: & , ne alterutram in partem labatur, binis hinc inde firmata ferreis aculeis , è menſula in altum aſſurgentibus, & in aduerſas hinc inde anſulas, in vtroque Tabulæ latere diſpoſitas, immiſsis. Qua verò parte Archiepiſcopum reſpicit, appictum exhibet myſterium illud, quo Chriſtus fuit in Templo præſentatus. In altera verò parte, Canonicis obuerſa Ordinariis , ſola conſidet Maria, Chriſtum infantem maternis habens inſiſtentem genibus, ac Mundi molem ſiniſtra manu ſuſtinentem: ſupernè verò tres Angeli velamentum hinc inde manibus tenent expanſum. Et hæc quidem non ab aliis mihi relata refero, ſed à me ipſo recenter ex inſtituto & ex propinquo accuratè conſpecta. Sed ſatis hactenus Arca & Idæa nos ſecum, velut ad ſuam quæque Proceſsionem , curioſos vnà cum Decumanis abduxerint.

A B

CAPVT CI.

Quatuor Epiſtolæ Pauli & Gebehardi, Ratiſponenſium , ad Martinum, Baſilicæ Ambroſianæ Cimiliarcham : viciſsimquè vna huius ad illos . Pertinent autem partim ad Officium Ambroſianum, partim ad Lotharium & Conradum , inter ſe de Regno Italiæ ac de Imperio contendentes: atque adeò pertinent ad Archiepiſcopum etiam noſtrum Anſelmum, Conradi fautorem, propterea què à Pontifice Romano excommunicatum. C

I. MOrtuo Imperatori Henrico, nominis huius Quarto, Lotharius è conſenſu Pontificiorum Legatorum ſubrogatus eſt in Italiæ Regnum; ſed altera ex parte Conradus ei ab aliis oppoſitus fuit. Hic ergo in Italiam profectus , Mediolanenſes habens fautores, ab Anſelmo Quinto Archiepiſcopo Coronam Regni accepit. Iratus inde Pontifex Romanus; eos omnes anathemati ſubiecit: nec à diſcordiis ac tumultibus ceſſatum , niſi poſtquàm Conradus ipſe, Sancti Bernardi Claræuallenſis Abbatis ſuaſu , titulum depoſuit regium, & in Lotharii gratiam receptus eſt . Hæc autem omnia recoli facilè poſſunt è noſtris etiam Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis , è Numero præſertim 339. vſque ad 353. ac ſimul ab Anno Chriſti 1128. vſque ad 1134. D

II. His ergo breuiter à me præmunitis ac ſuppoſitis, quinas hoc loco recitare iubet Epiſtolas, partim ad Officium Ambroſianum, partim ad Lotharii & Conradi præſentem de Regno Italiæ atque Imperio controuerſiam pertinentes: quarum prima non obſcurè ſemet indicat Anno Sæculi huius trigeſimo-ſecundo conſcriptam poſt ſeſtum Pentecoſtes: reliquæ verò ad minus conſcriptæ ſine dubio fuerunt , antequàm Conradus Lothario cederet atque reconciliaretur Anno trigeſimo-quarto.

Eas

Eas verò in Ambroſiana comperi Bibliotheca, in calce pergameni Codicis manuſcripti, quo pleræque Sancti Ambroſii Epiſtolæ & alia quædam pauca continentur. Primas quatuor ſcripſerunt Paulus & Gebehardus, Ratiſponenſes Religioſi: quintam verò Martinus, Theſaurorum Sancti Ambroſii Cuſtos, ſiue Baſilicæ iſtius Cimiliarcha. A

III. Sicut autem Ratiſponenſes illi vnicè adhæſerant fauebantque Conrado; ſic etiam vnà cum ipſo veniſſe tunc cenſendi videntur Mediolanum, quando ipſe ad capeſſendam regiam Coronam huc venit. Certè autem venit Anno præſentis Sæculi vigeſimo-octauo, poſt diem Sancto Apoſtolo Petro ſacrum, ſiue Iunij menſis vigeſimum-nonum: quo die coronatus iam fuerat Modoetiæ; quemadmodum in eiſdem Monumentis Num. 342. Landulfus teſtis oculatus nobis enarrabat. Quocirca ſine dubio venit etiam poſt celebratam hoc Anno Pentecoſtem (decima quippe Iunii die celebratam, ſicut è Tabulis Paſchalibus conſtat) atque adeò ne Paulus quidem ac Gebehardus illam Mediolani celebrarunt hoc Anno, ſed ad minus ſubſequenti; quandoquidem illam Mediolani à ſe celebratam diſertiſsimè prima Epiſtola affirmarunt. Cùm verò poſt tertium inde annum illam pariter affirmarint à ſe ſcriptam; conſequens profectò eſt, vt eam ſcripſerint nonniſi poſt Pentecoſtem Anno trigeſimo-ſecundo celebratam. B

IV. Gebehardum porrò illum ego arbitror eumdem eſſe cum Gebhardo illo, cuius mentionem fecit VViguleus Hundius in Metropoli Salisburgenſi; cùm de Ratiſponenſibus Epiſcopis, atque de Heinrico nominis huius Primo, ſed inter ipſos Vigeſimo-ſecundo, agens, ita ſcriberet: *Triennio pòſt agricultura illa Ripenſis, intra Danubij & Regeni confluentiam, ædificijs ſterni cæpit: & Monaſterium Sancti Magni, quondàm* AD RIPAS *dictum, ſuit extructum per Venerabilem Domnum* GEBHARDVM, RATISPONENSIS ECCLESIÆ PRESBYTERVM, CANONICVM: *ad cuius petitionem Rex Conradus, Ieroſolyma reuerſus, cùm Ratiſponæ de obſidendo Oppido Kelhaim Comitia ageret, ſuburbium Ratiſponenſe Monaſterio Sancti Magni largitus eſt*. Hic nimirùm Conradus eſt ille ipſe, quem paulò ante nominabam Italici Regni & Imperii competitorem, cui Gebehardus interim vnicè faueret. Ille ſiquidem Lothario poſtea defuncto ſubſtitutus legitimè fuit Anno trigeſimo-nono (vt etiam è noſtris conſtat Monumentis Numero 388.) ac deinde quadrageſimo-ſexto Anno Cruceſignatus cum ingenti Exercitu Ieroſolymam profectus eſt; ſed voto fruſtratus, in Germaniam rediit Anno quadrageſimo-nono. Quocirca ſi Gebehardus Conrado fauerat in eo diſcrimine; ecce iam illi viciſsim munificus animo regio Conradus, Imperio potitus. C D

V. Vt verò iam tandem ad ipſas veniamus Epiſtolas; prima ſemet à titulo ad finem ſic habet:

Epiſtola Domni Pauli Sacerdotis, A
& Gebehardi,
Religioſorum Virorum Sanctæ Eccleſiæ Ratiſponenſis,
miſſa ad Presbyterum Martinum,
Theſaurorum Sancti Ambroſij Cuſtodem,
pro Officio Ambroſiano.

MARTINO, *fideliſsimo Cuſtodi Theſaurorum Beati Ambroſij, Paulus & Gebehardus, Germani, ineſtigabiles diuitias Chriſti. Tertius annus eſt, quòd vnà tecum & cum cæteris Ambroſianis latiſsimam Sancti Spiritus Feſtiuitatem celebrauimus, & adhuc ſolemnizant mentes noſtræ ex memoria dulcedinis veſtræ.* B *Multùm enim humanè & honeſtè tractati ſumus à vobis. Hinc etiam eodem Anno miſimus vobis ſuauiſsimam Expoſitionem Ambroſij, ſpecialis veſtri Doctoris, in partem gratiarum actionis. Nunc autem quàm intimè ſalutantes Dilectionem veſtram, impensè rogamus, vt tranſcribi nobis faciatis Sacramentarium eiuſdem Sancti Ambroſij cum Antiphonario eius: nobiſquè, ſine dubio redempturis, pretium Scriptori tranſmittendum deſignetis. Hoc verò gratuitum Karitatis tuæ munuſculum eſſe volumus: Vt nobis initia & fines Euangelicarum & Apoſtolicarum Lectionum, ſecundùm morem veſtræ Eccleſiæ ad Miſſas legendarum, in Breuiario comprehendas: inſuper & Catalogum, quem mihi Paulo promiſiſti, Mediolanenſium Epiſcoporum ſubiungas. Præterea primum ſuſceptorem noſtrum, Abbatem de Sancto Dionyſio, deinde Abbatem de Sancto* C *Victore, Clerum quoque Sancti Nazarij, & Venerabilem Ambroſium Presbyterum, benefactores noſtros, ex parte noſtra ſalutare te depoſcimus. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

VI. Sequitur nunc Epiſtola ſecunda. Quæ quidem abſque dubio ſcripta eſt ad Anſelmum, noſtræ Vrbis Archiepiſcopum, à quo Conradus fuerat in Regem coronatus: ſed ad Martinum, Baſilicæ Ambroſianæ Cimiliarcham, miſſa videtur; vt eam illi traderet. Quocirca etiam titulum præfert huiuſmodi:

Item Epiſtola eorumdem Nobilium Virorum
ad eumdem miſſa, D
venerabili laude plena,
ſub nomine ad Anſelmum:

ANSELMO, *Stellæ prælucidæ, in Firmamento Mediolanenſis Eccleſiæ diuinitùs poſitæ: Paulus & Gebehardus, deſideratores luminis eius: Nobilem claritatem in ſplendoribus Sanctorum. Quoniam princeps in diuinis laudationibus apud Latinos præfulſiſſe cognoſcitur mellifluus Doctor Ambroſius; idcircò, ne ingrati ſimus tam ſanctis primordijs, habere delectamur notitiam tantæ auctoritatis. Hoc dicimus; quoniam probitatem tuam admirari comperimus, cur nos, qui habemus Ordinem Romanum, ſimul habere geſtiamus Ambroſianum. Fuit olim*

tanta

tanta Mediolanenſis Eccleſiæ gratia & excellentia, vt Aurelio & Auguſtino A
cæteriſquè Africanis Præſulibus non ſufficeret in dubijs rebus Romanum conſulere Pontificem, niſi pariter conſulerent & Mediolanenſem. Deſine ergo admirari imitatrices Sanctorum Patrum inquiſitiones noſtras: & adhibe opportunas opitulationes tuas, vt Ordo Ambroſij, dulciſsimi Sancti Spiritus organi, quem diſcipulus eius Doctor eximius Auguſtinus traduxit in Africam, nobis transferatur in Germaniam, ad excitandam & dilatandam boni odoris fragrantiam. Nam & nos parati ſumus eius cunctorumquè Fratrum tuorum voluntatibus ſatisfacere; ſicubi fortè nos aliquid Ambroſiani Operis, quod vos non habetis, contigerit inuenire; ſicuti Veronæ poſiti fecimus, quando Expoſitionem Quintidecimi Pſalmi, in qua de morte Gratiani Imperatoris agitur, Domno Martino, eiuſdem Beati Ambroſij Theſaurario, tranſmiſimus. De cætero optamus, vt B
cum Beatiſsimi Ambroſij præſidio numquàm tibi deſit Sanctiſsimæ Dei Genitricis Mariæ, eiuſquè proximæ Theclæ, veneranda interceſsio.

VII. Hactenùs Paulus & Gebehardus ad Anſelmum Archiepiſcopum noſtrum: cuius amicitiam illos contraxiſſe credere par eſt per id tempus, quo Mediolani morabantur. Non ſatis ego tamen illud intelligo, quod ipſi aſſerunt, ſe Verona huc tranſmiſiſſe Ambroſianam decimi-quinti Pſalmi Expoſitionem, in qua de Imperatoris Gratiani morte ageretur. Vel enim ea nobis hodie non extat; vel decimus-quintus Pſalmus per errorem nominatus eſt pro ſexageſimo-primo; in cuius Expoſitione Sanctus Ambroſius circa medium flexit ad Gratiani necem deplorandam. Quocirca in eo etiam Codice, ex quo Epiſtolas illas deprompſimus, poſt C
ipſaſmet Ambroſii Epiſtolas eadem illicò ſequitur ſexageſimi-primi Pſalmi Expoſitio, hac inſcriptione prænotata: *De obitu Gratiani Imperatoris Pſalmus ſexageſimus-primus*. Vbi verò versùs finem ſic ſcribebat Ambroſius: *Quàm ſitiuit ille, qui inter conuiuij dapes & pocula conſtitutus, innocentis Conuiuæ necem moliebatur Auguſti?* certè ibidem in ora marginali iuxta dictionem *Auguſti* cernitur additum *Gratiani*. Quid, quod etiam vniuerſa iſthæc Expoſitio ita demùm illic concluditur? *De obitu Gratiani Auguſti Pſalmus ſexageſimus-primus explicit*. Quòd ſi fortè Ambroſius non tantùm in huius Pſalmi, ſed etiam in decimi-quinti expoſitione proſecutus officiosè fuit Gratiani obitum; ea profectò nobis in præſens diſperiit; quibus vtique nulla prorsùs iam ſuppetit Ambroſii Expoſitio in D
Pſalmum decimum-quintum.

VIII. Ad primam Pauli & Gebehardi Epiſtolam hæſerat in ambiguo Martinus, quale illi Antiphonarium depoſcerent, & quid Sacramentarij nomine intelligerent. Suſpicabatur enim, eiuſmodi Sacramentarium vel etiam eſſe poſſe Codicem, quo ritus & cæremoniæ conficiendorum miniſtrandorumquè, ſicut Ambroſiana hæc Eccleſia ſolebat, Sacramentorum continerentur; quæ Sacramentarij Ambroſiani notio nobis etiam in præſenti receptiſsima eſt. Atque generis huius, vt opinor, erat ille Codex, cui titulus, *Incipit Liber Sacramentorum:* ad vſum videlicet Eccleſiæ Mediolanenſis accommodatus, non autem ab ipſomet tantùm

Ambroſio compoſitus. Non enim vnicum, ſed ſenos *De Sacramentis* Libros, Ambroſius compoſuit, ac poſteritati reliquit; quemadmodum Paulus & Gebehardus ſcribebant, & verè. Cùm igitur Martinus ad ipſos reſcripſiſſet, vt hanc ſibi diſcuterent ambiguitatem; ſic ipſi rurſùs ad eum ſcripſerunt. A

Item ad Martinum pro dubitatione Sacramentarij.

MARTINO, *fideliſsimo Cuſtodi paucorum bonorum Beatiſsimi Ambroſii: Paulus & Gebehardus, humiles amici eius, ſuper multa conſtituti in introitu gaudij Domini. Magnas referimus gratias beneuolentiæ tuæ, Pater amantiſsime; quoniam charitatis noſtræ notitiam non ſolùm dignatus es in gremio tuo confouere, ſed etiam principalis Cleri pijs manibus & oculis curaſti exhibere. Quòd autem ambiguitatem remoueri poſtulas ab appellatione Sacramentarij; nos nullum appellamus Sacramentarium, niſi Librum Miſſalium Orationum, abſque Lectionibus Euangelicis Apoſtolicis & Propheticis: quarum fines & principia ſecundùm Ambroſianam exceptionem petentibus nobis annotare pollicitus es. Nam illum titulum, quem tu ita ponis, Incipit Liber Sacramentorum, nos non habemus; quippequi non vnum tantùm, ſed & ſex Ambroſianos Libros De Sacramentis lectitare ſolemus. Verùm quòd interrogas, vtrùm Antiphonarium cum Notulis* (aliter *ſine Notulis*) *habere velimus; nihil Ambroſianæ integritatis deeſſe nobis volumus; quoniam ipſa ſpecies Operum eius etiam vſum eorum neſcientes oblectat. Mitte ergo nobis Antiphonarium cum Notulis, & Sacramentarium cum ſolis Orationibus & Præfationibus Ambroſianis. Nam Geſtis Sanctorum, quæ Miſſarum celebrationibus apud nos interponi ſolent, non indigemus; quoniam his abundamus. Cætera dicenda, vel de pretio quod mandaſti, vel de gratiarum actione quam meruiſti, Litterarum iniunximus Portitori. De cætero optamus, vt poſt Theſauros Beatiſsimi Ambroſij cum eodem poſsidere me earis inenarrabiles diuitias Chriſti.* B C

IX. Quemadmodùm de Romano Pontificatu contentio adhuc erat inter duos competitores, ſic etiam de Imperio: neque ſatis adhuc apud multos Eccleſiæ Romanæ Fideles conſtabat, vtri potiùs tam Pontifici quàm Imperatori, tamquàm legitimo, adhærere oporteret. Conrado interim & Anacleto Pontifici, eius fautori, Paulus & Gebehardus conſtanter adhærebant: vtquè Martinus iiſdem non minùs adhæreret, ſuadebant: ſupra modum autem ſimul etiam mirabantur, quòd Archiepiſcopus noſter propterea per Innocentium Papam exauctoratus ac diris deuotus eſſet, quinetiam Metropolis hæc ipſa foret ſuis honoribus priuata. Quamobrem argumenti huius Epiſtolam ſcripſerunt; cum ad ipſos eſſet rumore (ſed falſo) perlatum, Conradi cauſam præualere iam tandem, atque ipſius Aduerſarios, pœnitentia ductos, ab incœptis deſiſtere. D

Inuectiua

Inuectiua Domnorum Pauli & Gebehardi ad Martinum Sacerdotem pro Rege Conrado. A

MARTINO, *fideliſsimo Cuſtodi Theſaurorum Sancti Ambroſij, Paulus & Gebehardus, intimi Dilectores eius: Ambroſianis interceſsionibus redintegrare quicquid corruptum eſt perfidorum contagione. Quod Agareni noſtri tamdiu illudere potuerunt nobiliſsimæ Mediolanenſium Eccleſiæ; ſcias, nos vehementer admiratos, grauiter doluiſſe, magnoquè ſtupore defixos ſcribendi ad te conſuetudinem intermiſiſſe. Nunc verò, quia Beati Ambroſij meritis ceſsiſſe feruntur Iſmahelitæ, & ingenuæ retractationis lumen dicitur refulſiſſe; libet iterum ſcribere Karitati tuæ; hortantes te deinceps Ambroſiano exemplo declinare Eugenium,* B *& amplecti Theodoſium; nobis quoque, ſicut ſæpiùs poſtulatum & laudatum eſt, duplicem Ambroſianæ auctoritatis Antiphonarium, diurnum videlicet ac nocturnum, ſine mora tranſmittere, comparandum à præſentium Latore; exceptis Orationibus, quas iam miſiſti; & Hymnis, quorum non minor copia nobis eſt, quam tibi. Noſtrum erit cogitare, vt ingratitudinis non accuſemur, neque ex tua beniuolentia, neque ex noſtra conſcientia. De cætero Dominus cuſtodiat te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus, Beati Ambroſij patrocinijs ſuper te vigilantibus.*

X. Per ambages viciſsim ad Epiſtolam ſuperiorem Martinus poſtea reſpondit. Sic autem ipſe pariter ſtabat interim à Conradi Regis & Anacleti Pontificis parte, vt nullo pacto vellet à veſtigiis Beati Petri deuiare, vel C extra Nauem ipſius eſſe; omninoquè vellet in Petri atque adeò Chriſti Domini Fide conſtanter & inuiolabiliter permanere: quod idem erat ac ſi dixiſſet, ſeſe animo eſſe in id confirmato, vt non alteri Pontifici Romano adhæreret, quàm legitimo Petri Succeſſori; nec alteri Romanorum Regi, quàm quem ille ipſe approbaſſet. Tacitè verò etiam nimiæ ſeueritatis erga Mediolanenſes accuſaſſe mihi videtur Innocentium, cùm diceret: *Multùm enim ille, qui videbatur Auſter eſſe, & qui leniter flare debuerat, hanc Nauem turbauit.* Sed hoc tamen interim condonandum eſt homini, qui, contraquàm vellet, errabat; quiquè Pontificem nonniſi legitimum quærens, illegitimum ſequebatur. Ipſammet eius Epiſtolam iam tandem proferamus. D

Relatio Martini Sacerdotis, & Theſaurorum Sancti Ambroſij Cuſtodis, ad Kariſsimos Fratres & Amicos, Paulum & Gebehardum.

GEBEHARDO ET PAVLO, *Venerabilibus Fratribus & Amicis, Martinus, Theſaurorum Beati Ambroſij Cuſtos: In agone fidi perſiſtere, & à veſtigiis Beati Petri non deuiare. Quòd de veſtris Agarenis, qui Proſelyti ſiue Vana-Vall. eſſe probantur, intimandum tranſcribendo inuectiuè procuraſtis; nunc*

à nobis

à nobis reſcribendo rem & rei cauſam ſuſcipiatis. In deſerto enim Populus rebellis & incredulus ex Aaron digitis Vitulum conflatilem ex igne & auro ad ſuam ſuperſtitionem ſibi conflauit; ipſius tamen Aaron & Hur conſcientia, totiuſquè ſtirpis Leuiticæ ſanæ mentis exiſtente conſcientia, intemerata & impolluta permanſit; inſulſi quippe Populi voce non minùs acclamante, Hij ſunt Dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de Terra Aegypti, & de domo ſeruitutis. Eadem verò ratione Siccumitæ contra Ioathan filium Hyeroboal legiptimum Abimelech filium eiuſdem Gedeonis, aliqua tamen ſibi materna conſanguinitate coniunctum, ſine aliquo reſpectu Dei, ſibi dominum conſtituerunt, interfectis ſeptuaginta filijs Hyeroboal ſuper lapidem vnum, & cætera. Quòd autem de Eugenio & Theodoſio intuliſtis; verbis Chuſai Arachitæ, ad Abſalon de fuga Dauid requirentis, vobis reſpondere non pigebit. Dicebat ergo Abſalon Chuſai: Eſne gratia Dauid patris mei, amici tui, vt ſine te vellet abſcedere? Cui reſpondit Chuſai: Aue Rex, Aue Rex. Et adiecit: Illius ero, quem Dominus elegerit. Illud verò, quod de Iſmaelitis interpolare voluiſtis, qui Obedientes ſibi & non Deo interpretantur: adhuc grana cum paleis in Area Dominica verſantur: quæ ventilabro examinis Dominici diſcernentur. Hinc rursùs Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribit: Qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Item Ambroſius in Libro Sermonum Cap. XI. Qui Nauem Petri non aſcendit, diluuio inundante peribit. Hanc Dominus noſter aſcendit, quando Euangelium Mundo nunciauit: & in illa, quam Dominus Petro tradidit, Deo iuuante noſtra Fides inconuulſa permanebit. Vnde idem Ambroſius quibuſdam dicit in Libro I. Pen. Non habent hæreditatem Petri, qui Petri Fidem non habent: quam impia diuiſione quidam diſcerpunt. Multum enim ille, qui videbatur Auſter eſſe, & qui leniter flare debuerat, hanc Nauem turbauit. Sed, vt illa omittamus, ad cætera, quæ nobis mandaſtis, quantumcumque valuimus, fideliter, ſicut decet, expleuimus. Pretium etenim Libri eſt ſolidi quadraginta-quinque & vix pro tanto habere potuimus. Sed ibi poteritis inuenire omne Officium: & Cantus illi, qui ſunt abſque Notulis & abbreuiati, omnes ſunt cum Notulis in antea. Sciatis namque, nos in Litteris veſtris & in memoria veſtri valde iucundatos eſſe. Et quia in tanto amore habetis doctrinam Beati Patris noſtri Ambroſij; quamplures gratias Deo & vobis cum Clero noſtræ Ciuitatis indifferenter referimus. Valete.

CAPVT

CAPVT CII. A

De Beata Aleyde, Sancti Bernardi Claræuallenſis Abbatis genitri-ce. Quàm piè ac religioſè, quantaquè cum mercede, Sanctum Ambroſium illa noſtrum coluerit.

I. INgentia corporis animiquè beneficia, in Maiores noſtros
Anno Chriſti præſertim 1134. & in Ambroſiana præ-
ſertim Baſilica, per Sanctum Bernardum Abbatem Cla-
ræuallenſem congeſta, nos prouocant, vt hoc loco men-
tionem grati viciſsim faciamus eius Genitricis: atque
litteris etiam noſtris conſignemus nominatim eius pie- B
tatem ac religionem, qua Sanctum Antiſtitem noſtrum Ambroſium
proſecuta eſt, nec ſine ſumma vtilitate; ſcilicet, vt hinc etiam nos illum
impensè colere condiſcamus.

II. Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſtertienſi, die quarta Aprilis,
ſic habet: *In Gallia Beata Aleydis, Mater Sanctiſsimi Patris noſtri Bernardi:
quæ in ſæculo non ſæculariter viuens, filios, quos Chriſto genuerat, inſtruxit
pijſsimè: & multis virtutibus ac ſanctis operibus glorioſa, die & hora à ſe
prædictis, inter pſallendum fæliciter quieuit in Domino.*

III. Deinde autem in Notationibus teſtem citat Robertum, Caſæ-Dei Abba-
tem, ac Sancti Bernardi nepotem, in hæc verba narrantem: *Mater Sancti
Patris noſtri religioſiſsima extitit. Conſuetudo autem eius erat per ſingulos Annos
in ſolemnitate Sancti Ambroſij vniuerſos Clericos, quos inuenire poterat, con-* C
*gregare: eoſquè in eadem die ad honorem Dei, & Virginis Mariæ, & me-
morati Sancti, omniumquè Sanctorum, cibo & potu ſolemniter reficere. Deus
autem honorem, quem illa Sancto ſuo exhibebat Annis ſingulis, eidem remune-
rare volens, mortis ſuæ, quæ in anniuerſario eiuſdem feſtiuitatis die futura
erat, illam præſciam fecit die quadam ante feſtum. Vnde ipſam ſpiritus prophe-
tiæ participem fuiſſe, non incredibile eſt. Illa autem viro ſuo, & filijs ſuis, &
omni familiæ ſuæ, quod ſibi reuelatum fuerat, indicauit. Cuncti ergo admiran-
tes, & primò non credentes, contingere, ſicut prædixerat, poſtea magis admi-
rati ſunt. Vigilia feſtiuitatis imminente febris artus occupauit. Die autem feſto,
poſt Miſſæ celebrationem, Corpus Domini ſibi afferri deuotiſsimè petiit: quod &* D
*factum eſt. Deinde Sacroſanctæ Vnctionis munita Sacramento, cùm accepiſſet
Euchariſtiam, vniuerſos Clericos ſecundùm conſuetudinem ad cœnam conuocari
fecit. Illis autem recumbentibus, filium ſuum Guidonem primogenitum aduoca-
uit: intimans ei, & ſolicitè inculcans, vt ſtatim Clericos, refectione completa,
ante ſe conuenire faceret. Ille autem benignæ Matri ſuæ benigniſsimè obediens,
poſt refectionem Clericos in vnum conuocans, fecit vt Mater petierat. Adſunt
Clerici. Quibus congregatis in ſpiritu congratulans Ancilla Chriſti, nunciat, diſ-
ſolutionem ſui corporis imminere. Illi autem Dominum pro ea ſuppliciter exo-
rantes, Litaniam incœperunt: cum quibus ipſa, quouſque vltimum exhalaret
ſpiritum, deuotiſsimè pſallebat. Cùm verò Chorus pſallentium iam perueniſſet*

ad illam Litaniæ ſupplicationem, PER PASSIONEM *ſcilicet* ET CRVCEM TVAM LIBERA EAM DOMINE; *illa, necdùm ceſſans à ſupplicatione, in ipſo mortis articulo in manus Domini commendans ſpiritum ſuum, eleuata manu ſignans ſe ſignaculo Sanctæ Crucis, in pace reddidit ſpiritum.* Hæc Robertus ille, Monaſterii Caſæ-Dei Abbas; & cum illo Chryſoſtomus Henriquez in eo Menologio, typis edito Antuerpiæ Anno Chriſti 1630. A

IV. Eadem verò ſectatus eſt etiam Andreas Sauſſayus in Martyrologio Gallicano, Pariſiis edito Anno Chriſti 1637. eadem, inquam, ille ſectatus eſt die quarta Aprilis, ſtatimac Sancti Ambroſii noſtri Depoſitionem, tota Gallia celebrem, commemoraſſet.

V. Nec aliter profectò ſenſit Angelus Manriquez in ſuis Ciſtertienſium Annalibus, quorum duo Tomi priores, typis impreſſi Lugdunenſibus, in lucem prodierunt Anno 1642. Quamobrem Anno ille Milleſimo centeſimo quinto, Cap. 3. ſic habet: *Addunt* (inter Aleydis alia præclarè piequè geſta, de quibus proximè dictum fuerat) *& ſingularem deuotionem in clariſſimum totius Eccleſiæ Lumen (ſi non ipſa genuiſſet Eccleſiæ Solem) in eximium, inquam, Doctorem Magnum Ambroſium; ſiue Bernardo Doctori iam præuiſo tantum Patrem elegerit in Patronum; ſiue præſagiens, ſacrum Sancti Corpus poſt multa tempora tandem Familiam Bernardi, adeoquè etiam ſuam, illuſtraturum.* Ita nempe Manriquez his denique verbis apertè innuit Ambroſianæ Mediolani Baſilicæ Monaſterium: in quo Ciſtertienſes iam inde ab Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-ſeptimo (qua de re magis præcisè agam infra) vſque in præſens degunt, Baſilicamquè ipſam religioſis excolunt officiis, in qua Sancti Ambroſii Corpus humatum conquieſcit. Narrando ſubinde proſequitur Manriquez talem illam Aleydis erga Sanctum Ambroſium noſtrum deuotionem; ſed nos contenti ſatis iam ſumus recitato illo Roberti Abbatis teſtimonio; illudquè mordicùs etiam cum Manriquez, cum Sauſſayo, & cum Henriquez, idipſum diſertiſſimè profitentibus, retinemus, Ambroſium illum, cui Genitrix Bernardi tantopere addicta fuit, non alium fuiſſe, quàm noſtrum Mediolani Antiſtitem ac Patronum, atque Catholicæ Eccleſiæ Doctorem. B C

VI. Cui quidem aſſertioni Robertus etiam ipſe adſtipulabatur, cùm abſolutè ac ſine vllo peculiari additamento Sanctum Ambroſium, & anniuerſariam eius feſtiuitatem nominaret; quia nimirùm de Sancto per vniuerſam Galliam notiſſimo celeberrimoquè loqueretur; qualis vtique Sanctus erat Ambroſius noſter. Itaque Sauſſayus etiam, de ipſo ſcribens quarta die Aprilis, ſic tradebat: *Eadem die vbique in Gallia excolitur maiorum religioſo more glorioſa Depoſitio Sancti Ambroſij, Epiſcopi & Confeſſoris, præcipui Spiritus Sancti organi, mellifluì Eccleſiæ Catholicæ Doctoris. Qui in coronario liliorum horto, hoc eſt ſpecioſo Galliæ ſinu, patre Galliæ Præfecto ortus, vt decus immortale natali ſolo indidit; ſic niueo candore ſapientiæ, & odore fragrantiſſimo ſanctitatis, vniuerſum exornans & perfundens Orbem, promeruit,* D

ruit, vt Incomparabilis Epiſcopi, Oratoris Catholici, Fidei Vindicis, Virtutum A
Antiſtitis, ſplendidiſsimæ veritatis Lucernæ nomen apud primarios Patres indelebile conſequeretur.

VII. Hæc autem cùm ita ſe habeant; mihi quidem placere non poteſt Amici cæteroqui mei dilectiſsimi, ſummoquè in pretio & honore habiti, Philippi Malabailæ, Ciſtertienſis Reformati, opinio, ſcribentis, Aleidem alteri Sancto, quàm noſtro Ambroſio, ſic addictam fuiſſe. In Sancti enim Bernardi Vita, quam Italicè conſcriptam typis edidit Anno 1634. cùm ſcriberet hac de re Libro 1. Capite 4. ita cenſuit, vt Aleydis ita colere quotannis ſolita eſſet, non Ambroſium noſtrum, ſed alterum quendam Ambroſianum, vel potiùs Ambroſinianum; qui Sarmatica Aſiæ Vrbe ortus eſſet, ac deinde profugus à patria, creatus Vrbis Salarti Epiſcopus, martyrio tandem curſum præſentis vitæ confeciſſet; B quiquè tunc Fontanis recenter & eximiè coleretur. Quocirca etiam è Breuiario, in Parochiali Eccleſia Fontanenſi vſitato, ſummatim eiuſdem Sancti Ambroſiniani Vitam ibidem recenſuit. Ego autem ſcire præterea optaſſem, quod in primis neceſſarium dictu erat, an idem ille Sanctus Epiſcopus & Martyr quarto itidem Aprilis die, quo pariter defunctam credimus Aleydem, anniuerſaria celebritate in Eccleſia Fontanenſi coleretur. Niſi enim hoc ante omnia pro vero ſupponatur; vel hinc corruat neceſſe eſt Malabailæ coniectura: ſin verò etiam ſupponatur; ne propterea quidem deſerenda mihi eſt ſuperiorum illorum Scriptorum ſententia, pro Ambroſio noſtro pronunciata. Dicam enim ego, C Ambroſium quoque noſtrum, ſicut in vniuerſa Gallia, ſic etiam Fontanis, eadem illa die ſolemniter cultum fuiſſe; nihilquè propterea obſtare, quin eadem pariter die coli ab Aleyde potuerit in eum, quem videbamus modum, à Roberto in primis Abbate conſcriptum, ac deinde ab Henriquez, à Sauſſayo, & à Manriquez, non de alio Sancto, quàm de noſtro Ambroſio, interpretatum, eiquè propterea diſertiſsimè adſcriptum.

CAPVT CIII.

Orderici Vitalis, Monachi Vticenſis, teſtimonium de quatuor Sanctis Martyribus noſtris, quos Neronianæ perſecutioni accenſuit. D

I. SCriptoris & Hiſtoriographi huius teſtimonio nos hactenùs vſi ſumus Capite 20. Num. 15. & 16. Cap. 28. Num. 4. & 5. eumquè dicebamus Hiſtoriam ſuam proſequutum eſſe vſque ad Annum Chriſti 1141. ætatis verò ſuæ ſexageſimum-ſeptimum.

II. Hiſtoriæ igitur Eccleſiaſticæ Libro 2. poſteaquàm deſcripſiſſet Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum necem, iuſſu Neronis patratam, ſic addidit:

In illo tempore magna perſecutio Chriſtianorum intonuit: & prima ſequentibus eximium virtutis exemplum ac conſtantiæ præbuit. In Thuſcia Torpes, magnus in Officio Neronis, poſt plurima tormenta decollatus eſt. Romæ Proceſſus & Martinianus, & quadraginta-ſex Socij eorum, à Beato Petro Apoſtolo baptizati ſunt. Longinus quoque alijquè duo per Paulum conuerſi ſunt, & à Tito ac Luca ſalutare Lauacrum perceperunt. Hi nimirùm Doctores ſuos fide & martyrio pedetentim ſecuti ſunt. MEDIOLANI, NAZARIVS, GERVASIVS, PROTASIVS, ET CELSVS PVER, PASSI SVNT. *Nero itaque innumeris facinoribus Theomachiam adiecit, odiumquè ſui Exercitus Populiquè Romani meritò incurrit. Statuerunt enim, ut publicè catenis tamdiu cæderetur, quouſque expiraret &c.* Atque hic quidem conueri licet, quemadmodùm quatuor illos Martyres noſtros Ordericus eodem prorsùs enumerarit ordine, quo Græci ſolerent, vti iam vidimus Cap. 81.

III. Idem autem Ordericus Libro 1. loquutus de Archadio & Honorio Imperatoribus, Senioris Theodoſii filiis, ſic etiam tradiderat: *Innocentius, Romæ Epiſcopus, dedicauit Baſilicam Beatiſsimorum Martyrum Geruaſij & Protaſij, ex deuotione Teſtamenti cuiuſdam illuſtris fœminæ, Veſtinæ.* Qua de re Baronium quoque plura ſcribentem nos vidimus Capite 44. Num. 4. Innocentius autem ille Pontifex Romanus hoc nomine fuit Primus, Eccleſiæquè Romanæ præfuit ab Anno Chriſti ſupra Quadringenteſimum-ſecundo vſque ad decimum-ſeptimum.

CAPVT CIV.

De Scripto, cuius atteſtatione Briſacenſes ſibi vendicant Corpora Sanctorum Protaſij & Geruaſij, quodquè fide non ſatis dignum nobis videtur.

I. SAnctorum Protaſii & Geruaſii Martyrum Corpora perſeuerare adhuc in Ambroſiana Mediolani Baſilica, neque hinc Friderici Imperatoris Aenobarbi tempore fuiſſe in Germaniam translata, neque Briſacenſibus tradita: plurimis hæc ego argumentis docebam in eiuſdem Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis, ac præſertim è Numero 460. vſque ad 472. Ibidem verò nominatim etiam confutaui Scriptum quoddam, quod Bernardinus noſter Corius, ad ſe miſſum è Germania, credidit authenticum eſſe: hæſeramquè tantùm in ſuſpenſo, an illud eſſet idem cum eo Scripto, quod à Briſacenſibus aliquando ad legendum exhiberi tradiquè audieram primariis ſaltem Viris, qui fortè illac tranſeuntes inuiſere ac venerari cuperent Sacroſanctas Reliquias, ibi conditas, quibus Corpora itidem illorum Sanctorum Fratrum connumerant. Sic enim audieram factum etiam cum præſtantiſsimo nobiliſsimoquè Viro, Antonio Ronquillo, multos per annos hac in Vrbe Magno Cancellario, dequè Vrbe ipſa quàm

optimè

optimè merito, chariſsimaquè Parentis Pauperum appellatione communiter celebrato, & digniſsimum ſemetipſo Nepotem, Laurentium Ronquillum, Chriſtianarum in iuuene nobili virtutum ſpecimen apud nos admirandum, ſortito: ſic, inquam, cum eo tunc factum audieram, quando ex Aula Ferdinandi Imperatoris, ad quem grauiſsimorum cauſa negotiorum miſſus à noſtro fuerat Hiſpaniarum Rege, tranſiens Briſaco, Mediolanum veniret. Cùm igitur hac ego de re vehementer hæſitarem; priuſquàm eadem illa Monumenta mea in publicum prodirent, extrema tentare ſtatui, ſi quo fortè modo inuenire poſſem, quale ad verbum foret illud Scriptum. Itaque per Ioannem Mariam Centinellum, mihi amiciſsimum, & Heluetici hac in Vrbe Collegii Rectorem (vtinam morte tam immatura tantus ille Sacerdos, & celeberrimæ Oblatorum Congregationis ſplendor, præreptus non fuiſſet) curaui, vt fideliſsimum eius Scripti exemplar mihi quantocyùs obtineret opera & fauore Curienſis Epiſcopi; quocum ſciebam officia ſæpè Litterarum intercedere propter Alumnos, qui ad Collegium iſtud è Rhetia mitti ſolent. Fortè autem fortuna Curienſem tunc Eccleſiam regebat (ſicut etiam in præſenti regit, regatquè precor diutiſsimè) Ioannes Flugius ab Aſpermonte, natione Rhetus, ac nobiliſsimus, & olim eiuſdem Collegii Alumnus, per ea nempe tempora, quibus ego Studiorum Præfecturam in Clericorum noſtratum Seminario exercebam: idemquè propterea me nouerat, necnon etiam diligebat; ſicut etiam viciſsim à me propter ingenii ſui præſtantiam egregiamquè indolem, ſummopere diligebatur, & admirationi quinetiam erat. Cùm igitur ille pro me rogatus eſſet; ſatis profectò dici non poteſt, qua promptitudine atque celeritate tale mihi apographum ab iis obtinuerit, penes quos exemplar ipſum archetypum extat. Vnà cum ſuis ergo Litteris, ex Vrbe Curia datis Anno Chriſti 1644. die 24. Februarij, exemplar eius Scripti ad Rectorem, ac per illum ad me tranſmiſit: diſertiſsimè profeſſus, tale prorsùs ad verbum eſſe ſibi ex Oppido Briſaco tranſmiſſum: & quia illic archetypum Gallico eſſet conſcriptum Sermone; idcircò etiam exemplar ad nos mitti vnum exſcriptum Gallicè, alterum verò è Gallico Latinè redditum; quò meliùs & certiùs veram eius ſententiam dignoſcere poſſemus.

II. Gallico igitur exſcriptum Idiomate ſic illud ſe habet: *Vrayes Reliques tireez du Cereuilc d'argent ou repoſent les miraculeux, & tres autentiques oſſemens des SS. Martyrs Geruais & Protais Freres iumeau gentilhommes de Rauenne en Italie Fils de Sainct Vital, & de Saincte Valeria, Martyrs; leſdits SS. Geruais & Protais ont ſouffert le Martyre Soubs le regne de l'Empereur Domitien Neron par commandement du Comte Aſtaſe à Milan; l'an aprais la Creation du monde 4018. aprais la Conſtruction de Rome l'an. 806. & aprais la Natiuite du Fils de Dieu l'an. 55. leſdittes Sainctes Reliques furent reuelez à Sainct Ambroiſe Archeueſque de Milan, & Docteur de l'Egliſe aprais auoir eſtèez Soubs terre plus de 300. Ans. l'Empereur Frideric Barberoſſe aiant occupè la Citè de Milan, Arnolphe Archeueſque & Electeur de Cologne, qui*

 eſtoit

eſtoit preſent, garantit les reliques de Sainct Geruais, & de S. Protais, auec d'autres, le quel paſſant par Briſach l'an 1159. pour recompence des honneurs receu donna le corps de S. Geruais au Magiſtrat, penſant emmener celuij de S. Protais par batean lequel toutefois ne ſe voulut monuoir par aucune force dont il fut contraint Les laiſſer enſemble, ou ils ſont pluſieurs miracles. A

III. Ecce verò illud Latinè ſic etiam redditum: *Veræ Reliquiæ, ex Arca deſumptæ argentea, in qua miraculoſa & maximè authentica requieſcunt Oſſa Sanctorum Martyrum Geruaſij ac Protaſij, geminorum vno ortu fratrum, nobilium in Italia Rauennatum, & è Sanctis Vitali ac Valeria Martyribus genitorum. Iidem Sancti Geruaſius & Protaſius, regnante Domitiano Nerone Imperatore, martyrium ſubierunt Mediolani, iuſſu Comitis Aſtaſij, Anno poſt Orbem conditum quater Milleſimo decimo-octauo, poſt Vrbis Romæ constructionem Octingenteſimo-ſexto, poſt Filij Dei Natiuitatem Quinquageſimo-quinto. Ex verò Sacræ Reliquiæ Sancto Ambroſio, Mediolani Archiepiſcopo, & Eccleſiæ Doctori, reuelatæ fuerunt, poſteaquàm ſub terra trecentos & ampliùs Annos latuiſſent. Cùm Federicus Imperator Aenobarbus Vrbe Mediolano potitus fuiſſet; Arnolfus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, qui tunc aderat, ſibi aſſeruauit Sanctorum Geruaſij ac Protaſij & aliorum Reliquias. Briſaco autem tranſiens Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo-nono, in compenſationem honorum, quos tunc ab eo acceperat Magiſtratu, Sancti Geruaſij Corpus ipſi donauit; naui ſcilicet abducere ſecum meditans Protaſij Corpus; quod tamen inde nulla vnquàm vi amoueri ſe permiſit. Quamobrem iſthæc ambo Corpora Arnolfus vnà ſimul Briſaci relinquere coactus eſt; vbi multis clarent miraculis.* Hæc igitur Gallici eius Scripti ſimplex eſt ac fidelis in Latinum Sermonem translatio. Reliquum nunc eſt, vt illud ad rerum veritatem perpendamus. B C

IV. Verè igitur eiuſmodi Scriptum ſeſe prodit ab eo diuerſum, quod Bernardinus Corius acceptum è Germania recitabat, quodquè multis ego argumentis iam refelli; ſed verè itidem hoc etiam pleriſque illorum refellitur; eaquè proinde repeti poſſunt è noſtris Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis. Nec enim actum agere meditamur; ſed ea tantùm in præſenti argumenta producere, quibus propriè Scriptum iſtud oppugnetur.

V. Mirandum autem in primis videtur, quomodò Briſacenſes, Natione pariter ac Idiomate Germani, tale nihilominùs Scriptum habeant Gallicè potiùs exaratum, quàm Germanicè aut Latinè: quaſi verò non haberent è ſuis etiam Oppidanis aliquem, qui Materno vel ſaltem Latino Sermone memoriam tantæ rei conſignare poſteritati valeret. Numquid fortaſsè ad fidem conciliandam rei, quæ cæteroqui parum aut nihil fidei mereretur, Sermonem aſciuerunt Gallicum; ne fortè Briſacenſes ipſi, de quorum agebatur cauſa, tale Scriptum è ſuo cerebro confinxiſſe crederentur? Sed hanc quidem ſuſpicionem procul à nobis abiiciamus; tametſi eiuſdem præterea Scripti Idioma iudicio Virorum peritiſsimorum recens ſit, ac proinde ſuſpectum. D

VI. Sic etiam ne præſenti quidem Scripto fidem abrogare propterea conemur;

quia

quia in eo Geruaſius & Protaſius appellentur nobiles in Italia Rauennates; & quia ſub Nerone Imperatore martyrium aſſerantur paſsi Anno poſt Filii Dei Natiuitatem Quinquageſimo-quinto. Vt enim Capite 6. docebamus, Nero ad Imperium euectus eſt nonniſi poſtquàm Claudius Imperator obiiſſet Anno Chriſti Quinquageſimo-ſexto, tertio Idus Octobris: Geruaſius itidem ac Protaſius, verè nobiles, non Rauennates, ſed Mediolanenſes fuerunt. Hæc igitur errata ego non difficulter Auctori huius Scripti condonauerim. Quod pariter ille addebat, horum Corpora Sanctorum ſub terra latuiſſe per trecentos & ampliùs annos: hoc etiam, ſine vlla cenſura, liberaliter ab Anno Chriſti Quinquageſimo-quinto vſque ad Trecenteſimum octuageſimum-ſeptimum ampliabo. A

VII. Illud profectò permittendum non eſt, quòd eadem Corpora dicebantur Briſacum ab Arnolfo Archiepiſcopo & Electore Colonienſi translata Milleſimo centeſimo quinquageſimo-nono Chriſti Anno, poſtquàm Aenobarbus Mediolano potitus fuiſſet. Aenobarbus enim Mediolano certè quidem prima vice potitus fuit Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo-octauo; ſed nihil hoſtile tunc erga ipſum egit, agiuè permiſit; quinetiam ne ipſum quidem tunc ingredi voluit, ſed inde recta Modoetiam victor profectus eſt; quemadmodùm ego quoque narrabam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, à Numero 415. vſque ad 418. Quamobrem ne tunc quidem Archiepiſcopus Colonienſis credi poteſt tales illas Sanctorum Reliquias ſibi aſſeruaſſe. Illud autem præterea, nec minoris momenti, huc accedit; quòd ne tunc quidem Mediolani erat vllus Archiepiſcopus Colonienſis nomine Arnolfus, ſed certè quidem Fridericus. Quid, quòd etiam hic ipſe Fridericus eodem ipſo Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo-nono in Vrbe Papia obiit, nec in Germaniam reuerſus eſt? B C

VIII. Priuſquàm tamen hoc ego planiùs explicare ſimul & confirmare aggrediar, contueri iuuat, quid Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana, ſiue in Colonienſium Archiepiſcoporum Catalogo, per hæc tempora ſcriptum reliquerit. Hoc enim præmiſſo, Lector, quò apertiùs intellexerit ſenſus quoque meos, vel ab ipſo diſcrepantes; eò promtiùs ac lubentiùs concluſioni huic meæ adhærebit; ſed & præterea fatebitur, nonnihil lucis & veritatis adiectum à me fuiſſe Colonienſium Archiepiſcoporum Catalogo. A Brunone autem, nominis huius Secundo, quem Robertus inter eos Præſules Trigeſimum computat octauum, incipiam, & ab his eius verbis: D

38. BRVNO SECVNDVS, *filius Engilberti, Altena Comitis: conſecratus 1132. à Guilelmo ardinale Præneſtino. Baronius. Ei ſcribit Sanctus Bernardus Epiſt. 8. & 9. Sepultus Barri in Appulia. Otho Friſigenſis Libro 7. Cap. 21.*

39. ARNOLDVS. *Coronauit Aquiſgrani Fridericum Primum, ſeptimo Idus Martij, 1152. Qua de re Guntherus Ligurini Libro 6. Nominatur in Diplomate eiuſdem Friderici Imperatoris, tertio Idus Iunij 1153. pro Cluniacenſibus, cum Gunthero Spirenſi, & Conrado Vormatienſi.*

40. HVGO,

40. HVGO, *ex Decano*, 1158. A

41. ARNOLDVS SECVNDVS, 1160. *qui & Raynoldus* 1161. *filius Henrici, Comitis Geldriæ.*

42. FRIDERICVS SECVNDVS, 1161. *à Papa Adriano Romæ conſecratus, ex Comitibus Altenenſibus.*

43. RAYNOLDVS *tranſtulit Mediolano Coloniam Corpora trium Regum, ſeu Magorum. Obijt propè Romam* 1181. *Ipſe ex Comitibus d'Aſſel, vt Sanctus Anno, & Philippus ſequens. Meminit Aymoinus Libro* 5. *Cap.* 54. *Vincentius Libro* 30. *Cap.* 12. *Ripamontius Libro* 2. *Hiſtoriæ Mediolanenſis, & Vindechius De Electorum Imperij origine Cap.* 1. *Aegidius Aureæ-Vallis in Hiſtoria Leodienſium Epiſcoporum Cap.* 44. *Faſciculus Temporum, & Robertus in Supplemento Sigeberti, Anno Chriſti* 1158. *Sigonius De Regno Italiæ.* Hactenùs B Claudius Robertus de ſex iſtis ex ordine Colonienſibus Archiepiſcopis.

IX. Ego tamen paulò alium eis ordinem ac tempus adſcribam: teſteſquè pro me dabo locupletiſsimos, Ottonem Epiſcopum, ac Radeuicum Canonicum, Friſingenſes: qui per ea tempora florebant, rebuſquè, quas ego nunc ex ipſis narrabo, præſentes vtplurimùm fuerunt.

38. BRVNO igitur, huius nominis SECVNDVS, Anno Chriſti 1138. moritur. Sic enim traditum eſt ab Ottone Friſingenſi, Libro 7. Chronici, Cap. 21.

39. Non ARNOLDVS, ſed HVGO ei proximus ſuccedit; at infra duos menſes emoritur. Quocirca idem Otto ibidem de Anteceſſore illo ac de iſto Succeſſore breuiter hunc in modum ſcribebat: *Circa illa tempora* C *multi ex claris Optimatibus mortem ſui Principis* (Lotharii nempe Imperatoris) *præceſſerunt, & ſecuti ſunt.* BRVNO COLONIENSIS ARCHIEPISCOPVS, *venerabilis, & apprimè eruditus, in Apulia decedens, in Eccleſia Sancti Nicolai Barræ honorificè eſt humatus:* EIVSQVE SVCCESSOR, HVGO, *infra duos menſes vita & Sacerdotio functus eſt, & in Apulia apud Melpham quieuit.* De Principis autem ipſius morte ſic ille protinùs addit in principio ſubſequentis Capitis 22. *Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo centeſimo trigeſimo octauo, defuncto in Autumno ſine filijs Imperatore Lothario, Conuentus generalis Principum Moguntiæ in proxima Pentecoſte* (Anni nempe ſubſequentis) *indicitur.*

40. Hugoni ſubſtitutum poſtea fuiſſe ARNALDVM, ſatis conſtat ex D eodem Ottone Friſingenſi, Libro 1. De Rebus Geſtis Friderici Primi Imperatoris, Capite 62. Nulla enim alterius Archiepiſcopi Colonienſis mentione in ſuperioribus Capitibus interpoſita, ſic ille tandem ſcribit: *Inter hæc* ARNALDVS *quoque* COLONIENSIS ARCHIEPISCOPVS, *vir ad omnia Eccleſiaſtica & ſecularia negotia inutilis, vitam finiuit.* Tunc autem agebatur Annus Chriſti quinquageſimus ſupra Milleſimum centeſimum; ſicut è ſubſequenti Capite, ac rursùs è Libri Secundi Capite primo dilucidè apparet.

41. Superiori Arnaldo ARNALDVM item alterum fuiſſe ſubrogatum, eodem illo docemur Ottonis Capite 62. Sic enim protinùs narrare pergebat:

gebat: *Igitur Conradus Rex tam de ſubrogatione Colonienſis, quàm ſuper determinatione illius controuerſiæ, quæ in Traiectenſi Eccleſia agitabatur* (de qua nimirùm eodem Capite dictum proximè fuerat) *examen laturus, inferiores Rheni partes adiit, habens ſecum ex Baioaria Ottonem Friſingenſem, ex Saxonia Albertum Miſnenſem Epiſcopos. Cumquè ad Bobardiam Villam Regalem, in territorium Treuerorum ſuper Rhenum poſitam, veniſſet; Legatos obuios habuit, nunciantes, Arnaldum Cancellarium ſuum, in præfata Colonienſi Eccleſia electum eſſe; ſed eum huius rei aſſenſum vſque ad aduentum ipſius diſtuliſſe. Quod verbum gratanter Rex accepit: ac inde extra viam paulìſper digrediens, duas Arces fortiſſimas, quarum altera ſuper Moſellam Cohina, altera ſuper Rheni litus poſita Rinecca dicebatur, expugnauit: in Cohina præſidia ponens, alteram igni tradens. Ibi prænominatum Colonienſem Electum excipiens, cum eoquè ad inferiora deſcendens, Capellam operoſam, quam ille non longè à Colonia in proprio fundo conſtruxerat, à prædictis, quos ſecum duxerat, Epiſcopis conſecrari fecit. Inde naues ingreſſus, ac per Rhenum remigans, Coloniam Agrippinam venit, cum maximo Cleri ac Populi tripudio ſuſceptus. Igitur finita, vt aſſolet, Proceſſionis ſolemnitate, Rex, in principali Beati Petri Eccleſia ſedens, Arnaldum, renitentem valde & reclamantem, Pontificatus ſimul & Ducatus regalibus inueſtit.* Idem porrò Arnaldus, Conrado Imperatore, Anno à Chriſti Natiuitate Milleſimo centeſimo quinquageſimo-ſecundo, decimo-quinto Calendas Martij, ex hac vita ſublato, & Friderico Aenobarbo, tertio Nonas Martias, in eius locum electo, Regiam Coronam eidem Friderico ſolemniter in Vrbe Aquiſgrano impoſuit. Sic enim ex eodem Ottone poſtmodùm conſtat Libro 2. Cap. 1. ac 3. Quo pariter poſtea teſte Cap. 29. ille inter Paſcha & Pentecoſten mortuus eſt eodem Anno, quo Fridericus nuptias cum Beatrice celebrauit, hoc eſt, Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo-ſexto.

42. In facienda Succeſſoris electione diſsidium eſt ortum, parte vna Gerardum, altera Fridericum eligente; ſed FRIDERICI demùm electio præualuit. Inde Otto eodem Libro 2. Cap. 31. ſic narrabat: *Ea tempeſtate defuncto, vt dictum eſt* (Cap. 29.) *Arnaldo Colonienſi Archiepiſcopo, Eccleſia illa, ad electionem faciendam conueniens, grauiſsimè ſciſſa eſt; Præpoſitis & Abbatibus Gerardum Brunenſem Præpoſitum, Maioris verò Eccleſiæ Canonicis, qui tunc temporis Præpoſito & Decano carebant, Fridericum, Adolfi Comitis filium, eligentibus. Itaque Imperator menſe Iulio, in Norico Caſtro, vbi Græci eius Maieſtati præſentandi erant, morante, vtræque iſtæ partes, cauſam ſuam Principi oſtenſuræ, veniunt.* Pro neutra tamen parte deliberatum tunc fuit. Quocirca mox Otto ſic proſequitur ad extremum eiuſdem Capitis: *Procedunt Colonienſes, Aduocatos expoſcunt, de ſua vtrique electione per triduum coram Principe decertant, & contrixantur. Tandem Princeps, vtrorumque auditis allegationibus, conſilio & iudicio quos ſecum habebat Epiſcoporum aliorumquè Principum, prædictam cauſam ad Curiam Ratiſponenſem, vbi conſilium pro terminanda duorum Ducum lite publicari debuit, producendam decreuit.* Quocirca rurſùs etiam idem Otto ſubinde Capite

32.

32. de Curia illa locutus, habita Ratiſponæ Septembri menſe, Anno- A
què Friderici eiuſdem regnantis quinto, imperantis autem ſecundo, ſic
addidit: *Enimverò, antequàm hæc Curia terminaretur, præſentatis ſibi iterùm*
de Colonienſi Eccleſia vtriſque partibus, alteram electionem, eam videlicet quæ
à Canonicis Maioris Eccleſiæ facta fuit, validiorem iudicans, Fridericum, Adolfi
Comitis filium, de regalibus inueſtit: ſicquè eum, à Romano Pontifice conſecran-
dum, ad Vrbem miſit. Hic ipſe igitur Fridericus Archiepiſcopus Anno
poſtea ſupra Milleſimum centeſimum quinquageſimo-octauo in Exercitu
fuit Imperatoris Friderici, aduersùs Mediolanenſes in Italiam venientis:
hic ipſe pariter adfuit in Curia Roncaliæ, poſt Mediolanum in dedi-
tionem acceptum eodem Anno congregata: hic ipſe tandem Anno poſtea
quinquageſimo-nono in Vrbe Papia mortuus eſt: atque horum quidem B
omnium teſtis eſt nobis fideliſsimus Radeuicus Friſingenſis Canonicus,
qui binos Epiſcopi ſui Ottonis Libros *De Rebus Geſtis Friderici Primi*
duobus alteris eiuſdem argumenti Libris proſecutus eſt: teſtis, inquam,
ille eſt Libro 1. Cap. 25. & Libro 2. Cap. 3. ac 14. ſingulis nimirùm
hiſce Capitibus ſingula illorum enarrans. Itaque Capite hoc ipſo Libri Se-
cundi decimo-quarto, varios deſcribens eiuſdem Anni quinquageſimi-
noni euentus, iis hunc quoque connumerauit: *Iiſdem diebus Fridericus*
Colonienſis Archiepiſcopus, cuius ſuperiore Libro (quinetiam hoc præſenti)
mentio habita eſt, tertio Pontificatus ſui Anno, cum multorum luctu, diem ſuum
clauſit extremum: carneſquè eius & viſcera apud Papiam poſita (& hinc ego
eum in Vrbe Papia mortuum interpretabar) *oſſa verò ad Ciuitatem Co-* C
lonienſem deportata ſunt. Vir nobilis, & litteratus: quiquè manſuetudine ac
benignitate ſua longè lateque multorum in ſe prouocarat affectum.

43. Poſt Fridericum iſtum Archiepiſcopum ſequitur RAYNOLDVS ille,
quem paulò ante Claudius Robertus Numero 43. deſcribebat: quiquè
ab aliis quandoque Reynoldus, Raynaldus, Reinaldus, Reginaldus,
Arnoldus appellatur. Ego ipſum hic appellabo Reinaldum, & vnà qui-
dem cum Radeuico, & cum Gunthero: Raynaldum verò cum Aucto-
ribus Hiſtoriæ Rerum Laudenſium, ab Ottone atque ab Acerbo More-
nis & ab alio quodam tertio per varias partes conſcriptæ. Hunc ipſum
verò Archiepiſcopum ego arbitror in eo Scripto indicatum fuiſſe no-
mine Arnolfi; ſicut etiam nomine Rodulfi per alterum illud Scriptum D
indicabatur, à Bernardino Corio recitatum; de quo Rodulfi nomine
diſſerebam ego præſertim Numero 465. in Ambroſianæ Baſilicæ Monu-
mentis. Quamobrem operæ pretium nunc erit; ſi paulò accuratiùs
electionem illius Archiepiſcopi & geſta diſcutiamus, ſuiſquè temporibus
conſignemus.

X. Reinaldus ergo iſte Anno Domini 1157. in Burgundia cum Friderico ipſo
Imperatore erat, eiuſquè Cancellarium agebat. Sic enim è Radeuico
conſtat Libro 1. Cap. 10. Sic etiam nihil ego dubitauerim, quin eum-
dem pro muneris ſui ratione ſequutus fuerit, in Italiam pro bello Me-
diolanenſibus inferendo venientem. Concedam ego igitur, illum etiam

hic

hic fuiſſe, quando Fridericus Anno 1158. per obſidionem Vrbe Mediolano potitus eſt. Certè quidem Anni 1159. menſe Ianuario huc etiam ille ingreſſus eſt; atqui ne tunc quidem Sacras ſibi Reliquias potuit aſſeruare. A

XI. Nimirùm inter cæteras pactiones, quibus Mediolanenſes Anno 1158. in gratiam Imperatoris fuerant recepti, hæc etiam (teſte Radeuico Libro 1. Cap. 41.) numerabatur: *Conſules verò, qui nunc ſunt, ex auctoritate & conceſsione Domini Imperatoris vſque ad Calendas Februarij proximè venturas perſeuerent: & pro Conſulatu ſuo Domino Imperatori iurent. Venturi verò Conſules à Populo eligantur, & ab ipſo Imperatore confirmentur* &c. In eius ergo pactionis executionem opportuno tempore Imperatoris Legati Mediolanum venerunt. Sed quid actum, Radeuicus idem nobis enarret. B *Interea* (inquit ille Libro 2. Cap. 21.) *cùm de Curia Optimatum ad ſingulas Ciuitates bini vel plures pro conſtituendis Poteſtatibus & Conſulibus à Principe* (Friderico Imperatore) *deſtinati fuiſſent; contigit,* REINALDVM CANCELLARIVM, *& Ottonem Palatinum Comitem de Baioaria, ſæpè iam memoratos, Comitemquè Gozuuinum, Mediolanum deueniſſe, id negotium in ea Ciuitate, ſicut & in cæteris, iuſſos promouere. Populus ergo, in ſeditionem conuerſus, ad domos, vbi Legatos manere ſuſpicabantur, mox procurrere, contumelioſa & ſuperba perſtrepere, lapidibus aliiſquè miſsilibus crepitare* &c. *Legati ergo, quorum quidam intra Muros Vrbis erant, improuiſo metu incerti ignariquè quid potiſsimùm facerent, trepidare; cùm nec reſiſtere armatis & multis ipſi pauci & inermes poſſent; & Portæ ante clauſæ fugam* C *prohiberent. Comites autem, quos & ipſi magis infenſos habebant, extrà hoſpitatos, ea res minùs terruit: qui ſine mora, comperto tumultu, illæſi intactiquè receſſere. Altero die tam Epiſcopus* (nempe noſter, vt Guntherus explicauit) *quàm* CANCELLARIVS, *infecto negotio, eos è veſtigio ſubſequuntur.* Qua de re Otto Morena, qui pariter tunc viuebat, ita ſcripſit in Rerum Laudenſium Hiſtoria, inter Anni 1159. menſiſquè Ianuarij geſta: *Ipſo etiam tempore cùm Imperator Papiæ primùm, deinde Placentiæ atque Cremonæ atque etiam Laudæ, ſuos Poteſtates de Ciuibus ipſarum Ciuitatum conſtituiſſet;* RAYNALDVM CANCELLARIVM SVVM, *& Ottonem Falgigranam* (hunc alibi *Falcigranam* ſæpiùs vocat, eumdemquè aſſerit eſſe cum Comite Ottone Palatino) *miſit Mediolanum: iuſſitquè eis, quatenùs ibi de Ciuibus Mediolani, ſicut in prædictis alijs Ciuitatibus iam fecerat,* D *ſuos Poteſtates crearent. Omnes enim Lombardiæ Ciuitates tunc temporis regebantur à Conſulibus, ſumptis de Ciuibus ipſarum Ciuitatum. Mediolanenſes itaque, eos videntes, & quid agere vellent cognoſcentes, maximo rumore ſtatim inter eos habito, ſuper eos irruerunt, & quoſdam equos eis abſtulerunt: ipſoſquè interficere minati ſunt. Sed ianuis Palatij, ſuper quod erant, clauſis vix euaſerunt. Sequenti verò nocte Falgigranus, priuatim exiens de ipſa Ciuitate, fugit.* CANCELLARIVS *verò, quamuis vſque ad diem ſtetiſſet; tamen & ipſe, nihil proficere valens, de Mediolano receſsit.*

XII. Hactenùs autem Reinaldus (ſicut è duobus hiſce conſtat Hiſtoriogra-

phis) ſolo fungebatur Cancellarij munere: nec hactenùs fuerat in Archiepiſcopum electus Colonienſem, vt liquidiùs etiam proximè apparebit. Quamobrem Guntherus, hæc ipſa metricè recenſens è Radeuico, Reinaldum interim nonniſi per anticipationem appellauit Præſulem (nempe Colonienſem) non quia interim iam eſſet electus; ſed quia tunc electus iam erat, quando ipſe Nonum Ligurini Poematis ſui Librum conſcribebat. Sic ergo ipſe ibi hæc ipſa verſibus enarrauit, non procul ab initio: A

Ergo vbi cum claro PRÆSVL REINALDVS *Othone*,
Signifer hic prudens, ET CANCELLARIVS *ille*,
Et Comes eximiæ laudis Gozuinus, ad Vrbem
Magna peracturi venere negotia Regni; B
Infremuit, cæpitquè furens concurrere vulgus:
Quaquè receptus erat PRÆSVL FAMOSVS *in æde*
(Nam Comites ambo, Muros ſuſpectaquè cauti
Mœnia vitantes, extrà prudenter agebant)
Hanc lapidum ſæuo Ligures euertere iactu,
Atque ipſum Magni Legatum Cæſaris, ALTA
PONTIFICEM FAMA, MENTISQVE VIGORE TIMENDVM,
Certatim ſæuo properabant tradere letho. &c.
Vix tandem rabidas, EIVSDEM PRÆSVLE SEDIS
SVBVENIENTE, *minas effugit* PRÆSVL, *& Vrbis*
Peſtiferæ Muros inſidaquè tecta reliquit. C

Eadem verò anticipatione vſus eſt etiam Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro Nono: neque ſolùm cùm narraret hunc Populi Mediolanenſis tumultum, Anno, ſicut dicebam, Milleſimo centeſimo quinquageſimo-nono excitatum; ſed etiam cum deſcriberet obſidionem, qua Vrbem ipſam Fridericus Imperator cinxerat Anno ſuperiore per id tempus, quo citra omnem dubitationem Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus adhuc viuebat; vt proximo Numero IX. iam vidimus; vtquè rurſùs ex archetypo San-Dionyſianæ Mediolani Abbatiæ Priuilegio confirmare placet. Id mihi perhumaniter, vnà cum multis aliis eiuſdem Abbatiæ Documentis, olim, ſiue Anno Domini 1642. ſuppeditauit (quemadmodùm etiam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 280. profitebar) Bernardus ille Bellonus, Ambroſianæ Baſilicæ Canonicus, & eo tempore Procurator Eminentiſsimi Cardinalis Antonii Barberini, eius Abbatiæ Commendatarij: Canonicus, inquam, ille, cuius mentionem quoque faciam infra, Capite 107. Num. 12. Idipſum præterea Priuilegium, & citra omnem dubitationem archetypum, eſt illud, quo Fridericus Primus Imperator Anno Domini 1148. iam potitus Vrbe Mediolano, Abbatiam illam, & vniuerſas eius facultates confirmabat. Illud igitur ſolito Friderici ſigno ac præterea prægrandi ſigillo cereo, cui eiuſdem Imperatoris imago impreſſa eſt, firmatum, hac denique ſubſcriptione concluditur: *Ego Fridericus, Colonienſis Archiepiſcopus, & Italici* D

Regni

Regni Archicancellarius, recognoui, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo quinquageſimo-octauo, Indictione ſeptima, Regnante Domno Friderico, Romanorum Imperatore Glorioſiſſimo, Anno Regni eius Septimo, Imperij verò Quarto, feliciter, Amen. Datum in Roncalia decimo-quinto Calendas Decembris. Nonnihil autem hoc loco proderit etiam obſeruaſſe, quemadmodùm poſteriore Anno quinquageſimo-nono, die quarto Aprilis, Rainaldus ille non aliter, quàm RAINALDVS CANCELLARIVS, ſubſcripſerit Imperatoris Friderici Priuilegio, tunc in Vrbe Lauda dato in fauorem Porcarii de Rubeo, ſeu de Platis, Turrexanæ Marchionis &c. Cuius quidem Priuilegii ſeriem videre licet à Petro Maria Campo, Canonico Placentino, exſcriptam in Secunda Parte Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Placentinæ, quam ſuperiore Anno 1651. Italicè conſcriptam typis edidit. Illic enim pagina 358. Numero 15. Priuilegium illud extat. A B

XIII. Rainaldum igitur hunc nos tandem iam dicamus ex Italia in Germaniam reuerſum, & Anno 1161. paulò ante menſem Iulii electum fuiſſe Colonienſem Archiepiſcopum. Sic enim diſertè nobis ab Ottone Morena teſtatum eſt in Rerum Laudenſium Hiſtoria, cùm eodem illo Anno geſta menſis Aprilis & Maii enarraret. Sic enim ſcribebat: *Interim Gens Theutonica, maximè fremens, quòd Imperator adeò cum paucis Theutonicis relictus erat in Lombardia, quòd plenariè non valebat expugnare Mediolanum; ad eius auxilium obnixè ſe præparauit. Inter quos fuit Lantgrauius cognatus Imperatoris* &c. RAYNALDVS QVOQVE CANCELLARIVS, ET TVNC (hoc eſt RECENTER) ELECTVS ARCHIEPISCOPVS COLONIÆ *duxit ſecum vltra ſexcentos milites, benè armatos.* C

XIV. Eumdem verò inſuper addamus obiiſſe priùs, quàm in Archiepiſcopum conſecraretur: quinetiam obiiſſe, non Anno Duodecimi huius Sæculi octuageſimo-primo, ſicut Claudius Robertus affirmabat; ſed ſexageſimo-ſeptimo. Quamobrem in progreſſu poſtea ſuperioris Rerum Laudenſium Hiſtoriæ nonniſi ELECTVS appellatur: ac tandem inter acta ſexageſimi-ſeptimi eius Anni, poſtquam Imperator cum ſuo Antipapa Vrbem Romam violenter obtinuiſſet, obitus illius hiſce prorsùs verbis deſcribitur: *Deceſſit etiam tunc Dux Guelphus, Ducis Guilermi filius:* ET RAYNALDVS ARCHICANCELLARIVS, ET COLONIÆ ELECTVS ARCHIEPISCOPVS: *homo maximi ingenii, & cuius ſcientia & probitate Imperium multùm fuerat ſublimatum.* Quod ipſum ELECTI nomen ſic etiam poſtea in fine Hiſtoriæ repetitur Elogio, quo illius ſtatura deſcribitur. Ab his enim exorditur verbis: RAYNALDVS, ELECTVS ARCHIEPISCOPVS COLONIÆ, *qui Canonicus primus vocabatur, ſed poſtea fuit Italiæ Archicancellarius, erat mediocris ſtaturæ* &c. D

XV. His ita explicatis, atque per hæc Archiepiſcoporum etiam Colonienſium Catalogo aliquatenùs à nobis illuſtrato, ac veritati reſtituto; redeamus ad Scriptum Briſacenſe, noſtramquè de illo ſententiam ſummatim contrahamus. Non igitur eius Sæculi Anno quinquageſimo-octauo Frede-

ricus Imperator Mediolano potitus eſt ita, vt ex eius Aſſeclis quiſpiam A
tunc Reliquias Sanctorum hic conditas potuerit ſibi aſſeruare: non alius Elector & Archiepiſcopus Colonienſis tunc aderat, quàm Fridericus ille, qui poſtero ſubinde Anno Papiæ mortuus eſt. Quamobrem ne hic quidem hoc ipſo Anno in Germaniam Briſaco tranſiens perrexit, neque illa Sanctorum Corpora Briſacenſibus donauit: atque adeò ne illa quidem hoc Anno ipſis donauit Elector & Archiepiſcopus ille Colonienſis, qui tunc adfuerat Mediolani, quando Fridericus Imperator eo potitus eſt Anno ſuperiore. Itaque ne Scriptum quidem illud cenſendum eſt verax, & authenticum, & fide dignum, & ab aliquo Viro docto propè illa tempora compoſitum.

XVI. Quòd ſi fortè Briſacenſes in eo ſaltem non errant, vt circa hæc tempora B
Colonienſis aliquis Archiepiſcopus ipſorum Maioribus bina Sanctorum Corpora donauerit, ex Vrbe Mediolano illuc adſportata, quæ miraculo illo indicarint, nolle ſe Oppidis Vrbibuſuè ad inuicem diſtrahi; hæc ego tunc temporis donata credam, & à Raynaldo, quando Corpora itidem trium Sanctorum Regum Magorum Coloniam tranſtulit; Anno nempe (ſicut à Scriptoribus communiter traditum eſt) Milleſimo centeſimo ſexageſimo-quarto, poſt miſerandam illam Mediolani excidionem, quæ tandem ab Imperatore Friderico facta fuerat Anno inde altero; ſed ea tamen Corpora verè fuiſſe, non Sanctorum Protaſii & Geruaſii, ſed aliorum, quos fama, vel etiam fortaſsè miraculi eius interpretatio, fratres eſſe vulgauerit. C

XVII. Sed ipſummet Scripti eius contextum paulò adhuc accuratiùs examinemus. *Veræ Reliquiæ* (ſic enim eius initio legebatur) *ex Arca deſumptæ argentea, in qua miraculoſa & maximè authentica requieſcunt Oſſa Sanctorum Martyrum, Geruaſij & Protaſij.* Nomine nimirùm argenteæ huius Arcæ non alia intelligi poteſt, quàm ipſummet Altare primarium Ambroſianæ Mediolani Baſilicæ. Siquidem, licet in fronte aureum ſit, in parte tamen poſteriori reliquiſquè duobus lateribus eſt argenteum. Intùs verò, inſtar quadratæ Arcæ, ſinum habet ſpatioſum & amplum: quinetiam nomen Arcæ tunc etiam obtinuit, quando ab initio constructum eſt, & iis in tergo Carminibus obſignatum, quæ Numero 57. & 73. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis ego recitabam. Sic enim ea incipiunt: D

Emicat alma foris rutiloquè decore venuſta
ARCA *metallorum, gemmis quæ compta coruſcat.*
Theſauro tamen hæc, cuncto potiore metallo,
Oſſibus interiùs pollet donata ſacratis. &c.

Si ergo Reliquiæ illæ, Briſacum allatæ, ſecundùm rei veritatem dicebantur ex Arca deſumptæ illa, in qua requieſcunt Martyrum illorum Oſſa; quis non intelligit, eaſmet Reliquias non eſſe Oſſa omnia illorum Martyrum, ſed ad ſummum eſſe aliquas ipſorum partes, & Oſsibus in eadem Arca reliquis minores? Quando itaque propè Scripti finem Reliquiæ illæ vocantur eorumdem Martyrum Corpora; certè Scripti eiuſ-

dem

dem conſtans veritas (ſi qua ſit) hoc etiam requirit, vt Briſacenſes fateantur, potiores illorum Corporum partes perſeueraſſe Mediolani, primæua ſui Arca perenniter cuſtoditas; ſibi verò pauciores illorum eſſe partes; quæ tamen Corporum appellationem obtinuerint; è pia ſcilicet illa conſuetudine, quam ego in eiſdem Monumentis comprobabam Numero 444. & 471. cui præterea luculenter adſtipulati etiam fuerunt Ioannes Molanus cùm in Vſuardi Martyrologium præfaretur Capite 23. & Auguſtinus Valerius, Veronenſis Epiſcopus, in Antiquis Sanctorum Epiſcoporum Veronenſium Monumentis pagina 35. ſecundùm Venetam editionem, Anno Domini 1576. euulgatam: Alphonſus item Villegas, cùm in ſuas pariter præfaretur Sanctorum Vitas, quas inſcripſit *Flos Sanctorum*. A B

XVIII. Atqui ne tali quidem Briſacenſium confeſsioni ego adhuc acquieſcere poſſem. Non enim tunc Martyrum illorum Corpora continebantur intra ſinum Arcæ illius ſuperioris aureæ ſimul & argenteæ, ac pauimento ſuperſtructæ, quo è ſinu deſumi extrahiquè facillimè poterant per feneſtram, in eius Arcæ tergo diſpoſitam; ſed continebantur intra puteum, ipſius Arcæ pauimento porphyretico ſubiectum, altè effoſſum, atque imperuium & inacceſſum, ſicut in eiuſdem Baſilicæ Monumentis Num. 467. & 471. argumentabar. Itaque ne volentibus quidem vltroquè offerentibus Baſilicæ ipſius Aedituis ea Corpora Colonienſis Archiepiſcopus ſibi aſſeruauit: ac multò minùs, inuitis. Etenim Baſilica illa propter Coronam, quam ibi capeſſebant Imperatores, tamquàm Imperatoria, peculiaris erat venerationis & immunitatis: & ſicut Imperatoris Friderici iuſſu tunc fuerat ab omni detrimento iniuriaquè immunis, quando Ciuitas ſolo æquabatur (vt ego docebam Num. 441.) ſic etiam eò minùs credi poteſt Sanctorum ſuorum Tutelarium Corporibus mox ſpoliata, & à Colonienſi Archiepiſcopo Reinaldo, de Imperii dignitate tam ſolicito. C

XIX. Si ergo Briſacenſes illæ Sanctorum Reliquiæ re vera fuerunt ex Arca illa ſuperiori deſumptæ; ſic ego quidem coniectandum arbitrarer; vt Ambroſianæ Baſilicæ Rectores eaſdem ſponte donauerint Archiepiſcopo Colonienſi, quem alioqui viderent Sacrarum eiuſmodi Reliquiarum auidiſsimum. Hunc igitur viciſsim eas Briſacenſibus donaſſe. Quia verò eas ipſe affirmaſſet ea ex Arca deſumptas eſſe; idcircò etiam multos inde poſt Annos à Briſacenſibus creditas eſſe Sanctorum Geruaſii ac Protaſii Reliquias. Etenim nonniſi poſt multos ab ea Mediolani excidione Annos compoſitum fuiſſe Scriptum illud, hoc mihi quidem perſuaſiſsimum eſt; nec aliud profectò erroribus indicatur illis, ad Friderici tempora pertinentibus, quos hactenùs exagitare conati ſumus ac refellere. D

XX. Ex his autem, quæ dicta ſunt hactenùs, iudicium item ferendum erit, qualeſnam ſint ex Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii Reliquiæ, quas, ex Oppido Briſaco acceptas, ſicut & alias multas, ex Ciuitate Colonienſi

Colonienſi lociſquè circumiectis collectas (quemadmodùm ipſe mihi narrare ſolebat , prӕterquamquòd è publicis etiam conſtat Documentis, ab ipſo mihi oſtenſis) amiciſsimus meus Dionyſius Bruſatus , Deo benè iuuante adhuc ſuperſtes , & octuagenarius, Melegnanenſi Sancti Ioannis Baptiſtæ Eccleſiæ iamdudùm donauit . In cuius rei memoriam Tabula illic extat marmorea , conſita parieti Cappellæ Sancto Carolo nuncupatæ , atque his inſculpta characteribus: A

DIONYSIVS BRVSATVS
San-Georgianus Mediolani Canonicus
Iuriſquè Canonici Doctor
ac Protonot. Apoſtolicus
& Oppidi huius Melegnani municeps B
quùm in comitatu Pontificiæ Legationis
Coloniam iuiſſet Agrippinam
multas illic Sanctorum Reliquias
facultate Pontificia collegit
ac Mediolanum relatas ibiquè recognitas
potiori ex parte huic Sancti Ioannis Eccleſiæ donauit.
Eaſdem verò Præfecti Fabricæ hac in ſede
quàm potuerunt honeſtiſsimè
collocauerunt
Anno Domini MDCXXII. pridie Kal. Iunij.

C

CAPVT CV.

Baſilica Nazariana recentibus Vrbis amplificata Mœnibus includitur.

I. VRbem noſtram Mediolanum Fridericus Imperator Aenobarbus Anno Domini ſupra Milleſimum centeſimum ſexageſimo-ſecundo, Ciuibus abire iuſsis , ita diruerat , vt vix quinquageſimam eius partem reliquiſſet ab excidio immunem; ſicut Acerbus Morena , tunc præſens , affirmabat Hiſtoriam proſequens Laudenſem , ab Ottone, pa- D
tre ſuo , inchoatam. Ex aduerſo autem Mediolanenſes , reſumptis viribus, & ab aliis etiam Lombardis adiuti , ad eam redierunt Anno poſtea ſexageſimo-ſeptimo : eamquè protinùs reparare ac munire incœperunt. Atqui , ne hoc quidem contenti Ciues generoſi, eamdem inſuper Anno ſeptuageſimo-primo amplificare , nouiſquè Muris & amplioribus circumdare aggreſsi ſunt: tantæquè molis opus à Porta Romana inchoarunt, nec ſine Cleri Nazariani ſumptu . Quæ quidem omnia ſatis ſuperquè teſtata iam legi poſſunt ad eos Annos in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis.

II. Tunc igitur Nazariana Baſilica, quæ priùs extra Muros Vrbis fuerat (vt

in

in hac ipſa Diſſertatione iam oſtendimus) tunc, inquam, nouis & amphoribus hiſce Muris includi cœpit. Quippe, vbi antea ſolum fuerat Vrbis Foſſatum (vbi nempe nunc Vrbi circumnauigatur) ibidem Muros etiam ingentes ac fortes excitarunt. Itaque tunc etiam Celſiana Baſilica, itemquè altera Sancti Nazarii IN CAMPO, remanſerunt extra Muros Vrbis: & hoc vſque ad Annum circiter Milleſimum quingenteſimum quinquageſimum: ſub quem Annum à Ferdinando Gonzaga, Ditionis Mediolanenſis Gubernatore, Vrbiſquè ornandæ atque amplificandæ ſtudioſiſsimo, præſentes ac longè ampliores Muri de integro extrui cœperunt. A

III. Hinc autem coniectare mihi liceat occaſionem, qua Galeſinius à vero aberrauerit, cum in Matutina Breuiarii noſtri Ambroſiani, Anno 1582. typis impreſsi, Lectione de Sanctis Nazario & Celſo affirmaret, eorum Corpora per Sanctum Ambroſium eo ex loco, in quo diu latuerant, fuiſſe IN VRBEM translata; quia nempe translata tunc fuiſſent in Apoſtolorum Baſilicam, & ibi recondita. Baſilicam nimirùm hanc Muris, è medio tandem paucos ante annos ſublatis, comprehenſam fuiſſe; nec iis comprehenſum fuiſſe hortum illum, in quo ſepulta Martyrum Corpora latuerant: Galeſinius hæc ignorare non poterat; quippecùm non modò eius tempore paſsim extarent, ſed etiam præſenti extent euidentia eiuſmodi Murorum indicia, & reliquiæ. Sin autem prætereà ille animaduertiſſet, ambitum Murorum, quibus Ciuitas noſtra, priuſquàm Aenobarbicam pateretur cladem, atque ſuperioribus etiam Sæculis vſque ad ætatem Ambroſii, non fuiſſe talem ac tantum, ſed multò fuiſſe arctiorem, ſicuti iam ſupra per nos indicatum fuit; quis eumdem credat (hominem vtique tam peritum eloquentiæ, tam cautum & prudentem ac proprietatis amantem in ſcribendo) tam ineptè in eiuſmodi Lectione ſcribere voluiſſe, vt ea nihilominùs Corpora diceret ex eo ſepulturæ loco IN VRBEM translata? Etenim tam Baſilica ipſa, quàm locus ille tunc temporis pariter erant in ſuburbiis, & extra Muros Vrbis interiores; ſicut ego alibi docebam, & hic repetere iuuat. Meo itaque iudicio Galeſinius talia non animaduertit: & hæc illi fuit occaſio aberrandi. B C

D

CAPVT

CAPVT CVI. A

Sanctus Galdinus, Archiepiſcopus, varias componit lites inter Sancti Celſi & Morimundi Abbates. Cur ille tamen interim non inſcribatur Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Quando item obierit: & quando conſtructum ab initio fuerit Morimundi Monaſterium. Aliquid etiam obiter hic habetur de Corpore Sancti Nazarii, dequè Monaſterio Gratoſolij.

I. Lites eiuſmodi à Sancto Galdino compoſitas fuiſſe: hoc ego
didici è publico illo Documento, quod Anno Domini
Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-tertio, die ſexta Octo- B
bris confectum eſſe memorabam Capite 97. Num. 5. Ar-
chetypum verò illud eſt, atque in Monaſterio Morimundi
cuſtoditur, & hunc incipit in modum: *In nomine Domini noſtri Ieſu
Chriſti. Coram Domino Galdino, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo,
Apoſtolicæ Sedis Legato, inter Domnum Iacobum Morimundenſem Abbatem, &
Domnum Marchiſium Abbatem Sancti Celſi Mediolanenſis, ſuper quibuſdam
terris & campis infra ſcriptis, & de finibus territoriorum de* CORONA-
GO, *& de Fara Baſiliana, atque de* MORIMVNDO VETERI, *contro-
uerſia agitabatur, & multæ vertebantur quæſtiones. Quas cùm difficillimum
eſſet per Sententiam decidi; placuit vtrique parti ſe per Tranſactionem Domi-
no Archiepiſcopo committere, & præſtita vicißim cautione ſub pœna centum* C
*librarum eius mandato ſtare; &, quod laudaret, attendere pariter compromi-
ſerunt.* Cùm itaque Teſtes hinc inde ſuper ipſis quæſtionibus territo-
riorum & agrorum producti fuiſſent; viſum eſt rationi conſentaneum,
vt Dominus Archiepiſcopus Heriprandum Iudicem, in eadem Cauſa
ſuum Aſſeſſorem, ad videndos ipſos fines territoriorum & camporum
mitteret; requè ipſa illum miſit; necnon etiam ille viciſsim renuncia-
uit, qualiſnam eſſet eorum ſtatus. Itaque ſuper eiuſmodi quæſtionibus
pronunciata fuit etiam Sententia. Qua per ſingulas explicata deſcrip-
taquè partes, ſic etiam protinùs adiectum legitur: *Hanc autem Concor-
diam, in ſcriptis redactam, Dominus Archiepiſcopus ſuo ſigillo inſigniri præce-
pit, vtrique Abbati vt bonus Paſtor firmiter ex æquo & bono viua voce præ-* D
*cipiens, vt eamdem Concordiam ſeu Tranſactionem firmam & inuiolabilem omni
tempore obſeruarent. Et ſic finita eſt Cauſa. Actum in Palatio Mediolanenſi
Anno Domini Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-tertio, Indictione ſeptima, ſexta
die menſis Octubris. Interfuerunt Guertius de Hoſtiolo, Gulielmus Cachinarca,
Iohannardus Canis, Guido Capellus, Arialdus de Vgiono, Albericus Pingilocus,
& alij plures Clerici & Laici.*

✠ *Ego Guiſcardus ex mandato Domini mei Galdini, Mediolanenſis Archiepiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati, & vice eius ſubſcripſi.*

✠ *Ego Rogerius ex mandato Domini Milonis, Taurinenſis Epiſcopi, & Mediolanenſis Archipresbyteri, ſubſcripſi.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Algiſius, Mediolanenſis Eccleſiæ Cimiliarcha & Cancellarius, ſubſcripſi.* A
✠ *Ego Petrus ex mandato Domini Guilielmi Sacerdotis ſubſcripſi.*
✠ *Ego Albertus, Subdiaconus, ſubſcripſi.*
✠ *Presbyter,......... conus, ſubſcripſi.*
✠ *Ego Philippus, Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus, ſubſcripſi.*
Ego Heriprandus, qui dicor Iudex, in iſta Cauſa Domini Galdini Mediolanenſis Archiepiſcopi Aſſeſſor, ex mandato eius prædictum Præceptum feci vt ſupra, & ſubſcripſi.
Datum per manum Domini Algiſij, Mediolanenſis Eccleſiæ Cimiliarchæ & Cancellarij.

Eidem autem archetypo Documento appenſum adhuc eſt Sigillum Archiepiſcopale ceteum, & figura Sancti Ambroſii ſtantis, & manu dextera benedicentis, ſiniſtra verò Baculum Paſtoralem geſtantis, impreſſum, & his circumdatum litteris, SANCTVS AMBROSIVS. B

II. Hæc ſummatim de veteribus eiuſmodi litibus, inter binos Abbates illos compoſitis. Atqui nunc timere cogor, ne fortè ſuperioris Documenti Archiuique Morimundenſis occaſione nouæ contra me lites, & à Viris etiam doctis, excitentur. Etenim contendere quiſpiam ex aduerſo poteſt primò, Sanctum Galdinum re vera non fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Cardinalem: ſecundò, ipſum ex hac vita ſublatum, non Anno Chriſti ſupra Milleſimum centeſimum ſeptuageſimo-ſexto, ſed ſeptuageſimo-tertio: denique, Monaſterium Morimundi conditum fuiſſe, non Anno Sæculi eiuſdem octuageſimo-ſexto, ſed trigeſimo-ſexto. His ergo quæſtionibus me nunc occurrere oportet. C

III. Sanctum Galdinum ex Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus fuiſſe, communis eſt Scriptorum ſententia: neque hactenùs quemquam ego reperi, qui negarit. Idipſum verò in Ambroſianæ item Baſilicæ Monumentis ſæpè vidimus affirmatum & comprobatum: videlicet Numero 431. 478. 479. 495. Atqui ne hoc quidem negari à me poteſt: plurima mihi ad manus perueniſſe Documenta publica & autentica, in quibus ille nominabatur quidem Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus; atqui numquàm nominabatur Eccleſiæ Romanæ Cardinalis; quæ tamen dignitas ſi ei aderat, certè quidem non erat ſilentio tranſigenda. Teſtimonio nobis interim ſint tam ſuperius Documentum, ex parte nuper à me recitatum, quàm illa itidem, quæ iiſdem Monumentis ego inſerui Numero 512. 522. 533. 536. 609. Hinc igitur fortaſsè quiſpiam Galdinum ſuſpicabitur, vel etiam præfractè contendet, numquàm fuiſſe Romanæ, ſed ſolùmmodò Mediolanenſis Eccleſiæ Cardinalem, hoc eſt, Metropolitanæ huius Canonicum Ordinarium. Quippe Maioris huius Ordinis homines appellati ſunt etiam Cardinales; quemadmodùm in eiſdem quoque Monumentis vidimus aliquoties, & præſertim Numero 302. Annoquè Chriſti Milleſimo centeſimo-quinto. Verumtamen ita ſuſpicari, vel etiam contendere, quiſquis ille ſit, deſinet, vt ſpero, ſtatimatque ſubſequentem perceperit Onuphrij Panuini doctri- D

nam, ex ipſius Libro De Epiſcopatibus, Titulis & Diaconiis Cardinalium: quem nuper in Ambroſiana Bibliotheca Librum ego legi, & manuſcriptum, & Pariſienſibus impreſſum typis Anno Domini 1609. A

IV. In hoc igitur exemplari, tunc impreſſo (cui conſentit etiam manuſcriptum) accuratiſsimus ille Antiquitatum Inueſtigator ſic obſeruatum pagina 21. reliquit: *Antiquitùs porrò mos fuit (qui etiam per mille Annorum ſpatium ſeruatus eſt) vt Presbyter Cardinalis Vrbis Romæ, neque Epiſcopus eſſet, vel Epiſcopatum adminiſtraret, vel ex Epiſcopo fieret Presbyter Cardinalis; cùm maior dignitas tunc fuerit eſſe Epiſcopum cuiuslibet Diœceſis, quàm Cardinalem; quòd ex Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ (ſecùs quàm nunc obſeruatur) Epiſcopi diuerſarum Ciuitatum creati fuerint. Ex Cardinalatu enim gradus erat ad Epiſcopatum; ſicut nunc ex Epiſcopatu ad Cardinalatum: Cardinaliſquè Presbyter, Epiſcopus factus, eſſe Cardinalem deſinebat; ſicut nunc* B *Epiſcopus, Cardinalis factus, ampliùs non appellatur Epiſcopus, ſed Presbyter Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Adminiſtrator perpetuus illius Epiſcopatus; quòd ſe inuicem compati non poſſint eſſe Presbyterum Cardinalem Vrbis Romæ, & Epiſcopum alterius Eccleſiæ. Repugnant enim Presbyter & Epiſcopus; quòd antiquis Canonibus cautum fuerit, vnum hominem nonniſi vno Sacerdotio potiri poſſe. Verùm, cùm Cardinalium maieſtas cum Romani Pontificis auctoritate in dies creſcere cœpiſſet, multiquè Cardinales eſſe ambirent; poſtea paulatim vſurpatum eſt, vt ex Epiſcopis fierent Cardinales. Et primò vſus fuit, vt ex Epiſcopis non Cardinalibus fierent Epiſcopi Cardinales, & non Presbyteri vel Diaconi: pòſt, etiam ex Epiſcopis Presbyteri fieri cœpti: pri-* C *muſquè omnium ex Epiſcopo Viterbienſe & Tuſculanenſe Cardinalis Presbyter Tituli Sancti Clementis factus fuit Ioannes quidam: item ex Epiſcopo Ariminenſi Cardinalis Presbyter Tituli Sanctæ Praxedis factus eſt alius, Rufinus nomine, à Clemente Tertio Papa, circa Annum Domini 1190. Primò enim Cardinales Presbyteri nonniſi ex Monachis, vel Abbatibus, Decanis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Prioribus, & cæteris eiuſmodi hominibus fiebant. Poſt Clementem verò Tertium paſsim vſurpari cœptum eſt, vt non ſolùm Presbyteri Cardinales, ſed etiam Diaconi, ex Epiſcopis, licet ante Conſecrationem, crearentur. Qui enim Epiſcopi ordinati erant, fiebant Presbyteri: qui non, ſed adhuc electi, ordinabantur Diaconi. Et quoniam (vt dixi) Presbyter & Epiſcopus ſe inuicem pati non poſſunt; qui ex Epiſcopis facti ſunt Presbyteri Cardinales, perpetui Adminiſtratores deinceps illorum Epiſcopatuum, non Epiſcopi,* D *appellati. Qui verò Diaconi Cardinales creati ſunt, Electos ſe illius Epiſcopatus nominabant. In qua re vſque ad Clementem Quintum temperantes fuerunt Romani Pontifices. Auinione verò paſsim, & nulla habita antiquiſsimi inſtituti ratione, obſeruatum eſt: nulluſquè ferè Cardinalis creatus, qui non haberet Epiſcopatum, vel in Titulum, vel in Commendam, vel in perpetuam Adminiſtrationem: quæ omnia nomina Auinione inuenta ſunt. Hæc autem conſuetudo vſque ad noſtra tempora perdurauit: in quibus eò deuentum fuerat, vt vnus Cardinalis Presbyter, vel Diaconus, non vnum tantùm haberet in Commenda Epiſcopatum, ſed aliquando tres, quatuor, vel quinque, & ali-*

quando

quando ſex. Cui rei modus quidam impoſitus fuit in Concilio Tridentino. Sed hæc alibi latiùs &c. A

V. Et rurſus pag. 33. *Poſtea alia conſuetudo circa Alexandri Tertii Pontificatum inualuit, vt is Epiſcopus Cardinalis crearetur, qui in Cardinalium Collegium cooptandus alterum haberet Epiſcopatum non Cardinalem, vel Archiepiſcopatum. Cùm enim vſque ad ea tempora ex Cardinalibus Presbyteris vel Diaconis Epiſcopi per Orbem vniuerſum crearentur, atque ex Cardinalatu gradus eſſet ad quemlibet Epiſcopatum, Epiſcopuſquè ex Presbytero vel Diacono Cardinali factus, Cardinalis eſſe deſiiſſet; tunc, creſcente cum Romani Pontificis Cardinalium maieſtate, è contra ex Epiſcopis aliarum Diœceſeum Cardinales Epiſcopi primò, mox Presbyteri creari cœperunt. Legimus enim, multos Cardinales Romanæ Eccleſiæ non ſolùm Epiſcopos factos Epiſcopatuum ipſorum, qui poſtea Cardinales appellati ſunt, ſed etiam aliarum Eccleſiarum, vt Piſanæ, Mutinenſis, Ortanæ, & Parmenſis, qui ampliùs Cardinales non appellabantur; cùm Epiſcopalis dignitas maior eſſet Cardinalitia. Cardinalis enim Presbyter medius erat locus inter Epiſcopum & cæteros Presbyteros non Cardinales. Sub Alexandro autem Tertio, ſub quo Romana Eccleſia ad maximum in terris faſtigium euecta fuit, Imperatore potentiſſimo Friderico Aenobarbo, eoquè Eccleſiæ Romanæ infeſtiſſimo hoſte, conculcato, victo, pacemquè ab Eccleſia petere coacto; tum primùm ex Epiſcopis verſa vice Cardinales fieri cœpti. Cardinalium enim dignitas cum Eccleſiæ & Romani Pontificis dignitate ſemper creuit; tunc autem maxima erat. Qua ratione factum eſt, vt Epiſcopi multi eam ambirent dignitatem, qua tantùm gradus ad Maximum erat Pontificatum. Primus igitur Conradus quidam Germanus, Imperatoris Friderici affinis, ex Archiepiſcopo Moguntino factus eſt Epiſcopus Cardinalis Sabinus, occaſione tum huius nouitatis accepta, quòd ab Imperatore Friderico Archiepiſcopatu Moguntino exactus eſſet. Quem poſtea, ſublato ſchiſmate, cùm recuperaſſet, eum cum Eccleſia nihilominus Sabina vſque ad mortem retinuit.* In hoc tamen Onuphrius paululùm declinat ab Hiſtoriæ veritate: de qua videri poteſt Baronius ad Annum 1163. Art. 16. & ad Annum 1177. ab Art. 73. vſque ad 76. Sequitur Panuinius: *Hinc exortum eſt, vt, quoties accideret aliquos creari Cardinales, qui Epiſcopi vel Archiepiſcopi eſſent, ſingulis vna ex Cardinalibus Eccleſiis tradebatur; quòd tunc incongruum videretur ex Epiſcopo Presbyter fieri, ſed minùs inconueniens ex Epiſcopo vel Archiepiſcopo fieri Epiſcopus Cardinalis. Hac igitur occaſione Epiſcopi Cardinales creabantur, vt omnibus locus eſſet ad Cardinalatus dignitatem. Reliqui verò, qui non erant Epiſcopi, ſi eos Cardinales creari contigiſſet, vel Presbyteri vel Diaconi creabantur &c.* Sic igitur è Panuinii teſtimonio ſatis iam liquet, quid cauſæ fuerit, cur Galdino titulum Presbyteri Cardinalis nunquàm videamus adſcriptum ex eo tempore, quo Mediolanenſem ille Archiepiſcopatum obtinuit. Quocirca nihil etiam hoc vetat, quominùs antea fuerit creatus Eccleſiæ Romanæ Presbyter Cardinalis; quemadmodùm Scriptores alii tam multi nobis adhuc atteſtati fuerunt; quinetiam ſicut Matutina eiuſdem Sancti Lectio, in Ambroſiano Breuiario per Sanctum itidem Archie-

B C D

piſcopum & Cardinalem Carolum Borromæum diſpoſita, luculentiſsimè conteſtatur. Quoniam ergo creatus abſque dubio iam ante fuerat Cardinalis; certè quidem grati viciſsim animi ergo nos id quoque diſertiſsimè contendemus; eam Onuphrii doctrinam talibus etiam hiſce noſtris Documentis, ad Galdinum ſpectantibus, mirificè illuſtrari, confirmari. A

VI. Eamdem porrò doctrinam breui compendio ſectatus etiam eſt doctiſsimus è Societate Ieſu Hieronymus Platus in Libro *De Cardinalis dignitate & officio*. Etenim Capite 4. contra Iacobatium (Libro 1. De Concil. Num. 121.) probans, ante Clementis Quinti Pontificatum in vſu fuiſſe, vt ex Epiſcopis fierent Cardinales: idquè cœpiſſe aſſerens circiter Alexandri Tertii tempora, ſic inquit: *Tunc enim Eccleſiæ temporalis dignitas magnoperè illuſtrata eſt, cùm Federicus Aenobarbus Imperator fractus atque Pontifici ſubiectus eſſet. Quare, quod quidem ſcriptis extet, primus omnium Conradus Archiepiſcopus Moguntinus Cardinalatu ornatus eſt* &c. Verumtamen in eo poſtea Platus fallitur, quod paulò pòſt ſubdit: *Non poſſum tamen alterum exemplum ex eadem Mediolanenſi Eccleſia* (quippe ſuper & proximè de Sancto Cardinali & Archiepiſcopo noſtro Carolo Borromæo fuerat locutus) *reticere, Galdini Salæ, qui Anno* 1165. *ab Alexandro Tertio primùm eius Ciuitatis Archiepiſcopus, paulò pòſt Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus, totiuſquè Longobardiæ Legatus* &c. Non enim Galdinus creatus fuit ex Archiepiſcopo Cardinalis, ſed è Cardinali Archiepiſcopus; ſicut è noſtris quoque iam conſtat Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 478. 479. & 482. Quid, quòd etiam neceſſe eſt, vt Platus idipſum fateatur; ſi tamen ſibi contradicere nolit? Si enim Galdinus ex Archiepiſcopo creatus fuiſſet Cardinalis; certè ipſe potiùs, quàm Conradus Archiepiſcopus Moguntinus, dici deberet primus omnium Cardinalatu ornatus. B C

VII. Quæ nunc ſecunda nobis quæſtio ſuccedit, hæc eſt: quoto præcisè Anno Galdinus occubuerit. Septuageſimo-ſexto ſupra Milleſimum centeſimum Anno, decimaquè octaua die Aprilis, occubuiſſe illum iam diximus in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis: idemquè curſim repetebamus etiam ſuperiori Capite 97. Num. 5. cùm ſuſpicionis, ex aduerſo imminentis, & ex Archiuo Morimundenſi proſilientis, innuerem cauſam, eiquè reſpondendo feſtinus & impatiens moræ occurrerem. Nunc ergo bina illa in contrarium Documenta proferre iuuat: videlicet, vt eò ad fidem aptiùs innoteſcat, quanta ego veritate animiquè candore illic reſponderim. D

VIII. Primum ergo ſic ſe habet:

. . . . Ar . . *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſep-*
. . . . nal . . *tuageximo-tertio, ſecundo die menſis Nouembris,*
. . . . dus . . *Indictione ſeptima. Placuit atque conuenit inter Petrum & Guidonem, qui dicitur de Luat, de Ciuitate Mediolani, necnon & inter Domnum Rogerium, Priorem Monaſterii* DE MIRIMONDO, *vt in*

Dei

Dei nomine debeant dare, ſicut ad præſens dederunt, ipſi Petrus & Guido eidem Priori ad partem & vtilitatem ipſius Monaſterii, ad habendum & tenendum ſine vllo cenſu reddendo libellario nomine vſque in perpetuum: hoc eſt, totam eorum partem, quæ eſt medietas trium portionum totius decimæ de loco & fundo Ozano, & eius territorio, ſicuti idem Petrus & Guido & eorum Maiores tenebant & poſſidebant in iſto loco & eius territorio, in eodem maneat libello in integrum: eo tenore &c. *Actum in iſta Ciuitate.* A

. . . . *Signa* . . . . *manuum iſtorum Petri & Guidonis* &c.
. . . . *Signa* . . . . *manuum Manfredi & Anſelmi*, &c. *Teſtium.*
. . . . *Ego Iohannardus Iudex, qui dicor Canis* . . . . *tradidi & ſubſcripſi.*
. . . . Ar . ✠ *Ego Algiſius, Mediolanenſis Archiepiſcopus, ſubſcripſi.* B
. . . . nal . *Ego Arnaldus Carenzionus, Sacri Palatii Notarius* . . . . .
. . . . dus . *hanc Chartam ſcripſi.*

IX. Alterum verò Documentum ſimiliter eſt huiuſmodi:

. . . . Ar . *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſeptuageximo-tertio, ſexto-decimo die menſis Nouembris,*
. . . . nal
. . . . dus . *Indictione ſeptima. Placuit atque conuenit inter Albertum & Miralbergum, germanos filios* . . . . *qui dicebantur de Aliate, de Ciuitate Mediolani, necnon inter Domnum Iacobum, humilem Abbatem Monaſterii Eccleſiæ Sanctæ Mariæ* DE MIRIMVNDO, *vt in Dei nomine debeant dare, ſicut ad præſens dederunt, Albertus & Miralbergus eidem Abbati ad partem & vtilitatem ipſius Monaſterii, ad habendum & tenendum ſine vllo cenſu reddendo libellario nomine vſque in perpetuum: hoc eſt, medietatem trium partium totius decimæ de loco & fundo Ozano, & eius territorio, ſiue finita: & inſuper totam illam decimam, quam* . . . . *eius emerunt ab Vgone Franguello de iſta Ciuitate in iſto loco Ozano, & eius territorio, ſicut ipſi germani & eorum Maiores habebant & tenebant* &c. *Actum in iſta Ciuitate* . . . . *in caſa* C

. . . . *Signa* . . . *manuum iſtorum germanorum* . . . .
. . . . *Signa* . . . *manuum Mirani de Cumis, Mainfredi, & Anſelmi* . . . .
. . . *Ego Iohannardus Iudex, qui dicor* . . . . *hanc Chartam tradidi & ſubſcripſi.* ✠ *Ego Algiſius, Mediolanenſis Archiepiſcopus, ſubſcripſi.* D
. . . . Ar . *Ego Arnaldus Carenzionus, Sacri Palatii*
. . . . nal . *Notarius, hanc Chartam ſcripſi.*
. . . . dus .

X. Talia ſunt igitur ſuperiora duo Documenta, talis eſt eorum materia, talis eſt eorum contextus: è cuius quidem contextus verbis à me recitatis reliqua item à me prætermiſſa (quippe quæ nihil peculiare, ad præſentem pertinens quæſtionem, continerent) coniectare facillimum eſt. Talia igitur ea ſunt etiam ſecundùm ſui contextum & materiam, vt nullam ſuapte natura ſibi requirant Archiepiſcopi Mediolanenſis ſubſcriptionem. Quocirca etiam iſtam (quam ego cæteroqui liberrimè fateor

Algiſii

Algiſii Archiepiſcopi verè manu exaratam eſſe, multiſquè aliis, quas eius alibi vidi & indubitatas, planè per omnia conformem) in eiſdem Archetypis videre licet reliquis ſubſcriptionibus ſuperadditam, & in eo collocatam ſitu, qui reliquis vacuus & liber ſuperfuerat. Itaque ne illa quidem vſpiàm collocata eſt in eo pergamenæ chartæ ſitu, è quo reliquarum initia ſubſcriptionum deducuntur (hic enim totus à reliquis occupatus eſt) ſed in altero, vt dicebam, inter reliquas vacuo & libero; & in eum fermè modum, quem hic ego expreſsi; tametſi re vera in vtroque Archetypo propter chartæ latitudinem magis euidenter hoc appareat, quod ego hic exprimere ac velut oculis ſubiicere conor. A

XI. Cùm igitur eiuſmodi Documenta ſubſcriptionem Archiepiſcopi noſtri non depoſcerent ſibi ſuapte natura, ſecundùm quam contexta fuerunt: cùm præterea ſubſcriptionem illam ego cernerem in eo, quem dixi, collocatam ſitu, longè nimirùm aliter, quàm per ea tempora ſolerent Archiepiſcoporum noſtrorum ſubſcriptiones, quibus Documenta ſtatimac condita firmabantur, quo ex genere multa ego adhuc vidi, nonnulla etiam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, ac nominatim Num. 574. & 577. recitaui: cùm denique aliæ inſuper multæ mihi ſuppeterent aliunde rationes, quas etiam mox indicabo; inde profectò factum eſt, vt binas illas Algiſii ſubſcriptiones cenſuerim, non eo protinùs factas tempore, quo Documenta ipſa confecta ſunt; ſed poſt aliquot inde Annos; nimirùm intra illos, quos Algiſius poſt Sancti obitum Galdini Archiepiſcopalem hanc Sedem obtinuit; quoſquè iam ego in meis Monumentis, Num. 543. 547. & 589. ab Anno ſupra Milleſimum centeſimum ſeptuageſimo-ſexto computabam vſque ad octuageſimum-quintum. Fortè ſiquidem aliquæ poſtea lites interim excitatæ fuerunt aduersùs ea Documenta, Decimaſquè illas, Monaſterio traditas: quibus litibus è medio tollendis prodeſſet, ſubſcriptionem quoque illam de nouo ſuperaddi, velut ad comprobandos atque corroborandos Archiepiſcopi etiam tunc noſtri auctoritate Contractus, per ea olim Documenta firmatos. B C

XII. Simile porrò aliquid ego nonnumquàm vidi factum in aliquot item aliis publicis Documentis: præ quibus vnum ſingillatim nominare iubet, ſanè quidem celeberrimum, quod & à Canonicis & à Monachis Ambroſianæ Baſilicæ aſſeruatur. Sententiam illud continet, à Iordano, Archiepiſcopo noſtro, pro Sacerdotibus Ordinis Genteni Decumanis contra nonnullos alios Vrbis noſtræ Cappellanos pronunciatam *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo decimo-nono, tertio die menſis Nouembris, Indictione decima-tertia*. Eiquè ſubſcriptum ante alios omnes ſic etiam legitur: *Ego Iordanus, Archiepiſcopus, ſubſcripſi*. Cumquè poſt alios etiam multos Notarius ipſe tandem ſubſcripſiſſet; tum verò ſubſcriptum ſic etiam rursùs eſt: *Ego Olricus, gratia Dei Archiepiſcopus, ſubſcripſi*: Olricus nimirùm ille, qui priùs fuerat Baſilicæ Metropolitanæ Archipresbyter, quiquè poſt Iordanum ipſum ac poſt multos eius Comprouinciales D

Epiſcopos

Epiſcopos primus aliorum multorum ſubſcripſerat in hæc verba : *Ego Olricus, Archipresbyter, & Vicedominus, interfui, & ſubſcripſi* : Olricus, inquam, ille, qui Iordano deinde ſuffectus fuit nonniſi poſteaquàm hic Anno Domini Milleſimo centeſimo vigeſimo, menſe Octobri, obiiſſet; quemadmodùm ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis oſtendebam Numero 333. Cùm igitur Olricus iam eſſet Archiepiſcopus, ei quidem Sententiæ nonniſi poſt Iordani obitum, & aliquandiu poſt quàm publicum illud Documentum abſolutè perfectum fuiſſet, ſubſcripſit. Quidni verò aliquam item ſubſcripſit ob cauſam illi ſimilem, quam ego de duobus illis Documentis coniectabam? A

XIII. Venio nunc ad rationes, aliunde collectas, quas paulò ante pro interpretatione hac mea innuebam. Prima eſt illa, quam curſim Capite 97. Num. 5. præmittebam. Deſumpta verò eſt hinc ex ipſius Archiui Morimundenſis Documento illo, quod ſuperiori Num. 1. proferebam: inde verò ex Aprili menſe, intra quem Sanctus Galdinus è communi Scriptorum traditione occubuit. Si enim Galdinus viuebat Anno Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-tertio, die ſexta Octobris, quemadmodùm ex eo Documento certiſsimè conſtat: ſi eodem Anno, die ſecunda Nouembris, iam illi (nempe mortuo; nec enim aliter hoc ſupponi poteſt) Algiſius in Archiepiſcopalem Sedem ſucceſſerat; nonne igitur Galdinus occubuiſſe cenſendus eſt intra temporis ſpatium, è ſexta illa Octobris die vſque ad ſecundam Nouembris elapſum? Non igitur altera ex parte ille occubuit Aprili menſe. Certè autem hoc ipſo menſe ille occubuit. Quocirca verè non occubuit intra modicum illud temporis ſpatium, è ſexta Octobris die vſque ad ſecundam Nouembris elapſum. Itaque ne verè quidem Algiſius ſupponi crediquè poteſt eadem illa Nouembris die Archiepiſcopus fuiſſe, atque Documento tunc illi, eadem illa die confecto ſubſcripſiſſe. Quòd ſi verè tunc illi non ſubſcripſit; reliquum ergo eſt, vt alio poſtea tempore, ac ſaltem poſt decimam-octauam (qua, ſicut ego aliàs probaui, Galdinus obiit) ſubſequentis Aprilis Anniquè diem ſubſcripſerit. Hoc autem ſemel dato, contraquàm eius Documenti tempus depoſcere videbatur; quid repugnat, quominùs eidem potiùs ſubſcripſerit poſt decimam-octauam diem ſubſequentis Aprilis Anniquè ſimul ſeptuageſimi-ſexti? Quid item, quominùs ex ea pariter die vſque ad Annum etiam octuageſimum-quintum, quo tandem Algiſius etiam ipſe ſupponitur obiiſſe? Numquid ii fortè omnes falluntur ac fallunt, qui Galdinum Aprili menſe mortuum eſſe aſfirmarunt? Numquid fortè Octobri potiùs eum menſe mortuum aſſerere debebant; & adeò maturè, vt ante ſecundam proximi Nouembris diem Archiepiſcopatus Mediolanenſis iam eſſet in Algiſium translatus? Abſint hæc à nobis, & ab vnoquoque ſanæ mentis homine, commenta: fixumquè nobis & perſuaſiſsimum remaneat, Galdinum re vera non alio mortuum eſſe menſe, quàm Aprili: proindequè reliqua item illa pronunciati huius conſectaria mordicùs teneamus, omniquè ope tueamur. B C D

XIV. Hucuſque

XIV. Hucuſque nobis prima illa ratio, quam præſentis initio Numeri polli- A
cebamur. Secunda nunc & tertia ſuccedat, è noſtris Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis deprompta. Etenim Numero 533. recitatum à nobis iam eſt Pontificis Alexandri Tertii Diploma, datum Anno Domini Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-quarto, quarto Idus Februarii: quo in Diplomate Sanctus item Galdinus nominabatur, non tamquàm mortuus (quo tamen modo nominabatur eius deceſſor Robaldus) ſed tamquàm inter viuos tunc etiam agens. Præterea verò Numero 536. archetypum produximus ex Ambroſiani Monaſterii Archiuo Documentum, Anno pariter Domini Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-quarto, decima die menſis Aprilis, confectum coram eodem Domino Galdino Archiepiſcopo, certè non mortuo, ſed adhuc ſuperſtite. Quo quidem B
Documento apertiſsimè opinio prædicta, quæ propter bina illa Morimundenſis Archiui Documenta, manu Algiſii ſubſcripta, inſurgere fortaſsè contra nos poſſet, confutatur.

XV. De hac autem ſecunda quæſtione ſic ego iam ſcripſeram ſuperiore Anno 1652. poſteaquàm tria illa Morimundenſis Monaſterii Documenta præ manibus tandem habuiſſem, atque diu attenteque inſpexiſſem, quinetiam multis aliis veterum ſcriptorum peritis oſtendiſſem. Quippe, qualia eſſent illa, ipſemet Mediolanenſis huius Baſilicæ Metropolitanæ Archipresbyter, Carolus Andreas Septalius, Anno 1649. die tertia Iulii per Epiſtolam ſuam ex Vrbe Roma me admonuerat; cùm illic tunc temporis eſſet; cumquè illa ſibi ab eruditiſsimo Ferdinando Abbate Vghello C
fuiſſent oſtenſa; quinetiam cùm rogatus ab eo fuiſſet, vt ex me ſciſcitaretur, quid ſentirem. Protinus ergo per Epiſtolam viciſsim reſpondi, ea quidem Documenta mihi nondùm eſſe conſpecta, quemadmodùm cæteroqui ſummopere optarem; ſed interim tamen iis (qualiacumque ſint) abſque dubio aduerſari archetypum, nedùm authenticum, illud Anno Domini 1174. decima menſis Aprilis die coram eodem Domino Galdino Archiepiſcopo & in eius Palatio confectum, quod ego iam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis (quorum exemplar penès ipſum Patrem Vghellum iam eſſe ſciebam) Num. 536. ad verbum recitaſſem; aduerſariquè præterea menſem Aprilis, intra quem Sanctus Galdinus ab Eccleſia Mediolanenſi, necnon etiam Romana, communiter crederetur ex D
hac mortalitate diſceſsiſſe. Talia ergo breuiter tunc reſpondi. Cùm verò poſtea Diſſertationem hanc meam, poſteriori Anno inchoatam, proſequerer, & ad præſens Caput ventum eſſet; hæc etiam, quæ proximè dicebam, differui; & planè quidem inſcius, quid Vghellus tandem ſibi cenſendum deliberaſſet.

XVI. Hæc ipſa verò, ſicut & vniuerſam Diſſertationem hanc, intra præſentis Anni 1653. menſem Auguſtum vix recognoueram; cùm ecce mihi ex Vrbe Roma præſtò ſunt Quartum & Quintum Italiæ Sacræ Volumina, per eumdem Vghellum recenter euulgata: in quorum primo de Mediolanenſibus Archiepiſcopis agitur. Hic ergo ille Num. 87. inſinuat,

quid

Digitized by Google

quid ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis iam contenderim, Sanctum videlicet Galdinum Anno 1176. defunctum eſſe: tum etiam ſemetipſum fatetur in eadem antehac ſententia mecum fuiſſe; verùm poſtea, talibus illis Morimundenſis Monaſterii Monumentis (quæ pariter exſcripta recitat) permotum, ſimul cum pluribus aliis Viris Eccleſiaſticarum antiquitatum peritiſsimis, quibus illa communicauit, exiſtimaſſe, *cæteros hallucinatos fuiſſe, qui poſt Annum* 1173. (perperàm enim legitur ibi 1172.) *Galdinum defunctum aſſeruerunt.* A

XVII. Subinde verò, me veluti reclamante, ſibi obiicit publicum illud Documentum, coram eodem Domino Galdino Archiepiſcopo & in eius Palatio confectum Anno 1174. decima die menſis Aprilis, & à me recitatum in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 536. nec aliud reſpondet, quàm quod his verbis: *Verùm Documentum* (illud nempe) *non vidi; quemadmodùm illa duo noſtra, ſupra relata: quæ iterùm atque iterùm examinata atque accuratè diſcuſſa vnà cum docto Viro Carolo Andrea Septalio, Archipresbytero Mediolanenſi, non leuibus quibuſquè coniecturis, ſed ex ipſius Algiſij ſua manu ſubſcriptis vetuſtis archetypis monumentis, de Algiſij in Mediolanenſis Eccleſiæ ſucceſsione, ſatis exploratum habemus, illum Mediolanenſem Archiepiſcopum fuiſſe Anno* 1173. *die ſexta* (legendum videtur *ſecunda*, congruenter vtique ad primum illud Morimundenſe Documentum, ab Algiſio Archiepiſcopo ſubſcriptum) *Nouembris, ſeptimæ Indictionis.* Itaque ſi Vghellus noſtrum itidem illud vidiſſet Documentum, & archetypum, & ab omni ſuſpicionis vmbra liberrimum, & apud ſuos Ambroſiani Monaſterii Ciſtertienſes in Archiuo cuſtoditum, ſicut ego illud optimè vidi; ſperarem profectò futurum fuiſſe, vt hac in parte non à me diſſenſiſſet. B C

XVIII. Subdit autem ille rurſus: *Quod autem narratur in Actis Galdini, eum obiiſſe die decimo-nono Aprilis, vel decimo-octauo eiuſdem, vt alii volunt, Dominica ſecunda poſt Dominicæ Reſurrectionis Paſcha, ſicut etiam olim fuerat eodem die conſecratus; videtur ſatis luculenter Documentis aduerſari, quibus conſtat, Galdinum in viuis fuiſſe eodem Anno* 1173. *die ſexta Octobris; & elapſo menſe Algiſium ſubſcriptum Mediolanenſem Archiepiſcopum; quod eſſe non potuit, niſi defuncto Galdino; niſi etiam aſſerere velimus, Algiſium eo tempore Galdini Coadiutorem fuiſſe; vel Galdinum eo quidem menſe Octobris ex hac vita ad cælum euolaſſe, cuius celebritas inde, ex vſu Mediolanenſis Eccleſiæ, non mortis eius die, ſed Conſecrationis, hoc eſt ſecunda Dominica poſt Paſcha Reſurrectionis, deinceps vſque ad Sancti Caroli Archiepiſcopi tempora celebraretur.* D

XIX. Sed ego quidem neutrum illorum aſſeruerim. Non primum; quia nimis ineptum & inſulſum eſt, vt, quia Coadiutor Archiepiſcopi eſſet (hoc enim etiam concedamus, de quo non conſtat, quinetiam cui Documentum aduerſari videtur illud, quod eodem Anno 1173. die ſexta Octobris factum & ab ipſo quoque Algiſio, tunc temporis Cimiliarcha, & Archiepiſcopali Cancellario, ſubſcriptum eſt) propterea ſemet-

ipſum abſolutè nominaret Archiepiſcopum; cùm præſertim ex electione A
ipſa; quæ deinde ſubſecuta eſt, quæquè tam controuerſa fuit antequàm
in Algiſium caderet, liquidò conſtet, eum non antea fuiſſe Galdini
Coadiutorem *per futuram* (vt nunc loqui ſolent) *ſucceſsionem*. Non ſe-
cundum; quia Mediolanenſis Eccleſia diſertiſsimè, profitetur, eum à ſe
diem Sancto Galdino dicatum eſſe, non quia conſecratus eo die fuiſſet
Archiepiſcopus, ſed quia ex hac mortali denique ad immortalem bea-
tamquè vitam euolarit; præterquamquòd illa etiam non tacet, ipſum
eadem, ſiue pari, Aprilis die tam conſecratum fuiſſe olim, quàm de-
nique mortuum.

XX. Accipe verò nunc, quid Vghellus hic tandem adiiciat, & an ſuæ ipſius
contra nos opinioni contrarius. *Cæterùm* (inquit) *poſt exceſſum Galdini* B
*partium ſtudia Mediolanenſem Clerum ſciderunt. Pars enim Vbertum Cribel-
lum Archidiaconum promouerunt ad Sedem: pars altera Milonem Cardanum,
Epiſcopum Taurinenſem, nihilominùs Metropolitanæ Eccleſiæ Archipresbyterum,
declararunt Archipræſulem, donec, per denas hebdomadas eiurata diſcordia in
vnum Algiſium Pirouanum Cimiliarcham, vnanimi conſenſu contulere ſuffra-
gia. Cuius deinde electionem Alexander Tertius ratam habuit.* Talia vtique
ipſe ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 540. iam innueram
ex Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogo, in Codice Beroldi propè
finem conſcripto (de quo quidem in vniuerſum iam ſupra dixi Capite
97. Num. 8.) ac præterea è Gualuaneo Flamma, & è Catalogo *Suc-
ceſſores Sancti Barnabæ in Eccleſia Mediolanenſi* inſcripto. In eo quidem C
apud Beroldum Catalogo, cuius verba illic ego prætermiſeram, ita
legitur: *Sanctus Galdinus ſedit Annis decem: eadem die conſecratus & mor-
tuus eſt. Obiit autem decimo quarto Kalendas Maii, ſupra pulpitum Beatæ Te-
glæ prædicans Populo verbum Fidei & veritatis, & præcipuè contra Catha-
ros. Sepultus eſt in eadem Eccleſia iuxta pulpitum. Fuerunt autem ab obitu
ipſius vſque ad electionem Domini Algiſij ſeptimanæ decem, & dies quatuor
Incarnationis Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-ſexto, decimo-octauo menſis
Aprilis.* Tam diuturnæ verò poſt Galdini obitum vacationis, ex ea diſ-
cordia coortæ, mentio ibidem fit rursùs in Henrico poſtea de Setara,
ſiue Septalio, poſt diſsidium, ad menſes decem ac dies viginti proro-
gatum, electo denique per Pontificem Romanum Anno 1213. die D
quarta Nouembris: & ea quidem mentio his renouatur verbis: *Et no-
tate, quòd paucis ante temporibus, mortuo Beato Galdino, quaſi ſimilis, ſed
non tam prolixa, fuit contentio inter Archipresbyterum & Archidiaconum: prop-
tèr quorum contentionem Electores & Epiſcopi huius Eccleſiæ, vtroque illorum
abiecto, elegerunt Dominum Algiſium de Pirouano, qui erat ſimiliter Cimiliar-
cha & Presbyter, quo nullus poſtea vſque nunc fuit huic Eccleſiæ vtilior.* Si
ergo à Galdini obitu ad Algiſii electionem denæ interceſſerunt hebdo-
madæ, quemadmodùm fatetur etiam Vghellus; videat ille nunc, obſe-
cro, quemadmodùm Galdino, qui quidem adhuc Anno 1173. die ſexta
Octobris viuebat, ſublectus iam eſſe poſſet Algiſius ſecunda ſubſequen-

tis

tis Nouembris die. Quocirca ne ſibi quidem ipſi Vghellus in hac ſua contra nos opinione conſentit. A

XXI. Sed ex altero etiam capite ne conſentit quidem veritati; ſi tamen verum eſt, quod communiter à Scriptoribus noſtris traditur; Algiſium videlicet Archiepiſcopum non ſediſſe vltra octo Annos ac nouem Menſes. In Catalogo quidem proximè producto ſic item habemus: *Algiſius de Pirouano ſedit Annis octo; & menſibus nouem, quinque diebus minùs. Vacauit autem Sedes per menſem vnum, & dies vndecim. Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali, iuxta pulpitum*. Si enim Algiſius Anno Milleſimo centeſimo octuageſimo-tertio mortuus eſt tertio Calendas Aprilis, vt pariter fatetur Vghellus; non igitur ille iam ſedebat ſeptuageſimo-tertio illo Anno, ac ſecunda Nouembris die; atque adeò ne tunc quidem Archiepiſcopus ſubſcripſit ei Documento Morimundenſi, quod tunc temporis confectum eſt. Quid, quòd etiam ne Anno quidem illo Algiſius octuageſimo-tertio re vera mortuus eſt? In Clareuallenſi enim apud Vrbem noſtram Monaſterio, extra Portam Romanam conſtructo, archetypum extat & à me quàm optimè lectum fuit Documentum, ab ipſomet Algiſio ſubſcriptum Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo octuageſimo-quarto, vltimo Iulii die, Indictione ſecunda: & his præcisè ſubſcriptum verbis: *Algiſius, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſubſcripſi*. Quòd ſi verè mortuus etiam ille fuit tertio Calendas Aprilis, vt Vghellus affirmabat; certè ſequitur, vt ne hoc quidem Anno octuageſimo-quarto mortuus ſit, ſed ad minus octuageſimo-quinto: à qua quidem opinione poſtea Vghellus non abhorret, dum Triſtanum ſequitur Chalcum. B C

XXII. Atque huc profectò calculatio item noſtra proximè accedet; ſi temporis rationem, Catalogo illo deſcriptam, nos è noſtra de Galdini obitu ſententia metiamur; ſicut etiam ex iis colligi poteſt, quæ Numero 589. in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis tradebamus. Ab Aprilis enim die decima-octaua, qua Galdinus obiiſſe ſupponitur, vſque ad decem inde hebdomadas ac præterea quatuor dies ſuccedit abſque dubio ſecunda Iulii dies. Hac ipſa igitur die Algiſius dicendus erit ad Mediolanenſem Archiepiſcopatum electus. Hinc rursùs computentur Anni octo, nouemquè menſes, demptis tamen inde diebus quinque (qui quidem alioqui menſes Anno 1185. complerentur Aprilis die ſecunda) quantum ille temporis ſediſſe ſupponitur; eumdem profectò inueniemus obiiſſe tandem Anno eodem 1185. ſi non tertio, certè tamen quinto Calendas Aprilis. D

XXIII. Denique verò illud etiam nos Vghello hic opponimus, quòd ne ipſe quidem negare poſſe videtur, Galdinum Anno ſeptuageſimo-quinto ab Alexandro Papa Tertio poſtulaſſe pariter ac obtinuiſſe, vt Epiſcopatum in Vrbe Alexandria, recenter conſtructa, nouiſsimè autem Anno eodem ab obſidione Friderici Aenobarbi liberata, conſtitueret. Nos quidem hac de re in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 542. ex eiuſdem

A Alexandri Papæ Actis apud Baronium Anno 1175. (in quem Annum A
illa cadunt) Art. 12. hæc verba recitabamus: *Eodem tempore Alexander*
Papa in Eccleſia Alexandriæ ad poſtulationem Mediolanenſis Archiepiſcopi (quem
nos tacitè interpretabamur non alium fuiſſe, quàm Galdinum) *& Com-*
prouincialium Epiſcoporum, atque Rectorum Ciuitatum Lombardiæ (cui eorum
poſtulationi Alexandrum credere poſſumus in eo rerum ſtatu, in quo
tanti eos nec immeritò faciebat, protinùs abſque cunctatione annuiſſe)
Epiſcopatum conſtituit. In qua fecit Epiſcopum eligi Arduinum, Romanæ Eccle-
ſiæ Subdiaconum, à Mediolanenſi Metropolitano, tamquàm ſuum Suffraganeum,
conſecrandum. Videamus nunc, quid item hac de re Vghellus. Eodem
ille Tomo Quarto, in Alexandrinorum Epiſcoporum Catalogo, colum-
na 445. C. ſic inquit: *Anno 1175. Alexander eam Ciuitatem* (Alexan- B
driam) *Epiſcopali dignitate ornauit, cùm Eccleſiam Sancti Petri erexiſſet in*
Cathedralem, eidemquè multis gratiis ac priuilegiis ſuffultum Arduinum Præ-
ſulem attribuiſſet. Eoquè nondùm conſecrato vita functo, alterum ſuſtulit ad
huius dignitatis faſtigium. Qui cùm & ipſe munus Conſecrationis percepiſſet
(hoc tamen poſtea Vghellus ipſe negat in Othone Epiſcopo Secundo)
ad ſcandala vitanda idem Pontifex Alexander, Algiſij Archiepiſcopi vſus con-
ſilio, Anno 1178. Aquenſem Eccleſiam Alexandrinæ ſtatuit vniendam &c.
Deinde verò Columna 449. C. recitans è Regiſtro Vaticano Priuile-
gium, Anno 1205. ab Innocentio Papa Tertio conceſſum Eccleſiæ pa-
riter Alexandrinæ, ſic illud ab initio ſeſe habere teſtatur: *In Litteris*
bonæ memoriæ Alexandri Papæ, prædeceſſoris noſtri, perſpeximus gratiam, quòd C
ipſe precibus Conſilio Populi & Cleri Alexandrini volens fauorem beneuolum
impertiri, ad inſtantiam & petitionem bonæ memoriæ Galdini Archiepiſcopi
Apoſtolicæ Sedis Legati, & Conſulum Mediolanenſium, Rectorum Lombardiæ
& Marchiæ, deliberatione præhabita diligenti, Alexandrinam Eccleſiam, &
ipſam pariter Ciuitatem, in honorem Beati Petri conſtructam, Pontificalis digni-
tatis titulo inſigniri, bonæ memoriæ Arduinum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Sub-
diaconum, eidem concedere in Epiſcopum & Paſtorem Diœceſis, nihil ſibi minus
aſſignata. Eodem verò Electo, nondùm in Epiſcopum conſecrato, viam vni-
uerſæ carnis ingreſſo, ſubſtitutus eſt alius, qui Conſecrationis munus ſimiliter
non percepit. Ad conſilium autem bonæ memoriæ Algiſij, ſucceſſoris Archiepiſ-
copi memorati, vt ſcandalum ſedaretur, & ſopiretur odium, quod multi ad- D
uersùs prædictam conceperant Ciuitatem, idem noſter ſtatuit prædeceſſor, vt
Alexandrina & Aquenſis Eccleſiæ vnirentur &c. En igitur, quemadmodùm
ne Vghellus quidem inficiari vel diſſimulare poſſit, Galdinum fuiſſe
Archiepiſcopum illum Mediolanenſem, à quo vnà cum cæteris illis tan-
tæ dignitatis & exiſtimationis hominibus obſecratus fuerat Alexander
Pontifex, vt Alexandrinis Epiſcopum concederet. Sed huic quidem
additamento ſatis à nobis in præſenti ſit adlaboratum. Ad vlteriora
progrediamur, Lectoremquè noſtrum primæuo textui noſtro reſtitua-
mus.

XXIV. Tertio nobis ac poſtremo iam tandem loco explicanda ſupereſt prima

Morimundenſis

Morimundenſis Monaſterii origo . Hanc Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ A
Patriæ Libro 12. & ex ipſo Carolus Sigonius *De Regno Italiæ* Libro 14.
coniecerunt in Annum Chriſti Milleſimum centeſimum octuageſimum-
tertium ; cùm alioqui originem Chareuallenſis Monaſterii Anno Mille-
ſimo centeſimo trigeſimo-quarto iam ante adſcripſiſſent . Ambo autem
nobiliſsimà ſunt Ordinis Ciſtercienſis intra Mediolanenſem Agrum Mo-
naſteria: egóquè propterea ipſorum feci mentionem inter Ambroſianæ
Baſilicæ, ac Monaſterii, hodie Ciſtercienſis, Monumenta : eamquè feci
Chareuallenſis Numero 383. & 384. Annoquè Chriſti 1136. Mori-
mundenſis autem Num. 582. Annoquè 1183. quippe cùm in huius ſe-
cundi origine recenſenda non alios tunc haberem teſtes & indices
Chalco & Sigonio meliores. His igitur ego quoque tunc adhæſi: atque B
cum ipſis, ſi non de Morimundi etymologia, certè tamen de Anno, quo
primo à fundamentis illud extructum fuiſſet, conſenſi. Poſteaquam ta-
men vetera eiuſdem Monaſterij Monumenta videre mihi datum fuit ;
exinde profectò animaduerti, Chalcum & Sigonium in eo erraſſe, quòd
primam potius attenderint ſtructuram illius Monaſterii & Eccleſia in
eo ſitu, in quo nunc exiſtunt, quàm primam in eo tractu ac vicinia, &
abſolutè primam. Priuſquàm enim conſtruerentur vbi nunc exiſtunt;
certè non procul inde ſub eodem Morimundi cognomento conſtructa
fuerant alibi, & iam inde ab Anno Chriſti 1136. Quocirca hinc etiam
penitiùs dignoſci par erit, quanti protinùs Mediolanenſes noſtri fecerint
beneficentiſsimum erga ſemetipſos Sanctum Bernardum Abbatem Cla- C
ræuallenſem, atque Ciſtercienſem ipſius Ordinem ; in cuius propterea
gratiam eodem illo Anno, vel ſaltem intra illum & anteriorem, bina
eiuſmodi Monaſteria conſtruxerint.

XXV. Ecce verò nobis, qualia ſe offerant vltrò teſtimonia in fronte hodiernæ
Morimundenſis Eccleſiæ, ſupra portam eius primariam: ecce, inquam,
quid marmorea illic & vetus Tabula nos edoceat. His enim ea verbis
inſculpta eſt: *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo trigeſimo-ſex-
to, decimo die Nouembris, venerunt Monachi habitare in Grangia, quæ vo-
catur Morimundus* ✠ Et hoc pertinet ad alterum eum locum & præ-
dium, in quo primitùs eiuſmodi Monaſterium conſtructum fuit. Se-
quitur eadem Inſcriptio: *Et Anno Milleſimo centeſimo octuageſimo-ſexto fun-* D
data eſt hæc Eccleſia, quinto Idus Martij. Quando autem perfecta denique
fuerit & ad culmen redacta ea ipſa Eccleſia : hoc item luculentis ex-
preſſum eſt verbis in eiuſdem parietis tergo, ad interiora Eccleſiæ ob-
uerſo, & ſupra eamdem portam. Etenim altera illic Tabula ſic habet:
*Anno Domini Milleſimo ducenteſimo nonageſimo-ſexto completa fuit hæc Eccleſia,
tempore Domini Michaelis Abbatis : quæ primitùs Milleſimo centeſimo octuage-
ſimo-ſexto fuit fundata in Domino*.

XXVI. Sicut igitur hæc ibi Eccleſia verè fundata fuit Anno Domini Milleſi-
mo centeſimo octuageſimo-ſexto; ſic etiam Chalcus & Sigonius ad hanc
veritatem propè acceſſerunt; cùm ſuum de iſtius Monaſterii & Eccleſiæ

primordiis

primordiis explicarent ſenſum. Ille ſiquidem ſic ſcribebat : *Eodem tempore Ciſtertienſes Religioſi, iam quinquaginta Annos ante* (atque hoc ille verius, quam Sigonius, qui *quadraginta* ſolummodò dixit) *ad Inſubres traducti, ſortitiquè agros, in Ticini ripa Templum formarunt, adiuncto Cœnobio, cui de Vici appellatione Morimundi nomen eſt. Id à poſteris ſubinde locupletatum, omnium opulentiſſimum Sacerdotium eſt*. Sigonius autem ſic: *Monachi Ciſtertienſes, quadraginta iam ante Annos in Agrum Medeolanenſem profecti, in Ticini ripa cum Cœnobio Templum fundarunt, atque à proximi Vici nomine Morimundum vocarunt*. Quòd autem ambo pariter iſti affirmabant, eidem huic Cœnobio Temploque inditum fuiſſe Morimundi nomen è Vici, nempè proximi (vt Sigonius explicauit) appellatione: in hoc vtique falluntur. Non enim Vicus ille prius vocabatur *Morimundus* aut *Morimundum*, ſed *Coronagum*, aut *Colonagum*; ſicut mox videbimus. A B

XXVII. Inter vetuſtiora ſimul & archetypa Morimundenſis huius Monaſterii Documenta nobis ad huius rei probationem hoc in primis ſuffragatur: *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo trigeſimo-ſexto, menſe Aprilis, Indictione quarta-decima, Placuit atque conuenit inter Ambroſium, filium quondàm Ioannis, qui dicitur Rabo, de Ciuitate Medeolani: necnon & inter Anſelmum, qui dicitur Panera, de hac eadem Ciuitate: vt in Dei nomine debeat dare, ſicut à præſenti dedit, idem Ambroſius eidem Anſelmo ad partem de Officialibus Monaſterii de Murimundo, conſtructo in loco Coronago, ad habendum & tenendum, ſeu .... reddendum libellario nomine vſque ad Annos viginti & nouem expletos, & deinde in antea vſque in perpetuum: id eſt, omnes res territorias illas & decimas reiacentes in loco & fundo Sancto Ambroſio à Colonago ....torio, & eidem Ambroſio pertinent per libellariam, vel alio modo &c. Actum iſta Ciuitate*. C

✠ *Ego Robaldus, Dei gratia Mediolanenſis Archiepiſcopus, ſubſcripſi.*

Ego Petrus, Notarius Sacri Palatij, interfui, & rogatus ſubſcripſi.

Ego Maleadobatus, Notarius Sacri Palatij, ſcripſi, pòſt traditam compleui & dedi.

XXVIII. Ad eiuſdem rei probationem deſeruit etiam Documentum iſtud: *Die Sabbati, qui eſt nonus menſis Ianuarii. In Ciuitate Papia &c.* Eſt autem Inueſtitura *facta in Fragerium, Monachum Monaſterii Sanctæ Mariæ, quæ dicitur de Murimundo, quod eſt conſtructum ſuper fluuium Ticini propè Colonago, ad partem ipſius Monaſterij &c. Factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo centeſimo tricesimo-ſeptimo, ſupraſcripto die, Indictione quintadecima*. D

✠ *Ego Robaldus, Dei gratia Mediolanenſis Archiepiſcopus, ſubſcripſi.*

Ego VValanotius, Sacri Palatii, interfui, & rogatus hoc Breue ſcripſi.

XXIX. Sed ne tertium quidem iſtud omittendum nobis eſt: *In nomine Domini. Breue Recordationis de Sententia, quam dedit Dominus Obertus, Dei gratia Archiepiſcopus, per ſuum Aſſeſſorem Arialdum iudicem de Badaglo, de diſcordia, quæ erat inter Canonicos Eccleſiæ & Plebis Sancti Victoris de Caſolate per Miſſos eorum, ſcilicet Bruniolus Presbyter, & Iohannes atque Amizo Clerici: & ex altera parte Abbatem Monaſterij de Morimundo, conſtructi*

propè

propè Coronago, per Miſſum ſuum, Vgonem Monachum iſtius Monaſterij &c. A
Et ſic finita eſt Cauſa. Anno Dominicæ Incarnationis Millexime centeximo quinquageximo-quarto, die Mercurii, qui eſt quinto Kalendas Martii, Indictione ſecunda, in Domo Archiepiſcopi, in Ciuitate Mediolani &c.

✠ *Ego Obertus, Archiepiſcopus, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Arialdus, Cauſidicus, hanc Sententiam dedi, & ſubſcripſi.*

Ego Gregorius .... interfui, & ſubſcripſi.

Ego Ardericus, Notarius Sacri Palatii, ſcripſi.

XXX. Morimundenſe igitur Monaſterium ab initio, ſiue ab Anno Chriſti Milleſimo centeſimo trigeſimo-ſexto, conſtructum fuerat propè Vicum illum nomine Coronagum. Atqui poſtea Monachi commigrarunt inde aliò, nouumquè alibi Monaſterium conſtruxerunt: ibi videlicet, vbi B nunc illud exiſtit, & vbi olim campus erat, *Fulcherij Campus* appellatus. Sic enim teſtatum eſt ſubſequenti Diplomate: quod item nobis teſtimonio erit, Monachos iam tum illuc commigraſſe; licet Anno tandem eiuſdem Sæculi octuageſimo-ſexto ibidem nouam Eccleſiam, quæ nunc etiam extat, fundarint. Diploma ergo illud ſic ſe habet. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-primo, Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ Tertii Anno duodecimo, quinto Kalendas Auguſti, Indictione quarta, idem Pontifex ampliſsimo Priuilegio ſub protectione ſua ſuſcipit Monaſterium iſtud Morimundi, eiuſquè bona. Sic autem incipit: *Alexander Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis, Iacobo Abbati Monaſterij Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Morimundenſis,* C *quod iuxta Tuinum ſitum eſt, eiuſquè fratribus, tam præſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſsis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus* &c. Tum verò ipſa etiam Monaſterii bona enumeraturus, ita exorditur: *In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Eumdem locum, qui Morimundum dicitur* (certè autem loquebatur de recenti & nouo) *olim dictus Campus Fulcherii* &c. *Grangiam, vbi priùs Abbatia fuit, nomine Morimundum* &c. Et hæc quidem Grangia ſine dubio illa erat, quæ ſuperiore Numero I. *Morimundum vetus* vocabatur. Proximum autem Diploma datum aſſeritur *Tuſculan. per manum Gratiani, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi & Notarij*: ſubſcriptumquè tandem fuit ab ipſomet Alexandro Papa Tertio, & à nouem Cardinalibus.

XXXI. Accipe verò etiam nunc tandem, quemadmodùm iſtius Monaſterii D fundatio marmoreæ pariter Tabulæ, in hodierna eius Eccleſia expoſitæ, conſignata nouiſsimè fuerit. Sic enim ea fuit.

D.O.M.

D. O. M. A

Manginfredus & Bennonus Domini de Ozeno
clariſsimi atque piiſsimi
Nobiles Mediolanenſes
Monachis Ciſtertienſibus
à Coronago in hunc locum translatis
Robaldo Archiepiſcopo Mediolanenſi approbante
Monaſterium hoc Morimundi propè Ticinum
ſub Gualgbetio primo Abbate
Salutis Anno MCXXXVI.
fundarunt.
Antonius Libanorius Ferrarienſis Abbas & Comes B
Monachiquè Morimundenſes
omnibus ſuis Benefactoribus
Anno MDCL. P. C.

XXXII. Idem autem ipſe Antonius Abbas, cognomento Libanorius, Ciuitate Ferrarienſis: idem, inquam, ipſe mihi ſuperiora multaquè pariter alia Monaſterij ſui Documenta commodauit, ac fidei meæ credidit, vt erant archetypa; idemquè mihi ſuperiores Inſcriptiones donauit exſcriptas. Non enim egomet iſtas meis oculis in ſuis è marmore Tabulis vidi, ſicut ne ipſum quidem Monaſterium, Eccleſiamquè. Tantum ego Antiſtitem ſerò cognoui; quippe ſuperiore tantùm Anno quinquageſimo. Non multò autem poſt Dominicæ Reſurrectionis Paſcha, ſiue poſt Comitia ſuæ Ciſtertienſis in Italia Congregationis apud Parmam celebrata, ſuam in Patriam ille rediit; atque celeberrimum illic Monaſterium moderatur. Ego quidem ſingularem præſertim eius integritatem, benignitatem, prudentiam, eruditionem, quàm optimè mihi etiam interim expertas, venerabor ſemper, & quantis poſsim laudibus efferam. C

XXXIII. Quando autem præſenti Capite Morimundenſe Monaſterium tam multa nobis pro ſemetipſo, pro Sancto Galdino, & pro Celſiano Monaſterio ſuppeditauit; obiter etiam inde pro Nazariana Baſilica depromamus hoc ſaltem vnum, quod ſubſequenti Documento, pariter archetypo, continetur. Venditio eſt, à Domno facta Ribaldo, Abbate *Eccleſie & Monaſterii Sancti Barnaba de Grattaſolia.* Incipit autem: *Anno Dominice Incarnationis Milleſimo centeſimo quinquageſimo-tertio, pridie Calendarum Februarij, Indictione prima.* Deſinit verò: *Actum in Canonica Sancti Nazarij*, VBI EIVS SANCTVM CORPVS IACET. Subſcriptum: *Ego Rogerius Iudex, ac Miſſus Domni Secundi Chunradi Regis, interfui, & rogatus ſcripſi.* En igitur hinc etiam indicatum, quemadmodùm Maiores noſtri per ea quoque tempora publicis etiam eiuſmodi Tabulis profiterentur, Nazarii ſolius, & non etiam Celſi, eius Commartyris, Corpus in eam Baſilicam fuiſſe olim translatum, atque tunc etiam in ea conquieſcere. D

XXXIV. Si quis autem à me curioſus hic requirat, vbinam tunc eſſet Eccleſia illa & Monaſterium Sancti Barnabæ DE GRATTASOLIA, &

quale

quale illud foret; paucis ille contentus ſit; nec enim ſatis certò reſpondere plura in præſenti poſſum. Tertio circiter ab Vrbe noſtra milliario, extra Portam Ticinenſem, illic igitur tunc erat, vbi nunc eſt Conuentus Fratrum è Tertio Sancti Franciſci Ordine, *Gratoſolij* cognomentum adhuc retinens, & Sancto nunc etiam Barnabæ dedicatus. E grato autem ſolo, quale illud eſſet, in quo Monaſterium illud conditum fuit, deductum interpretamur Gratoſolii cognomentum; tametſi corruptè vocatur GRATTASOLIÆ. Sic etiam Vallumbroſani olim Ordinis erat Monaſterium: atque tunc etiam fortaſsè per noſtros Mediolanenſes ædificatum, quando circiter Annum Domini Milleſimum ſexageſimum-quartum miſſa Legatione Sanctum Ioannem Gualbertum rogarunt, vt aliquos è ſuis Monachis huc mitteret; illequè viciſsim eos re ipſa miſit. Qua de re conſuli poteſt Eudoſius Loccatellus in eius Sancti Patriarchæ Vita, quam Italicè conſcripſit, hoc eſt, Libro 1. Capite 68. Ego enim tractationem hanc in Libros reſeruo De Sanctorum Arialdi & Herlembaldi, Martyrum noſtratum, Vita, quam dudùm promiſi: hoc eſt, in Libri Quarti Caput 20.

CAPVT CVII.

De Puſterla Vrbana, cognomentum Sancti Ambroſij ſortita.

I. HOC ego Capite nonnulla emendare, aliqua etiam vberiùs explicare meditor ex iis, quæ in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis tradidi Numero 521. Annoquè Chriſti 1171. Sicut enim proximo Capite 105. de recentibus noſtræ Vrbis mœnibus, & ad Portam præcipuè Romanam, agere incœperam; & ſicut ea ſine dubio non intra vnum, aut alterum, vel etiam tertium Annum circumquaque conſtructa & perfecta fuerunt; ſic etiam nunc eamdem proſequi materiam expedit per alias nominatim partes, quæ ad noſtrum pertinent inſtitutum; quales profectò ſunt Sant Ambroſiana & Sanct-Euphemiana Puſterlæ.

II. Eodem autem illo Numero 521. Bernardinum præſertim Corium ſequebar. Atqui nunc Gualuaneum potiùs ſequar Flammam, & in Codice quidem illo grandiori, quem Bibliotheca ſeruat Ambroſiana; in quo nimirùm aliquanto luculentiùs & ad inſtituti noſtri rationem accommodatiùs de hoc argumento tot ante Annos iam ſcripſerat. Qua igitur Codicis eius parte Chronicum extat Maius, ſic in primis Capite 178. habetur: *In loco, vbi nunc eſt Eccleſia Sanctæ Mariæ* AD CIRCVLVM, *fuit quondàm Porta, dicta* PORTA DE Æ LVNÆ, *Cuius figura fuit Puella tenens in humeris leporem, à tergo per pedes pendentem. Iſta Porta dicta fuit* PORTA SANCTI AMBROSII: *quæ nunc, inter Puſterlas deputata, translata eſt poſt Monaſterium Sancti Ambroſij. Et probatur manifeſtè, quòd fuerit Porta; quòd habuit duas portas, & duas turres.* Et hæc quidem iiſdem prorsùs verbis aſſeruntur etiam in Chronico *Flos florum*, fol. 62. pag. 2.

III. Cæterùm

III. Cæterùm eidem illi Codici ſingulariter etiam ineſt Chronica Extraua- A
gans, octoginta-tres complectens Quæſtiones. Hic autem Capite 48. Quæſtione 17. quæ tituli eſt huius, *De differentiâ inter Portas & Puſterlas Vrbis Mediolani*, ſic inter cætera diſſerit: *Circa iſtam Quæſtionem eſt ſciendum, quòd Portæ Ciuitatis ſunt in duobus gradibus; quia aliquæ dicuntur Portæ, aliquæ dicuntur Puſterlæ. Portæ principales ſunt ſex; ſcilicet Orientalis Porta, & Porta Noua, Porta Cumana, Porta Vercellina, Porta Ticinenſis, & Porta Romana. Et conueniunt in hoc omnes Portæ principales; quòd qualibet altrinſecus habet duas turres à dextris & à ſiniſtris. Puſterlæ autem ſunt, quæ ſub vna turri coanguſtantur; excepta Puſterla Sancti Ambroſij, quæ habet portas duplices, & ſimiliter turres. Item eſt alia differentia; quia omnes Portæ principales ſunt duplices, excepta Porta Ticinenſi; & omnes Puſterlæ vnam* B
tantum habent portam; excepta illa Sancti Ambroſij, quæ habet duplices portas, & duas turres. Sed Puſterlæ duæ etiam dicuntur Portæ, ſcilicet Porta Tonſa, & Porta Zobia (ſiue Iouis) &c.

IV. Sed & ibidem Gualuaneus mox deſcribit ordinem ac diſtantiam inter ipſas per ſe Portas & Puſterlas. Qui quidem ordo (vt à noſtra Ticinenſi versùs Ambroſianam Puſterlam exordiamur) ſeſe hunc in modum habebat: Portæ Ticinenſi ſuccedebat Puſterla Fabrica: huic PVSTERLA SANCTI AMBROSII: huic Porta Vercellina: huic Puſterla Zobiá, ſeu Iouis: huic Puſterla de Aziis: huic Porta Cumana: huic Puſterla Sancti Marci: huic Porta Noua: huic Puſterla Noua: huic Porta Orientalis: huic Puſterla Montis-Fortis: huic Puſterla Tonſa: huic Porta Romana: C
huic PVSTERLA SANCTÆ EVPHEMIÆ: huic denique Puſterla DE LA CLASIA ſuccedebat. Quocirca ſicuti ſex Portæ, ſic etiam decem Puſterlæ, ſuis omnes inter ſe ſpatiis diſſitæ, in Vrbis noſtræ circuitu numerabantur.

V. Hæc autem cùm ſine dubio ita ſe habuerint; certè quidem placere nobis non poteſt, quod Ripamontius Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Libro Primo affirmabat: Ticinenſem nimirùm Portam; cùm, veteribus dirutis, noui muri (per hæc vtique poſt Aenobarbicam cladem tempora) reficerentur, AMBROSIANAM fuiſſe appellatam. Ea ſiquidem in poſterum etiam retinuit veterem Portæ Ticinenſis appellationem: ſoli-
què tandem illi Puſterlæ inditum fuit hæſitquè AMBROSIANÆ D
cognomentum, quæ inter Puſterlam Fabricam & Portam Vercellinam ſita erat.

VI. Neque tamen hæc ibi ſita tunc erat, vbi nunc Foſſatò, ſeu Alueo intra Muros circa Vrbem nauigabili, pons ſuperſtat latericius, quo inter Ambroſianam & Portianam (ſiue Sancti Victoris AD CORPVS) Baſilicas vltrò citroquè recta commeatur. Qua videlicet nunc vetus illa quadrata & fortiſsima turris in propinquo propè Sancti Michaelis Eccleſiam conſpicitur (& à me quidem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 132. commemorata) è regione illius altera & conſimilis extabat turris; è qua nunc etiam certè ſupereſt aliquantum eius parietis,

qui

qui turri alteri recta linea ex aduerſo reſpondebat. Quinetiam non ea tantùm pars ſupereſt hodieque conſpicitur; ſed etiam ſuperſunt adhuc aliqui ſenes, qui ſtantem illam viderunt, ſuaquè tantum ætate deſtructam quoad alias partes conteſtantur. Quid, quòd etiam Lapicidam, domicilio nunc contiguum ei parieti (Petrum Paulum Rubeum, virum ſanè ingenuum) nuper audiuimus præcisè affirmantem, aliquantam illiuſmet parietis partem (quæ nimirùm turri olim erat interior) per ſemetipſum non ita pridem ſcalpro cæſam eſſe, ſicut etiam nunc ſcabra rudiſquè cernitur à ſummo vſque ad imum; quippe cùm ille tanta ſui craſsitudine maiorem occuparet ſitum, quàm dominus ipſe volebat illius domicilii ac parietis? Quid, quòd etiam eiuſdem Lapicidæ indicio ſimul agnouimus, vtramque illam etiamnùm illic extare portam, quæ duabus illis olim turribus interſita Puſterlam Sancti Ambroſii conſtituebat? Superſtites parietis illius reliquias, quinetiam veſtigia pontis, iuxta medium inter illas duas turres ſpatium quondàm conſtructi, iam ego recenter obſeruaram: eademquè veſtigia quàm optimè diſcerni adhuc poſſunt in eo Foſſati muro, qui publicæ circa ipſum viæ proximoquè Sancti Ambroſii Hoſpitali (de quo nobis item dictum eſt eodem illo Numero 132.) conterminus eſt. Ex eo ſiquidem muro etiamnùm apparent curuaturæ pontis initia, necnon etiam eiuſdem pontis hinc inde ſolidiſsima è viuo lapide latera. Iamquè illic ego metiebar obambulans, quot ergo paſsibus ab hodierno ponte vetus ille atque nunc è medio ſublatus diſtaret: ſic etiam quadraginta circiter paſſus eſſe iam compereram; cùm in altera Foſſati ripa, domicilii ſui areæ ac lapicinæ contigua, conſiſtens Lapicida ille, rogatus à me, num iuxta memetipſum videret aliqua lateritii olim pontis indicia; illicò reſpondit, à ſe illic videri manifeſtiſsima; ibidemquè publicum fuiſſe olim Vrbis pontem, duabus portis, quæ intra duas olim turres citra Foſſatum erant, reſpondentem; quinetiam portas ipſas etiamnum illic ambas extare; ſeque facturum etiam, vt meis egomet oculis illas contuerer, quandocumque vellem. Quibus quidem auditis, ego protinùs ad ipſum feſtinaui: cumquè me ille in alterius domicilium, ſuo coniunctum, atque ſitu intra duas illas olim turres comprehenſum, deduxiſſet; cum bona inhabitantium venia effecit, vt portas egomet ipſas conſpicerem. Illæ igitur, eleganter elaboratæ, ſolo conſtant è polito lapide, ac partim etiam è marmore, totamquè occupant latitudinem turribus iis interiectam: quæ nobis eſſe decem & octo circiter cubitorum viſa fuit. Sub earumdem fornicibus binæ poſtmodùm conſtructæ ſunt ſcalæ, per quas ad ſuperiora hinc inde cubicula datur aſcenſus: idemquè mihi pariter per eas humaniſsimè datus eſt. Quoniam verò ambarum eiuſmodi portarum latera, quæ cæteroqui publicè conſpicua eſſent, muris ac ædibus continenter hinc inde ſepta ſunt; propterea ne illæ quidem foris videri poſſunt; ac præter domeſticos illos aut familiares vniuerſa cæteroqui Vrbe communiter ignorantur. Quocirca ne mirandum quidem erit,

quòd eædem penitùs me quoque latuerint, antequàm cum eo Lapicida colloquerer. A

VII. Cæterùm eædem portæ nobis non minùs veteres viſæ ſunt, quàm turris illa videatur, in hodiernum vſque diem ſuperſtes: è qua ſimiliter alterius, quæ potiori iam ex parte, vt dicebam, æquata ſolo eſt, vetuſtatem metiri facillimum eſt. Quod ipſum ea quoque ſuadetur ratione; quòd ambarum eiuſmodi portarum gratia & præſidio turres illæ conſtructæ ſunt; atque adeò non ante, ſed potiùs ſimul, vel ad minus poſtea. Sicut igitur ſuperſtitem illam turrim quiſque prudens conſpicatus, abſque dubio iudicabit eſſe multò vetuſtiorem, quàm ex portæ turreſquè ſint, quas recenter poſt Aenobarbicam Mediolani excidioem conſtructas eſſe conſtat ad eiuſdem Vrbis poſtmodùm dilatatæ ingreſſus; B ſic etiam nos quidem Ambroſianam huiuſmodi Puſterlam reliquis illis Portis ac Puſterlis multò vetuſtiorem arbitramur.

VIII. Fortè autem coniectare licet, hanc ipſam Puſterlam tunc temporis conſtructam eſſe, quando iuxta Sancti Ambroſii Baſilicam (& proinde non longè à propinqua Sancti Michaelis Eccleſia, & ab ipſamet Sancti Ambroſii Puſterla) ædificatum fuit Palatium illud Imperiale, in quo poſtea Imperatores tempore Coronationis ſuæ habitarent; ſicut ego eodem illo Numero 132. ac rursùs in hac ipſa Diſſertatione, Capite 37. traditum recitabam.

IX. Sic etiam ne mihi quidem abſonum videtur adhuc; ſi quis fortè credat, non multò poſt Ambroſii obitum, & in Baſilica illa ſua ſepulturam, C inoleuiſſe communem noſtris Mediolanenſibus ritum illum, vt, quæ priùs Lunæ Porta vocata fuerat, eamdem Ambroſianæ Portæ cognomento vocitarint (quia ſcilicet illac recta exiretur ad Portam eiuſdem Baſilicæ primariam) quod tamen poſtea cognomentum decurſu temporis ad hanc duplicem portam, & vna hinc inde turri communitam transtulerint.

X. Quòd autem inde Gualuaneus Flamma & Auctor Chronici *Flos florum* manifeſtè probatum arbitrabantur, hanc denique cognominatam Sancti Ambroſii Puſterlam olim fuiſſe vnam è primariis Portis: mihi quidem hoc non vſqueadeò probatur. Nullibi enim adhuc ipſam vidimus inter primarias Vrbis Portas computatam. Quocirca tam magnificè tantoquè D ſumptu, ſiue cum duabus & portis & turribus eam potiùs ego dicerem conſtructam in honorem Imperatorum, qui Coronæ Mediolanenſis gratia illac eſſent ad ſuum Palatium & ad Baſilicam Ambroſianam venturi; præterquamquòd etiam tantæ propterea hominum, qui tunc ſimul confluerent, multitudini capiendæ, tuendiſquè amicis Imperatoribus, & ex aduerſo repellendis inimicis, opportuniſsima quinetiam neceſſaria eſſe poſſet.

XI. Hæc ipſa porrò Sancti Ambroſii Puſterla, inter duas illas conſtructa turres, communiter in vſu erat, perquè ipſam rectus ab Vrbe patebat aditus ad ſuburbanam Sancti Victoris AD CORPVS Baſilicam (quæ olim

Portianæ

Portianæ cognomen obtinuerat) priuſquàm Oliuetani Monachi, eius A
æditui, poſt Annum Chriſti quinquageſimum ſupra Milleſimum quingenteſimum, deſtructa veteri Baſilica, nouam præſentemquè conſtruerent. Quippe ſitu tam diuerſo tunc illam extruxerunt, vt, vbi nunc Baſilicæ tergum eſt, ibi aliàs frons eſſet; ibiquè viciſsim tunc eſſet tergum, vbi frontem areamquè præiacentem nunc oſtentat. Tunc igitur etiam, ſublato veteri ſupra Foſſatum ponte, nouus ille, qui nunc extat, & qui quadraginta circiter paſſus vicinior eſt Portæ Vercellinæ, Foſſato eidem adſtructæ, conditus eſt: nouaquè tunc ſimiliter ad eam Baſilicam via, in locum veteris occluſæ, aperta eſt. Sic enim ex Italica hodiequè manuſcripta Bonauenturæ Caſtillionæi (qui tandem Ambroſianæ Baſilicæ Præpoſitus fuit) manifeſtè liquet Hiſtoria, qua primorum B
vndecim noſtræ Vrbis Præſulum Vitas proſecutus fuit: vbi nempe Sanctum Caſtritianum deſcribebat. Tam grauiter ille tamen & acerbè in Monachos propter eam Baſilicæ viæquè mutationem inuectus illic fuit, vt propterea ipſius teſtimonium & verba nos hoc loco prætermittere ac ſilentio premere cogamur; ſatiuſquè ſit hoc vnum affirmare, Vitas illas, vno colligatas Libro, in Ambroſiani Monaſterii Archiuo cuſtodiri.

XII. Quoniam verò vetus illa Puſterlæ Sanct-Ambroſianæ turris, adhuc ſuperſtes, vnà cum adnexo domicilio ad meridiem vergente, poſsidebatur tandem, necnon etiam reſtaurata & à medio vſque ad verticem habitationi aliiſquè domeſticis vſibus aptata fuit ab Amico illo meo, Bernardo Bellono, Baſilicæ Ambroſianæ Canonico, cuius mentionem inter eius Baſilicæ Monumenta Num. 280. faciebam; propterea nunc de C
ipſius etiam obitu dicendum eſt aliquid. Hoc ego Caput Anno 1651. abſoluebam quarta Septembris die. Ille autem decima-ſeptima ſuperioris Auguſti die occubuit, mente ſanus fermè ad extremum vſque halitum, poſteaquàm Chriſtiana Sacramenta piè admodùm ſuſcepiſſet. Sacerdos erat integris moribus, & antiqui moris, & corporis robore validus: adeò vt per iocum ſæpenumerò diceret, neſcire ſe, vbinam ſtomachum haberet; quippe quem numquàm ſentiret onere cibi grauatum. Quocirca etiam ſeptuageſimum fermè nonum ætatis annum compleuit. Patria illi Oppidum fuit Caſoratum, intra Ditionem Mediolanenſem perinſigne; ſed eo decore mancum; quòd in Eccleſia Col- D
legiata Præpoſitum quidem ac Theologum, ſed alios tres tantùm Canonicos haberet; quodquè reditus non haberet ſufficientes ad hoc, vt quotidie Diuina ibidem Officia concelebrari poſſent. Ternos igitur adauxit Canonicatus; ſed eos tamen gentilitij voluit eſſe Iuriſpatronatus. Ipſi autem in vniuerſum Collegio, ſiue Capitulo, peramplam reliquit hæreditatem ad hoc, vt quotidie ſtatis horis in Eccleſia Canonicas Horas ac Diuina de more Officia ritè ac publicè in perpetuum perſoluant. Inſuper verò etiam Oppidanorum, qui paupertate premerentur, miſeratus calamitates, inſtituit, vt è ſuis prouentibus mille libræ Imperiales quotannis in eos diſtribuerentur. Et hæc quidem mihi notiſsima ſunt:

meiquè

meiquè quinetiam muneris erit, vt aliis etiam publicè per ſepulchralem A
Inſcriptionem innoteſcant. Etenim duobus aliis probatæ iamdudùm fidei & amicitiæ Sacerdotibus, Ioanne nimirùm Calderino, Baſilicæ Ambroſianæ Cappellano, vt vocant, Chorali: & Ioſepho Boldo, Rectori Parochialis Eccleſiæ Sancti Petri IN CAMPO LAVDENSI; Teſtamenti ſui Executoribus à ſe delectis, me quoque connumerauit: mihiquè plenam prætereà & abſolutam tradidit poteſtatem, qua controuerſias dirimerem omnes, quæ ſuper eiuſdem Teſtamenti executione oriri poſſent. Defunctus, ad Baſilicam delatus eſt Ambroſianam, qua decebat funeris pompa: ibiquè ſepeliendus etiam erat. Sed Caſoratenſe Capitulum, annuentibus etiam Erogatariis, tam benefici erga ſe hominis exuuias proprio & honorifico in ſua Eccleſia ſepulchro ad perpetuam B
memoriam condi cupiens, ab humaniſsimis eius Collegis exorauit, vt illuc transferrentur; ſicut & illicò factum eſt. Quocirca etiam hic ego ſepulchralem conſeram Inſcriptionem, quæ illic appoſita denique fuit in eius Cappella, Sancto Bernardo Abbati Claræuallenſi constructa: & eſt huiuſmodi:

D. O. M.
BERNARDVS. BELLONVS
Protonot. Apoſtolicus
multos. per. annos. Animarum. Rector
multos. Ambroſianæ. Mediolani. Baſilicæ. Canonicus
de. hac. ſua. Caſorati. Patria. in. ſpem. Cæleſtis C
quàm. optimè. meritus
hic. quieſcit
Præ. multis. aliis. magni. momenti. legatis
ære. ſuo. conſtruxit. ornauitquè. hoc. Sacellum
bina. Sacerdotia
pro. binis. quotidie. Sacris. hic. celebrandis
inſtituit. ſplendidaquè. ſtipe. ac. ſupellectile. decorauit
tres. cum. ſuis. Præbendis. adiecit. Canonicatus
Gentiquè. ſuæ. ius. eorum. addixit
Præpoſito. totiquè. Collegio. heredi. ſuo
pro. Diuinis. quotidie. Officiis. ritè. concelebrandis D
Miſſaquè. Capitulari. ſibi. applicanda
circiter. libras. Imperiales. ter. mille
Pauperibus mille
quotannis. è. ſuarum facultatum. reditibus
diſtribuendas. legauit. Teſtamento
per. Antonium. Beſtetum. publ. Mediol. Not. recepto
Anno. Salutis. MDCL. VI. Idus. Auguſti
Anno. poſtero. ætatis. ſuæ. LXXIX. obiit
XVI. Kal. Septembris
Teſtamenti. Curatores. ad. perpetuam. memoriam
P P P.

CAPVT

CAPVT CVIII. A

De Vrbana Sancta Euphemia Puſterla.

I. QVÆ Capitis ſuperioris Numero 4. è Gualuaneo Flamma tradebamus de Puſterla Sanctæ Euphemiæ ac de Puſterla DE LA CLVSIA, inter Portam hinc Romanam inde verò Ticinenſem conſtructis: hæc ad eum pertinent ſtatum, quem noſtræ Vrbis mœnia poſt Aenobarbicam cladem reſtaurata & amplificata habuerunt ad ea vſque tempora, quibus Gualuaneus ſcribebat. Eodemquè pertinent illa etiam, quæ ipſe ibi, mutuam Portarum & Puſterlarum diſtantiam per brachia & cubitos deſcribens, adiecit. *A Porta* (inquit) *Romana vſque ad Sanctam Euphemiam* (hoc eſt, vſque ad Sanctæ Euphemiæ Puſterlam) *brachia* 814. *A Sancta Euphemia vſque ad Cluſam* (ſiue ad Puſterlam DE LA CLVSA, vel CLVSIA) 408. *A Cluſa vſque ad Portam Ticinenſem* 308. Itaque tunc etiam vltra & propè Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ, ſupra citeriorem Foſſati ripam, Puſterlà Sanctæ Euphemiæ patebat: illacquè patebat etiam exitus ex Vrbe ad Suburbanas Sancti Nazarii IN CAMPO & Sancti Celſi Eccleſias; ſed erat ille tamen minùs commodus minuſquè compendioſus, quàm ille ſit, qui nunc per Portam datur Ludouicam, in eius vicem à Ludouico Maria, Mediolani Duce, Anno Domini 1496. conſtructam, vt ſuo tempore narrabo. B C

II. Sicut autem ante Friderici Aenobarbi excidionem, noſtræ illatam Vrbi, ad eaſdem illas Eccleſias Porta exituſquè illac citra Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ patebat, quemadmodùm iam vidimus Capite 64. Num. 13. ſic etiam Porta illa tunc itidem vocabatur Sanctæ Euphemiæ Puſterla, quemadmodùm è Morenarum Hiſtoria Laudenſi didicimus. Cùm enim prima deſcriberetur obſidio, qua Fridericus Anno Domini 1158. Mediolanum cinxit, ſic etiam ibi legitur: *Cæteri autem Principes ab ipſo Sancto Dionyſio vſque ad Puſterlam Sanctæ Euphemiæ iuxta Mediolanum hoſpitati ſunt.*

III. His autem præmiſsis, Paulum etiam Morigiam eò preſsiùs erroris conuictum poſtea tenebimus Anno 1496. quo conſtructam dicebamus Portam illam, cognomento Ludouicam. D

CAPVT

CAPVT CIX. A

Sanctus Dominicus Mediolani ab initio in Canonica Nazariana hoſpitatus. Et hic aliquid etiam de Baſilica Euſtorgiana, eius Ordini tradita: dequè tempore, quo ille, depoſito Canonicorum Regularium habitu, proprium ſuimet Ordinis aſſumpſit, à Deipara nempe traditum.

I. LAurentianam Canonicam hoſpitio Sancti Bernardi Claræuallenſis Abbatis, nobilitatam fuiſſe, memorabam Numero 368. Annoquè Chriſti 1134. in Ambroſianæ Baſilicæ B Monumentis. Nunc Sancti Patriarchæ Dominici hoſpitium Canonicis Nazarianis gratulabor: & id, teſte in primis Triſtano Chalco, Scriptore noſtrate. Sic enim ille Hiſtoriæ Patriæ Libro 13. Annoquè Chriſti 1218. tradebat: *Interea Dominicus, Calaguna Hiſpaniæ Vico oriundus, ad Italos venit: & multiplicibus Sectis labefactatam Chriſti Religionem Vir Theologia pollens reſtituere, & declaratis erroribus veram Fidem docere cœpit. Ingens erat Viri opinio: noua ſanctimoniæ exempla: ac dicendi vis propè diuina. Quare cùm Mediolanum conceſſiſſet, & frequenti populo ſæpiùs concionaretur; multos ab hæreſi auertit. Inter quos clari doctrina & celebres Iuris ſcientia Viri, Amicio Solerius, Guidotus Sextius, & Rogerius Vicomercatus, magna exempla reliquorum animis præmouendis præbuerunt.* C *Ita, pluribus in Ordinem venientibus, conſtituta breui ea Fraternitas eſt, quæ, albam tunicam nigro pallio tegens, ex munere ipſo Prædicatorum nomen retinet. Et cùm hactenùs vſi eſſent precario hoſpitio Aedium Sancti Nazarii; creſcente turba, proprium diuerſorium paratum illis publicè fuit; lectaquè Aedes Diui Euſtorgii Porta Ticinenſi, quam tenebant Vbertus Marinonus Præpoſitus, & quatuor Canonici. Qui hortatu Vgolini Cardinalis, qui tunc Legatum Apoſtolicum agebat, iuſſi commigrare in Laurentianam Eccleſiam, vbi octo Sacerdotes degebant, tredecim deinde Collegium conſtituerunt. Et quia res indigebat authoritate Epiſcopali; hanc adhibuit Hugo Septala, Cimiliarcha, & abſentis Henrici Vicarius. Mox Bononiam profectus Dominicus, biennium non ſuperuixit: atque ibi ſepultus, celeberrimo Cœnobio initium dedit.* Talia Triſtanus D ad Annum illum Milleſimum ducenteſimum decimum-octauum, perinde fermè ac ſi præcisè affirmaret, Sanctum Dominicum eodem Anno ad Vrbem noſtram Mediolanum veniſſe; qua tamen de re non ſatis conſtare videtur; vt ego poſtea indicabo. Nunc ſuperius Triſtani teſtimonium paulò diſtinctiùs ex ipſius Hiſtoria explicemus.

II. Quam enim ob cauſam, & quo ex tempore Archiepiſcopus noſter Henricus tunc abeſſet, his ille verbis, paulò ante, ad Annum Sæculi eiuſdem decimum-ſextum, expreſſerat, cùm de Ieroſolymitana Expeditione, per ea tempora primùm ab Innocentio Papa Tertio, deinde ab eius Succeſſore Honorio Tertio tentata, loqueretur. Sic enim ſcripſerat:

Dum

Dum inter Heroas ratio gerendi belli apud Lateranum initur; Pontifex (Inno- A
centius) *Peruſiam proficiſcens, moritur. Cui ſtatim ſuffectus Honorius Tertius
nihil eorum, quæ ad Peregrinationem incœptam pertinerent, omiſit. Sed, cæte-
ris in ſacro propoſito confirmatis, Petrum Altiſiodorenſem Conſtantinopolitano-
rum Imperatorem deſignat, & Romæ cum Iole vxore coronat. Ei comites ac-
ceſſere Ioannes Columna Cardinalis Romanus & Legatus Pontificius, & Hen-
ricus Septala Archiepiſcopus Mediolani, cum egregia iuuenum manu: quorum
non inſtrenua opera vſus, poſt longos labores pariter in Patriam reductus eſt.*
Quocirca etiam deinde ad eiuſdem Sæculi Annum vigeſimum-ſeptimum
ſic inquit: *Anno vigeſimo-ſeptimo, Præturam Mediolani gerente Lanfranco
Ponte-Carato Brixienſe, cui Buccabarla cognomento erat, Xenodochium ſubur-
banum in Porta Vercellina, à Vepra nuncupatum, ædificatur: & Henricus Sep-* B
*tala Archiepiſcopus, Ieroſolymitana Peregrinatione obita, nono Kalendas Februa-
rias affirmauit Aedium Euſtorgianæ & Laurentianæ Commutationem* (quæ ni-
mirùm facta iam fuerat ab eius Vicario, Hugone Septala) *Cæterùm diu-
turnæ eius abſentiæ occaſione nonnulli ex Suffraganeis defecerunt ab officio, Sedi
Metropolitanæ præſtari ſolito. Sed, eo reuerſo, cæteri breui ad obſequium rediere*
&c. Quæ tamen Triſtani verba de reditu Archiepiſcopi noſtri Henrici
ego quidem non ita intelligo, quaſi verò è Ieroſolymitana Expeditione
ad Patriam redierit eo tantùm Anno vigeſimo-ſeptimo, quo Commuta-
tionem illam confirmauit, ſuo nempe Diplomate, cuius etiam exem-
plar peruetuſtum mihi eſt, quodquè Capitis huius eſſe partem volo.
Non enim eo tantùm Anno ille huc redit; quippe qui iam hic erat C
Anno vigeſimo-quinto; ſicut ad hunc ipſum Annum liquidò conſtat è
Caroli Sigonii Libro 17. *De Regno Italiæ*. Sed hæc alibi ego vberiùs;
præterquamquòd etiam infra pluſculum aliquid è Bernardino Corio
hac de re conſtabit. Nunc ad tempus reuertamur, quo Sanctus Domi-
nicus huc item venit.

III. Huc autem veniſſe non videtur ante Anni vndeuigeſimi æſtatem. Anno
nimirùm decimo-quinto Romam ille cum Epiſcopo Toloſano perrexe-
rat, & Ordinis ſui Prædicatorij, iam inchoati, confirmationem ab In-
nocentio Papà Tertio poſtulauerat: eamquè poſtea reuerſus Anno ſub-
ſequenti, & Innocentium nactus mortuum, ab Honorio ipſius Succeſ-
ſore impetrauit. Et hæc quidem ſatis ſuperquè conſtant ex eiuſdem D
Sancti Dominici Vita, per Theodoricum de Apoldia Dominicanum
conſcripta, & à Surio recitata die 5. Auguſti: & Ordini vniuerſo vſ-
queadeò comprobata, vt inde præſertim deſumpſerit proprias eiuſdem
Sancti Patriarchæ Lectiones Matutinas, quæ in anniuerſario eius Officio
vſitantur: hæc, inquam, conſtant ex eius Theodorici Libro 1. Capite
vltimo, & è Libri ſecundi Capite primo. Legantur autem reliqua etiam,
quæ ille poſtea ex ordine temporis narrando proſequitur vſque ad Libri
tertii caput nonum; nuſquàm profectò apparet, quemadmodùm Domi-
nicus interim venire Mediolanum potuerit, antequàm Bononiam pro-
ficiſceretur. De hac igitur profectione ſic ipſe ibi ſcripſit: *Anno repa-*

ratæ Salutis Milleſimo ducenteſimo decimo-nono Beatus Dominicus, Luteſiam A
veniens, in Cænobio Sancti Iacobi triginta Fratres inuenit. Apud quos ad bre-
ue tempus hærens, eis valedixit: & gratiæ Dei eos commendans, profectus eſt.
Et paulò pòſt: *Tandem æſtate Beatus Dominicus Bononiam ingreſſus eſt, vbi*
iam tum apud Sanctum Nicolaum magnus cum Fratre Reginaldo erat Fratrum
numerus: qui, de aduentu Beati Viri gauiſi, cum ingenti deuotione & reue-
rentia eum ceu patrem chariſſimum exceperunt. Manſitquè Vir Dei in ea Vrbe
vſque ad ſupremum vitæ diem; dempto, quòd Romam profectus eſt, & quæ-
dam Galliæ Togatæ, quam vulgò Lombardiam vocant, loca viſitauit, & Ve-
netias. Hac igitur occaſione Dominicus ad Vrbem quoque noſtram,
Lombardiæ Metropolim, veniſſe videtur.

IV. Cæterùm idem Theodoricus, obitum Dominici deſcripturus Libro Quin- B
to, ſic incipit: *Poſtquàm abſolutus fuit Generalis Conuentus, ſiue Capitulum,*
Beatus Dominicus Hugolinum, Oſtienſem Epiſcopum (cuius etiam mentionem
faciebat Chalcus) *qui tum apud Inſubres Legatus erat Pontificis Maximi,*
pro eius amore, & promotione Ordinis ſui, inuiſit. Reuertens autem ab illo
ſub finem menſis Iulii, Bononiam valde feſſus venit. Erat enim ferventiſſi-
mus æſtus, & laborem itineris permoleſtum ſuſceperat. Interim, non habita
eius laſſitudinis ratione, cum Priore Domus, qui Ventura dicebatur, & cum
Fratre Rodolpho vſque in noctem de ſtatu & rebus Ordinis loquebatur. &c.
Hæc ipſa verò Sigonius *De Regno Italiæ* ad Annum 1221. enarrans, pro-
prium etiam Inſubriæ locum, in quo Dominicus Cardinalem illum in-
uiſerat, his exprimit verbis: *Mediolano reuerſus, cùm adhuc de via lan-* C
gueret, per totam noctem cum Ventura Priore & Rodulfo Procuratore de ſtatu
Ordinis conſultauit, ac poſtridie vehementi tentari febri cœpit. &c. Non igi-
tur ſemel tantùm ſed etiam bis ad Vrbem noſtram Dominicus venit: &
hinc Ciuibus etiam noſtris geſtibundi gratulamur. Eodem autem illo
Anno 1221. mortuus eſt, octauo Idus Auguſti; ſicut ibidem Sigonius,
& eiuſdem Libri Quinti Capite quinto Theodoricus, teſtatum reliquê-
runt.

V. Bernardinus enimuerò Corius, ſi non de Sancti Dominici ad noſtram
Vrbem aduentu, certè tamen de reliquis huc attinentibus, aliqua lu-
culentiùs ac diſtinctiùs in Chronico ſuo Mediolanenſi recenſuit. Anno
enim 1217. ſic ille ſcribebat: *In queſti tempi l' Eſſercito Chriſtiano ſi con-* D
gregò preſſo Tolomaida. Doue interuenne il Rè d'Hungheria con gran' comitiua,
il Rè di Cipro, il Duca d'Auſtria con molti Alamanni, & Pelagio Arciueſcouo di
Nicoſia, mandato per Legato del Sommo Pontefice, con molti Prelati di gran'
dignità: frà i quali interuenne Enrico Settara, Arciueſcouo di Milano &c.
Deinde autem Anno 1220. *In queſti giorni da Vgone, Cimiliarcha, & Vi-*
cario dell Arciueſcouo di Milano, la Chieſa di Sant'Euſtorgio, che era tenuta da
vn' Prepoſto, & da quattro Canonici, i quali inſieme contribuiuano con la Cano-
nica di San'Lorenzo, fù conceſſa à Frati di San'Domenico, detti de' Predicatori,
che ne pigliarono la cuſtodia à quindeci di Marzo dell' Anno predetto; comeche
l'Anno innanzi due di loro foſſero venuti ad habitare in queſta Città. Denique
verò

verò Anno 1221. *In queſto tempo, quaſi all'vltimo di Maggio, Ardighetto* A
*Marcellino, Capo del Popolo e della Credenza, nella Città leuò grandiſsima
diſcordia, e cacciò fuora Otto Mandello con la parte de' Nobili: i quali con gli
Agenti dell'Arciueſcouo ſi riduſſero à Canturio, doue ſi fortificarono. Per modo
che il Pretore con fautori ſuoi miſe in bando tutte le Terre adherenti all' Arci-
ueſcouo, aiutando ogn'vno à deſtruggerli. Per il che i Plebei ruinarono Garugo,
Gluſiano, Pirouano, Burzano, Verano, & Mariano. Il che intendendo Enrico
Settara, Arciueſcouo, dalle parti di Gieruſalem tornò in Lombardia, e della
fattione de Nobili fece l'Eſſercito contra la Città di Milano. Mà nel meſe di
Agoſto fù fermata vna certa pace, per la quale le genti plebee ritornarono à
Milano: & in queſti giorni il Beato Domenico paſsò all'altra vita.*

VI. Hæc autem cùm ita ſe habuerint; Sanctum ego quidem Dominicum cre- B
diderim prima vice, qua Mediolanum venit, habitaſſe in Canonica
Nazariana (ſiue primus ipſe huc venerit, ſiue ſibi præmiſerit aliquos è
Fratribus ſuis) ſed poſtrema vice habitaſſe in Conuentu ſuo Euſtorgia-
no; itaut hinc etiam maiorem iſtius Conuentus venerationem poſteritas
dignoſcere debeat, & perenniter conſeruare.

VII. Atqui ne traditio quidem propterea mihi diſplicet illa, quæ noſtros
apud Mediolanenſes adhuc viget: eumdem videlicet Sanctum aliquan-
do etiam eſſe hoſpitatum intra Portæ Romanæ fines, in Vico, Ruga-
bella nuncupato: vbi nempe parua nunc extat Eccleſia, quam vulgus
communiter Sanctum appellat Dominicinum. Quid enim vetat, quo-
minùs Pater ille ſanctiſsimus, atque miraculorum etiam gloria celeber- C
rimus, variis interim hoſpitiis excipi certatim & officioſiſsimè potuerit?

VIII. Quòd verò attinet ad tempus, quo Baſilicam Euſtorgianam Corius nar-
rabat Ordini Prædicatorum fuiſſe traditam; eidem profectò adſtipula-
tur etiam illius Cœnobii Codex, in prægrandibus communis chartæ
foliis conſcriptus, quo multæ in primis Sanctorum Lectiones Matutinæ
ad vſum Chori continentur, deinde verò commemoratur etiam Baſilicæ
ipſius Conceſsio Fratribus facta, & ad extremum variæ Altarium illic
exiſtentium Conſecrationes. De Conceſsione quippe illa ſic ibidem
legitur: *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo ducenteſimo
vigeſimo, Idibus Martij, Dominica de Paſsione, quæ dicitur Dominica La-
zari ſecundùm Ambroſianos, ſub Pontificatu Venerabilis Domini Henrici Me-* D
*diolanenſis Archiepiſcopi, ipſo diſponente, aſsignata fuit Eccleſia & locus Beati
Euſtorgii Fratribus Ordinis Prædicatorum.* Quomodo tamen quinta-decima
illa Martii dies fuerit etiam Dominica de Paſsione ac de Lazaro: id ego
non ſatis intelligo. Etenim eius Anni Paſcha incidit in eiuſdem Martii
diem vigeſimam-ſextam, ſicut è Tabulis Paſchalibus conſtat. Itaque, ſi
computando inde retrocedamus; certè comperiemus, Dominicam illam
incidiſſe, non in decimam-quintam; ſed in duodecimam eiuſdem Mar-
tii diem. Quid, ſi fortè Collector ille talium Monimentorum nomine
illius Dominicæ vniuerſam illius hebdomadam intellexit? Secundùm
hanc enim nominis eius notionem verè profectò locutus eſſet. Talem

porrò mihi Codicem humaniſsimè commodauit Anno 1646. Venerabilis atque per omnia commendatiſsimus Pater Thomas Ortica, multoties olim atque tunc etiam Prior Euſtorgiani eiuſdem Conuentus: quem pariter è Cælo mihi nunc beneuolum ac beneficum ſpero. Siquidem ille mortuus eſt Anno 1647. tertio Kalendas Iulii. A

IX. Placebit autem hoc etiam loco recitatum inſpexiſſe, quid Ferdinandus del Caſtiglio in Hiſtoria Generali Sancti Dominici Ordiniſquè ab ipſo inſtituti ſcriptum his de rebus reliquerit Partis Primæ Libro primo: & hoc ſecundum Italicam verſionem, à Timotheo Bottono elaboratam. Etenim Capite 32. ad Annum Chriſti 1218. ſic legitur: *Mandò anco San'Domenico* (videlicet ex Vrbe Roma) *alcuni altri Religioſi à Bergamo: ne mandò à Milano. Et queſti ſin'da principio hebbero vn luogo per habitarui appreſſo à Santo Euſtorgio: la qual Chieſa fù poi data loro, dal proprio Curato* (veriùs & aptiùs Chalcus Præpoſitum & quatuor Canonicos nominabat) *di volontà & conſenſo dell'Arciueſcouo: doue fabricarono vn Conuento, non ſenza qualche diuina riuelatione, hauuta innanzi. Perche alcuni giorni prima che queſti Religioſi veniſſero, ſoleua dire vn'Santo Romito à quelli, che andauano ad vdir Meſſa in quella Chieſa, che doueano ben toſto comparirui alcuni Predicatori di paeſe lontano, che con la luce loro hariano illuminato tutto il Mondo. Queſto medeſimo diſſe ancora vn'altro Santo Huomo ad vn Cittadino Milaneſe, mà in parte aſſai lontana da Milano. Perche, eſſendo quel Milaneſe peruenuto à Conſtantinopoli* (multi enim tunc Mediolanenſes vnà cum Archiepiſcopo Henrico ad Expeditionem Ieroſolymitanam hinc diſceſſerant) *fù domandato da quel Seruo di Dio, d'onde egli foſſe. Et riſpondendo, che da Milano; ſoggiunſe: Sapete voi, in qual parte della Città ſi troui vna Chieſa, che ſi chiama Santo Euſtorgio? Et riſpondendo egli, che ben lo ſapeua; gli diſſe quel Romito: Voglio che ſappiate, che non vi andrà molto, che quella Parochia, la quale hora è tanto poco ſtimata, mal frequentata dal Popolo, e peggio ſeruita, ſarà Caſa di Predicatori, celebrata per tutto il Mondo.* Ac verus profectò Vates hactenùs vterque fuit. Quandonam verò Sanctiſsimus ipſe Pater Dominicus Mediolanum venerit eiuſdem Ferdinandi opinione: hoc poſtea è Capite 50. dignoſci poteſt. Per tria enim Capita (nempe 47. 48. 49.) narrato, quemadmodùm Dominicus ab Vrbe Bononia profectus Romam eſſet Anno 1219. menſe circiter Octobri, & quanta illic opera egiſſet, indequè tandem Anno 1220. diuertiſſet in Lombardiam, vt aliquot inuiſeret Ordinis ſui Conuentus, recenter in hac Prouincia conſtructos (è quibus vnus iam erat Euſtorgianus) ſic ille initio Capitis 50. proſequitur: *Ancorche San'Domenico haueſſe gran'voglia di dare vna ricercata à tutta Italia, & altre Prouincie, predicando, & attendendo à dilatare l'Ordine ſuo per ſeruitio di Dio; non gli riuſcì però queſta volta di andar molto lontano, per i negotii, che l'aſpettauano in queſt'Anno in Bologna, per doue haueua intimato il Capitolo Generale, da celebrarſi per la Paſqua dello Spirito Santo, che veniua all'hora l'vltimo giorno di Maggio. Non laſciò però di andare à Milano: doue ſi ammalò, aſſalito da vna gran'febre: nella quale ſi*

B C D

gouernaua

gouernaua egli aſſai differentemente da gli altri ſuoi figliuoli & ſudditi. Perche A
(come affermano alcuni Teſtimoni, eſſaminati nella ſua Canonizatione) in tutta
queſta ſua infermità non volſe mai mutare nè letto, nè cibo, nè veſte, nè di-
giuno; ancorche ſi trouaſſe affaticatiſſimo, & biſognoſo notabilmente di qualche
riſtoro &c. Hæc vtique ſunt, quæ Pater ille Ferdinandus opportunè ad
inſtitutum id noſtrum narrabat. In quibus tamen non admitto, Pente-
coſten Anno 1220. incidiſſe in poſtremum Maii diem. Non enim dies
hic cohæret cum vigeſimo-ſexto Martii die, in quem Paſcha Dominicæ
Reſurrectionis (vt diximus) inciderat: multoquè minùs cohæret cum
Dominica illa de Paſsione ac de Lazaro, quæ ſupponatur in decimum-
quintum Martii diem incidiſſe, ſicut in Euſtorgiano illo Codice ſup-
ponebatur. B

X. Sed lubens accipe rurſus etiam, quæ Thomas Maluenda in Annalibus Sa-
cri ſui Ordinis Prædicatorum his de rebus collegit: & hæc potiori ex
parte iis etiam commodè inſeruient, qui Linguam Italicam non callent.
Anno enim 1218. Capite 2. ſic ille narrabat: *Quo tempore Sanctus Domi-*
nicus Fratres Bononiam (ex Vrbe nimirùm Roma) *ire iuſsit, alios quoque*
miſiſſe Bergamum, alios Mediolanum, alios Comum, vt nouos Conuentus eri-
gerent, Ordinem augerent, Auctores (Flaminius Libro 1. Caſtillus Libro 2.
Cap. 32. ſicut in ora legitur marginali) *& vetera eorumdem Monaſterio-*
rum Monumenta teſtantur. Flaminius hæc habet: Erat Annus 1218. quo tem-
pore nonnullos alios Fratres Bergomum ire iuſsit ad prædicandum, & Medio-
lanum alios, qui ad Aedem Sancti Euſtorgii habitarunt: quam poſtmodùm Ordi- C
ni Prædicatorum donauit ipſius Eccleſiæ Præpoſitus, approbantibus hoc illis, qui-
bus erat eiuſmodi facultas approbandi: præcipuequè Vgone, Archiepiſcopi eiuſdem
Vrbis Vicario. Hoc autem futurum breui, prædixerat Eremita quidam, qui
diuino afflatus ſpiritu dicere ſolebat ad id Templum euntibus, fore, vt mox
Cænobitæ Prædicatores illud inhabitarent, quorum ſplendore totus Orbis illuſtra-
retur. Alius quoque Ciui Mediolanenſi, qui Conſtantinopolim nauigauerat, per
litus ambulanti, Eremita futurum prænunciauerat. Interrogatus enim, cuias
eſſet; cùm ſe Mediolanenſem dixiſſet, Eremita quæſiuit, num ſciret, vbi Tem-
plum Sancti Euſtorgii eſſet. Vbi, ſe ſcire, affirmauit, addidit Eremita: Scito,
breui locum illum, vilem nunc atque deſpectum, à Prædicatoribus inhabitan-
dum, ac breui celebrem in ea Vrbe ac illuſtrem futurum. Hactenùs Maluen- D
da ex Flaminio. Tum ipſe rurſùs: *At nonniſi Anno Domini 1220. Idibus*
Martii datam Eccleſiam Sancti Euſtorgii Fratribus Prædicatoribus, Bernardus
Guido in ſæpiùs citato Commentario de Rebus Ordinis his verbis affirmat: Con-
uentus Mediolanenſis Anno Domini 1220. Idibus Martii, Dominica Paſsionis,
quæ dicitur Dominica S. Lazari (legendum videtur *Dominica Quinta, Lazari*)
ſecundùm Ambroſianos, ſub Pontificatu Venerabilis Domini Henrici Archiepiſ-
copi Mediolanenſis, ipſo diſponente, aſsignata fuit Eccleſia & locus Sancti Euſ-
torgij Fratribus Ordinis Prædicatorum. Hæc ille. Dehinc Maluenda ipſe:
Potuit accidere, vt hoc Anno (1218.) Fratres Mediolanum venerint, &
apud Sanctum Euſtorgium hoſpitio excepti ſint: ibiquè prima Monaſterii funda-

menta

menta iecerint vſque ad Annum 1220. *quo illis publico Inſtrumento data eſt Eccleſia Sancti Euſtorgii*. Ad hæc autem Anno 1219. Capite 30. ſic inſuper inquit: *Hoc etiam ipſo Anno Bononiæ recepiſſe ad Ordinem & Profeſſionem inſignes Viros, Fratrem Robaldum Albengenſem, & Fratrem Iacobum Montienſem, Flaminius ex certis Monumentis hiſce verbis refert: Anno Domini* 1219. *Beatus Dominicus Bononiæ aliquos ad Ordinem Prædicatorum admiſit: quos ire Mediolanum iuſsit. Ii autem fuere Iacobus Montienſis, atque Rubaldus Albengenſis. Hæc ille. Eadem Caſtillus, & alii.* Subinde verò Montienſem interpretatur nuncupatum è Montia, ſiue Modoetia, Mediolanenſis Agri Oppido celeberrimo: Albengenſem verò ex Alba Pompeia, Lombardiæ Ciſpadanæ Vrbe; ſed fortaſsè veriùs ita ille nuncupatus eſt è Littorali Liguriæ Vrbe, Albenga, aliter Albingauno, vel Albigauno, Genuenſi Archiepiſcopo ſubiecta. Denique verò etiam Capite 31. eumdem Robaldum probat fuiſſe primum è Fratribus, qui mortuus fuerit in Euſtorgiano Conuentu, necnon etiam miraculis claruiſſe. Sanctus ergo Dominicus, Maluenda teſte, Mediolanum adhuc non venerat, ſed aliquos tantùm è ſuis Fratribus huc præmiſerat; hucquè primùm ipſe venit Anno tantùm 1220. cùm ex Vrbe Bononia perrexiſſet ad inuiſendos Lombardiæ Conuentus; atque tunc etiam ipſe hic ægrotauit. *Alias quoque peragrauit Galliæ Ciſalpinæ Vrbes* (verba ſunt Flaminii, & hic à Maluenda recitantur) *& adeptus eſt Monaſteria multa, & vetera ad obſeruantiam inſtitutorum ac decretorum Ordinis magis accendit & ſtabiliuit. Mediolanum cùm veniſſet; magna febre correptus eſt: qua cùm laboraret, orabat: vbi quieuerat, librum ſibi iubebat afferri, ac ibi Deum laudabat: Patribus etiam concionabundus multa narrabat.* Sin autem nos ab eodem Maluenda quæramus, an Sanctus Dominicus Mediolanum tunc redierit, quando tandem Anno 1221. poſt peractum in die itidem Pentecoſtes Secundum Capitulum Generale, inuiſit Oſtienſem Epiſcopum & Cardinalem, Vgolinum, *qui tunc apud Inſubres Legatus erat Pontificis Maximi*, vt Theodoricus Libro 5. Capite 1. loquebatur; eum profectò tunc ad Vrbem hanc rediiſſe negabit. Etenim eodem Anno, Cap. 35. Vgolinum credidit non alibi, quàm Venetiis, ab eo inuiſum fuiſſe. At ego quidem non video, quid obſtet, quominùs eum primò Mediolani ac tandem Venetiis inuiſerit, egoquè propterea Sigonio credere poſsim affirmanti, eum tunc *Mediolano Bononiam reuerſum*.

XI. Talia ego iam collegeram, collectiſquè meas etiam coniecturas interpoſueram, quando videre prætereà mihi humaniſsimè datum fuit Ambroſii Taegii Monimenta manuſcripta, quæ, ſenis comprehenſa Voluminibus, in Bibliotheca Prædicatorii Conuentus Sanctæ Mariæ Gratiarum, noſtra in Vrbe celeberrimi, ſed Euſtorgiano longè recentioris, conſeruantur. Taegius hic autem Anno etiam Domini 1518. florebat, & Conuentus eiuſdem Mariani Religioſus, & in Hiſtoriis verſatiſsimus; cùm alioqui Triſtanus Chalcus Anno circiter 1497. ſuos Hiſtoriæ Patriæ Libros conſcribere iam incœpiſſet, atque Anno 1516. ex hac migraſſet

graſſet vita; ſicut ego in Præfatione ad ipſius Reſidua, typis Mediolanenſibus Anno 1644. edita, iam oſtendi. En igitur, vt ille nobis deſcripſerit Sanctiſsimi Patris Dominici ad Mediolanenſes aduentum. A

XII. Sexta illius Pars, ſiue Sextum Volumen, hanc præfert in fronte inſcriptionem: *Chronica breuis Ordinis Fratrum Prædicatorum, videlicet Magiſtrorum Generalium præfati Ordinis, & aliorum in eo geſtorum: initium ſumens à Beato Dominico* &c. Folio autem decimo, pagina 2. & ad Annum Chriſti 1217. ſic inquit: *Eodem Anno Beatus Dominicus, diſperſis Fratribus, à Toloſa recedens, & Romam properans, tranſactis Alpibus, & planum Lombardiæ intrans, Mediolanum deuenit: vbi à Canonicis Sancti Nazarii, qui tunc habitum deferebant regularem, honorificè ſuſceptus in habitu Canonicorum Regularium, quaſi vnus ex ipſis. Indequè recedens Romam deuenit: quem Honorius honorificè ſuſcepit. Cui dedit & Fratribus ſuis locum Sancti Sixti: vbi aliquo tempore Fratres morati ſunt.* B

XIII. Proſequutus deinde Acta Anni 1218. rurſùs Anno 1219. ſic incipit folio 16. pag. 1. *Perueniens autem Beatus Dominicus in Lombardiam, Mediolanum applicuit, & in Canonica Sancti Nazarij, vt dictum, hoſpitatus eſt. Per quoſdam autem dies ibi moram trahens, prædicationis officio inſiſtere cæpit, & non modicum in Populo illo fructum fecit. Quoſdam autem præclaros Viros tunc temporis ad Ordinem recepit: videlicet Fratrem Amizonum de Solario, Mediolanenſem, Iuriſperitum, qui fuerat Sacri Palatii Notarius, & in Ordine Prior Mediolanenſis & Paduanus, & ſanctitatis Beati Dominici teſtis adiuratus, qui & Beati Dominici ſocius aliquando fuit: Fratrem Guidotum de Sexto, Mediolanenſem, Decretorum Doctorem, Auditoremquè Contradictoriarum in Curia, & in Ordine vnum ex primis Inquiſitoribus Hæreticæ Prauitatis in Lombardia: Fratrem Rogerium de Merate, Mediolanenſem, Doctorem Iuris famoſiſsimum, & poſtmodùm in Ordine Prior Mediolanenſis fuit. Tandem Beatus Dominicus Bononiam deuenit.* C

XIV. Sic etiam mox eodem folio 16. pagina 2. *Per idem tempus Beatus Dominicus miſit Mediolanum Fratrem Iacobum de Arriboldis, & Fratrem Robaldum præfatos* (quippe quos proximè illic nominauerat) *vt ibidem prædicarent locum pro Conuentu recipiendo. Qui Mediolanum venientes, in Canonicam Sancti Nazarii, vbi aliquando Beatus Dominicus hoſpitatus eſt, recepti ſunt de menſe Martii. Cæperunt autem prædicare contra errores hæreticorum, quibus quaſi tota infecta erat Ciuitas: & facti ſunt Fratribus fauorabiles Dominus Hugolinus* (ſiue potiùs Hugo) *de Setara, Cimiliarcha, Domini Vberti de Setara Archiepiſcopi Vicarius, vnà cum Maioris Eccleſiæ Canonicis. Ad horum prædicationem tota confluebat Ciuitas, hæreticis in contrarium prædicantibus. Præualuit autem Spiritus Domini, qui per os Seruorum ſuorum loquebatur: & quamplures, hæretica prauitate abiurata, ad Eccleſiæ vnitatem redibant.* D

XV. Sed & folio 18. pagina 1. *Anno Domini 1220. ætatis Beati Dominici 50. à Confirmatione Ordinis quarto, decimo-ſexto Calendas Iunii, in feſto Pentecoſtes, celebratum eſt Capitulum Generale Primum apud Bononiam, ſub Beato Dominico, Patre noſtro* &c. Eiuſdemquè mox folii pagina 2. narrans ea, quæ

ante

ante celebrationem illius Capituli facta fuerant, ſic inquit: *Eodem Anno* A
(1220.) *decimo-quinto die Februarij* (& in hoc à cæteris Scriptoribus diſ-
ſidet, menſi Martio idipſum aſsignantibus) *Fratres, qui Mediolanum à
Beato* (Dominico) *miſsi fuerant, Eccleſiam Sancti Euſtorgij obtinuerunt, &
ingreſsi ſunt; procurante Domino Hugolino, Oſtienſi Epiſcopo Cardinali, Apoſto-
licæ Sedis Legato, qui Mediolani erat pro pace conficienda inter Mediolanenſes
& Cremonenſes; Domino Vberto de Marinonibus Præpoſito & ſuis Canonicis
Eccleſiam reſignantibus, & ad Eccleſiam Sancti Laurentii tranſeuntibus cum
omnibus redditibus, & veſtibus Eccleſiaſticis, calicibus, & alijs ad dictam Ec-
cleſiam pertinentibus; excepta Superſtantia, quæ erat in redita librarum ſexa-
ginta, pro reparatione Eccleſiæ relicta. Hunc locum Diuina Prouidentia, pro
Martyre ſuo Beatiſsimo Petro promiſum, diuinis luminaribus, Angelorum con-* B
centibus, Prophetarum vaticiniis decorari voluit ante introitum Fratrum.

XVI. Reuertitur Taegius ad ea, quæ Anno eodem 1220. poſt celebrationem
Capituli geſta ſunt, & folio 19. pagina 1. hæc addit: *Finito autem Ca-
pitulo Generali, Beatus* (Dominicus) *toto illo Anno planum Lombardiæ circui-
uit, prædicationi & ſaluti animarum intendens. Peruenit itaque Mediolanum
in feſto Sancti Barnabæ Apoſtoli* (& quidem propriè noſtri) *& ad Conuen-
tum Fratrum declinans, magnum ibi reperit numerum Fratrum, à quibus ſum-
mo cum honore & omnium lætitia receptus fuit: Poſt non modicum arripuit eum
febris: in cuius acceſsione iugiter orabat. Vnde Frater Bonuiſius, de quo ſupra
mentio ſæpius facta eſt, qui ſocius eius tunc temporis erat, per ſigna vultus
deprehendit, ipſum multas conſolationes recipere diuinas, ac cæleſtia contemplari.* C
*Diſcedente verò febre, librum ante ſe deferri fecit, lectionemquè legi faciebat.
Poſtmodùm cœpit Deum laudare, & Fratribus prædicare. Conualeſcenſquè de
infirmitate, valedicens Fratribus, inde diſceſsit.*

XVII. Ad An[…]um poſtea 1221. recenſet ſecundum Capitulum Generale,
Anno eodem Bononiæ celebratum: ac folio 22. pagina 1. ſic etiam tra-
dit: *Poſt celebrationem Capituli Beatus Dominicus Domini Hugolini ſæpedicti
Legati in Lombardia Curiam viſitauit. Regrediens autem à Legato, circa fi-
nem menſis Iulii venit Bononiam valdè laſſus; æſtus quippe erat magnus, &
labor itineris fuerat multùm grauis. Tunc ægrotare cœpit ea infirmitate, qua
deceſsit* &c. Quocirca ſecundùm Taegium quoque nihil vetat, quomi-
nùs Cardinalem illum Dominicus Mediolani tandem viſitauerit, quem- D
admodùm ego item Sigonio aſſentiebar.

XVIII. Hæc vtique nobis in præſenti viſa ſunt è Taegii Monimentis oppor-
tuna: eaquè præſertim, quibus & Nazarianum Sancti Dominici hoſpi-
tium, & trium illorum Mediolanenſium conuerſio indicabatur, & con-
ſentaneè ad Triſtani quoque Chalci narrationem; cùm alioqui à cæte-
ris illis Hiſtoriæ Ordinis Prædicatorum Scriptoribus ea ſilentio tranſac-
ta fuerint. Vndenam verò tam Chalcus quàm Taegius ea ipſa de-
ſumpſerit, ego quidem fortè fortuna ſatis ex ipſomet Taegio didici.
Etenim quæ mox ex illo recitabam, eadem in Sexta pariter ipſius Parte
poſtmodùm comperi folio 253. pagina 1. & ſequentibus recitata iiſdem
penè

penè verbis, tamquàm è Gualuaneo Flamma, & ſub eiuſmodi titulo: *Quædam extracta ex Chronica Ordinis, edita à Fratre Gualuaneo de la Flamma, Mediolanenſi: pertinentia ad Conuentum Sancti Euſtorgij Mediolani. Quæ Chronica habetur in Conuentu Mantuano Sancti Lucæ, ſatis lacerata & diſſipata: quæ incipit à Natiuitate Beati Dominici, Anno Domini* 1170. *& terminatur in Anno Domini* 1344. (quocirca hoc item Anno Gualuaneus erat ſuperſtes) *tempore Magiſtri Petri de Palma, Magiſtri Generalis Decimi-octaui.* A

XIX. Sed attendamus, obſecro, qualibus præcisè verbis vſus fuerit Gualuaneus ipſe inter hæc extracta, cùm de geſtis loqueretur Anni 1217. Folio namque illo 253. pag. 1. ſic ſcribebat: *Beatus Dominicus exiens de Toloſa, tranſiens per Franciam, & tranſactis Alpibus Italiæ intra planum Lombardiæ, peruenit Mediolanum in habitu regulari. Et dicit quidam Canonicus antiquiſſimus Sancti Nazarii, quòd Beatus Dominicus Canonicam Sancti Nazarii, vbi Canonici habitum regularem deferebant, ingreſſus eſt: qui ipſum Beatum Dominicum in habitu regulari, quaſi vnum de ipſis, honorificè ſuſceperunt.* Gualuaneus igitur eius tantùm Canonici teſtimonio nixus hæc affirmabat. B

XX. Ego tamen non ſatis adhuc ſcio, an Canonici hac in Vrbe Nazariani eo tempore habitum geſtarent Canonicorum Regularium: & an eum pariter tunc geſtarent Sanctus Dominicus eiuſquè Fratres; quos alioqui ſcio eum ab initio geſtaſſe. Itaque Theodoricus in eiuſdem Sancti Vita, Libro 1. Capite 3. narrabat, quemadmodùm ille factus fuiſſet Canonicus Regularis ſub Didaco, Eccleſiæ Oxonienſis Epiſcopo. Deinde verò etiam Libro 2. Capite 12. deſcribens Deiparæ Virginis beneuolentiam erga Ordinem Prædicatorium, illam quoque hinc commendabat: *Specialis quoque charitatis argumento, ſingulariſquè gratiæ priuilegio, huius Sacri Ordinis filiis ipſa habitum tribuit, peculiari eos ornans indumento. Cùm enim initio Canonicorum Regularium veſtibus vterentur; nunc Beatiſſimæ Virginis veſtitu amicti cælitùs, præ cæteris gloriantur.* Eodem tamen aſſertore Theodorico, Libro 2. Capite 3. Dominicus Anno 1217. cùm Romæ iam eſſet, atque adeò proximè (ſi Gualuaneo eiquè Canonico credimus) per Vrbem noſtram tranſiens illuc perueniſſet, cucullum & capitium geſtabat; quæ non videntur Canonicorum fuiſſe Regularium indumenta, ſed certè quidem Dominicanorum, ſicut ex eiuſdem Theodorici Libro 2. Capite 12. conſtat. Nimirùm Capite illo 3. Theodoricus Anno 1217. loquens de Sancto Patre Dominico Romam profecto, dequè Pontificis & Cardinalium beneuolentia erga ipſum & honore, ſic inſuper adiecit: *Omnium etiam aliorum tanta erga illum extitit reuerentia, vt tum Magnates & Proceres tum plebei homines mira illum charitate colerent, atque ceu Angelum Dei ſequerentur: beatoſquè ſe exiſtimarent, qui vel contingere eum poſſent, vel quippiam ex rebus eius adipiſci. Itaque cucullus & capitium eius adeò ab illis conſcindebatur, vt vix ſufficerent genibus obtegendis. Cumquè Fratres eos arcere vellent, ne ſic veſtes eius ſecarent; Vir Dei ait: Sinite, illos ſuæ deuotioni ſatisfacere. Adeò enim illorum fidei congratulabatur, vt* C D

truncato habitu contemptibilis videri pro nihilo putaret. Hæc ibi Theodo- A
ricus de habitu religioſo, quem Sanctus Dominicus Anno 1217. iam
geſtabat. Progreſſus deinde ad eiuſdem Libri Caput vndecimum, &
Anni 1218. acta deſcribens, ac nominatim quemadmodùm Deipara
Virgo Magiſtrum Reginaldum ad Ordinem Prædicatorum mirabiliter
per viſum conuertiſſet, inter cætera ſic inquit: *Omnem quoque Prædica-
torij Ordinis habitum ei demonſtrans: Hic eſt (inquit) habitus Ordinis tui*.
Mox & Capite duodecimo: *Accepit inde Reginaldus habitum, ipſi diuinitùs
præmonſtratum, à Beati Dominici manibus*. Et paulò pòſt: *Quâ ſit autem
pietate efferendus & quanta veneratione proſequendus huius inſtituti habitus,
qui à Matre Domini eidem Reginaldo in viſione oſtenſus fuit, Dominus poſtea
declarare voluit. Nam Magiſter quidam apud Salamancam, Hiſpaniæ Vr-* B
*bem, vbi tum litterarum ſtudia florebant, Artium Præfectus, mane quodam,
die Dominico, cum multis ſtudioſis ad Domum Prædicatorum venit, vt con-
cionem audiret. Subitò autem tanta extitit pluuiæ vis, vt è Domo egredi non
poſſent. Supprafectus igitur ſiue Supprior Domus, cùm eum ad prandium in-
uitaret, nec retinere poſſet; induit eum Fratris cuiuſdam cucullo, ne pluuia
veſtes eius madefaceret. Eoquè ſic induto, coram multis Doctoribus & ſtudio-
ſis, qui illic aderant, dixit Supprior: Proteſtor ego hodie, & vos omnes teſtes
eſſe volo, Magiſtrum Nicolaum habitum noſtrum ſuſcepiſſe. At ille Magiſter
ridens & irridens abiit: totoquè die illo, per plateas & ædes ſtudioſorum diſ-
currens, cum multo riſu & cachinno omnibus deridendum propinauit habitum
ſanctitatis. Sed ecce eadem nocte acerrima eaquè perpetua febre corripitur, &* C
*mirè cruciatur. Quod cùm & ipſi & Medicis non parum formidinis adferret;
tabeſcebat, ſicut ipſe ait, anima eius; & valde exterritus anxias Domino pre-
ces fudit. Audiuit verò diuinitùs vocem ita dicentem: Putaſne, me ipſas
Fratrum Prædicatorum perſonas dumtaxat velle honore & reuerentia affici?
Ego verò id te ſcire velim, me & veſtes eorum nolle debita veneratione
fraudari. Quas cùm tu contumelia affeceris; niſi per pœnitentiam reſipueris,
non id feres impunè. Ea vox vbi non dormientis ſed vigilantis auribus illata
eſt, omnia eius viſcera concuſſa ſunt. Vocatis igitur Fratribus, habitum, quem
irridiculè & ludens geſtauerat, cum reuerentia multa ſuſcepit, & ſolemniter
induit; vt in eo expiaret, quod perperàm admiſerat. Beatos planè, qui his
veſtibus multiplicis gratiæ indui meruerunt, quas Mulier fortis* (Deipara Vir- D
go) *ſuis contexit domeſticis; vt, armis lucis induti, honeſtè ambulent; ne ab
Agni nuptiis excludantur*. En igitur, vt inter Ordinis Prædicatorii ha-
bitum & veſtes, ei à Deipara Virgine traditas, ac Magiſtro Reginaldo
præmonſtratas in ſignum eius Ordinis Religioſi, quem ſibi eligere de-
beret, connumeretur cucullus (eademquè capitii videtur eſſe ratio) cu-
cullus, inquam, ille, qualem Magiſter Nicolaus commodatò acceperat,
& qualem Sanctus Dominicus Anno 1217. in Vrbe Roma geſtabat.
Erat autem indumentum exterius, infra genua deſcendens, & pluuiæ
ab interioribus veſtibus arcendæ accommodatum; ſicut apertè iam
vidimus.

XXI. Ex

XXI. Ex his autem conſequens mihi quidem videtur, vt Ordo Prædicatorius proprium ſui habitum à Deipara Virgine acceperit, non Anno Domini 1218. neque tunc temporis, quando ab ea præmonſtratus Reginaldo fuit, ſed ante illum ipſum Annum. Eiuſmodi enim habitus non ante profectò in vſu eidem Ordini fuit, quàm illi fuerit à Deipara traditus: & hoc pro certo & explorato ſupponitur. Si ergo illi iam erat in vſu Anno 1217. certè ſequitur, vt iam ante traditus illi à Deipara fuiſſet. A

XXII. In hoc igitur ego diſſentire cogor à Thomæ Maluendæ aſſertione in Annalibus Prædicatorum Anno 1218. Cap. 20. ac 21. & ab alijs eiuſdem ſententiæ ſectatoribus, quos ipſe ibidem numerans contendit, habitum ipſius Ordinis proprium ex eo tantùm tempore traditum à Deipara, & à Sancto Dominico cæteriſquè Fratribus vſitari cœptum, è quo præmonſtratus Magiſtro Reginaldo, & per ipſum è manibus Sancti Dominici ſuſceptus fuit. Sed ne illud quidem placere mihi poteſt, quod ipſe ibidem addit, ſolum ſcapulare fuiſſe habitum, Reginaldo tunc à Deipara oſtenſum. Non enim hanc limitationem pati mihi videntur ſuperiora illa Theodorici verba, de Virgine Deipara loquentis: *Omnem quoque Prædicatorii Ordinis habitum ei demonſtrans: Hic eſt, inquit, habitus Ordinis tui*. Si enim ſolum demonſtrabat ſcapulare, qua ratione ac veritate *omnem Ordinis habitum* demonſtrabat? Non igitur ei ſolum demonſtrauit ſcapulare, ſed reliqua etiam indumenta, noui Prædicatorum Ordinis propria, & ſingillatim etiam cucullum. De quo quidem cucullo libenter ego accipio quod ibidem fatetur his Maluenda verbis: *Cucullam verò, ſeu cucullum, quod etiam caputium vocant, tam in ſcapulari quàm in pallio, ſeu cappa, ſumpſit Sanctus Dominicus ex antiquorum Monachorum vſu, qui cucullam deferebant* &c. Sed mea quidem opinione, non Sanctus Dominicus, ſed Virgo Deipara ex antiquorum Monachorum vſu cucullum Ordini Prædicatorio accommodauit, eiuſquè geſtationem præſcripſit. B C

XXIII. Si quis autem requirat à me, quandonam illa eiuſmodi habitum ac geſtationem præſcripſerit; ego quidem libenter illam crederem Dominico per viſum præſcripſiſſe intra ſpatium illud temporis, quod à Pontificia Ordinis confirmatione, per Honorium Tertium Anno 1216. vndecimo Calendas Ianuarii conceſſa, effluxit vſque ad Dominici reditum ex Vrbe Roma Toloſam. Eò enim non multò pòſt reuerſus, Fratres ſuos, licet adhuc numero paucos, & circiter ſexdecim, nihilominùs per Orbem terrarum, tamquàm grana multam ſegetem allatura (vtor enim Theodorici verbis, Libro & Capite 2.) diſperſit; quippecùm, ita faciendum eſſe, iam Romæ diuina reuelatione per Apoſtolos Petrum & Paulum didiciſſet. Congruum autem fuiſſe non videtur, vt ii tamquàm ex certo & recenter inſtituto Religioſorum Ordine quaquauersùm ad prædicandum Chriſti Euangelium mitterentur abſque certo & peculiari eiuſdem Ordinis habitu, quo à cæteris Ordinibus diſcernerentur, quemquè perenniter retenturi eſſent; ne fortè diuerſi D

 habitus

habitus nouitate ſuſpicionem deſe apud eos gignerent Populos, ad quos A
priùs aliter induti perrexiſſent. Tanto præterea minùs congruum fuiſſe hoc videtur; quia talis ac tantus Ordo, quinetiam proprius eius habitus, mirabiliter iamdudùm fuerat à Deo prænunciatus; & nominatim Abbati ſimul & inſtitutori Florenſis Monaſterii; ſicut ex eodem Theodorico conſtat, Libro 1. Cap. 12. necnon etiam è Maluenda in Annalibus, Anno Chriſti 1216. Cap. 20. *Abbas & inſtitutor Florenſis Monaſterij* (verba ſunt ipſius Theodorici, diuinas enarrantis reuelationes, quibus hic Ordo præmonſtratus fuit) *de Prædicatorum Ordine in multis libris & locis ſcripſit. Ipſum autem inſtitutum & habitum* (nempe proprium) *deſcribens, monuit Fratres ſuos, vt poſt deceſſum ſuum, illo exiſtente Ordine, piè & honorificè eius Profeſſores exciperent. Itaque venientibus primò ad ipſos* B
Fratribus Dominicanis, cum Proceſſione & Cruce obuiam exierunt. Ne igitur tali tantoquè Ordini, à Deipara Virgine beneficentiſsimè promoto ſapientiſsimequè conſtituto, tale quiddam, vſqueadeò incongruum & indecorum & fraudis ſuſpectum, accideret, Deipara Virgo ipſa mihi videtur maturè opportunequè prouidiſſe quo dicebam temporis ſpatio; itaut intra hoc ipſum Dominicus etiam potuerit hanc habitus mutationem Honorio Pontifici ſignificare, conſenſumquè ab eo reportare; ad eum prorsùs modum, quem Maluenda vero procliuem cenſuit Anno 1218. Capite 20. Reginaldus profectò (eius enim memoriam & mentionem Annus hic ipſe 1218. mihi renouat, priuſquàm in Vrbe Roma æger iaceret in lecto, ſatis iam nouerat Dominicum, Prædicatorii Or- C
dinis fundatorem, cui ſe Ordini iam tandem aggregare decreuerat, poſteaquàm cum Dominico ipſo familiariter collocutus fuiſſet: qualibus item indumentis Dominicus tunc vteretur, quàm optimè viderat. Ex altera verò parte Deipara Virgo, Reginaldi oculis obuerſata, *omnem Prædicatorij Ordinis habitum ei demonſtrans*, ſic eum alloquitur: *Hic eſt habitus Ordinis tui*. Per hæc vtique Deipara illum in ſuo Prædicatorii Ordinis, quem Dominicus inſtituerat quemquè profitebatur, ſuſcipiendi propoſito confirmare intendit; eiuſdemquè propterea Ordinis habitum illi demonſtrauit. Non igitur illi habitum demonſtrauit alium & diuerſum ab eo, quem Dominicus tunc geſtabat, quemquè Reginaldus in ipſo proximè conſpexerat. Si enim alium & diuerſum ab eo demon- D
ſtraſſet; quidni Reginaldus talem Deiparæ ſermonem ita potiùs interpretari debuiſſet; vt, non Prædicatorius, ſed alius & diuerſus Ordo ſibi ſecundùm diuinam voluntatem conſectandus proponeretur? Non enim oſtenſio ipſamet habitus, non adiecta verba ſignificabant, nouum tunc habitum ab ipſamet Deipara pro Prædicatorio inſtitui præſcribiquè Ordine. Quocirca ne Reginaldus quidem prudenter exinde percipere hoc poterat. Sin autem ſupponamus (vt ipſamet oſtenſio & verba illa ſecundùm propriam & vſitatam ſignificationem ſuam præferunt) oſtenſum illi tunc fuiſſe habitum illum, quem proximè in Dominico ipſo conſpexerat; quid pronius intellectu, quid facilius, quàm ſibi quoque

diuino

diuino nutu capeſſendum eſſe Ordinem ipſum, à Dominico pariter in- A
ſtitutum ac profeſſum?

XXIV. Quòd ſi Dominicus re vera proprium ſui Ordinis habitum geſtabat ante, quàm Reginaldo tunc ægrotanti Clementiſsima Deipara, Ordiniſquè Prædicatorii beneficentiſsima Patrona, ſeſe conſpicuam & ſalutarem præberet; qui reliquas inde coniecturas noſtras non admittunt, meliores ipſi nobis & veriores in medium producant. Nos enim ſaniori ſemper hominum ſapientum (nedùm Eccleſiæ Catholicæ Romanæ) conſilio promptiſsimè lubentiſsimequè acquieſcemus. Hucuſque blanda nos attraxit curioſitas; quia, quando Mediolanum Dominicus prima vice venit (quaillum cæteroqui veniſſe Anno 1217. atque in Canonica
Nazariana hoſpitatum, conſentiemus etiam Gualuaneo Flammæ, atque B
Ambroſio Taegio) non ille nobis videbatur habitu Canonicorum Regularium indutus. Multò autem minùs eo per ea tempora induti videri nobis poſſunt Nazarianæ Baſilicæ Canonici. Atque hanc fortaſſe ob cauſam ne Triſtanus quidem Chalcus tale quidquam de illis credidit, ac ne mentione quidem vlla dignum putauit.

XXV. Superiore Numero 2. Capitis huius partem pollicebar Diploma, quo Henricus Septala, noſtræ Vrbis Archiepiſcopus Ciuiſquè nobiliſsimus, Euſtorgianam Baſilicam Fratribus Prædicatoribus confirmauit. Ecce nobis illud tandem, atque fideliter ex antiquo exſcriptum exemplari, quod in Baſilicæ huius Laurentianæ Archiuo cuſtoditur, & ita prorsùs ſe
habet: HENRICVS, *miſeratione diuina Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archie-* C
piſcopus, Dilectis in Chriſto filiis, Priori & Conuentui Sancti Euſtorgii Mediolani, Ordinis Fratrum Prædicatorum, tam præſentibus quàm futuris, Mediolani commorantibus & commoraturis, in perpetuum. Officii noſtri debitum exigit & requirit, vt in iis, quæ ad cultum Religionis pertinent, teneamur propenſiùs intendere, ac ea effectu proſequente ſtudioſiùs adimplere. Hinc eſt, quòd, cùm propter Dei timorem, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deuotionem, ac totius Cleri & Populi Mediolanenſis vtilitatem & profectum, Eccleſiam Sancti Euſtorgii, ſitam in ſuburbio Portæ Ticinenſis Mediolani, vnà cum ſedimine & brayda, inſimul ſe tenentibus, ad faciendum hortos & brolium, ac domos ædificandas, quæ omnia Vbertus Marinonus, tunc ipſius Eccleſiæ Præpoſitus, &
Presbyter Rolandus, & Presbyter Lanfrancus, & Ayroldus, eiuſdem Eccleſiæ D
Canonici, refutauerunt in manum Vgonis, Cimiliarchæ Mediolanenſis, Vicarii noſtri, qui tunc eramus in partibus tranſmarinis, in ſeruitio Crucifixi, vobis veſtriſquè Succeſſoribus auctoritate Mediolanenſis Eccleſiæ, de conſilio fratrum noſtrorum, duxerimus concedenda; volentes ipſis Præpoſito & Canonicis tollere occaſionem euagandi; timentes etiam, ne aliquo modo ſeducti, ipſi vel eorum ſucceſſores haberent materiam vexandi ſiue moleſtandi vos aut veſtros ſucceſſores aliquatenùs in futurum; de conſilio fratrum noſtrorum, ac de conſenſu dictorum Vberti Præpoſiti, & Presbyteri Rolandi, & Vgonis, & Chunradi, eiuſdem Eccleſiæ Canonicorum; volentibus etiam & conſentientibus Presbyteris, Gozio, Amizone, Gulielmotto, Sozone, Chunrado, & Ambroſio, Canonicis

Eccleſiæ

Eccleſiæ Sancti Laurentii Mediolanenſis; conſideratis vtilitatibus Eccleſiæ Sancti Laurentii & Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ, in qua Eccleſia ſunt tantùm octo Canonici cum Præpoſito; & vtilitatibus Eccleſiæ Sancti Euſtorgij, Præpoſiti & Canonicorum illius Eccleſiæ, in qua Canonica ſunt tantùm quatuor Canonici cum Præpoſito; & penſatis circumſtantiis locorum & perſonarum & totius negotii; vniuimus prædicta duo Capitula Sanctorum Euſtorgii & Laurentii; & de eis duobus Capitulis fecimus vnum Capitulum & vnum Collegium, transferendo dictos Præpoſitum & Canonicos Sancti Euſtorgii, & bona & poſſeſsiones & iura Eccleſiæ Sancti Euſtorgii cum omnibus ſuis oneribus; ita quòd onera vtriuſque Eccleſiæ, ſeu ipſius Capituli ſic vniti, ſint communia ad Eccleſiam Sancti Laurentii; exceptis his, quæ iam vobis ſunt conceſſa; ita quòd de cætero dicti A *Præpoſitus & Canonici Sancti Euſtorgii & Canonici Sancti Laurentii ſint vnum* B *corpus & idem Capitulum & Collegium Sancti Laurentii, & ſint & eſſe debeant cum vno Præpoſito tantùm duodecim; & vos Eccleſiam Beati Euſtorgii, cum rebus vobis conceſſis, liberè habeatis, & pacificè & quietè ſecundùm Ordinem veſtrum teneatis & poſſideatis. Item ſtatuimus & ordinamus, vt libri & ornamenta & vtenſilia Eccleſiæ Sancti Euſtorgii remaneant in illa Eccleſia, & ſint ipſius Eccleſiæ Sancti Euſtorgii. Item ſubiicimus & ſupponimus Hoſpitale, quod dicitur Sancti Euſtorgii, & Eccleſias Sancti Petri ad Scaldaſole & Sancti Stephani in Bixiario cum omnibus rebus & poſſeſsionibus & iuribus, ad ipſas Eccleſias & ad ipſum Hoſpitale pertinentibus, Eccleſiæ ſeu Præpoſito & Capitulo ſeu Collegio Sancti Laurentii, ſic vnito. De facto verò Superſtantiæ ſtatuimus & ordinamus, vt dominium & inſtitutio & omnia iura & poſſeſ-* C *ſiones ipſius Superſtantiæ remaneant in poteſtate Eccleſiæ Sancti Euſtorgii, & perſonarum in ea Eccleſia Sancti Euſtorgii commorantium, vel quæ ſunt commoraturæ, in perpetuum, ad vſum fabricæ illius Eccleſiæ, & ſaluo quòd adminiſtratio fructuum illius Superſtantiæ ſit in poteſtate Vberti Marinoni, quondàm Præpoſiti Sancti Euſtorgii, quouſque vixerit, faciendo de ipſis fructibus fieri laborem fabricæ ipſius Eccleſiæ Sancti Euſtorgii. Et poſt eius deceſſum fructus omnes & adminiſtratio & omnia iura illius Superſtantiæ liberè deueniant & ſint illius Eccleſiæ Sancti Euſtorgii & perſonarum, vt ſupra dictum eſt, ad vſum fabricæ prædictæ Eccleſiæ. Nulli ergo omninò hominum, in noſtra ditione commorantium, liceat hanc paginam noſtræ Inſtitutionis ſiue Ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit;* D *indignationem Omnipotentis Dei & noſtram ſe nouerit incurſurum. Datum Milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo, die Sabbati, nono die ante Kalendas Februarii.*

EGO HENRICVS, MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPVS, *ſubſcripſi.*

XXVI. Hactenùs Diploma, per me promiſſum. Ioſephus porrò Ripamontius Secunda Parte Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Libro 3. in hæc verba ſcripſit: *Interim Hugo Cimiliarcha, qui abſentis Henrici locum obtinebat, Baſilicam Euſtorgianam Dominicanis attribuit, quam Præpoſitus & Canonici quatuor ex Laurentianæ Baſilicæ Collegio* (qua tamen in re ille fallitur, vt mox vidimus) *antiquitùs tuebantur*. Et aliquantò pòſt, enumerans Henrici

Septalæ

Septalæ Archiepiſcopi geſta: *Dominicanos in Euſtorgianam, non ab Hugone Cimiliarcha, ſicuti dictum eſt* (iis nempe verbis, quæ mox ego ex eodem Ripamontio recitabam) *ſed ab hoc Henrico fuiſſe inductos, Merula Scriptor mauult*. Georgius enim Merula Libro 4. Antiquitatis Vicecomitum ita tradiderat: *Per hæc tempora Innocentius moritur; cui ſucceſsit Honorius. Hic ſurgentem à Diuo Dominico Religioſam Fraternitatem & inſtituta comprobauit. Tum, procurante Henrico Septarienſi Archiepiſcopo, Aedes Diui Euſtorgii huius Viri Sectatoribus habitanda conceditur.* Quidni verò Henricus etiam ipſe geſsit, quod per Vicarium quoque ſuum geſsit? Non igitur Merula vnum affirmat ita, vt alterum propterea negare cenſendus ſit. A

XXVI. Certe autem apprimè illi (ſicut etiam nobis ad alia, & præſertim ad tempus, quo præcisè tradita Religioſis illis fuit Euſtorgiana Baſilica) B certè, inquam, illi nobiſquè apprimè fauet Diploma ſubſequens, à doctiſsimo & eiuſmodi Monimentorum inueſtigatore ſolertiſsimo, Marchione Vercellino Maria Vicecomite, nuper inuentum, & ſolita ſua erga me beneficentia protinùs commodatum, idemquè archetypum, & ab ipſomet Henrico Archiepiſcopo ſubſcriptum. Quod quidem ita prorsùs ſe habet: *In Nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millexìmo ducenteximo vigeximo, die Sabbati, octauo die ante Kalendas Nouembris, Indictione nona. In Palatio Veteri Domini Archiepiſcopi, in præſentia Domini Epiſcopi Laudenſis, & præſentibus Teſtibus, Lanfranco de Puteobonello, filio quondàm Soldani, Præpoſito Sancti Nazarii: & Anſelmo, filio Vgonis de Caſtegnanege Canonico Sancti Nazarii: & Presbytero Suzone, filio quondàm Guarnerij Hunicani, Miniſtro Eccleſiæ Sancti Alexandri in Zibidia: & Galdino Bixiolo, Canonico Sanctæ Tegle, filio quondàm Ardigotti; & Martino filio Guillelmi Greppi, Canonico de Segrete: & Oprando, filio quondàm Lanfranci de Beſana, Superſtite laboris Sanctæ Mariæ Maioris: & aliis multis teſtibus. Cum Dominus Vbertus Marinonus, Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Euſtorgii, & Presbyter Rolandus Biſſius, & Presbyter Lanfrancus de Saxto, & Dominus Arialdus, Præpoſitus de Neruiano, Canonici dictæ Eccleſiæ Sancti Euſtorgii, renunciaſſent in manu Domini Vgonis, Cimiliarchæ Mediolanenſis Eccleſiæ, Vicarij Domini Henrici Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, nomine & vice illius Archiepiſcopi, ſiue Archiepiſcopatus, Eccleſiæ Sancti Euſtorgii, & omni iuri habitationis, & habitationi & loco domorum & ſediminum tam Eccleſiæ quàm* D *Superſtantiæ, cum braida, quæ eſt iuxta Eccleſiam: ita quòd ipſe Dominus Cimiliarcha, nomine ipſius Archiepiſcopi ſiue Archiepiſcopatus Mediolanenſis, poteſt diſponere & ordinare de ipſa Eccleſia, & de ipſis ædificiis & ſediminibus, tam Eccleſiæ quàm Superſtantiæ, & de ipſa braida, ſicut diffinitur braida illa per cohærentias, quibus voluerit ad eius voluntatem; reſeruato ſibi omni iure tam in Beneficiis ſiue Præbendis, quàm in Superſtantia quæ remanſit, & in redditibus ſuis, & in Hoſpitali, & in Eccleſiis Sancti Petri ad Scoldaſolem, & Sancti Stephani in Bixuario, & in omnibus aliis, prout continetur in Charta ſcripta per me Iacobum de Puteo, Notarium, Millexìmo ducenteximo vigeximo, die Mercurii, decimo die Auguſti. Dictus Dominus Vgo, Cimiliarcha,*

liarcha, Vicarius dicti Domini Henrici, Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, A
præſentibus & conſentientibus atque confirmantibus Domino Alberto Amicono,
dictæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbytero, & Domino Guilielmo de Rezolo,
dictæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archidiacono, & Magiſtro Stephanardo Balbo,
& Alkerio de Terziago, & Guilielmo Rana, & Anrico Comite, & Ottone de
Landriano, & Amizone de Porta Romana, Ordinariis dictæ Mediolanenſis
Eccleſiæ, auctoritate ipſius Domini Archiepiſcopi, ſeu Archiepiſcopatus & Me-
diolanenſis Eccleſiæ; Conceſſit contulit dedit & confirmauit Magiſtro Iacobo,
Priori Fratrum Ordinis Prædicatorum, recipienti ſuo nomine, & nomine ipſorum
Fratrum, qui morantur vel de cætero moraturi ſunt in Mediolano, Eccleſiam
Sancti Euſtorgii & locum domorum ſiue ædium & ſediminum tam Eccleſiæ
quàm Superſtantiæ, & totam braidam, quæ eſt iuxta Eccleſiam ipſam à monte B
parte ipſius Eccleſiæ, ſicut diſſinitur braida illa per cohærentias. Et hoc fece-
runt prædictus Dominus Cimiliarcha, & præfati Ordinarii, reſeruato ipſis Præ-
poſito & Canonicis Sancti Euſtorgii omni iure tam in Beneficiis ſiue Præbendis,
quàm in Superſtantia, quæ remanſit, & in redditibus ſuis, & in Hoſpitali, &
in Eccleſiis Sancti Petri ad Scoldaſolem, & Sancti Stephani in Bixiario. Et
hoc totum factum eſt ſalua in omnibus auctoritate dicti Domini Archiepiſcopi
Mediolanenſis.

✠ EGO HENRICVS; MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIE-
PISCOPVS, *ſubſcripſi.*

Ego Iacobus, filius Domini Guillielmi de Puteo, de Puſterla Sancti Stephani, Ciui-
tatis Mediolani, Not. . . . . ac Miſſus Domini Ottonis Imperatoris, interfui C
. . . . dicti Domini Cimiliarchæ ſcripſi.

XXVIII. Henricus autem ipſe Archiepiſcopus in Baſilica nunc quieſcit, quæ
priùs Philippi (eius nimirùm, qui Martyres Protaſium & Geruaſium
latenter illic ſua in domo ſepelierat) ac deinde Sanctorum Naboris &
Felicis obtinuit nomenclaturam, nunc Franciſcana communiter appel-
latur: ex Anteſignano videlicet eorum Religioſorum, quos ipſe pariter
primus in hanc Vrbem atque illuc induxit. Statim enim poſt primariæ
portæ ingreſſum pauimento in latere dextro ſupereminet ingens è viuo
lapide conditorium, quo ipſius exuuiæ continentur: quodquè nuper
altè ſuperaddito parietiquè conſito nobilitatum eſt hóc Epitaphio, eo-
demquè pereleganter marmoreæ Tabulæ inſculpto: D

Aeternitati
HENRICVS. SEPTALA
MEDIOLANI. ARCHIEPISCOPVS
doctrina. pietate. ac. rerum. geſtarum. gloria
incomparabilis
ad. tantæ. regimen. Eccleſiæ
ab. Innocentio. III. electus
ab. Honorio. III. conſecratus
comes. Regum. ac. Dynaſtarum
cum. egregia. Mediolanenſium. Nobilium. &. Militum. manu
Ieroſolymitanam. ſuſcepit. Expeditionem

Metropolitani.

Metropolitani. iuris. mirus. vindex. fuit A
inſtituto. Inquiſitore. iugulauit. Hæreſes
Dominicanum. &. Franciſcanum. Ordines
in. hanc. Vrbem. primus. excepit. eiſquè. domicilia. conſtituit
pluribus. Eccleſijs. patrimonium. non. mediocre. addidit
Mediolanenſi. Eccleſia. per. Annos. xvi. &. menſes. x
laborioſiſsimè. adminiſtrata
quieuit. Anno. Sal. MCCXXX. XVI. Kal. Octobris
elatuſquè. pio. &. vero. vniuerſæ. Italiæ. dolore
hic. iacet
Carolus. Septala. Iuriſconſultus. Collegiatus
Sanctiſsimi. Domini. noſtri. Innocentij. X B
vtriuſquè. Signaturæ. Referendarius
&. Metropolitanæ. Mediol. Archipresbyter
benè. merito. propatruo. tritaui. maximo
Anno. MDCLII.
P

XXVIV. Tunc vtique Carolus etiam ipſe nonniſi Metropolitanæ Mediolani Baſilicæ Archipresbyter erat; ſicut etiam ego alibi iam ſæpè commemini. Sub hodierno autem poſtea (& vtinam in multos annos) Archiepiſcopo noſtro, Alfonſo Litta, Vicarii quoque munus Generalis eximia cum laude adminiſtrabat; cùm denique ab Innocentio Papa Decimo abſque cunctatione vlla vltroquè (bonis omnibus applaudentibus) donatus fuit Eccleſiæ Derthonenſi Epiſcopus, ſtatimac ea Epiſcopo Franciſco Foſſato, Mediolanenſi pariter ac nobiliſsimo Ciue, viduata per illius obitum fuiſſet. In id ergo Romam euocatus, illic etiam Conſecrationem denique ſuſcepit Epiſcopalem Anno ſuperiore Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-tertio, ſeptima ſimul & Dominica Septembris die, ac Marianæ præuia Natiuitatis; vt hinc etiam Septalæ cognomento, ſepteniſquè gentilitii eius Stemmatis alis, dies ipſa Conſecrationis auſpicatò congrueret. Quàm benè verò illud etiam huc congruit, vt, qui Metropolitanæ, naſcenti Deiparæ Virgini nuncupatæ, antehac præfuerat Archipresbyter, tantæ Patronæ ac Tutelari addictiſsimus, idem nunc Cathedrali præſit Epiſcopus Eccleſiæ, quæ Virginis eiuſdem in Cælum aſſumptæ tutela ſimul & patrocinio gloriatur! C D

CAPUT CX. A

Confeſſio, ſiue Scurolum, Ambroſianæ Baſilicæ conſtruitur. Simul autem hic agimus etiam de Patera, è qua Sanctus Ambroſius bibebat, & è qua bibentes ægroti & energumeni ſæpenumerò curantur, quæquè nobis in prouerbio eſt.

I. CОngruenter ad inueteratam Chriſtianorum conſuetudinem,
Baronio quoque in Annotationibus ad Martyrologium Romanum
die ſexta Iulii comprobatam, nomine Confeſsionis
ego nunc intelligo ſubterraneam illam & concameratam
Eccleſiam, quam Capite 56. Num. 16. deſcribebam, quæquè B
communiter Sancti Ambroſii, ſeu Ambroſianæ Baſilicæ, Scurolum à
noſtris Mediolanenſibus vocitatur.

II. Eam igitur aſſero conſtructam Anno Domini Milleſimo ducenteſimo tri-
geſimo-tertio. Atqui teſtem adhuc non habeo vetuſtiorem Bernardino
Corio, Mediolanenſis Hiſtoriæ Scriptore, qui florebat Anno 1500.
quem tamen id penitùs ſcire oportebat eam quoque ob cauſam, quia
familiæ ſuæ Maiorumquè ſuorum ſingulare ac proprium eſſet opus, &
decus, & monimentum. In eum verò Annum ſic ille narrabat: *In
queſto medeſimo tempo ancora fù cominciata la fabrica dell'ornatiſsima Chieſa de
Frati Minori: alla cui edificatione la noſtra famiglia de Corii contribui molti de-
nari; come ſi vede per li Sepolchri & Arme della Caſa nella Chieſa e nel Mo-* C
*naſterio, & anco per priuilegii antichi de loro Frati, per gratitudine à noi con-
ceſsi. Similmente fecero fabricare i noſtri predeceſſori l'antichiſsimo edificio ſotto
l'Altare di Santo Ambrogio, doue giace il ſuo glorioſo Corpo, detto lo Scurolo; ſi
come anco è manifeſto per le noſtre Marche & Inſegne; & parimente in argento
ſi veggono per l'ornato della Scudella di legno, nella quale beueua il detto Santo.
Niuno penſi, che io di ciò ſcriua per ambitione: per la quale, quando mi foſsi
moſſo, addurrei tante altre lodeuoli attioni, che ſarei di ſouerchio lungo &c.*
Hactenus Bernardini Corii verba. Nec aliunde profectò, quàm hinc,
æſtimare licet Ioſephi Ripamontii ſententiam, iis explicatam verbis, quæ
apud ipſum leguntur Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Parte Altera,
Libro 4. & quæ ſunt huiuſmodi: *Eodem tempore Franciſcana Aedes in* D
*eam laxitatem atque magnificentiam attolli cœpta, qua nunc ſpectatur. Sub-
terranea quoque Cella in Ambroſiana Aede tempore hoc, effoſſo illic ſolo, poſita
extructaquè eſt: & operis vtriuſque meritum Coria Gens, vetuſtæ in Vrbe
nobilitatis, vindicat ſibi, tamquàm magna ex parte ſumptum ipſa ſuppedita-
uerit. Sanè, cùm nos illato illuc pede cuncta attentè perluſtraremus, vidimus
huius Inſignia Gentis ibi & Sepulchra Monumentaquè non vno loco: & credi-
dimus vtique aliquid. Sed Scriptor ipſe Bernardinus in aſſerenda hac ſua Do-
mus pietate & laude nititur inſuper Franciſcanorum teſtimonio, patentibuſquè
Litteris: quas Litteras & teſtimonia Sodales illi ob eius meritum pietatis Genti
Coriorum dederint. Calatam quoque rem in vetere argento, ait: & nominat*

è ligno

è ligno Scutellam, Ambroſii Poculum ipſius, vnde fidem dictis petat. Sic igitur Ripamontius ea repetebat, quæ Corius iam ante tradiderat. A

III. Sed ne Scurolum quidem illud re vera ſubeſt Altari, vbi Sancti Corpus Ambroſii iacet: non illud, inquam, ei ſubeſt; ſed ſolummodò contiguum eſt; è parte videlicet anteriori, qua muro clauditur in lineam rectam deducto, & vſque ad ſuperioris, vt nunc eſt, Odæi, aliàs Cimiliarchiæ (ſicut in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis obſeruabam Num. 643.) pauimentum elato. Vltra quem parietem, ad binos circiter inde cubitos, incipit quadratum illud ex altero pariete Conditorium, quo Corpora Sanctorum Ambroſii ac Protaſii & Geruaſii continentur, & cuius angulis quatuor illæ innituntur columnæ porphyreticæ, quibus Tribuna, concameratum ſubiecti Altaris operimentum, inſiſtit. B

IV. Idipſum verò Scurolum ego quidem iam credidi conſtructum ab initio fuiſſe ſumptibus Coriæ Gentis, in præſentem vſque diem nobiliſsimæ: ipſiuſquè ſic etiam Inſignia ibidem in teſtimonium extitiſſe olim, quinetiam vſque ad Bernardini pariter Corii ætatem perſeueraſſe. Atqui nunc ea ibi nuſquàm conſpiciuntur: egoquè inde ſublata crediderim tunc fuiſſe, quando tandem Scurolum picturis exornatum eſt illis, quæ alicubi iam euaneſcere propter vetuſtatem lociquè humiditatem incipiunt: quibuſquè illud, ni fallor, exornatum fuit non multo poſt Annum Chriſti 1509. quo quidem Anno inchoata illic fuit Confraternitas & Scola Scuroli, vt vocant, & vt ego tempore ſuo ediſſeram. Itaque ne Ripamontius quidem vlla ibi videre potuit talia Coriæ Gentis Inſignia: & ſi qua ſecundùm rei veritatem vidit ex iis, quæ mox Bernardinus innuebat; hæc vtique vidit (& certè multa) in Baſilica Franciſcana; & præſertim ante Beati Philippi (à quo nimirùm ſepulta fuerunt Sanctorum Protaſii ac Geruaſii Corpora) Cappellam, quæ recenter Sancto Antonio Patauino nuncupata reſtaurataquè fuit. C

V. Ea porrò Sancti Ambroſii Scutella interiùs exteriuſquè conueſtita eſt veteribus argenti laminis, & inter ſe ita compactis, vt argenteam omniquaque repræſentent ſcutellam; ſed craſsioris labri, & quidem iam vetuſtate aliquantùm abſumpti. Inſculptum verò interiùs habet in medio Sanctum Ambroſium, dextera minaciter tenentem flagellum (atque hinc eum par eſt intelligamus illic inſculptum poſt Victoriam ad Parabiagum) in lateribus autem Sanctos Protaſium ac Geruaſium. Sed & bina ſub eorum pedibus extant Inſignia gentilitia: quorum ſiniſtrum abſque dubio eſt nobiliſsimæ Cribellorum familiæ, alterum verò cuius familiæ ſit, ego quidem ſatis diſcernere non potui. Coriæ profectò nullum præfert indicium: quiduè cæteroqui præferat, ego quidem non auſim pro certo aſſirmare. In eius tamen parte ſuperiori videre mihi videbar hodie (ſiquidem hodie rurſus eam Scutellam penitiſsimè inſpexi, antequàm hæc ſcriberem) phœnicem, intentis in ſolem oculis erectum. D

VI. Cæterùm perennis adhuc traditio eſt, Sanctum Antiſtitem noſtrum Am-

 broſium

broſium ex eodem illo Poculo bibere ſolitum . Curandis verò febrici- A
tantibus & energumenis, qui poſtea ex eo biberint, ſaluberrimum di-
uinitùs eſſe: id etiam continuata iugiter in præſentem vſque diem ex-
perientia compertiſsimum eſt. Hinc ergo Paulus etiam Morigia in Vr-
bis ac Diœceſis huius noſtræ Sanctuario, cùm Sacras recenſeret Am-
broſianæ Baſilicæ Reliquias, & ſingillatim à Monachis cuſtoditas, hunc
in modum ſcribebat: *Vedeſi appreſſo la Tazza di Sant'Ambrogio: nella quale quelli che hanno la febre, beuendo in eſſa con fede, guariſcono, e ſi ſcuoprono ancora gl'indemoniati.* Sic etiam Ioannes Baptiſta Villa in Libro De Septem
Stationalibus & aliis nonnullis huius Vrbis Eccleſiis, de Baſilica pariter
Ambroſiana ſcribens: *Euui ancora la Tazza, doue beueua Sant'Ambrogio: la quale è miracoloſa nel ſanare gli energumeni, ò ſiano inſpiritati.* Quocirca B
etiam in hunc finem tam febricitantibus quàm energumenis identidem
per Monachos ad bibendum ſubminiſtratur, nec irrito euentu.

VII. Eiuſmodi quoque Scutellam meis oculis egomet conſpexi aliquot in
partes diffractam eſſe: diffractamquè Monachi memorant; quia, cùm
energumeni cuiuſdam labris aliquando parùm cautè iamdudum admo-
ueretur, eam ille furenter ex improuiſo excuſſerit in terram è Miniſtri
manu, qua porrigebatur. Verè autem lignea eſt; ſed, è qua ligni ſpe-
cie, non ſatis adhuc mihi exploratum.

VIII. Illud verò ridiculum etiam eſt, neque tamen ſilentio à me inter hæc
ſeria prætereundum, quod occaſione huius Pateræ ac Scutellæ commu-
niter apud noſtros Mediolanenſes in prouerbium abiit. Frequenter enim
aiunt: *Egli hà beuuto nella Tazza di Sant'Ambrogio.* Sic autem loqui ſo- C
lent de Iudice præſertim aliquo, vel de aliquo eiuſmodi Reipublicæ
Adminiſtratore, qui prius eſſet rigidus iuſtitiæ ſolius profeſſor, nec vllis
lenocinijs è iuſtitiæ tramite deflecti ſe permitteret; atqui poſtea mune-
ribus ac pecuniis illectus communem ac deuiam ingrediatur viam; &
communi (vt ita loquar) accumbens menſæ, ſine vllo ciborum delectu
manducet ac bibat ex appoſitis quibuſque, nec vnquàm ſatur. Tales
igitur homines è Poculo & Scutella Sancti Ambroſii bibiſſe, vulgatiſsi-
mum ac notiſsimum eſt Mediolani prouerbium. Quanam verò deduc-
tum fuerit ex cauſa & proportione: id profectò, vice in contrarium
verſa, mihi adhuc incertum eſt, proindequè nonniſi per aliquam vt- D
cumque coniecturam in præſenti ſupereſt vt inueſtigetur. Dixerit for-
taſsè aliquis ex ea deductum proportione; quia mirabile hoc Sancti Am-
broſii Poculum exteriori ſaltem operimento argenteum eſt; & quia po-
tantes ex eo alliciantur ad argentea vel aurea ſibi pocula per fas & ne-
fas deinceps comparanda. Sed hæc proportionis ratio mihi quidem ni-
mium communis videtur cum quibuslibet aliis ex argento vel etiam
auro poculis: ac præterea non ſatisfacit in ea tempora, quibus Poculum
illud necdùm laminis argenteis tegebatur: quibus tamen temporibus
quid vetat quominùs in vſu iam fuiſſe prouerbium illud credatur? Ei
ergo potiùs aſſentirer Coniectori, qui diceret, tam rigidos illos antehac

rerum

rerum Arbitros , ac poſtea tam molles , Mediolanenſibus olim noſtris viſos eſſe ſimiles energumenis, qui per hauſtam è Sancti Ambroſii Scutella potionem curarentur , quiquè priùs aſperi & intractabiles , & ipſam quoque potionem ſalutarem (vt plerumque ſolent) recuſantes, mox miteſcerent , neque potionem illam victumquè communem vlteriùs recuſarent. Per eam enim morum mutationem atque corruptelam perinde fermè ſe gerunt , ac ſi virtutem ac iuſtitiam , velut immanem Cacodæmonem , inſenſiſsimum ſui obſeſſorem , procul à ſe diſpellerent ; cùm alioqui re vera potiùs in poſterum ſeſe totos tyrannico Cacodæmonis dominatui propterea peccantes ſubiiciant. Quòd ſi fortè ne coniectura quidem hæc ſatis placet ; libenter alios ego audiam interpretes, quorum aciem ingenii per hanc prouerbii huius mentionem auidus ſciendi exacuero ad inueſtigandum. A B

CAPVT CXI.

Vincentij Burgundi, Bellouacenſis Epiſcopi, teſtimonium pro Sanctis Martyribus hiſce noſtris.

I. REligioſiſsimus ille Prædicatorum Ordo , per Sanctum inſtitutus Dominicum, ſicut paulò ante videbamus , vix incœperat, cùm protinùs Viris non ſanctitate modò ſed etiam doctrina præſtantiſsimis florere cœpit: & fertilitate quidem tam ſolida & conſtanti , vt continuata deinceps temporum ſerie non abſimiles item alios identidem , vt notiſsimum eſt , bono publico genuerit . Tanto igitur ac tali Ordinis huius beneficio (quod à me quidem plurimi æſtimatur, quodquè me viciſsim ei arctiſsimè deuinctum tenet) præſens quoque Diſſertatio nonnunquàm in poſterum triumphabit: iamquè tandem à Vincentio Burgundo, ex eodem Ordine ad Epiſcopatum Bellouacenſem meritiſsimè promoto, auſpicamur. C

II. Florebat hic autem Anno Domini 1250. diemquè clauſit ſupremum Anno 1256. vt Bellarminus in Libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis probat. Hic ipſe verò etiam in Speculo Hiſtoriali, Libro 9. Cap. 53. poſteaquàm de Sanctorum Nazarii & Celſi martyrio ac ſepultura egiſſet, ſic adiecit: D *Poſt longum tempus Deus eos Sancto Ambroſio reuelauit . Nam Nazarium inueniens , quaſi eadem hora ſepultum , miro odore fragrantem , integrum & incorruptum , cum capillis capitis & barba , ad Vrbem* (quem tamen loquendi modum nos iam ſuprà improbauimus) *in Eccleſia Apoſtolorum tranſtulit , & ibi honorificè tumulauit* . Deinde autem Libro 18. Cap. 1. exorſus ab Imperio Archadii & Honorii poſt defunctum Theodoſium , eorum genitorem, inter alia interim geſta id etiam recenſuit: *Eodem tempore Corpora Sanctorum Nazarii & Celſi, Martyrum , Mediolani ab Ambroſio reperta & leuata ſunt.*

III. Sed ne ſilentio quidem antea Vincentius tranſegerat, quo tempore tam

iidem

iidem Martyres, quàm Protaſius & Geruaſius necati fuiſſent. Libro enim A
eodem nono, Cap. 50. martyrium deſcripſerat Sanctorum Vitalis &
Valeriæ, vxoris eius: & hoc ex eorum Geſtis, qualia ſcilicet in Phi-
lippi Libello, per Sanctum Ambroſium inuento, continebantur. Tum
Capite 51. de filiis eorum Geruaſio & Protaſio, tum etiam de Sanctis
Nazario & Celſo, & ab his quidem verbis: *Poſt mortem itaque paren-
tum ſuorum Geruaſius & Protaſius, omnia ſua pauperibus erogantes, & fa-
miliam ſuam ingenuam facientes, manebant cum Sancto Nazario, qui Orato-
rium ædificabat, & ei Celſus puer lapides porrigebat.* Et hoc fortaſsè Ora-
torium fuit illud, in quo Sanctum Emigdium Capite 36. Num. 2. vi-
debamus à Sancto Mirocle, Archiepiſcopo noſtro, promotum ad Sacer-
dotium. Et rursùs Capite 52. de conſtantia Sanctorum Martyrum Na- B
zarii & Celſi coram Nerone. Denique verò de ipſorum quatuor San-
ctorum paſsione, ſub eodem Nerone conſummata.

CAPVT CXII.

*De Canonicorum Ambroſianæ Baſilicæ prærogatiua, qua, Sacros
Subdiaconatus & Diaconatus Ordines ſuſcepturi, Albam &
Dalmaticam geſtabant. Qualia per id tempus eſſent huiuſmo-
di indumenta. Quemadmodùm etiam interim crederetur,
Sanctorum Ambroſij ac Protaſij Geruaſijquè Corpora in ea-
dem Baſilica conquieſcere. Quemadmodùm item Prætor huius* C
*Vrbis prima regiminis ſui die certam ibi faceret oblationem.
Quarumnam denique Eccleſiarum Beneficiales fuerint illi, qui
Septuaginta-duobus connumerabantur, quiquè Centenis.*

I. ME nunc ad eum recipio Proceſſum, Anno Domini 1289.
confectum, cuius atteſtatione vtebar Capite 39. Num. 15.
Sed priùs in memoriam reuocanda ſunt paucula quædam,
quæ in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis recenſebam. E
Clero nimirùm Sæculari ſolis Metropolitanæ Baſilicæ Or-
dinariis licebat Sancti Galdini Archiepiſcopi tempore D
Miſſam cum Diacono & Subdiacono celebrare. Ambroſianæ tamen
Baſilicæ Canonici eadem vti prærogatiua poſtmodùm incœperunt; prop-
tereaquè litem aduersùs Algiſium habuerunt Archiepiſcopum. Et hæc
quidem illic explicata relegi poſſunt Num. 512. 647. & 644. Canoni-
cos tamen ad extremum præualuiſſe, vel ex iis dignoſci poteſt, quæ
mox è prædicto Proceſſu in primis depromemus.

II. In eo enim Proceſſu quiſque Teſtium ſic etiam interrogabatur: *Si ſcit &
intendit, quòd Præpoſitus & Canonici dictæ Eccleſiæ Sancti Ambroſij ſunt ma-
iores & digniores alijs Prælatis & Canonicis aliarum Eccleſiarum Ciuitatis Me-
diolani, & dicto Archipresbytero & Canonicis Decumanorum, poſt illam Eccle-*

ſiam

ſiam Cathedralem; pro eo quòd, quando promouentur ad Sacros Ordines, vadunt reueſtiti cum Alba & Dalmatica, ſicut faciunt & vadunt Ordinarii Eccleſiæ Maioris (quod quidem non faciunt alii Canonici Eccleſiarum Ciuitatis Mediolani, nec dictæ Decumanæ) & item pro eo quòd ſunt primi poſt Ordinarios, qui vocantur, quando Sacra celebrantur (hoc eſt, Sacra celebratur Ordinatio) *& quando Arca portatur.* A

III. Ad hæc verò quintus Teſtis, Domnus Presbyter Thomaſius, Sanctæ Euſomiæ (ſeu Euſemiæ) Capellanus, ita reſpondit: *Benè vidi, illos Canonicos Sancti Ambroſij, quando vadunt ſeu promouentur ad Sacros Ordines, ire, ſi ſint Subdiaconi, cum Alba: &, ſi ſint Diaconi, cum Dalmatica. Et non vidi alios Canonicos Ciuitatis Mediolani, nec illos Canonicos Canonicæ Decumanorum, ire ad Sacra cum Alba & Dalmatica. Sed non recordor, quòd unquàm viderem illos de Canonica Decumanorum ire ad Sacros Ordines, nec aliquem ipſorum Canonicorum: Et neſcio, ſi ſunt primi poſt Ordinarios, quando celebrantur Sacra & portatur Arca.* Sed & rurſùm interrogatus *de nominibus illorum, quos dixit eſſe Canonicos Sancti Ambroſii, & quos dixit vidiſſe, quando vadunt ſeu promouentur ad Sacros Ordines, ire, ſi ſint Subdiaconi, cum Alba: ſi verò Diaconi, cum Dalmatica;* reſpondit: *Nomina illorum Canonicorum Sancti Ambroſij, quos vidi ire ad Sacros Ordines, ſunt hæc: Iacobus de Ermenulfis, Mutius Madernus, Thadæus de Lampugnano. Alii ex eis ibant cum Alba, & alij cum Dalmatica. Et vidi illum Iacobum de Ermenulfis ire, quando promotus fuit ad Ordinem Subdiaconatus, cum Alba: & quando promotus fuit ad Ordinem Diaconatus, cum Dalmatica. Et benè vidi ſimiliter, illum Mutium Madernum promoueri ad dictos Ordines cum Alba & Dalmatica: & illum Thadæum de Lampugnano vidi promoueri ad Ordinem Subdiaconatus cum Alba.* Non his tamen contentus Interrogator, denuò quæſiuit: *Quomodo ſcit, quòd illæ eſſent Alba & Dalmatica, cum quibus dixit vidiſſe prædictos Iacobum & Mutium & Thadæum, quando dixit, quòd promouebantur ad dictos Sacros Ordines: & quomodo ſcit, quòd illa eſſent Sacra, ad quæ dixit eos & quemlibet eorum iuiſſe prædicta ex cauſa: & quomodo ſcit, quòd tunc, quando dixit eos vidiſſe cum Alba & Dalmatica, promouebantur ad dictos Sacros Ordines.* Attende nunc ergo Lector, quid ille viciſsim ad hæc reſponderit: & hic obſerua diſcrimen inter Albam & Dalmaticam, vſitatum per ea tempora, quibus confectus eſt hic Proceſſus, nobis autem noſtra ætate ne auditum quidem. *Reſpondit primæ quæſtioni: Quia vidi illas Albam & Dalmaticam: & Alba eſt illa, quam portat Subdiaconus: & ſunt veſtes de ſeta: & Alba eſt cum maniis ſtrictis de antea; & Dalmatica eſt cum maniis largis de antea: & ſunt de diuerſis coloribus de ſeta. Reſpondit ſecundæ quæſtioni: Quia videbam Clericos ire ad illa Sacra, & videbam Clericos promoueri. Vltimæ quæſtioni reſpondit: Quia vidi eos vocari & appellari à minori gradu ad maiorem.* Hactenùs è reſponſis quinti eius Teſtis.

IV. Septimus ac poſtremus in eo Proceſſu Teſtis erat Domnus Presbyter Ottho de Horto, Canonicus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Fulchuini. Ad

primam

B C D

primam ergo interrogationem illam ſic etiam ipſe reſpondit: *Neſcirem vobis determinare, quòd ſint digniores. Sed benè fui præſens, vbi Canonici Sanƈti Ambroſii iuerunt ad Sacra cum Alba & Dalmatica, quando promouentur ad Ordines Diaconatus & Subdiaconatus. Sed de dignitate neſcio vobis determinare, vt ſuperiùs dixi.* Cùm verò rurſùs fuiſſet interrogatus, quænam eſſent illorum Sanƈti Ambroſii Canonicorum nomina, eoſquè nominaſſet Mutium pariter Madernum, ac Thadæum de Lampugnano; ſic etiam ipſe denuò interrogatus, quid eſſet Alba, & quid Dalmatica, reſpondit: *Alba eſt quædam veſtis de zendate, vel purpura, quæ habet manicas ſtriƈtas de antea, & de illa Alba induitur Subdiaconus: & Dalmatica eſt quædam alia veſtis, quæ poteſt eſſe de zendate, vel purpura ſimiliter, & quæ habet manicas de antea amplas & largas ad modum cogollæ* (ſiue monaſticæ cucullæ) *& iſtam Dalmaticam portant Diaconi, quando legunt Euangelium, & quando ſeruiunt ad Altare à manu dextra.* Et hæc quidem ſatis ſint pro prærogatiua illa Canonicorum Ambroſianæ Baſilicæ; proquè Albæ ac Dalmaticæ qualitate ac differentia.

V. Nunc pro ſacris Protaſii Geruaſii Ambroſiiquè Corporibus, in eadem Baſilica quieſcentibus, proſequamur ex eodem Proceſſu. Inter Capitula, quæ ſibi ad probandum aſſumpſerat Decumanorum Archipresbyter, hæc etiam erant. Quartum: *Quòd publicè dicitur, & verum eſt, & publica vox & fama eſt, quòd Canonica Decumanorum hinc retrò conſueuit anteponi & antepoſita eſt Canonicæ Sanƈti Ambroſii Mediolani in Scripturis Impoſitionum, quæ conſueuerunt imponi ſeu impoſitæ ſunt hinc retrò Clero ſeu Clericis Mediolani.* Quintum: *Quòd publicè dicitur, & verum eſt, & publica vox & fama eſt, quòd dignitas Archipresbyteratus Canonicæ Decumanorum ſit maior dignitas Præpoſitura Canonicæ Sanƈti Ambroſii Mediolani.* Sextum item: *Quòd publicè dicitur, & verum eſt, & publica vox & fama eſt, quòd dignitas Archipresbyteratus Canonicæ Decumanorum habetur & tenetur maior dignitas Præpoſitura Canonicæ Sanƈti Ambroſii Mediolani: & hinc retrò ſic ſemper eſt habita & tenuta.*

VI. Verumtamen ex altera item parte iidem Teſtes ſic etiam pro Præpoſito & Canonicis Ambroſianis, tamquàm ex ipſorum voluntate, ſingillatim interrogabantur: *Si ſcit & intendit: quòd Eccleſia Sanƈti Ambroſii Mediolani poſt Eccleſiam Cathedralem ſit maior & dignior aliis Eccleſiis & Canonicis Ciuitatis Mediolani, & diƈto Archipresbytero Decumanorum, contemplatione & ob reuerentiam ſacratiſsimi Corporis Sanƈti Ambroſii, qui fuit conditor Officij Eccleſiæ Mediolani, & cuius Corpus requieſcit & eſt in diƈta Eccleſia Sanƈti Ambroſii.* Huius igitur præſertim occaſione interrogationis nos quidem apertiſsimè dignoſcemus, quàm conſtanti per ea quoque tempora fide, non modò Præpoſitus & Canonici Ambroſiani, verùm etiam reliqui Mediolanenſes crederent, tunc etiam Sanƈti Ambroſii Corpus in hac ſua Baſilica tumulatum perſeuerare, neque hinc aliò vnquàm tranſlatum fuiſſe. Tametſi enim aliqui Teſtes nonnihil ſuper ea Præpoſiti & Ambroſianæ Baſilicæ præcellentia variauerint; nemo tamen de Sanƈti

Ambroſii

Ambroſii Corpore, quin ibidem adhuc quieſceret, vel tantillùm dubitaſſe viſus eſt; vt mox videbimus. A

VII. Ad hanc enim poſtremam interrogationem Teſtes ſubſequentibus hiſce modis reſponderunt. Ac primus quidem omnium, Presbyter Lantelmus Muſca, ſic inquit: *Ego habeo & teneo pro maiori & digniori, & maioris reuerentiæ & honoris, Eccleſiam Baſilicæ Apoſtolorum, quam ædificauit Beatus Ambroſius, & quæ modò dicitur & appellatur Eccleſia Sancti Nazarii, quàm Eccleſiam illam, quæ appellatur Eccleſia Sancti Ambroſii. Item habeo & teneo Eccleſiam Canonicæ Decumanorum maiorem & digniorem ex eo, quòd eſt plùs antiqua, & etiam ob contemplationem & reuerentiam Beatæ Mariæ, Matris Chriſti; quia quidam Archiepiſcopus* (hunc ſubinde addit à ſe credi nomine Iordanum fuiſſe) *dixit: Fratres noſtri Decumani, Officiales Sanctæ Mariæ Hyemalis.* Et hoc in Diplomate quodam, per ipſum conceſſo. B

VIII. Quintus verò Teſtis, Presbyter ille Thomaſius, quem ſuperiùs producebam, *Benè* (inquit) *credo, quòd illa Eccleſia Sancti Ambroſii poſt Eccleſias Cathedrales, videlicet Sanctæ Mariæ Maioris, & Sanctæ Teglæ (quæ ſunt Cathedrales Eccleſiæ) ſit maior & dignior alijs Eccleſiis Mediolani. Et illud credo benè illa ratione; videlicet ob reuerentiam & contemplationem Beati Ambroſii, & etiam Beatorum Martyrum Protaſii & Geruaſii, qui ibi ſunt* (hos vtique hic Teſtis non credebat Friderici Aenobarbi tempore fuiſſe in Germaniam translatos) *ſecundùm quod videtur per ſcripturam Beati Ambroſii, quam ego legi: continentem, quòd ipſemet Beatus Ambroſius Corpora ipſorum Martyrum ibi poſuit, vel poni fecit.* C

IX. Sextus enimuerò Teſtis, Domnus Presbyter Albertinus Comes, noſtræ Sancti Laurentii Maioris Eccleſiæ Canonicus, cauſæ potiùs Eccleſiæque ſuæ fauit. Sic enim reſpondiſſe traditur: *Non credo, nec intendo, immò teneo maiorem & digniorem Eccleſiam Sancti Laurentii Maioris Mediolani, quàm Eccleſiam Sancti Ambroſii. Et illud credo; quia Dominus Sanctus Laurentius fuit Archidiaconus Eccleſiæ Romanæ; & quia non eſt feſtum Martyris, quod eſt ita recommendatum, vt eſt feſtum Sancti Laurentii per Eccleſiam. Et ſi Dominus Archipresbyter Decumanorum eſt Beneficialis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Hyemalis, vt dicitur; intendo & credo, quòd ſit maior Præpoſito Sancti Ambroſij; & quia illi de Septuaginta-duobus fuerunt conſtituti ante euentum Sancti Ambroſii. Et poſtea dixit: Non dico, quòd illi Septuagintaduo fuerunt conſtituti ante euentum Sancti Ambroſii; ſed dico, quòd illi Septuagintaduo fuerunt conſtituti tempore Sancti Ambroſii, & antequàm Eccleſia Sancti Ambroſii foret conſtructa; & appellabatur tunc, ſicut audiui, illa Eccleſia, Eccleſia Sanctorum Protaſii & Geruaſii.* Hæc ille. D

X. Septimus ſuccedit idem ille, quem ſupra nominabam, Presbyter Ottho de Horto. Ita ſiquidem ille reſpondit: *Benè credo, quòd ſit digna & magna ob reuerentiam Beati Ambroſii. Sed benè ſunt plures in Ciuitate Mediolani de vetuſtioribus & antiquioribus Eccleſiis, quàm Eccleſia Sancti Ambroſii: videlicet Eccleſia Sancti Naboris, & Sancti Vitalis, & Sanctæ Teglæ, quæ conſueuit dici Saluatoris; ſed ob reuerentiam Sancti Ambroſii ſit honor dictæ Eccleſiæ*

cleſiæ Sancti Ambroſii. Cumquè ſtatim ex parte Productoris eiuſmodi A
Teſtium interrogatus fuiſſet: *Quomodo ſcit, quòd ob reuerentiam Beati Am-
broſii fit honor illi ſuæ Eccleſiæ*; ita rursùm reſpondit: *Quia vidi fieri ho-
norem dictæ Eccleſiæ Sancti Ambroſii; quia Sanctus Ambroſius fuit noſter Pa-
tronus, & Doctor Eccleſiæ*. Non hic tamen conquieuit Interrogator; ſed
præterea perquiſiuit: *Cuiuſmodi honorem vidit hic Teſtis fieri illi Eccleſiæ
Sancti Ambroſii ob reuerentiam Sancti Ambroſii*. Teſtis ergo rursùs: *Ego
vidi, quòd Clerus Mediolani vadunt ad dictam Eccleſiam in die feſti, ad fa-
ciendum honorem dictæ Eccleſiæ: & quia vidi etiam Laicos ire in die feſti ad
dictam Eccleſiam, ad faciendum magnas oblationes de paliis & cereis propter
reuerentiam Beati Ambroſii. Etiam Poteſtates* (ſiue Prætores) *Mediolani,
quando primò veniunt ad regimen* (atque hoc etiam notatu digniſsimum B
eſt) *veniunt ad offerendum ad dictam Eccleſiam: quod non faciunt aliis Ec-
cleſiis*.

XI. Reliquum nobis & poſtremum nunc eſt, vt eiuſdem Proceſſus indicio
inueſtigemus, quarumnam Eccleſiarum Beneficiales fuerint illi, qui
Septuagintaduobus connumerabantur, quiquè Centenis; vt alibi ſæpè
iam vidimus. Primus vtique Teſtium fuit Presbyter Lantelmus, cogno-
mento Muſca. Cùm verò curſim per ſingula Capita fuiſſet interroga-
tus; facto reditu ad primum, ſic ſe Proceſſus habet: *Interrogatus ſuper
primo Capitulo, vt hic Teſtis determinet & dicat per nomina illos Septuagin-
taduos Beneficiales, quos dixit fuiſſe primò ordinatos in Ciuitate Mediolani, &
de quibus dixit eſſe Archipresbyterum & Canonicos Decumanorum; Reſpondit:* C
*Illi Beneficiales Septuagintaduo ſunt iſti: videlicet duodecim in Canonica De-
cumanorum: duodecim in Canonica Sanctæ Teglæ, quæ dicitur Eccleſia Salua-
toris, ſeu quòd ita conſueuit appellari: duodecim in Eccleſia Sancti Georgii in
Palatio: octo in Eccleſia Sancti Laurentii Maioris: ſex in Eccleſia Sancti Ste-
phani in Brolio: quatuor in Eccleſia Sancti Martini ad Corpus: quatuor in Ca-
nonica Sancti Naboris* (ſed legendum eſt *Sancti Nazarii*; quippe multo
iam ex tempore, ſiue circiter ab Anno Domini ſupra Milleſimum du-
centeſimum trigeſimo-tertio, ad Eccleſiam Sancti Naboris nulla erat
Canonica, ſoliquè degebant Fratres Franciſcani; ſicut ad Euſtorgianam
Dominicani, vt iam diximus Capite 109.) *quatuor in Eccleſia Sancti Bar-
tholomæi, Porta Noua* (illuc videlicet è San-Dionyſiana Eccleſia tranſlati D
Anno Domini 1120. vt in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num.
280. indicatum à me fuit: & hoc congruenter ad illud, quod præ-
ſcripſerat Aribertus Archiepiſcopus, quando ei Eccleſiæ Monaſterium
adſtruxit Anno Domini Milleſimo vigeſimo-tertio, ſicut ego in eiſdem
Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis oſtendebam Num. 228.) *& decem
Cappellani Cappellarum Ciuitatis, quos benè poſſum vobis determinare. Qui
ſunt, ſi vobis placet, iſti: Cappellanus Eccleſiæ Sancti Fidelis, Portæ Nouæ:
& in Porta Orientali ſunt duo, ſcilicet Cappellanus Sancti Romani, & Cap-
pellanus Sancti Michaelis ſub Domo: in Porta Romana Cappellanus Sancti Ca-
limerii, & Cappellanus Sanctæ Euphomiæ* (ſeu *Euphemiæ*) *& Cappellanus*

Sancti

Alexandri, & Cappellanus Sancti Ioannis ad Concam: in Porta Ticinenſi ſunt duo, ſcilicet Cappellanus Sancti Petri in Campo Laudenſi, & Cappellanus Sanctæ Mariæ ad Circulum: in Porta Vercellina eſt vnus, ſcilicet Cappellanus Sancti Vitalis. Hæc ille. In quorum confirmationem ſic etiam reſpondit: *Primicerii, qui ſteterunt per tempora, conſtituerunt in Ciuitate Mediolani ſuos certos Nuncios per tempora & Erogatarios, ad diſtribuendam & ſoluendum Benedictiones & Annualia inter illos de Ferula* (ſic enim communiter vocabantur è ferula, ſiue baculo paſtorali, talibus Eccleſiaſticis vſitato, quem ſolemniter induti geſtabant) *Mediolani: qui Nuncii & Erogatarii habent in ſcriptis illos Septuagintaduos; quia ſunt certæ diſtributiones, & certa Annualia, quæ diſtribuuntur tantùm inter illos Septuagintaduos. De quibus Nunciis & Erogatariis egomet Teſtis fui quandoque, & eos Septuagintaduos habebam in ſcriptis: & de illis diſtributionibus & Annualibus eis diſtribui & dedi: & vidi de aliis Nunciis & Erogatariis ipſorum Primiceriorum diſtribuere & dare illis Septuagintaduobus Beneficialibus de ipſis Annualibus & diſtributionibus.* A B

XII. Quemadmodùm de hoc primo Teſte dicebamus; ſic etiam ſecundus, Gulielmus nimirùm Menclotius, Eccleſiæ Sanctæ Teglæ Canonicus, curſim fuerat interrogatus ac reſponderat; cùm denuò ſimiliter ſuper primo Capitulo interrogatus, ſic reſpondit: *Illud ſcio, quia fui cum eis, Archipresbytero & Canonicis Canonicæ Decumanorum, ad illa Annualia, ad quæ vadunt illi Septuagintaduo Beneficiales tantùm, qui primò conſtituti fuerunt in Ciuitate Mediolani. Et ſecundæ quæſtioni reſpondit: Quia ego Teſtis legi in quodam Libro, quòd illi Septuagintaduo Beneficiales primò ordinati fuerunt in Ciuitate Mediolani per quemdam Archiepiſcopum: & poſt eos fuerunt poſtea ordinati triginta & octo Beneficiales.* Præterea verò etiam interrogatus rurſùm fuit, *Vt determinet & nominet illos Septuagintaduos Beneficiales, quos dixit fuiſſe primò ordinatos in Ciuitate Mediolani, & de quibus dixit eſſe Archipresbyterum & Canonicos Decumanorum: & vt dicat & determinet illa Annualia, ad quæ dixit ſe fuiſſe cum illis Archipresbytero & Canonicis Canonicæ Decumanorum, & ad quæ vadunt, vt dixit, tantùm illi Septuagintaduo Beneficiales: & vt dicat & nominet illos triginta-octo Beneficiales, qui poſtea conſtituti fuerunt poſt illos Septuagintaduos Beneficiales.* Ad hæc autem quid ille? *Illi Septuagintaduo Beneficiales* (reſpondit) *ſunt iſti: videlicet duodecim in Canonica Sanctæ Teglæ: & in Canonica Decumanorum duodecim: & certi de Canonicis Sancti Stephani in Brolio, ſed non omnes: & certi de Canonicis Sancti Nazarii in Brolio, ſed non omnes: & certi de Cappellanis de Ciuitate Mediolani, quos neſcio nominare; exceptis illis de Sancto Bartholomæo; quos credo eſſe quatuor; & Beneficialem Sancti Fidelis; ſed de aliis non recordor.* Varia ſubinde numerat Annualia, quibus intereſſe ſoli Septuagintaduo Beneficiales ſolerent. Tum denique ſubdit: *Et nomina illorum triginta-octo Beneficialium, poſtmodùm conſtitutorum, non recordor; niſi de Primicerio Maiori, & de certis Canonicis Sancti Nazarii, & certis Cappellanis, de quibus non recordor.* Nonnullæ ſubſequuntur ibidem interrogationes C D

ipſius ac reſponſiones, ad eadem pertinentes Annualia Septuagintaduorum Beneficialium; cùm ſuper ſecundo Capitulo ſecundùm interrogatur, *Quomodo ſcit, quòd illi Archipresbyter & Capitulum Canonicæ Decumanorum conuocantur ad illa Annualia, ad quæ vocantur ſolummodò illi, qui appellantur de Septuagintaduobus Beneficialibus, primò conſtitutis in Ciuitate Mediolani.* Per hæc autem ipſe protinùs reſpondit: *Illud ſcio; quia dictum eſt mihi & aliis Canonicis Sanctæ Teglæ per ſupraſcriptum Redulfum Bidellum* (quippe tunc Clerus Mediolani ſuum habebat Bidellum, per quem ad Annualia & ad alios congreſſus conuocabatur, vt idem Teſtis paulò ante dixerat expreſsiùs) *mortuum: Venietis cras in mane ad tale Annuale, quod fit in tali parte, de Septuagintaduobus. Et quia aliquando ſumus ad Annualia communia; dicitur: Omnes illi, qui non ſunt de Septuagintaduobus, recedant: & omnes illi, qui ſunt de Septuagintaduobus, remaneant. Et ſic remanent illi Archipresbyter & Canonici Decumanorum cum illis Septuagintaduobus. Et illud ſcio; quia fui ad illa communia Annualia; & vidi & audiui ita dici.* A B

XIII. Accipe nunc, quid item reſponderit Presbyter Thomaſius, Sanctæ Euſomiæ (ſic enim noſtrates homines tunc ſcribebant, vt ſuperiùs etiam videbamus) Cappellanus, ſuper primo rurſùs Capitulo in eum interrogatus modum, quo ſuperiores Teſtes, à me nuper in hac cauſa producti. Quintus in ordine Teſtis ille fuit, & ad eam interrogationem reſpondit, ſe ita credere: *Quia ego Teſtis inueni Notam vnam, ita continentem: Nota, quòd Canonici Sancti Ambroſii non ſunt niſi de Centum: & quòd ſexdecim Canonici Sancti Nazarii non ſunt niſi de Centum. Et ſic alii remanent tantùm Septuagintaduo, detractis illis viginti-octo, videlicet duodecim Sancti Ambroſii, & ſexdecim Sancti Nazarii.* Et paulò pòſt ad alteram rurſùs interrogationem: *Ego eram in domo mea, ad Eccleſiam meam: & illam Notam inueni ſcriptam eſſe in quadam Liſta mea, quam adhuc hodie habeo: in qua ſcripta ſunt, ſeu ſcripta eſt magna pars Antiphonarum, quæ leguntur ad Annualia.* Et rurſùs: *Illa Liſta eſt vna Liſta vetus: & credo, quòd Presbyter Ioannes Boſſa* (quid ſi fortè vnus idemquè hic erat cum Presbytero illo Ioanne Boſſa, quem ſupra nominabam Cap. 97. Numero ſexto?) *ſcriberet illam Notam: qui eſt* (ſiue potiùs *erat*; vt ſibi depoſcere videtur eius Liſtæ, hoc eſt Syngraphæ, vetuſtas) *Erogatarius Ferulæ, & Septuagintaduorum, & Centum, & omnium illorum Beneficialium, qui vadunt ad Annualia* C D

XIV. Denique verò probationem hanc nobis concludat ſextus ille Teſtis, Albertinus Comes, quem ſuperiore item Numero 9. producebamus. Etenim ſuper primo Capitulo interrogatus, *Vt determinet & nominet illos Septuagintaduos Beneficiales, qui primò conſtituti fuerunt in Ciuitate Mediolani, de quibus dixit illos Archipresbyterum & Canonicos Canonicæ Decumanorum eſſe*; reſpondit: *Sunt iſti: videlicet, in Canonica Decumanorum duodecim: in Sancta Tegla duodecim: in Eccleſia Sancti Georgij duodecim: in Sancto Stephano in Brolio ſex: in Sancto Laurentio octo, computatis quatuor, qui*

conſueuerunt

conſueuerunt eſſe de Eccleſia Sancti Euſtorgii, quæ vnita eſt cum illa Eccleſia Sancti Laurentii (quo nimirùm ex tempore collocati fuerunt illic Dominicani) *in qua erant alii quatuor, & ſic ſunt modò octo: in Canonica Sancti Naboris* (& hic rurſus, vt antea monebam Num. XI. vtquè ſuadebat etiam ſubinde Num. 12. Gulielmus Menclotius, hic, inquam, rurſus leges *Sancti Nazarii*) *quatuor: In Canonica Sancti Martini ad Corpus quatuor: in Canonica Sancti Bartholomæi Portæ Nouæ quatuor: item decem Cappellani Cappellarum Ciuitatis, qui decem ſunt iſti, Cappellanus vnus in Cappella Sancti Kalimerii, vnus ex Cappellanis Sancti Alexandri, vnus ex Cappellanis Sancti Ioannis ad Concam, vnus ex Cappellanis Sanctæ Euſomiæ, vnus ex Cappellanis Sancti Petri in Campo Laudenſi, Cappellanus Sanctæ Mariæ ad Circulum, vnus ex Cappellanis Eccleſiæ Sancti Fidelis, vnus ex Cappellanis Sancti Michaelis ſub Domo, vnus ex Cappellanis Sancti Babylæ* (quippe vnus idemquè Cappellanus erat contiguarum ſibi Eccleſiarum Sancti Babylæ ac Sancti Romani; ſicut etiam Num. XI. colligi poteſt ex enumeratione huiuſmodi Cappellarum, per eum Teſtem facta; & huc ſine dubio pertinent illa etiam, quæ nos diximus Cap. 64. Num. 12.) *vnus ex Cappellanis Sancti Vitalis*. Multa porrò proſequitur idem Teſtis in reſponſionis ſuæ confirmationem, atque inter alia id etiam: *Prædictæ omnes præſtationes fiunt & diſtribui debent inter illos omnes de Centum: & illi omnes de Septuagintaduobus ſunt de illis de Centum; ſed non omnes de Centum ſunt de Septuaginta-duobus. Immò fuerunt viginti-octo, qui additi fuerunt illis Septuagintaduobus per Dominum Sanctum Simplicianum; ſicuti ſuperiùs dixi*. Hæc ille, Datii nempe ſecutus auctoritatem; à qua tamen alibi ego quamliberrimè diſſenſi, cùm ex inſtituto quæſtionem de additamento illo inſtituiſſem. Et hæc quidem illa ſunt, quæ præſenti Capite pollicebar ex eo Proceſſu.

A B C

CAPVT CXIII.

Iacobi à Voragine, Genuenſis Archiepiſcopi, teſtimonium pro Sanctis Nazario & Celſo, ac Protaſio & Geruaſio.

I. SAnctiſsimus ille Prædicatorum Ordo, Virorum etiam doctiſsimorum feraciſsimus, ſicuti teſtem nobis paulò ante obtulerat Vincentium, Epiſcopum Bellouacenſem; ita nunc alterum nobis Alumnum ſuum ſuppeditat, qui paulò ante Annum Domini Milleſimum trecenteſimum vita functus eſt poſt Genuenſem Archiepiſcopatum aliquandiu ſumma cum laude adminiſtratum; ſicuti Capite XI. Num. 9. iam diximus. Iacobus hic eſt à Voragine in ſua Sanctorum Legenda, quam inſcripſit Lombardicam Hiſtoriam. In propria enim Sanctorum Nazarii & Celſi Legenda, quam ex veteri eorum Vita, Mombritio etiam poſtmodum probata, ille in compendium contraxit, ac Numero 97. diſpo- D

fuit,

ſuit, hæc habet. In fine quidem Prologi, quo propriam eorum nomi- A
nibus aſsignat etymologiam: *Horum Vitam & Paſsionem Ambroſius in
Libro Geruaſii & Protaſii reperiſſe dicitur. In quibuſdam autem Libris legi-
tur, quod quidam Philoſophus, Nazario deuotus, eius Paſsionem conſcripſit:
quam Ceratius, qui Sanctorum Corpora ſepelierat, ad caput ipſorum poſuit.*
Hanc ipſam igitur eorum Paſsionem Capite 48. Num. 4. coniectabam
ego quoque fuiſſe à Sancto Ambroſio inuentam. Sequitur Iacobus, &c,
narrata ipſorum vita & morte ac ſepultura, ſic addit: *Poſt longum verò
tempus Dominus Corpora eorum Beato Ambroſio reuelauit. Celſum verò in ſuo
loco relinquens, Nazarium cum ſanguine recenti, quaſi eadem hora ſepultum,
miro odore fragrantem, integrum & incorruptum, cum capillis & barba, repe-
riens, ipſum ad Eccleſiam Apoſtolorum tranſtulit, & ibi honorificè ſepeliuit.* B
Celſum quoque inde poſtmodum ſuſtulit, & in eadem Eccleſia (ſiue potiùs *&
in eiuſdem Eccleſia*) *collocauit. Paſsi ſunt autem ſub Nerone, qui cœpit circa
Annos Domini Quinquaginta-ſeptem.*

II. Legendum autem intermonebam, non *& in eadem Eccleſia*, ſed *& in eiuſ-
dem Eccleſia collocauit*: in ea nimirùm Celſi Eccleſia, quæ mox in eodem
illo Celſiani Sepulchri ſitu ſeparatim conſtructa fuit, & vbi poſtea de-
nique conſtructum etiam fuit Monaſterium; ſicut ego ſuis in locis iam
oſtendi. Non enim Ambroſius Celſum poſtea ſublatum ex eo loco, vbi
iacuerat, collocauit in Apoſtolorum Eccleſia, in qua Nazarium ſepe-
lierat. In hoc enim Iacobus temerè diſſentiret à veteri Auctore, à quo
Martyrum iſtorum Paſsio conſcripta fuit, à quo cæteroqui nihil pror-
ſùs in reliquis diſſenſit. Quid, quòd ſimul etiam in hoc ille diſſentiret C
à veritate, ſatis ſuperquè iam comperta? Quamobrem hanc, opinor,
ob cauſam factum eſt, vt eadem illa periodus in nonnullis exemplari-
bus certè quidem prætermiſſa penitùs fuerit. Eiuſmodi profectò in pri-
mis eſt Ambroſianæ Bibliothecæ Codex pergamenus, perantiquus, gra-
phiceque conſcriptus in folio grandiori: qui Litteram Q. Numerum-
què 329. Indici Librorum Manuſcriptorum reſpondentem, in dorſo
præfert, in fronte verò recentem hanc Inſcriptionem: *Legendarium San-
ctorum Iacobi de Voragine. Hic Codex fuit Metropolitanæ Eccleſiæ Mediolani,
ei ab Archiepiſcopo Picolpaſſo legatus; tandem Illuſtriſsimi Cardinalis Federici
Borrhomæi, Beati Caroli patruelis, iuſſu, dum Ambroſianam Bibliothecam inſti-
tueret, à Reuerendiſsimo eiuſdem Eccleſiæ Capitulo emptus fuit Anno* 1605. D
Antonio Olgiato, eiuſdem Bibliothecæ, quam primus omnium tractauit, Præfecto.
Sic etiam penitùs eam ego comperi prætermiſſam in eiuſdem Iacobi
Legendario, Italicè reddito, typiſquè impreſſo Venetiis Anno Domini
1518. cuius exemplar in Franciſcano Vrbis noſtræ Conuentu, qui Fra-
trum eſt Conuentualium, conſeruatur, mihiquè fuit humaniſsimè ſup-
peditatum. Idipſum verò ſimiliter affirmo de altero in eadem Ambro-
ſiana Bibliotheca exemplari, puriorem in Linguam Italicam tranſlato
per Nicolaum Manebrium, & Venetiis impreſſo Anno Domini 1578.
Illud etiam huc accedit, quòd Petrus etiam de Natalibus, vt paulò pòſt
videbimus,

videbimus, eadem prorſus in ſuperiori periodo verba mutuatus à Iacobo, nihilominùs periodum illam ſubſequentem prætermiſit. Quocirca eam ego quoque crediderim ab ipſomet Iacobo deletam, cùm ſuum poſtea Legendarium recognoſceret; quia nimirùm tota mendum & erratum videretur propter eam mutationem pronominis EIVSDEM in EADEM; vel etiam quia totam cum pronomine illo EADEM inconſultus contra rei veritatem adieciſſet. Niſi fortè credere malimus, pronomen EADEM pro EIVSDEM in Auctoris textum errore amanuenſium aut typographorum irrepſiſſe: quod quia periodum totam vitiaret contra mentem Auctoris, & contra rei veritatem; propterea etiam totam fuiſſe prætermiſſam in iis, quæ dicebam, exemplaribus, & ſi qua ſunt eiuſdem generis alia. Quòd ſi fortè nihilominùs quiſpiam præfractè contenderit, periodum illam nec eſſe omittendam è genuino textu, nec ita, quemadmodùm ego cenſui, corrigendam; idem ille profectò liberam hominis vocem hanc audiat; nos in hac parte, vt par eſt, aliorum potiùs Doctorum ac Teſtium auctoritati ac ſententiæ acquieſcere. Quod quidem ipſum in alias quaſque huiuſmodi occaſiones liberrimè profitemur. A B

III. Cæterùm idem Iacobus Capite ſuperiori 81. Vitam quoque ſummatim recitauerat Sanctorum Geruaſii & Protaſii, deque ipſis inter alia hæc ſcripſerat: *Horum Paſſionem Ambroſius in Libello, ad caput eorum poſito, ſcriptam inuenit.* Quocirca etiam ipſe Vitam illorum ex eodem præſertim Libello collegit. Obiter autem vide Lector, quemadmodùm ſic etiam narret: *Geruaſius & Protaſius, gemini fratres, filii fuerunt Sancti Vitalis & Beatæ Valeriæ. Qui, omnia ſua pauperibus erogantes, manebant cum Sancto Nazario: qui apud Ebredunum Oratorium conſtruebat, & ei Celſus puer lapides porrigebat. Quòd verò Nazarius iam Celſum habuiſſe narratur, fortè per anticipationem accipitur; cùm, longè pòſt eum ſibi fuiſſe oblatum, ex Hiſtoria Nazarii colligatur.* Quod igitur Oratorium ego Capite 111. Num. 3. Vincentium Bellouacenſem interpretans, ſuſpicabar extructum Mediolani, hoc Auctor iſte conſtructum cenſet apud Ebredunum: & hoc fortaſſe cohæret cum eo, quod ego itidem Capite 49. Num. 7. recitabam è Gregorii Turonenſis Libro 1. De Gloria Martyrum, Cap. 47. Quomodocumque tamen hoc ſe habeat; certè ſequitur Iacobus his verbis: *Cùm autem omnes ad Neronem Imperatorem ducerentur; ſequebatur eos eiulans puer Celſus. Quem cùm vnus militum alapis cæderet, & cædentem Nazarius increparet; irati milites Nazarium calcibus ceciderunt; & ipſum cum aliis in carcere recluſerunt, & poſtmodùm in mare præcipitauerunt; Geruaſium verò & Protaſium Mediolanum duxerunt; Nazarius verò miraculosè liberatus Mediolanum venit. Eo tempore ſuperueniente Comite Aſtaſio, qui contra Marcomannos proficiſcebatur ad bellum, Deorum Cultores eidem occurrerunt, aſſerentes, quòd Dii ſibi reſpondere contemnerent, niſi priùs Geruaſius & Protaſius immolarent. Continuò igitur tenentur, & vt ſacrificent inuitantur.* &c. Et paulò pòſt: *Paſſi ſunt autem ſub Nerone: qui cœpit circa Annum Domini* C D

Quinqua-

Quinquageſimum-ſeptimum. Hactenus Iacobus de Voragine. Qui tamen A
in Sanctorum Nazarii & Celſi Vita nullam facit mentionem Ebreduni,
vel Oratorii, quod apud ipſum conſtruxerint; ſed certè facit Treuerorum, & inquit: *Venit autem ad Vrbem Treueris: & ibi Chriſtum primus prædicans, & multos ibi ad Fidem Chriſti conuertens; ibidem ſibi Eccleſiam ædificauit.*

CAPVT CXIV.

Gualuanei Flammæ teſtimonium pro eiſdem Sanctis.

I. EX eodem Sanctiſsimi Patris Dominici Ordine, quinetiam B
è Mediolanenſi ad Sanctum Euſtorgium Conuentu, teſtem ſe nobis offert Gualuaneus, cognomento de la Flamma, religioſam ibi vitam ſub Annum Domini Milleſimum treceenteſimum profeſſus; vti iam vidimus Capite 2. Numero vltimo. Sicut autem multipliciter aliunde conſtat, in eodem ille Conuentu vixit etiam Anno Domini 1342. quinetiam 1344. vt ſupra iam obſeruauimus Capite 109. Num. 18.

II. Inter alios eius Codices manuſcriptos, apud Clariſsimum atque de me quam optimè meritum Virum, noſtræquè Vrbis Secretarium digniſsimum, Aloyſium ab Eccleſia, vnus etiam extabat, & nunc apud eius
extat filios, quo varia ipſius Gualuanei Opuſcula continentur, & inter C
illa id etiam: *Inſraſcripta Sanctorum Corpora iacent in Ciuitate Mediolani, & eius Comitatu & diſtrictu*. In hoc igitur Opuſculo ille ſcriptum etiam ſic reliquit. *Feſtum Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi, die 28. Iulii. Iacent ad Baſilicam Apoſtolorum*. Sed in hoc ille re vera fuit hallucinatus: & quod affirmare de ſolo Nazario debebat, de Celſo pariter improuidus affirmauit. Ipſemet ſiquidem in prædicto Manipulo florum, Capite 40. poſt commemoratam Imperatoris Theodoſii Senioris mortem, ſic illicò adiecit: *Poſt hæc Beatiſsimus Ambroſius Corpus Sancti Nazarii ad Baſilicam Beati Petri, quæ fundata eſt in honorem Apoſtolorum propter eximias Reliquias illorum, tranſtulit*. Quòd ſi Corpus etiam Sancti Celſi eadem in
Baſilica iaceret; certè propterea iaceret (neque quiſquam hoc negat) D
quia illuc à Sancto Ambroſio tranſlatum fuiſſet. Cæterùm de Sanctis Geruaſio & Protaſio nullam prorsùs in eodem Opuſculo reliquit dubitationis anſam. Inquit enim: *Feſtum Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii, die 19. Iunii. Iacent ad Sanctum Ambroſium*. De Ambroſio autem ipſo ſic item: *Feſtum Sancti Ambroſii, Archiepiſcopi Mediolani & Confeſſoris, die quinto Aprilis. Iacet in Eccleſia ſua Sancti Ambroſii.*

III. Quonam verò tempore Martyres ipſi quatuor paſsi fuerint: ne de hoc quidem Gualuaneus vllum dubitandi locum reliquit in Chronico Maiori, quod à Bibliotheca conſeruatur Ambroſiana. Illic enim Caput præſertim 233. hoc titulo prænotatum, *Paſsio Geruaſii & Protaſii, Nazarii & Celſi,*

Celſi, hiſce conceptum eſt verbis: *Nero Cæſar Auguſtus, mortuo Paulino Vicario ſuo, alium inſtituit ſuper Italiam Vicarium, qui dictus eſt Anolinus Dux, Imperialis Aulæ Secundicerius: mandans eidem, quòd in Ciuitate Mediolani ſic Chriſtianos perſequeretur, quòd nec vnus ſuper terram viuus remaneret. Hic Anolinus primò Beatum Gayum Archiepiſcopum Mediolanenſem fuſtigari publicè per Ciuitatem iuſsit, & in exilium miſit; attamen mortem pepercit, eo quòd nobilis Ciuis Romanus eſſet. Tunc Beatus Gayus in ſpeluncis & in cauernis montium latitauit multis annis. Beatos Martyres Nazarium & Celſum decapitauit. Superuenit ex parte Imperatoris ad Ciuitatem Mediolani Comes Aſtaſius, qui Chriſti nomen audire non poterat. Iſte interfecit Sanctos Martyres Geruaſium & Protaſium. Et Chronica G. B. quòd eodem Anno paſsi ſunt Beatus Petrus & Paulus in Roma, & Nazarius & Celſus Geruaſius & Protaſius in Mediolano. Et iſte Vicarius Imperatoris, miſsis ſatellitibus per totam Ciuitatem Mediolanenſem, rapuit Viros nobiles, Conſules, & Senatores diuerſis tormentis occidit: pluresquè Romanæ Vrbis Ciues, qui, relicta Roma, hanc ſecundam Romam, velut omnium Ciuitatum Reginam, habitabant, interemit.* En igitur vt, Gualuaneo teſte, Martyres hi necati ſunt ſub Nerone Imperatore. Quòd autem ſecundùm illud Chronicon dicebantur eodem quoque necati Anno, quo Petrus & Paulus; ego quidem Capite 22. Num. 6. aliter de Geruaſio ſentiebam & Protaſio, quos Anno poſtero necatos exiſtimaui.

CAPVT CXV.

De Sanctis Baſilide, Cyrino, & Nabore, in Baſilica Celſiana quieſcentibus.

I. IN ſuperioribus, hoc eſt, Cap. 75. multa diſſeruimus de Sanctis Baſilide, Cyrino, Nabore, ac Nazario, Martyribus, Romæ paſsis, ab Eccleſia Romana celebratis duodecima Iunii die, à Paulo Papa Primo inuentis, & in Vrbem translatis: dequè Corporibus eorumdem Sanctorum Naboris & Nazarii, necnon etiam Gorgonii pariter Martyris, in Galliam translatis Anno Domini circiter Septingenteſimo ſexageſimo-quinto. Ecce verò nunc per hæc Gualuanei Flammæ tempora nanciſcimur, Corpora etiam Sanctorum Baſilidis, Cyrini, & Naboris, Mediolanum inde allata olim fuiſſe. In prædicto enim Flammæ Opuſculo ſic etiam legimus: *Feſtum Sanctorum Martyrum, Baſilidis, Cyrini, & Naboris, die 12. Iunii. Iacent ad Sanctum Celſum.* In hac igitur Sancti Celſi Baſilica iam eo iacebant tempore, quo Gualuaneus hæc ſcribebat; ſicut etiam poſtmodùm iacuerunt, vt ſequentibus oſtendam.

II. Quandonam verò, & à quo translata huc fuerint, me quidem hactenùs

hæc latent. Anno quidem illo Septingenteſimo ſexageſimo-quinto conſtructa iam extabat hoc in loco Eccleſia Sancti Celſi, quemadmodùm è ſuperioribus intelligi poteſt. Quamobrem nihil etiam ego ambigo, quin eodem illo Anno ea Sanctorum Corpora (ſiue aliquæ ipſorum Reliquiæ) cum bona Pontificis eiuſdem Romani venia huc adſportari potuerint: & ab eo præſertim Archiepiſcopo, qui tunc temporis Mediolanenſem hanc Eccleſiam regebat; ſicut etiam coniectabam Capite 75. Num. 12. A

CAPVT CXVI.

Tam Solemnitas annua Dominici Corporis, quàm Proceſsio ſolemnis, inſtituitur Mediolani, & ad Baſilicam Ambroſianam proceditur. B

I. PRiuſquàm tamen ego explicare hoc aggrediar, nonnulla breuiter indicabo, memoratu digna, quæ ad ipſam per ſe in vniuerſum pertinent eiuſmodi Solemnitatis & Proceſsionis inſtitutionem, vſum, & comprobationem.

II. Solemnitatem igitur Corporis Chriſti Domini, certiſsimum eſt, ab Vrbano Quarto, Pontifice Romano, primùm inſtitutam fuiſſe circiter Annum Domini 1263. & eas quidem ob cauſas, quas ipſemet Pontifex Conſtitutione ſua, tunc temporis edita, complexus eſt.

III. Eamdem poſtea Conſtitutionem Clemens Papa Quintus, in Generali Concilio Viennenſi comprobatam, renouauit Anno 1311. breuiquè Præfatiuncula omnibus commendatam vnà cum cæteris Clementinis retulit in Ius Canonicum, Libro 3. Tit. 16. *De Reliquiis & veneratione Sanctorum*. De quo quidem Concilio legi poteſt Sanctus Antoninus Tertia Parte Chronicorum Tit. 21. Cap. 3. C

IV. Clementi Quinto Ioannes Vigeſimus ſecundus Anno 1315. ſuffectus, eidem quoque Feſtiuitati apud Fideles propagandæ adlaborauit. Vt enim teſtatur idem Sanctus Antoninus ibidem Capite 4. *promulgauit Clementinas, quas Clemens in Concilio ediderat: & eas obſeruari omnibus demandauit.*

V. Eodem verò teſte Antonino ibidem Tit. 22. Cap. 7. Martinus Quintus Anno 1415. (vel, vt alii volunt, Anno 1417.) in Pontificem delectus, Anno Pontificatus ſui duodecimo, ſeptimo Kalendas Iunii, vberiores pro eadem Feſtiuitate, ad excitandam pietatem, conceſsit Indulgentias. De quibus idem Chronologus antea Tit. 20. Cap. 1. §. 1. poſtquàm Vrbani Quarti primam inſtitutionem narraſſet, hæc tradiderat: *Anno Domini* 1400. (nec enim tunc de certo Anno laborabat) *Curia Florentiæ reſidente, Martinus Papa Quintus multa auxit ad celebritatem Feſti. Et primò ſtatuit, ea die interdictum in omnibus Eccleſiis, vbi fuiſſet poſitum, ipſo die relaxari, ſicut in die Reſurrectionis Dominicæ, die Natalis, Pentecoſtes, &* D

Aſſumptionis

Aſſumptionis Beatæ Mariæ. Secundò duplicauit Indulgentias, conceſſas iis, qui interfuerint Diuinis Officiis, ab Vrbano præfato. Tertiò addidit & nonas ieiunantibus Vigiliam Feſti: ac etiam communicantibus in ipſo centum dies conceſsit: & ſimiliter aſſociantibus Proceſsionem, quæ fit de mane cum Sacramento. Aſſociantibus etiam Sacerdotem, cùm defert Sacramentum infirmis, etiam aliquot dies Indulgentiarum contulit. Quæ quidem omnia clariſsimè conſtant ex ipſius Bulla, in Bullario ad verbum recitata; ſicut etiam ex altera ibidem Bulla Eugenii Quarti conſtant hæc ipſa, quæ ſequuntur. A

VI. *Sed & Succeſſor eius* (verba ſunt eiuſdem Sancti Antonini) *Eugenius Quartus* (hic autem illi ſucceſsit Anno 1430. ſecundùm eumdem Antoninum infra, Tit. 22. Cap. 10.) *Florentiæ manens cum Curia, duplicauit dictas Indulgentias, conceſſas à Martino Quinto: & mandauit per Extrauagantem, quòd in Dominica præcedenti Feſtum ipſum Prælati faciant in prædicationibus hoc Populis intimari: & quòd debeant hæc inter Lectiones, quæ dicuntur intra Octauam Feſti, ſcribi, & legi, ſeu cantari, ſicut & aliæ Lectiones.* Legatur ergo item è Bullario hæc ipſa Eugenii Quarti Bulla, qua ſuperiores duas Vrbani & Martini complexus eſt Anno 1433. Septimo Calendas Iunii, Pontificatus ſui Anno tertio. B

VII. Denique verò Sacroſancta & Oecumenica Synodus Tridentina Seſsione 13. Anno 1551. habita, Capite 5. declarauit, *piè & religiosè admodùm in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis Annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur: vtquè in Proceſsionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur.* Et infra rursùs Canone 6. anathema in eum pronunciauit, qui dixerit, *in Sancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum, vnigenitum Dei filium, non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideò non feſtiua peculiari celebritate venerandum; neque in Proceſsionibus ſecundùm laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ Sanctæ ritum & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum.* Quocirca hinc videre licet, quemadmodùm Tridentina Synodus ſupponat in vniuerſa iam tum Eccleſia, nimtrùm Latina, receptam fuiſſe conſuetudinem huius, non modò Feſtiuitatis, ſed etiam ſolemnis Proceſsionis: quam quidem Solemnitatis conſuetudinem Martinus item Quintus in vniuerſa Eccleſia, Proceſsionis autem multis in locis ſupponebat. Dixi autem, in vniuerſa Eccleſia Latina; quia Solemnitatem hanc Græca Eccleſia non ſuſcepit; vti monet Iacobus Gretſerus Libro 1. *De Sacris Proceſsionibus*, Cap. 9. propè finem. Feſtiuitatem verò ipſam ego etiam diſtinxi à Proceſsione; quia de vtriuſque inſtitutione non idem ſentiunt Doctores. Nonnulli enim Proceſsionem poſteriùs inſtitutam exiſtimant: qua de re videatur in primis Nicolaus Serarius, vt infra. C D

VIII. His hunc in modum præmiſsis, explicando iam tandem proſequemur, quandonam Feſtiuitas Corporis Chriſti, ſolemnequè ipſius Officium (nam de Proceſsione nolumus quæſtionem nobis hic eſſe) recepta communiter vſu fuerit in Occidentali Latinaquè Eccleſia. Deinceps verò

aperiemus etiam, quo præciſè tempore tam Feſtiuitas ipſa, quàm Pro- A
ceſsio vſitari cœperit in Eccleſia noſtra Mediolanenſi.

IX. Nicolaus Sanderus Libro Septimo è ſuis De Viſibili Monarchia Eccleſiæ
Libris, quos Anno 1571. Pio Papæ Quinto nuncupauit, Num. 961.
teſtem in primis producit Ioannem Nauclerum, Generatione 43. ſcri-
bentem: *Vrbanus inſtituit Solemnitatem de Corpore Chriſti*. Tum verò inde
ſic ipſe concludit: *Ex mirabili conſenſu, quo Eccleſia Feſtum illud iam per
Annos tercentenos coluit, conſtat, & fidem realis præſentiæ Corporis Chriſti in
Euchariſtia certiſsimam ſemper fuiſſe (alioqui ſaltem aliquæ Eccleſiæ reſtitiſſent
Pontificis decreto) & vniuerſam Occidentis Eccleſiam Romani Pontificis Prima-
tum agnouiſſe; vtpote cuius decretum tanta cum alacritate ſuſcepit & obſerua-
uit.* Nimirùm Sanderus Solemnitatem hanc cenſuit ab vniuerſa item B
Occidentis Eccleſia fuiſſe receptam & vſitari cœptam ex eo ſtatim tem-
pore, quo fuerat ab Vrbano illo Pontifice inſtituta. Cuius opinionis
fuit etiam dilectiſsimus ille mihi, viciſsimquè mei amantiſsimus, Leo-
nardus Coquæus, Ordinis Auguſtiniani decus, in Antimornæi ſui An-
tidoto contra Progreſſum 53. quem Antimornæum typis ille Mediola-
nenſibus primùm edidit Anno 1616. & cui editioni nonnihil ego quo-
que adlaboraui; quemadmodùm & tam pii eruditiquè Religioſi meri-
ta, & Mœcenatis mei, Federici Cardinalis Archiepiſcopiquè Borromæi,
mandata depoſcebant; cui nimirùm editionem ipſam impensè com-
mendauerat Sereniſsima Chriſtiana à Lotharingia, Magnæ Etruriæ Du-
ciſſa, cui Coquæus ipſe à Sacris Confeſsionibus erat. C

X. Ego tamen hac in parte Ioanni potiùs credidi Dieſtemio, Eccleſiæ Sancti
Iacobi Leodienſis Priori: qui Librum ſuum, quo mox in teſtimonium
vtar, compoſuit Anno Domini 1496. licet Anno tantùm 1603. Duacenis
ille typis impreſſus prodierit in lucem; ſicut affirmat Nicolaus Serarius
Tomo Tertio Opuſculorum Theologicorum, Libro 2. De Proceſsioni-
bus, Cap. 9. Ego autem illum habeo Venetiis impreſſum Anno Domi-
ni 1618. propè finem Magni Speculi Exemplorum, primo compoſiti ab
Henrico Gran, Germano, circa Annum 1480. deinde verò ab aliis lo-
cupletati: atque ſic etiam eſt inſcriptus: *Tractatus ſiue Hiſtoria De Reue-
latione inſtitutionis Feſti Venerabilis Sacramenti, decem conſtans Articulis*. In
eiuſmodi ergo Libro Dieſtemius occaſionem Feſtiuitatis huius, Anno D
1263. primùm inſtitutæ, narrat ab exordio, & quibuſdam ex miraculis
ac reuelationibus, quæ illam præceſſerunt. Articulo deinde 7. proſe-
quitur inſtitutionem ipſam. Subinde verò etiam Articulo 8. producit
exemplar Epiſtolæ, quam idem Pontifex ad Euam, Sancti Martini Leo-
dienſis Monialem, dedit ſexto Idus Septembris, Anno Chriſti 1264.
Pontificatus autem ſui quarto. Hactenùs Vrbani partes Dieſtemius
enarrabat. Quomodo autem viciſsim Eccleſia ſe geſſerit: ac quando
tandem vniuerſa Solemnitatem hanc ſuſceperit: hoc ex ipſius Articulo
9. condiſcemus. *Verùm* (inquit) *quamquàm Apoſtolica mandata omnibus
Eccleſiis directa fuiſſent ſuper celebranda noua de Venerabili Sacramento Solem-*

nitate;

nitate; omnes tamen Eccleſiæ obedire diſsimulauerunt, præter Eccleſiam Leodien- A
ſem: quæ, vbi Apoſtolicum Nuncium cum Bullis Decretalibus ac Officio appor-
tatis honorificè ſuſcepit tamquàm deuota filia, mox quàm celerrimè obediuit,
reiecto Officio, quod Virgo Iuliana confici fecerat, vtens illo Officio, quod Bea-
tus Thomas Aquinas confecerat. Itaque ab aduentu præfatarum Bullarum tota
& ſola Leodienſis Diœceſis præfatam Solemnitatem ſingulis celebrauit Annis vſ-
que ad tempora Domini Ioannis Papæ Vigeſimi-ſecundi, qui floruit Anno Domini
1315. qui omnes Conſtitutiones Clementis publicauit, & ad Vniuerſalia Studia
tranſmiſit: & vltra illas Ordinationes Vrbani Quarti, Clementinis Conſtitu-
tionibus inſertas, nouas Indulgentias conceſsit, atque Proceſsionem ordinauit.
Ex tunc igitur & deinceps Solemnitas hæc per totius Orbis Eccleſias deuotiſsimè
acceptata eſt, ad honorem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Hac- B
tenùs eo Articulo Dieſtemius: cui graues alios quoque Viros adhæſiſſe
adhuc comperimus, ac nominatim Nicolaum Serarium, quo ſupra dixi-
mus Tomo Tertio Opuſculorum Theologicorum, Libro 2. *De Proceſsio-*
nibus, Capite 9. & Abrahamum Bzouium Tomo 13. Annalium Eccle-
ſiaſticorum, quo Baronii Annales proſecutus eſt vſque ad Annum 1230.
apud quos Auctores vniuerſa Dieſtemii hac de re narratio ad verbum
ex ordine deſcripta inuenitur.

XI. Sed alium inſuper ego habeo Scriptorem, Dieſtemio ipſo vetuſtiorem,
fideque non imparem, ne dicam ſuperiorem. Ioannes hic eſt Hocſe-
mius, Canonicus Leodienſis, Libro Primo *De Geſtis Pontificum Leodien-*
ſium: quem ipſius Librum, ſicut & eiuſdem argumenti ſecundum, le- C
gere datur Tomo Secundo, quo præcipuos eius argumenti Scriptores
collegit & illuſtrauit Iohannes Chapeauillus, Canonicus item ac Vica-
rius Leodienſis. Hoc autem teſte in eius Vita, primo ipſius Libro præ-
fixa, & ex ipſius Scriptis collecta, Hocſemius natus eſt Anno Domini
1278. ſcribere verò deſiit Anno 1348. Libro igitur ille primo, Capite
6. in Henrico Gueldrenſi, inter Epiſcopos Leodienſes Sexageſimo-nono,
ſic narrabat: *Anno verò Domini 1259. (vel fortè 1260. cùm tunc ſecun-*
dùm quoſdam Vrbanus præeſſe cœperit) Henricus Epiſcopus, inſtinctu cuiuſdam
Recluſæ (ſiue Monialis) *iuxta Eccleſiam Sanctæ Fidis* (aliter *Sancti Martini*)
cui de Sacramento fuit oſtenſa viſio, Vrbano Papæ Quarto (cui nihilominùs hæc
nota fuerat, cùm dudùm fuiſſet Canonicus Leodienſis) ſuper hoc ſuas Litteras D
deſtinauit: quibus inductus Papa hoc Feſtum inſtituit celebrari. Quod ex tunc à
Leodienſibus eſt receptum, & poſtmodùm continuè per plures Eccleſias in Ger-
mania & Francia à Clero & Populo celebratum; ſed demùm per alias vniuer-
ſaliter recipitur Eccleſias, cùm Ioannes Papa Vigeſimus-ſecundus Conſtitutionem
Vrbani, ſuper hoc factam, quæ incipit TRANSITVRVS DE HOC
MVNDO AD PATREM *(quam Clemens Papa Quintus obſeruari diſtrictè*
præceperat ab omnibus in Concilio Viennenſi) feciſſet cum cæteris Clementinis
Conſtitutionibus celebrari. Talia Hocſemius. Et his quidem aſſenſit etiam
Chapeauillus Capite x. Tractatus Hiſtorici *De prima & vera origine Feſ-*
tiuitatis Sacratiſsimi Corporis & Sanguinis Domini &c. quem Tractatum in
fine prædicti Tomi ſui Secundi collocauit.

XII.Ex

XII. Ex eo igitur tempore, quo Ioannes Vigeſimus-ſecundus, creatus Pontifex Romanus (verè autem creatus fuit Anno Domini, non 1315. ſed 1316.) per Orbem Chriſtianum promulgari Clementinas Conſtitutiones & obſeruari iuſsit: ex eo, inquam, tempore Solemnitas Dominici Corporis, quinetiam ſolemnis eius Proceſsio & Circumgeſtatio, per vniuerſam Eccleſiam Occidentalem ac Latinam celebrari cœpta eſt. Quocirca exinde ſaltem vſque ad eiuſdem Pontificis obitum (qui communiter adſcribitur Anno Domini 1334.) congruum videretur, vt ea tam longè lateque fuerit vſu recepta, vtque propterea Mediolani quoque interim vigere incœperit. Atqui Mediolanum, ſicut Vrbani Quarti tempore ſubiectum fuerat Interdicto Pontificio (de quo legi poteſt Donati Boſsii Chronicum ad Annos 1263. 1267. 1268.) ſic etiam nouo pariter Interdicto nunc ſubiacebat, Matthæus autem Vicecomes, Vrbis Dominus, Excommunicationi prætérea; quia nimirùm Turrianos, quos in carcere detinebat, dimittere noluiſſet: atque his quidem Cenſuris ex Anno 1316. ſuccubuerunt; ſicut ad eumdem Annum tradidit idem Boſsius, & alii multi; ſed nemo veriùs & vberiùs Gualuaneo Flamma, qui Mediolani per ea tempora florebat, quiquè ſuas Hiſtorias vſque ad Annum Chriſti 1342. proſecutus eſt; ſicut ex ipſius Catalogo noſtrorum Archiepiſcoporum, & ex Chronico Maiori liquidiſsimè conſtat. Quocirca etiam nobis peropportunum ad errores aliorum declinandos erit; ſi pauca quædam curſim ex ipſo decerpamus in illud vſque tempus, quo, quam quærimus Feſtiuitatem, Mediolani quoque celebrari cœptam inuenerimus.

XIII. Nimirùm eodem teſte Gualuaneo (& in Chronico præſertim Maiori ſecundùm exemplar Vrbani Secretarii, Aloyſii ab Eccleſia) res ita etiam ſeſe habuerunt: ac ſuperiori Eccleſiaſticarum Cenſurarum cauſæ altera hæc item acceſsit. Gaſtone Turriano è Mediolanenſi Archiepiſcopatu ad Patriarchatum Aquileienſem promoto (videlicet Anno Domini 1317.) ſublectus à Clero Mediolanenſi fuit ei Ioannes Vicecomes, Matthæi Magni filius: atqui Ioannes Pontifex Romanus, eo repudiato, alterum ſubſtituit, hoc eſt, Fratrem Aycardum è Camodea, Nouarienſem patria, Religione autem, non Dominicanum, ſicut aliqui crediderunt, ſed Franciſcanum. Quam ob cauſam irati Vicecomites, hunc ad Sedem ſuam venire non permiſerunt. Anno poſtea 1322. mortuus eſt Matthæus; ſed ne propterea quidem Ciuitas Interdicto liberata fuit. In hunc ergo finem nobilis Miles Vercellinus Vicecomes à Mediolanenſibus miſſus eſt Legatus ad Pontificem Ioannem, qui tunc Auenione morabatur: atque tunc etiam Interdicti relaxatio condicta fuit; dummodò tamen certæ quædam conditiones ſeruarentur: tunc etiam Ioannes Vicecomes ab eodem Pontifice Nouarienſis Epiſcopus è Canonico Eccleſiæ huius Metropolitanæ Ordinario; ſicut & Anno ſubſequenti factus eſt Archiepiſcopatus Mediolanenſis Oeconomus & Conſeruator; ſed cum ea conditione, vt quotannis mille quingentos Florenos tribue-

ret

ret Aycardo, adhuc abeſſe quidem, ſed nihilominùs Archiepiſcopatum A
ſibi retinere ac munera interim Archiepiſcopalia inde obire perſeueranti. Cuius quidem perſeuerantiæ certiſsimo mihi documento ſunt etiam binæ ipſius Aycardi Epiſtolæ, quas interim ſcripſit ad Baſilicæ Ambroſianæ Præpoſitum, Archiepiſcopales ei demandans vices ad ea peragenda, de quibus fuerat per ſupplices obſecratus libellos. Eæ verò ambæ hunc in modum incipiunt: *Frater Aycardus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Dilecto in Chriſto Lafranco Moſſetæ, Præpoſito Eccleſiæ Sancti Ambroſii Mediolanenſis, Salutem in Domino.* Prima verò pertinet ad Hoſpitale quoddam Pauperum, quod ſub titulo Sanctæ Catherinæ nuper è Teſtatoris cuiuſdam legato conſtructum Mediolani fuerat, vbi nempe nunc etiam propè Puſterlam B
Fabricam (ſiue Pontem, vt nunc loquimur, Fabrorum) exiſtit Eccleſia, eidem Virgini & Martyri nuncupata: eiquè Præpoſito Archiepiſcopus demandabat, vt ſua ipſius vice Oratoribus poſtulata concederet; ſed *reſeruato Nobis & Cameræ noſtræ Archiepiſcopali cenſu annuo vnius libræ ceræ in feſto Sancti Ambroſii, per dictum* (eius Hoſpitalis) *Adminiſtratorem, in ſignum ſubiectionis, omni Anno perſoluendo; quem ex nunc ſpecialiter cauſa ſuperioritatis reſeruamus.* Eadem verò protinùs etiam his verbis concluditur: *In quorum teſtimonium præſentes fieri iuſsimus, noſtro ſigillo pendenti munitas. Datum Alexandriæ, in Domo Fratrum Minorum, Anno à Natiuitate Domini Milleſimo trecenteſimo trigeſimo-ſeptimo, Indictione quinta, die vigeſimo-ſexto Martii.* Secunda porrò Epiſtola pertinet ad Moniales Sanctæ C
Mariæ *in Valle*, ſiue *de Montano*, quæ facultatem ab Archiepiſcopo pro facienda quadam prædiorum ſuorum commutatione cum aliis poſtulauerant. Hæc ipſa verò ita demùm concluditur: *In quorum teſtimonium præſentes Litteras fieri iuſsimus, noſtro ſigillo pendente munitas. Datum Alexandriæ, in Domo Fratrum Minorum, Anno à Natiuitate Domini Milleſimo trecenteſimo trigeſimo-nono, Indictione ſeptima, die decimo-nono menſis Aprilis.* Et harum quidem Litterarum ſecunda mihi ab iiſdem illis Monialibus è ſuo Archiuo ſuppeditata fuit; prima verò ab hodiernis illius Eccleſiæ Sanctæ Catherinæ Confratribus; & ad verbum conſita eſt authentico Inſtrumento, per Iacobum Antonium Cerrutum, publicum Apoſtolica auctoritate & Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani Notarium, con- D
fecto Anno Domini 1619. die Sabbati, vigeſimo-nono menſis Decembris. Nunc ſeriem narrationis, à qua paululùm digreſsi ſumus, proſequamur. Moritur interim Ioannes Pontifex Anno 1334. menſe Decembri, eodemquè mox menſe Benedictus Duodecimus in eius locum ſubſtituitur. In eius ergo præſentia, non multò pòſt, conditiones ad Interdicti relaxationem iam condictæ, per Guidonem de Calice, Ciuitatis noſtræ Procuratorem ac Syndicum, iuratæ fuerunt nomine Ciuitatis eiuſdem, ac nomine Azi Vicecomitis, eidem dominantis: eoquè factum eſt, vt Interdictum fuerit ſuſpenſum vſque ad proximam Omnium Sanctorum feſtiuitatem; itaut nulla eſſet abſolutio, niſi pacta iam

inita ſeruarentur. Itaque ſub eam ipſam Omnium Sanctorum feſtiuita- A
tem, quæ Anni erat 1335. pacta eadem ſolemniter ab eodem Syndico
iurata rurſum & confirmata fuerunt: ac tunc denique ſublatum penitùs
fuit Interdictum.

XIV. Hoc autem impedimento ſublato, en vt viciſsim Eccleſia Mediolanenſis demandatam olim Sacratiſsimi Corporis Dominici Feſtiuitatem ac Proceſsionem, quo primùm tempore potuit, ſolemniſsimè in ſingulos Annos celebrare incœperit. Gualuaneum ipſum ex eiuſdem Chronici Maioris exemplari audiamus. Anno enim 1336. ſic inquit: *Iſto Anno fuit incœptum Feſtum de Corpore Chriſti. Cuius ſolemnitas fuit magna, quòd vix poſſet conuenienter explicari.*

XV. Quando autem vix ea poteſt conuenienter explicari; videamus eam ſal- B
tem paulò conuenientiùs ab ipſo explicatam in altero eiuſmodi Chronici Maioris exemplari, quod in Ambroſiana Bibliotheca cuſtoditur. Qua enim parte ſeparatim narratur de Dominio Azi Vicecomitis, ſic ibi ſcriptum, & Anno Chriſti 1336. adſcriptum, inuenimus Numero ſeu Capite 23. *De Feſto Corporis Chriſti. Ioannes, Epiſcopus Nouarienſis, ac Eccleſiæ Mediolanenſis Conſeruator, Azi Vicecomitis patruus, attendens Dei beneficia, facta Vicecomitibus, Feſtum de Corpore Chriſti celebrari ordinauit. Ibi fuit vniuerſus Clerus, & quædam mirabilis Proceſsio Religioſorum, qualem Roma, ſibi ipſi relicta, facere non potuiſſet. Et vnus Epiſcopus in Pontificalibus Corpus Chriſti de Eccleſia Maiore portauit cum canticis & ſolemnitatibus mirabilibus. Per viam erat tanta cereorum numeroſitas, quòd nullus, niſi vi- C
diſſet, credere poſſet. Cùm Corpus Chriſti appropinquaret Monaſterio Sancti Ambroſii* (cuius Monaſterii porta tunc erat illa vetus, quæ in præſentem vſque diem conſpicitur propè Sancti Auguſtini Eccleſiam, Monaſterio Monialium Sancti Michaelis obuerſam) *tunc Epiſcopus Nouarienſis in Pontificalibus cum mitra Epiſcopali Corpus Chriſti de manu alterius Epiſcopi ſuſtulit, & vſque ad Altare Sancti Ambroſii portauit. Fuerunt in iſta Proceſsione Azo Vicecomes, Dominus Ciuitatis, cum aliis Nobilibus: & fuit computatum, quòd promiſcui ſexus perſonæ Feſtiuitati interfuerunt vltra centum millia. Poſtea per alium Epiſcopum Corpus Chriſti ad aliam Eccleſiam Maiorem fuit reportatum. Feciteque Epiſcopus Nouarienſis, ſupradictus, grande conuiuium in domo ſua iuxta Sanctum Ambroſium nobilibus Dominabus, & aliis quampluribus. D
Statutumquè fuit, quòd perpetuis temporibus hæc Solemnitas celebraretur.* Hæc ibi Gualuaneus: nec alium ego adhuc reperi quempiam, qui luculentiùs eiuſmodi Celebritatem deſcripſerit.

XVI. Auctor enim Chronici *Flos florum*, Anno 1399. contexti, hæc tantummodò habet ad Annum Chriſti 1335. *Iſto tempore Ioannes Vicecomes, Epiſcopus Nouariæ, ordinauit fieri in Mediolano Feſtiuitatem Corporis Chriſti, cum Proceſsionibus Cleri & Populi: quod annuatim fit.* Galeſinius verò in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula, Mediolanenſis Eccleſiæ Actis conſita, Num. 103. ſic item in eodem Ioanne Archiepiſcopo: *Corporis Domini Celebritatem ſolemnem in Eccleſia Mediolanenſi perpetuò agi decreuit ritu*

ſolemni,

ſolemni, & publica Proceſsione: quam ipſe frequentiſsimam celebrauit, facto A *concurſu hominum centies millium. Sedit Annos viginti & vnum.* Sed in hoc Annorum numero ille fallitur; ſicut etiam Paulus Morigia, Hiſtoriæ Mediolanenſis Libro & Cap. 2. pag. 315. itemquè Ioannes Franciſcus Beſutius in Hiſtoria Pontificali Mediolani, Numero pariter 103. vbi eadem prorſus Galeſinii verba Italicè reddidit; nec procul ab eodem abeſt errore Ripamontius Parte altera Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis, Libro 9. pag. 562. Vt enim mox dicemus, Ioannes hic Archiepiſcopus ſedit Annos tantummodò duodecim. Idem porrò Ripamontius eadem Parte ac Libro, pagina 589. talem Feſtiuitatis inſtitutionem his expreſsit verbis: *Inſtituerat ipſe ſolemne anniuerſarium, vt ſtato die Sacroſancta Altaris Myſteria per Vrbem, Clero vniuerſo pompam dedu-* B *cente, geſtarentur. Quæ pompa quo primùm die ducta ab ipſo eſt, centum millia mortalium interfuere.*

XVII. Quòd autem mox dicebam, Ioannem Archiepiſcopum in hac Eccleſia Mediolanenſi ſediſſe annos tantùm duodecim: hoc itidem conſtat ex eiuſdem Gualuanei teſtimonio, & in eodem præſertim Bibliothecæ Ambroſianæ Codice. Tantùm ab eo abſuit Aycardus, vt Archiepiſcopatum Mediolanenſem commutaſſet cum Epiſcopatu Nouarienſi (qua in re à Ripamontio etiam pagina illa 562. erratum fuit) quin immò ad Archiepiſcopalem hanc Sedem ſuam tandem venit honorificentiſsimequè receptus eſt Anno 1339. die quarta Iulii. Eodem tamen Anno, decima Auguſti die, mortuus etiam hic eſt, & in Fratrum Minorum C (ex Ordine quorum ille fuerat) Baſilica, quam nunc Franciſcanam vocant, ſepultus. Dehinc ergo Ioannes Vicecomes in Archiepiſcopum rurſus noſtrum electus eſt, & ante decimam octauam proximi Octobris diem, Sancto Lucæ feſtiuam: qua quidem die Gualuaneus ei, tamquàm Epiſcopo adhuc Nouarienſi, ſed in Archiepiſcopum Eccleſiæ Mediolanenſis electo, Epiſtolam ſcripſit nuncupatoriam Scriptionis ſuæ De ſingularibus Eccleſiæ Mediolanenſis poſt Romanam prærogatiuis, cuius exemplar in Secretarii Vrbani Muſæo conſeruatur. Atqui tantùm Anno poſtea 1342. creatus eſt Archiepiſcopus, nec multò ante Deiparæ Virginis Natiuitatem, octaua Septembris die celebrari ſolitam. Hac ipſa enim eius Anni menſiſquè die feſtiuitas item inſignis celebrata Medio- D lani fuit propter eam ipſius Ioannis creationem in Archiepiſcopum: quam quidem Gualuaneus ibi Libro 18. Capite 40. ad eumdem Annum recenſuit. Certè autem Ioannem hunc, ex ipſius Epitaphio (quod Paulus etiam Iouius in Vitis duodecim Vicecomitum, Mediolani Principum, recitauit) apertè conſtat obiiſſe Anno Chriſti 1354. die quinta Octobris. Quamobrem paulò amplius, quàm duodecim Annos Archiepiſcopus Mediolani ſedit. Sed hinc ad Euchariſticam illam reuertamur Proceſsionem.

XVIII. Cur autem non ipſe ſolus Ioannes Epiſcopus Nouarienſis, ſed etiam duo alii Epiſcopi, operam & laborem partiti, per vices & per interualla

itineris, Sacratiſsimum geſtauerint Euchariſtiæ Sacramentum: id ego non tam itineris prolixitati (quæ verè magna eſt) quàm deferentium Epiſcoporum honori, vel etiam neceſsitati, adſcripſerim. Fortè ſiquidem hierotheca illa, ſiue illud Euchariſtiæ geſtamen, quo tunc vtebantur, ingentis erat magnitudinis & ponderis: quale profectò nunc etiam eſt vetus illud, quod in Altari maximo Baſilicæ Metropolitanæ interdùm exponitur: quodquè nihilominùs, vt audio, Sanctus Carolus, itemquè Gaſpar Vicecomes, necnon etiam Federicus Borromæus eo tempore, quo viribus erat robuſtioribus, ingenti cum labore per vniuerſam Proceſsionis eiuſdem viam (quæ in præſentem vſque diem vſitatur) detulerunt. A

XIX. Numquid verò tunc etiam Ioannes inſtituit, vt in eiuſmodi Proceſsione Sacramentum ſub vmbella ſerica, per viros honeſtos hinc inde procedentes in altum protentis haſtis ſuſpenſa, ſicut hodie fieri ſolet, deſerretur? Ego quidem incertus hic hæreo inter affirmandi negandiquè conſilium. Certè tamen fore video, vt Hieronymus Boſsius, patria & amore totus Ticinenſis, hoc præcisè neganet, ſi viueret adhuc, atque de hoc interrogaretur. In ſuis enim Epiſcoporum Sanctæ Ticinenſis Eccleſiæ Diptychis, ab Anno 1401. ita ſcriptum reliquit: *Petrus Septimus, Graſſus, Caſtronouenſis, Humiliatus* (hoc eſt ex Ordine Fratrum Humiliatorum, à Pio Papa Quinto poſtea extincto) *ab Anno* 1401. *vſque ad* 1426. *Hic Petrus, omnium primus cæpit Anno* 1404. *Papiæ Sanctiſſimam Corporis Chriſti Euchariſtiam, præmiſſa Monachorum & totius Cleri ritè ordinata ſerie, ſub vmbella per Vrbem circumferre. Id quod poſtea vniuerſi Chriſtiani Orbis Epiſcopi quotannis feſto eiuſdem Corporis Chriſti die factitarunt.* Huic autem opinioni concors videri fortaſsè poſſet vetuſta quædam & lignea tabula, ſatis eleganter picta, & publicè in Templo noſtro Laurentiano expoſita. In ea nempe conſpicitur Templum ipſum, velut in colle ſupereminens, quemadmodùm antiquitùs (vt etiam colligiturè Luitprandi, Cremonenſis demùm Epiſcopi, Libro 3. *De Rebus Imperatorum & Regum*, Cap. 4.) ſe habebat: ex eoquè deſcendens Sacerdos, ac turritam hierothecam Euchariſticam candido tantùm ac raræ texturæ velo coopertam vtraque reuerenter manu geſtans, & ad ægrotum in lecto iacentem deſerens, nec vlla ſupernè vmbella coopertus. Præuios habet binos Clericos cum cereis accenſis, eoſquè veſtibus talaribus (vno rubra, altero nigra) tum etiam ſuperpelliceis valde oblongis indutos: eorumquè præterea vnum manu campanulam tenentem. A tergo autem multi ſubſequuntur viri, ac poſtea mulieres, cum cereis itidem accenſis, bini videlicet ac binæ procedentes. Hæc vtique picta ſunt in ea Tabula: quam ego quidem Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo vetuſtiorem crediderim. Si ergo ex ea Sacramenti delatione ad ægrotos coniecturam licet adaptare ſolemni huic & anniuerſariæ Proceſsioni; certè hæc ipſa quoque videri fortaſſe poteſt olim facta ſine vllo talis vmbellæ miniſterio. Verumenimuerò, dum ſatis incerta mihi videtur B C D

detur eiuſmodi conjecturæ adaptatio, certè nonnulla etiam ſuſpicio mihi A
eſt, ne Boſsius inuentum & inſtitutum eius Epiſcopi eo modo deſcripſerit, vt eam primi auctoris gloriam ipſi accommodaret, vtquè Papienſis Eccleſia non tam ſerò Proceſsionem illam, qualis cæteroqui communiter in vſu iam erat, in vſum ſibi accepiſſe videretur. Quemadmodum ergo Ioannes ille Vicecomes tamdiu ante Petrum illum Papienſem Epiſcopum in Proceſsione à ſemetipſo Mediolani inſtituta ſapienter ſibi præmiſerat Monachorum & totius Cleri ſeriem ritè ordinatam (vti iam è Gualuaneo Flamma didicimus) ſic etiam credi facilè poteſt vmbellæ ſimul illius inſtituiſſe vſum, tanti Sacramenti reuerentiæ ac venerationi, quæ præſertim per eiuſmodi Proceſsionem ſtudioſiſsimè intenditur, vſqueadeò accommodatum & congruentem. Certè factum illius Epiſcopi Petri longè aliter à Donato noſtro Boſsio, & à Ferdinando Vghello deſcribitur. Donatus namque in Chronico ſuo Mediolanenſi, quod B
typis imprimendum Anno 1492. curauit, ſic tradebat in Annum 1404. *Vigeſimo-nono Maii, die Iouis, Corpus Chriſti ſolemniter, vt poſtea factitatum eſt, per Papiam Vrbem circumferri cœptum eſt.* Vghellus autem Tomo Primo Italiæ Sacræ, in Catalogo Papienſium Epiſcoporum, Num. 87. de Petro illo Epiſcopo ſcribens, ita prorsùs inquit: *Hic Corporis Chriſti Proceſsionem inſtituit* (quodquè mihi valde placet inſuper obſeruari) *inquè Cathedrali ad diuinum maius obſequium organa voluit extare.* Quæ quidem organa quando primùm in Eccleſia Mediolanenſi cœperint vſitari, ego me fateor adhuc inuenire non potuiſſe. Nunc ad alia procedamus. C

CAPVT CXVII.

Petri de Natalibus, Equilini Epiſcopi, teſtimonium.

Temporis ſpatiò, quod ab huius Sæculi Anno trigeſimo-ſexto vſque ad ſexageſimum-ſextum effluxit, hunc ego Teſtem interſero; licet eum poſt Annum etiam eiuſdem Sæculi quintum floruiſſe ſic exiſtimem, vt ne ad trigeſimum-ſextum quidem peruenerit, quinetiam fortè ne vndecimum quidem exceſſerit. Eſt autem Petrus ille, origine Venetus, dignitate D
Epiſcopus Equilinus, cuius Catalogus Sanctorum permagni etiam hodie à Viris doctis æſtimatur. Equilium verò (è quo Equilinus vel Equilienſis Epiſcopus) Ciuitas eſt Italicè vocata *Ieſolo*, à nobiliſsima Venetiarum Vrbe octodecim millibus paſſuum diſtans, & Aquileienſi Patriarchatui ſubiecta; vt Philippus etiam Ferrarius in Lexico Geographico, & Claudius Robertus in Secunda Parte Appendicis ad Galliam Chriſtianam de Patriarchis agens Aquileienſibus, meminerunt.

II. Ipſemet autem Petrus in Catalogi ſui Prologo, poſtquàm multos enumeraſſet Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores, qui Sanctorum Vitas poſteritati conſcriptas reliquerunt, ſic etiam proſequebatur: *Demùm Frater Iacobus*

de Voregine , Ordinis Prædicatorum , Venerabilis Archiepiſcopus Ianuenſis , Sanctorum Geſta, quorum ſolemnia ab Eccleſia præcipuè recoluntur , & in Calendariis aſcribuntur , generaliter collegit , & compendio breuiauit . Nouiſſimus omnium Frater Petrus Calo , Venetus , eiuſdem Ordinis , Sanctorum multorum, quorum Vitas Paſsiones & nomina vndecumque ſumere valuit , grandi Volumine & diffuſo Opere dilatauit : quod eius prolixitate , nedum commendare memoriæ , ſed nec intentè quis legere poterit , niſi longæuitate temporis , & aſsiduitate lectionis . Hæc igitur attendens ego Petrus de Venetiis , Equilinus Epiſcopus , inter Sacerdotes minimus & Eccleſiæ Prælatos indignus , Sanctorum exiguitatem , Eccleſiæ notam , ex prænominatis omnibus Codicibus & Voluminibus, necnon ex aliis pluribus diuerſarum Eccleſiarum antiquis Libris & Paſsionariis, quoſcumque inuenire potui , non ſine multis laboribus crebriſquè vigiliis ſtudioſius recollectam &c. præſenti Catalogo curaui retexere , & breuiſsima oratione narrare. De Fratris porrò Iacobi ætate aliquid ego in ſuperioribus iam indicaui, Capite 113. Petrum autem illum Calo floruiſſe circiter Annum Domini 1305. teſtis eſt Seraphinus Razzius in Italica Virorum Dominicani & Prædicatorii Ordinis illuſtrium Hiſtoria , illos enumerans , qui conſcriberedis claruerint Hiſtoriis . Hinc igitur Petrus etiam ipſe de Natalibus non multò poſt quàm Petrus ille Calo ſcripſiſſet, mihi videtur floruiſſe . Sin autem ipſummet eius Catalogum conſulamus ; equidem inde non aliud indicium expiſcari certius eo potui , quod Libro 5. Capite 47. continetur. Auctor quippe ibi ſcribens de Feſto Corporis Ieſu Chriſti , ſic incœpit : *Feſtiuitas Corporis Ieſu Chriſti ab Vrbano Papa Quarto* NVPER *instituta eſt , videlicet Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio , Anno Pontificatus eius primo* : nec aliud quidquam deinceps commemorauit ab vllo alio Pontifice Romano factum pro hac Feſtiuitate ; pro qua tamen quid in primis Papa Clemens Quintus poſtea egerit Anno Milleſimo trecenteſimo vndecimo , id iam vidimus Capitis ſuperioris Numero 2. Ego igitur ſic exiſtimo, vt eam Feſtiuitatem Auctor idcircò dixerit NVPER inſtitutam; quia fuiſſet eo inſtituta tempore, quo ipſemet viuebat , vel etiam ſcribebat . Quocirca ſicuti Capite 97. Num. 2. Beroldi ætatem coniectare cogebar è particula NVPER ; ſic etiam nunc Petri de Natalibus, Non enim (vt dicebam) certius adhuc indicium expiſcari potui ; quamuis admodùm ſolicitus per Litteras quoque ad Amicos perquiſierim; cùm alioqui non Conradus Geſnerus in ſua Bibliotheca, non Antonius Poſſeuinus in Apparatu Sacro , tempus ei vllum aſsignarint ; Bellarminus verò eum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ne connumerauerit quidem. Quocirca maior inde me cupiditas inceſſebat inueſtigandi , quonam præcisè tempore ſuum illum Epiſcopatum adminiſtrauerit.

A B C D

III. Ex his autem interim aliquatenus conſtat , quid ego Gerardo Ioanni Voſsio , tam de Petro illo Calo quàm de Petro iſto Epiſcopo Equilino ſcribenti , conſentire poſsim , vel diſſentire . Ille ſiquidem in Secunda ſuorum *De Hiſtoricis Latinis* Librorum editione , Lugduni Batauorum

Anno

Anno 1651. elaborata, ſic in primis docebat Libro 2. pag. 499. *Petrus Calo, Clugienſis, Venetus, Ordinis Prædicatorum, circa Annum* 1300. *fusè Sanctorum Vitas perſcripſit. Laudat eum Leander Albertus Libro 4. de Viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum: & VVicelius in Præfatione ſui Hagiologij. Idem Leander Opus ſuum de Italia claudit his verbis: Petrus Calatius, Ordinis Prædicatorum Monachus, admodùm exactè ingentia duo Volumina de Vitis Diuorum ſcripſit, quæ in Bibliotheca Dominicana Bononiæ ſeruantur.* Hæc ibi Voſsius: atque de his ego nihil planè ab ipſo diſſentio; ſed de ijs quidem quæ ille Libro 3. pag. 600. in hæc verba: *Petrus de Natalibus, Epiſcopus Equilinus, circa Annum* 1470. *quaſdam Sanctorum Hiſtorias edidit: in quibus breuitatis atque item veritatis ſtudioſior ac omninò diligentior eſt, quàm Iacobus de Voragine; vt etiam indicat VVicelius in Hagiologii ſui Præfatione. Interim Petrum hunc quoque in aliquibus cum iudicio legi debere, meritò cenſet Vaſæus in Chronic. Hiſpaniæ Cap.* 5. *Argentinæ eum excudit Martinus Flach Anno* 1602. Eumdem igitur hunc Petrum ego Voſsio non aſſentior floruiſſe circa Annum 1470. Quocirca ne in eius quidem Catalogo Sanctum aliquem inuenies, qui poſt Annum Chriſti Millesimum trecenteſimum vixerit, vel inter Sanctos relatus ſit. A B

IV. Caueat ergo prudens Lector, ne Petro huic Epiſcopo tribuat aliquid, quod eius Catalogo poſtmodùm ab alio Auctore ſuperadditum fuerit. Eiuſdem profectò Catalogi exemplar in Ambroſiana ego legi Bibliotheca, typis impreſſum *Argentinæ per honeſtum virum Martinum Flach Anno Domini* 1513. (fortè autem hæc editio eſt eadem cum illa, quam Voſsius indicabat, ſed per errorem Anno 1602. adſcribebat) poſt cuius Catalogi (quemadmodùm ab ipſomet Auctore compoſitus fuerat) finem, atque adeò poſt ipſam eius Tabulam, Libro duodecimo comprehenſam, ſic additur: *Poſtquàm ad Libri calcem, Deo annuente peruenimus; nobis viſum eſt fore haud inutile, quorumdam Sanctorum geſta ſubnectere, quæ ex eorum Hiſtoriis, quàm compendiosè potuimus, Auctorem huius* (Catalogi nimirùm) *imitati, decerpſimus, ordinem temporis tantùmmodò ſeruantes; vt Opus vberius habeatur, & vt cœptis noſtris aliorum animos ad ampliorem fœcunditatem excitemus.* Ita quippe Auctor etiam ipſe optauerat ad extremum Prologi, Libro duodecimo præmiſsi. Similiter autem prorsùs ſe habet alterum etiam exemplar, Anno poſtea 1543. impreſſum Lugduni, mihique ab humaniſsimo pariter ac eruditiſsimo Franciſco Bernardino Ferrario, eiuſdem Bibliothecæ Præfecto, ſuppeditatum. In vtraque igitur ea editione ſeparatim ſubſequuntur ſuperadditæ illæ Sanctorum Vitæ, ac nominatim Sanctorum Vincentii Ferrerii Confeſſoris, Catherinæ Senenſis, Bernardini Confeſſoris, Bonauenturæ Epiſcopi & Cardinalis, ac Nicolai Tolentinatis, in quorum Vitis memorantur Anni etiam poſteriores Anno Milleſimo trecenteſimo, & ad Annos etiam 1418. 1455. 1461. 1472. peruenitur. Itaque ne ambæ quidem editiones illæ periculum præbent errandi, ac Petro ipſi Epiſcopo adſcribendi, quod re vera ipſius non eſt. Atqui non ita ſe habet alia eiuſdem C D

Catalogi

Catalogi editio, Anno 1516. elaborata, cuius exemplar eſt meum, & A
quo mea in domo vtor. In hoc enim poſt Libri duodecimi Prologum
ſic habetur: *Catalogus Sanctorum, nuperrimè per Venerabilem Patrem, Fra-
trem Albertum Caſtellanum, Ordinis Prædicatorum, diligentiſsimè recognitus,
& ab infinitis penè mendis & deſectibus purgatus & emendatus, cum addi-
tione multarum Legendarum Sanctorum, quæ prioribus impreſſuris deerant, per
Nicolaum de Franckſordia ſolertiſsimè impreſſum, explicit. Calendis Decembris,
Anno Domini 1516. Sereniſsimo Principe Domino Leonardo Lauredano, Vene-
tiarum Duce exiſtente.* Sed ex profectò Legendæ ab ipſo ex anteriori
etiam editione ſuperadditæ, non ſeparatim diſpoſitæ ſunt, ſed vniuerſo
paſsim Operi commixtæ ſuiſquè diebus aſsignatæ ſunt ita, vt primo ſta-
tim aſpectu verus earum Collector digooſci non poſsit, exquè pariter B
ac reliquæ Petro auctori adiudicari poſsint. Pro iis ergo diſcernendis
attendere præſertim opus eſt ad ſeriem Annorum, ad quos protendun-
tur: & hac quidem regula nonnullas item ſoli Alberto illi Caſtellano
adiudicabimus. Quo ex genere prima ineſt Libro 3. Cap. 35. de Tranſ-
latione Sancti Thomæ Aquinatis, facta demum Anno 1368. die 28. Ia-
nuarii: ſecunda ineſt Libro 4. Cap. 139. de Translatione Sancti Petri
Martyris, qua ſecundò translatus ille narratur Aono 1340. ibiquè deſ-
cribitur etiam, quænam capitis eius forma perſeueraret vſque ad An-
num 1515. tertia ineſt Libro 6. Cap. 99. de Translatione brachii San-
cti Thomæ Aquinatis, facta pariter Anno illo 1368. die 13. Iulii. Et
hæ quidem nobis exempli gratia in præſenti ſufficiant. Nunc ad pro- C
prium Diſſertationis huius inſtitutum progrediamur.

V. Quale ſit ergo ipſius Petri de Natalibus teſtimonium de Sanctis Martyri-
bus noſtris, nunc exploremus, & à Nazario & Celſo exordiamur. Eum-
dem ipſe Auctorem ſequutus, quem Iacobus olim de Voragine, Libro
6. Cap 150. eorum cædem iam dixerat ſub Nerone patratam circa An-
num Domini Quinquageſimum ſeptimum: tum etiam ipſorum narra-
uerat ſepulturam; cùm tandem ipſe ſic etiam concluſit: *Proceſſu verò
temporis eadem Corpora Dominus Sancto Ambroſio Epiſcopo reuelauit. Qui,
Celſum in loco ſuo relinquens, Nazarium, quaſi eadem hora ſepultum, integrum
& incorruptum, cum ſanguine recente, cum capillis & barba, reperiens, Cor-
pus ipſum, miro fragrans odore, ad Eccleſiam Apoſtolorum tranſtulit, & ibi- D
dem honorificè collocauit pridie Idus Iunii.*

VI. Sed quid item ille de Sanctis Geruaſio & Protaſio? In primis Libro 4.
Cap. 96. & 97. eorum Genitores, Vitalem ac Valeriam narrat ſub Ne-
rone paſſos eſſe. Idipſum poſtea Libro 5. Cap. 129. de Vrſicino medi-
co, per Vitalem ad martyrium animato, & Cap. 128. affirmat de ipſiſ-
met eorum filiis. *Hi enim poſt martyrium Parentum* (verba ſunt ab eodem
Auctore ſubtexta) *de quibus ſupra actum eſt in Paſsione Vitalis & Vale-
riæ, quarto Calendas Maii, omnem ſuam familiam liberantes, omneſquè ſuas
facultates pauperibus erogantes, Sancto Nazario Martyri dudùm adhæſerunt*
(quando tamen alibi quàm Mediolani hoc fuerit factum, ego adhuc

non

non ſatis intelligo) *qui Oratorium conſtruebat. Dehinc Mediolanum, Vrbem* A
propriam, regreſsi, in vno ſe Cœnaculo concluſerunt, & per decem Annos lectioni & orationi vacantes, Anno vndecimo ad martyrium peruenerunt. Cùm enim Comes Aſtaſius ad bellum tenderet, quod ab Arcomanis (ita namque hic legitur) *fuerat excitatum* &c. Reliquam ergo Epiſcopus hic ſubinde narrat horum Martyrum hiſtoriam ita prorsùs, quemadmodùm in Libello Philippi continetur: ac deinde inquit: *Paſsi ſunt autem circa Annum Domini Quinquageſimum-ſeptimum, decimo-tertio Calendas Iulii.* Et hoc quidem loco duæ ſe nobis res offerunt ad obſeruandum. Prima eſt dies, quo Martyres iſti dicuntur paſsi. Non enim re vera eo die (Iunii nempe vndeuigeſimo) martyrium paſsi ſunt, ſed certè quidem à Sancto deinde Ambroſio inuenti, & in Ambroſianam Baſilicam tranſlati; vt ſuo loco B
iam docuimus. Altera eſt, quàm latè, ſecundùm Scriptoris huius ſententiam, extendatur clauſula illa, *circa Annum Domini Quinquageſimum-ſeptimum.* Etenim Libro item Quarto, Capite 96. Vitam Sancti Vitalis ita demùm concluſerat: *Paſſus eſt autem Sanctus Martyr quarto Calendas Maii, circa Annum Domini Quinquageſimum-ſeptimum.* Et tamen hanc ipſam loquendi formulam hic rursùs accommodat tempori, quo Geruaſius & Protaſius paſsi ſunt; licet hos ſupponat eſſe paſſos vndecimo ſaltem Anno poſt Vitalis martyrium. Proſequitur deinde Petrus, & horum Fratrum inuentionem non aliunde narrat, quàm ex ea Sancti Ambroſii ad Fratres per omnem Italiam conſtitutos Epiſtola, quam nos ſupra recitauimus, & quinquageſimam-tertiam numerauimus. Quamobrem C
hanc ipſam illi videmus viſam eſſe genuinam, & fide dignam, & auctoris re vera Ambroſii. In eo tamen ille fallitur, quod è ſuo denique addit: *Quorum Corpora in Matrice ipſius Ciuitatis Eccleſia requieſcunt.* Citra dubium enim nomine Matricis huius Eccleſiæ intellexit Ambroſianam Baſilicam (& hoc nobis ad inſtitutum noſtrum ſatis eſt) at ea verè non fuit Matrix huius Ciuitatis, hoc eſt Metropolitana; ſed vna tantùm è Matricibus, hoc eſt è Collegiatis, & aliarum inferiorum Eccleſiarum veluti Matribus; quemadmodùm alibi eam ſimul cum decem aliis huius Vrbis Eccleſiis vidimus nuncupatam in Sententia Iordani Archiepiſcopi, Anno Domini 1119. pronunciata.

VII. Certè autem ad indicandum tempus, quo Geruaſius & Protaſius martyrium verè paſsi fuerunt (hoc eſt ſub Nerone) illa etiam pertinent, quæ D
idem Petrus de Natalibus Libro primo, Capite 50. iam narrauerat de Sancto Syro, Sancti Hermogoræ Aquileienſis Epiſcopi diſcipulo, primoquè Papiæ Ciuitatis Epiſcopo: de quo nos quoque tam multa in ſuperioribus diximus, & præſertim Capite 20. De ipſo enim Petrus ibi hæc etiam ſcripſerat: *Poſtquàm Sancti Martyres Geruaſius & Protaſius in Ciuitate Mediolanenſi pro Chriſto paſsi ſunt; quidam Libertus, Chriſtianus, de Reliquiis eorumdem Martyrum Beato Syro amicabiliter detulit. Quas ille deuotè ſuſcipiens, multis in eis virtutibus vſus eſt: deinde extra Vrbem Eccleſiam in honore eorumdem Martyrum fabricauit.* &c. Hæc enim non aliunde

mutuata

mutuata ſunt, quàm ex eiuſdem Sancti Syri Geſtis, quorum teſtimonio nos iam ſupra vtebamur: quibuſquè teſtatiſsimum eſt, Geruaſium & Protaſium non minùs, quàm Nazarium & Celſum, ſub Nerone paſſos eſſe. A

CAPVT CXVIII.

Sanctorum Ambroſij, Protaſij, & Geruaſij Corpora in Ambroſiana Baſilica conquieſcere: Capitularibus eiuſdem Baſilicæ Statutis confirmatur. B

I. DVM Ambroſiani Monaſterii beneficentia & Archiuo ego fruerer pro colligendis eiuſdem Monaſterii ac Baſilicæ Monumentis, quæ typis impreſſa iam extant vſque ad Annum Domini Milleſimum ducenteſimum primum, Volumine Primo comprehenſa; tunc etiam mihi ad manus accidit manuſcriptum exemplar Statutorum, quæ pro nobiliſsimo eiuſdem Baſilicæ Capitulo, ſiue Præpoſito & Canonicis, condita fuerunt Anno Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto; & opportuniſsimè quidem ad præſentis Operis inſtitutum. Secundo enim vel etiam Tertio eorumdem Monumentorum Volumini ego interim materiem ſuam ita reſeruo, vt, ſi qua identidem curioſus decerpo inde, certè nihil ſponte prætermittam eorum, quibus teſtatum videam, Sanctorum Ambroſii ac Protaſii Geruaſiique Corpora in eadem adhuc Baſilica conquieſcere. C

II. In hanc igitur ſententiam ſic habetur in iis Statutis, Capite 9. quod inſcriptum eſt *De honore fiendo Feſtatoribus in feſtiuitatibus Beatorum Ambroſii, Geruaſii, & Protaſii, & Andreæ:* ſic, inquam, ibi habetur: *Licet vniuerſos in Regnis cæleſtibus conſtitutos ſtudiis honorare ſolicitus, & ſonoris efferre præconiis non deſiſtat Eccleſia; ſpeciali tamen prærogatiua conueneris honorare, quorum Corporibus Eccleſia extitit ſpecialiter decorata. Volentes igitur, vt Beatorum Ambroſii Epiſcopi & Confeſſoris & Eccleſiæ eximii Doctoris & Patroni noſtri, & Protaſii, & Geruaſij, quorum Corpora in dicta Eccleſia requieſcunt, & Beati Andreæ Apoſtoli, cuius ſolemnes Reliquiæ in eadem extant recon-* D *ditæ, & in eius feſto Paſtor & Glorioſus Pater noſter Beatus Ambroſius regeneratus extitit fonte Baptiſmatis, feſta magna veneratione celebrentur; ſtatuimus, vt non reſidentes vnà cum reſidentibus (ſi ea, quæ per Præpoſitum & Capitulum ad ſolemnitatem feſtorum ſtatuuntur, ſeruare voluerint) ad diſtributiones illorum dierum pariter admittantur; dummodò dictis ſingulis diebus faciant prandium & cœnam dictis Feſtatoribus in dicta Canonica.*

CAPVT

CAPVT CXIX. A

Teſtimonium Calendarii Ambroſiani, Anno Domini 1381. *conſcripti*.

I. MEmini, me in ſuperioribus aliquando vſum eſſe teſtimonio Calendarii cuiuſdam Ambroſiani, Anno conſcripti Milleſimo trecenteſimo octuageſimo-primo, quod mihi eſt, quodquè collocatum eſt in fine Officii pariter Ambroſiani, incipientis ab Epiſtolis, in Miſſa per totum Annum recitandis. Nunc igitur, tamquàm ſuo tempore ac loco, ſeligam inde aliqua, quæ præſenti opportuna inſtituto ſe offerunt.

II. Eiuſmodi verò ſunt hæc, quæ ſequuntur. Menſis Maii die decimo: *Tranſlatio Sancti Nazarii Martyris*. Quòd ſi vnà cum ipſo translatus etiam fuiſſet Sanctus Celſus; cui dubium eſſe poteſt, quin etiam ille vnà cum ipſo nominatus hic fuiſſet? Sequitur dies Iunii duodecimus: *Sanctorum Baſilidis, Cirini, & Naboris. Iacent ad Sanctum Celſum*. Dehinc vndeuigeſimus: *Translatio Sanctorum Martyrum, Protaſii & Geruaſii. Iacent ad Sanctum Ambroſium*. Vigeſimus-octauus Iulii porrò dies errore non caret, inde, vt opinor, deducto; quòd, ſicut vno eodemquè die celebratur Sanctorum Nazarii & Celſi feſtiuitas, ita etiam locus, in quo primus eorum iacet, improuidè fuit ſecundo quoque adſcriptus. Legitur enim eo die hunc in modum: *Sanctorum Martyrum, Nazarii & Celſii. Iacent in Baſilica Apoſtolorum*. Atqui (vt abundè probatum iam eſt, necnon etiam deinceps probabitur) non illic ambo iacent, ſed vnuſquiſque in ſui nominis Eccleſia. Quòd ſi fortè Sanctus etiam Celſus in Baſilica iacet Apoſtolorum; illuc igitur etiam ipſe translatus fuit. Quidni ergo Translatio etiam ipſius in eodem Calendario memorabatur, vt quotannis æquè ac Nazarii Translatio celebrari poſſet? An fortè Celſus priuatim ac ſine honore translatus illuc fuit; & propterea ne inſtitutum eſt quidem, vt eius Translatio deinceps celebraretur? Quis ſanæ mentis à Sancto Ambroſio noſtro id expectet, quis id credat? Sequitur in eodem ad extremum Calendario ſeptimus Decembris dies: *Ordinatio Sancti Ambroſij, Archiepiſcopi Mediolani. Iacet in Eccleſia ſua*. B C D

CAPVT CXX.

Georgij Stellæ, Chronologi Ianuenſis, teſtimonium.

I. HOrtè fortuna hoc mihi teſtimonium ad manus accidit è manuſcripto Codice, quem nuper audiui compertum in Iacobi Valerii, Canonici Scalenſis, Bibliotheca, quam ipſe moriens (ſicut & cæteras facultates ſuas) Monaſterio Sanctæ Valeriæ legauit. Codex autem ille ſic eſt inſcriptus:

Chronicæ de Ianua, editæ Anno à Verbi Natiuitate Milleſimo quadringenteſi- A
mo-quinto, Prologus & Liber Primus incipit. Nec multò pòſt: *Et quia Com-*
pilantis Opus legentes interdùm appetunt ſcire nomen; paruitatis meæ nomi-
nationem, quiſquè ſim, hoc in loco appono: Georgius Stella, filius quondàm Fa-
cini Stellæ, Cancellarii Communis Ianuæ. Anno igitur Milleſimo quadrin-
genteſimo-quinto hoc ille Chronicum ſcribere incœpit: cùmquè multa
ſummatim ſine ordine temporum per Capita Primum in Librum con-
traxiſſet, quæ ad Vrbem illam iam inde ab initiò vſque ad Annum
Chriſti Milleſimum vndetrecenteſimum pertinerent; ex hoc ipſo Anno
Chronicum deinceps per totidem Capita, quot ſingulos Annos, proſe-
quitur vſque ad Milleſimum quadringenteſimum trigeſimum-quintum.

II. Eiuſdem itaque Libri Primi Capite 4. non procul ab initio ſic inquit: B
Habentur autem ex Geſtis Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi propriè
verba hæc: Nazarius igitur & puer Celſus naui imponuntur: & in medium
pelagus perducti, ibi præcipitantur. Sed ſtatim circa nauem tempeſtas maxima
concitatur, & circa Sanctos tranquillitas magna cernitur. Cumquè illi pericli-
tari timerent: & malorum, quæ in Sanctos commiſerant, pœniteret; ecce Na-
zarius cum puero Celſo, ſuper aquas ambulans, vultu hilari eiſdem apparuit;
ac ſuper nauem conſcendens, ipſis iam credentibus, oratione ſua mare placauit;
ac inde cum eis ad locum per paſſus ferè ſexcentos ad Vrbem Ianuam aduenit.
Ibi cùm diutiùs prædicaſſet; Mediolanum tandem, vbi Sanctos Geruaſium &
Protaſium reliquerat, rediit. Hæc in ipſorum Martyrum Vita leguntur. Eum
locum fuiſſe creditur, vbi Sancti Nazarii de Albarico Baſilica modò eſt. Fue- C
runt quidem hi Venerandi Martyres Nazarius & Celſus Mediolani affecti
martyriis decollatiquè tandem imperante Nerone: cuius mors fuit trigeſimo-ſex-
to Anno à Ieſu Dei noſtri Sacratiſſima Paſſione. Vltimò nempe Anno Neronis
Imperii, vt Hieronymus retulit Libro De Viris Illuſtribus, Apoſtoli Sancti Pe-
trus & Paulus occiſi ſunt: & ſimiliter eodem Anno Nazarius. Elicitur, eo tem-
pore Ianuam ad Fidem Chriſti fuiſſe conuerſam. Quòd ſi ſecùs extitiſſet; non
prædicare permiſiſſent Ianuenſes Nazarium & Celſum; ſed martyriis tradidiſ-
ſent, aut morti; vt eos Mediolanenſes, & Petrum & Paulum tradiderunt
Romani. Hæc ibi Stella. Tum Capite ſequenti: *Etſi legantur hæc in Vita*
Sancti Nazarii: ad locum per paſſus ferè ſexcentos ad Vrbem Genuenſem de-
uenit; tamen aſſirmandum non eſt, tunc Ianuam fuiſſe Vrbem. Nam fortè Vita D
Sancti Nazarii multò poſt Beatum Valentinum & alios Præſules Ianuenſes
compilata ſeu mutata fuit, aut breuitatis cauſa vel melioris eloquii, ſeu alia
laudabili ratione, vt de Sanctis aliis factum eſt. Vnde Componens Vitæ ipſius
continentiam, forſan Ianuam nominauit Vrbem; non quòd Vrbs eſſet Beati Na-
zarii tempore; ſed quia erat, dum ipſius Acta alma componeret. Sic igitur
Georgius hic Stella iudicabat de Sanctis Martyribus Nazario & Celſo,
dequè ipſorum Vita, qualem ipſe indicabat: quæ ſine dubio illa eſt,
quam nos iam ſupra è Mombritio Codicequè illo Bibliothecæ Ambro-
ſianæ manuſcripto recitauimus.

III. Cæterùm idem Stella poſtremo eiuſdem Libri Primi Capite, de Ianuen-
ſibus

ſibus Epiſcopis & Archiepiſcopis ſingillatim ſcribens, ſic etiam tradebat: *Syrus, vltimus Epiſcopus, & Archiepiſcopus primus, cœpit in Epiſcopatu Anno præmiſſæ Natiuitatis* (Dominicæ) *Milleſimo centeſimo trigeſimo: & fuit electus Archiepiſcopus Milleſimo centeſimo trigeſimo-tertio. Hic Syrus, antequàm eſſet Epiſcopus Ianuæ, Cardinalis fuit. Nec mirum. Sic pluries reperitur factum eſſe. In tanto quidem culmine Cardinales non erant, vt modò videntur. Olim enim quilibet Epiſcopus præferebatur cuilibet Presbytero vel Diacono Cardinali.* Quæ quidem doctrina cum iis congruit, quæ ſuperiori Capite 106. Num. 4. & 5. Onuphrius nos Panuinius edocebat: eàmquè propterea hoc loco recolere voluimus. A

IV. Sed & eiuſdem Libri 1. Capite vltimo iam ante ſic etiam ſcriptum reliquerat: *A Milleſimo ducenteſimo nonageſimo-ſecundo vſque ad Milleſimum nonageſimum-octauum, Iacobus de Varagine* (ſic enim eiuſdem Iacobi patriam ipſe appellabat) *Ordinis Fratrum Prædicatorum:* videlicet, Archiepiſcopus fuit Ianuenſis. Et id quidem attexatur iis, quæ iam diximus Capite XI. Num. 9. & Capite 113. Num. 1. Illud autem curioſitati etiam condonetur, quod idem Stella poſtmodùm Libro 2. ad Annum Chriſti 1099. adiecit in hæc verba: *Defuncto Iacobo de Varagine, noſtræ Vrbis Præſule, qui Anno proximo in Conuentu Fratrum Prædicatorum eius Vrbis fuit ſepulchro reconditus, in Ianuenſem Archiepiſcopum electus eſt Porchetus Spinula, de Ianua, Ordinis Minorum. Cui, dum eſſet apud Summum Pontificem Bonifacium Octauum in die Cinerum, ſuper capita Prælatorum Papa Cinerem imponente, ipſoquè Archiepiſcopo Cinerem volente ſuſcipere, Summus Pontifex ipſe inquit: Memento, quòd Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris. Et cinerem iecit in oculos ipſius Archiepiſcopi, eumquè ab Archiepiſcopatu priuauit. Quod Summus Pontifex egit motus ſuſpicione non vera* &c. B C

V. Nunc ad amiciſsimum illum meum mœſtus reuertor, Iacobum Valerium, Domni Matthæi Valerii, Carthuſiani Monachi celeberrimi, ac de me pariter optimè meriti, fratrem, cuius mentionem initio præſentis Capitis faciebam. Eoſdem verò fratres grati animi ſtudio in meis etiam Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis ſæpè nominaui, ac nominatim Num. 28. 182. 201. 236. 281. 282. 285. 297. 343. nec vnquàm ſatis. Domnus poſtea Matthæus in Carthuſia Papienſi, cùm ſexageſimum-quartum ætatis ageret annum, ad Superos (vt ego ſpero, illumquè mihi propitium inde ſpero) abiit Anno Domini 1645. die 29. Decembris: ſic etiam deinde Iacobus Anno 1651. die 4. Auguſti; ſed cùm ætatis annum ageret ſeptuageſimum-nonum, & in Aedibus Canonicalibus inſignis & Ducalis Eccleſiæ Scalenſis, cuius vtique demùm Canonicus erat. Admirabiles profectò fratres, & alter altero ſuaquè pariter generis claritate digni. Matthæus hiſtorica præſertim adamauit: memoriaquè pollebat tam felici, vt quæ multos ante annos legiſſet, eadem pridie illius diei, quo colloquebamur, legiſſe videretur. Bonis autem litteris ac litteratis hominibus impensè fauit; indequè plurima illi Volumina vel ab Auctoribus vel à Typographis nuncupata fuerunt. Vtinam ille chi- D

ragra tam frequenter non laboraſſet, eaquè non fuiſſet à ſcribendo impeditus! Iacobus enimuerò valetudine fuit ad ſtuporem bona: & hoc etiam nomine illum gratias datori Deo profitentem ipſe ego ſæpè ac ſæpiùs audiui. Graphicè verò & pereleganter ſcribebat: multaquè conſcripſit & iuridica, & hiſtorica. & poetica; ſed eorum editionem, dum cunctabundus de die in diem differt, exequi non potuit, ſupremo breuique correptus morbo. Manuſcriptos omnes Bibliothecæ ſuæ Codices, quos habebat multos, vnà cum ſuis omnibus autographis legare meditabatur Ambroſianæ Baſilicæ; vt ibi ſaltem bono publico deſeruire ſimul & benè cuſtodiri poſſent; ſic enim mihi ſæpè ſignificauit. Atqui, ſicut incertus hærebat, quem ſibi hæredem inſtitueret; ſic etiam Teſtamentum condere non ante deliberauit, quàm ſibi proximum ſentiret interitum. Quoniam verò Sanctam Martyrem Valeriam, Sancti Martyris Vitalis vxorem, religiosè tamquàm Gentis Valeriæ tutelarem colebat; idcircò tunc etiam ipſius Valeriæ Monaſterio (de quo paucula quædam ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis narraui Num. 78.) vbi Sacrum etiam ipſius Corpus quieſcit, & vbi nunc pauperes ad Chriſtum conuerſæ mulieres aluntur è Sancti Cardinalis & Archiepiſcopi noſtri Caroli Borromæi inſtituto, vniuerſam hæreditatem, atque adeò vniuerſim quidquid codicum & ſcriptorum in ſua eſſet Bibliotheca, legauit. Quadraginta circiter librarum Imperialium millia (ſicut ego ab homine fideliſsimo ac benè edocto audiui) ex eiuſmodi hæreditate variis legatariis, à Teſtatore ipſo inſtitutis, ac totidem circiter alia millia Monaſterio tandem ipſi ceſſerunt: quibus quidem pecuniis ſubleuatam diuinitùs videri ſibi eius inopiam, tunc temporis iam extremam, ipſimet eiuſdem Moderatores affirmarunt. Iidem verò, vt arbitror, tam opportunam Sacerdotis eius beneficentiam publico aliquo monimento ad poſteritatis memoriam & documentum teſtabuntur. Hæc ego pauca interim tàm de ipſo, quàm de ipſius fratre, mihi tempus in omne dilectiſsimis, quos perpetua dignos memoria exiſtimo.

VI. Hac autem occaſione, non ſine pari animi mei ſenſu, hoc item loco breuiter commemorabo, quando & vbi Antonius obierit Olgiatus, Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus, ante alios omnes primus: quem pariter in meis Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 297. & 472. collaudabam. Lugani verò, ſua in patria, & Heluetiorum ditione (ad quam quietis iam tandem otiiquè cupidus ſeceſſerat) obiit Anno Domini 1648. die 3. Octobris, cùm quartum & octuageſimum ætatis ageret annum: ibiquè in Collegiata Sancti Laurentii Eccleſia quieſcit vnà cum cæteris eius Eccleſiæ Sacerdotibus.

CAPVT.

CAPVT CXXI. A

Ad eam pilam, quæ iuſſu Sancti Ambroſii conſtructa & Deiparæ Virginis imagine picta fuerat in horto ſuburbano, aliàs Sanctorum Nazarii & Celſi ſepulchreto, quamplura diuinitus miracula fiunt. Quocirca Philippus Maria, Mediolani Dux, Cappellam ibi a fundamentis extruit, & aliquot in ea Cappellanias inſtituit.

I. IN horto illo ſuburbano, in quo ſepulta olim fuerant Sanctorum Nazarii & Celſi Corpora, & à Sancto demum Ambroſio inuenta, binæ iam extabant Eccleſiæ, B
vna Sancti Nazarii IN CAMPO, altera Sancti Celſi nomen ac titulum ſortitæ. De quibus quidem duabus Eccleſiis adhuc tam multa recenſuimus, vt nulla remanere iam poſſit dubitatio. Sed præter illas extabat etiam ſeparatim lapidea quædam pila, modicè in altum erecta, & effigie Virginis Deiparæ, vlnis Filium complectentis, picturata: quam, vetus tradirio perenniter adhuc durabat, opus ac monimentum eſſe, iuſſu Sancti Ambroſii conſtructum, velut in tumulum ex induſtria poſteritati conſignatum ad perpetuam loci memoriam, in quo Sacra illa Corpora olim condita & ſepulta quieuiſſent. Sicut autem Eccleſiæ ambæ, ſic etiam pila ipſa ſtabat in aperto publicoque loco expoſita, quoadusque Monaſterium illic C
Eccleſiæ Sancti Celſi à Landulfo Archiepiſcopo adſtructum eſt. Ex eo enim tempore ſeptis & ambitu ipſius Monaſterii circumdata & incluſa fuit. Eodem igitur ſtatu perſeuerabat etiam ſub Annum Chriſti trigeſimum ſupra Milleſimum quadringenteſimum, quando propriam ſibi & auguſtiſsimam illic Baſilicam Deipara Virgo tacitè per varia miracula popoſcit; ſicut ex euentu poſtea ipſo compertum eſt.

II. Eo tempore Ducatum regebat Mediolanenſem Philippus Maria Vicecomes: de cuius cura & reſtitutione Sacrarum Aedium ſatis in præſenti ſit elogium illud, quod in eius Vita Petrus Candidus Decembrius Capite 37. ipſi adſcripſit his etiam in vniuerſum verbis: *Aedes Sacras pluribus in locis, aut diſiectas reſtituit, aut ex integro ædificauit.* Cùm igitur ad eam D
Deiparæ imaginem Deus quamplurima miracula breui tempore iam patraſſet: cumquè propterea illuc religionis ergo ingens conflueret Chriſtifidelium multitudo; tum verò pius Princeps ad eam pilam ædificauit Altare, ac præterea Cappellam, hoc eſt paruam Eccleſiam (quæ protinus *Sanctæ Mariæ apud Eccleſiam Sancti Celſi* nuncupata fuit) vt ibi Miſſarum Solemnia celebrari poſſent. Itaque tunc etiam ibidem Cappellaniam vnam pro quotidiana vnius Miſſæ celebratione ritè ac legitimè (reſeruato ſibi ſuiſquè ſucceſſoribus iure patronatus) inſtituit, Anno nimirùm 1430. die 25. Februarii: cumquè maior in dies illic eſſet Fidelium concurſus, & pietas, & oblationum largitio; quatuor item alias

ibidem

ibidem Cappellanias inſtituit; eaſquè partim Anno 1435. die 10. De- A
cembris, partim Anno 1439. die 18. Septembris. Hæc autem omnia
luculenter infra conſtabunt, Capite 160. Num.2. quando Pontificium
Gregorii Decimi-quarti Diploma, conditum Anno 1591. ad verbum
recitabimus.

CAPVT CXXII.

Ambroſiani Sanctorum Lectionarii, manuſcripti, teſtimonium.

I. Ingenioſiſſimo & admirabili Typographiæ inuento Europa
iam tandem fruebatur ex Anno Domini circiter quadra- B
geſimo aut certè quinquageſimo ſupra Milleſimum qua-
dringenteſimum; ſicut ego in ſuperioribus innuebam
Capite 64. Num. 15. Manuſcriptus autem ille Codex,
cuius teſtimonio nunc mihi vtendum eſt, longè quidem
maiorem præfert characteris antiquitatem; ſed mihi ſatis in præſenti
erit eum credidiſſe conſcriptum ſaltem priùs, quam typographici nobis
libri ad manus eſſent. Quocirca etiam ego illius teſtimonium in hæc
tempora conijcio. Eſt autem ille ipſe, quem alibi iam Septalianum ap-
pellaui, videlicet humaniſſimè mihi commodatum à nobiliſſimo illo
Ciue, ac Baſilicæ Metropolitanæ nuper Archipresbytero, nunc autem
Dertonenſis Eccleſiæ Epiſcopo. Sic etiam ille continet Matutinas San- C
ctorum Lectiones, ex eorum hiſtoriis depromptas, & quidem ternas in
ſingulos eorum dies, quæ olim Eccleſiæ Ambroſianæ in vſu erant, & in
Collegiatis ſaltem Baſilicis. Quemadmodùm verò è menſe Aprili eæ
diſpoſitæ ſunt ſecundùm temporis ordinem, quo celebrari ſolerent Offi-
cia Sanctorum; ſic etiam ego, eumdem ſequutus ordinem, hic proſe-
ram, quæ præſentis inſtituto Diſſertationis opportunè deſeruiunt.

II. Menſe igitur Maio nobis obuia in primis eſt Sancti Nazarii Translatio,
de qua ibi prima Lectio ſic incipit: *In Baſilica Apoſtolorum, quæ in Porta
Romana à Sancto Ambroſio facta, fuit translatum Corpus Sancti Nazarii Mar-
tyris, & ibidem poſitum. Erat enim* AD TRES MOROS *in horto recon-
ditus* &c. Tres igitur eiuſmodi Lectiones in eo totæ ſunt, vt ea tantum D
recenſeant, quæ ad ſolum Nazarii Corpus (quippe ſolum illuc transla-
tum) pertinebant. De Celſi Corpore ne minimum quidem verbum
hic reperies.

III. Sequitur menſis Iunius, eiuſquè dies vndeuigeſima Officio Sanctorum
Protaſii ac Geruaſii celebris. Eorum igitur prima pariter Lectio ab
his incipit verbis: *Mediolani Paſsio Sanctorum Martyrum Geruaſii &
Protaſii. Ambroſius ſeruus Chriſti Fratribus per omnem Italiam in Domino
æternam ſalutem &c. Aperiamus ergo veſtros animos, qui piè de Domino ſenti-
tis & creditis, de inuentione Corporum Sanctorum Martyrum, Geruaſii &
Protaſii, fratrum, ad lætitiam inuitemus. Qui cùm per decem annos in vno*

cœnaculo

cænaculo concluſi lectionibus & orationibus atque ieiuniis vacaſſent; vndecimo A
ad palmam martyrii peruenerunt, tenti ab Aſtaſio Comite &c. Itaque tam reliquum Lectionis huius, quàm cæteræ item binæ, per omnia deſumptæ ſunt ex ea Sancti Ambroſii Epiſtola quinquageſima tertia, quam omnibus per Italiam Epiſcopis conſcripſit; quippe quæ Mediolanenſi Eccleſiæ verè genuina & legitima videbatur.

IV. Ecce verò nobis quale item fuerit initium primæ Lectionis de Sanctis Nazario & Celſo, vigeſima octaua Iulii die celebrari ſolitis: *Natiuitas* (inquit) *Sancti Nazarii & Celſi pueri. Nazarius in Baſilica Apoſtolorum, Celſus* AD MOROS, *requieſcunt. Beatus igitur Nazarius Romæ exortus* &c. Reliqua porrò ſequuntur ex eorum Vita, quam Mombritius etiam recitauit. Quamobrem hic etiam mentio fit, quemadmodùm Nazarius, B
Mediolanum profectus, Sanctos Protaſium ac Geruaſium in carcere conſtitutos repererit, & in Fide Chriſtiana confirmarit. Denique verò ſic etiam concluditur: *Quorum* (Nazarii & Celſi decollatorum) *Corpora Chriſtiani ſepelierunt occultè in propriis hortis: quos Beatus Ambroſius, Domino reuelante, reperiit, & ad Apoſtolorum Baſilicam Beatum Nazarium tranſtulit.*

V. Cæterùm in Ordinatione Sancti Ambroſii (quæ in ſeptimum cadit Decembris diem) ſiue in tertia eius Lectione, ſic item habemus: *Poſt aliquantum tempus Beati Martyris Nazarii Corpus à loco,* QVI TRES MOROS *dicitur, in Baſilicam Apoſtolorum tranſtulit.*

VI. Sed quid item de Sancto Syro? *Papiæ* (legimus) *Depoſitio Sancti Syri, Confeſſoris & Epiſcopi: qui videlicet à Beato Hermagora, Marci Euangeliſtæ* C
diſcipulo, Epiſcopus ordinatus, cum Inuentio ab Aquilegia Papiam directus eſt, primuſque ibi nomen Chriſti prædicauit &c. Deinde verò in ſecunda Lectione: *Poſt hæc peruenit Papiam. Cuius viſis miraculis, ferè omnis Ciuitas baptizata eſt. Eo tempore, perſequente Nerone, Sancti Martyres Nazarius & Celſus ab Anolino Comite Mediolani trucidati ſunt: & Sancti Martyres Protaſius & Geruaſius in carcere tenebantur. Poſt quos trucidatos, quidam ad petitionem Sancti Diaconi Inuentii particulam ex indumentis Sanctorum Martyrum Syro Epiſcopo ſumma cum reuerentia Papiam obtulit. Quibus Sanctorum Martyrum pignoribus multis ſignis comprobatis, in eorum honore extra Ciuitatem vnam Eccleſiam, & primam in eadem Vrbe, conſtruxit in modum Crucis, & conſummatam conſecrauit.* Sequitur tertia & poſtrema Lectio, D
eademquè pariter ſummatim collecta ex ipſius Sancti Syri Vita, ſuperiùs à nobis in teſtimonium producta: & his clauditur verbis: *Poſtmodùm Papiam regreſſus, conuocatis tam de Clero quàm de Populo vniuerſis, Sacra Ordinatione peracta, quieuit in pace Confeſſor. Sepultus in Eccleſia Sanctorum Geruaſii & Protaſii, quam in honore eorum ipſe conſtruxerat.* Talibus igitur ex hoc Codice teſtimoniis Diſſertatio hæc noſtra confirmatur.

CAPVT

CAPVT CXXIII. A

Sancti Antonini, Florentinorum Archiepiſcopi, teſtimonium.

I. SED ne teſtimonium quidem illi deeſt Sancti Antonini, ex Ordine item Prædicatorum Archiepiſcopi Florentini, per hæc tempora florentiſsimi. Ad Superos enim tantùm abiit Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo-nono, ætatis ſuæ ſeptuageſimo; vt affirmat Bellarminus in Libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis, & alii.

II. Hic igitur Prima Chronicorum ſuorum Parte, Titulo 6. Cap. 27. Sanctorum Nazarii & Celſi Vitam ex eo mutuatus Auctore Latino, quem B poſtea ſequutus eſt etiam Mombritius (quippe Mombritius poſt Antonini ætatem Vitas Sanctorum collegit, vt alibi iam diximus) ſic etiam inter alia narrabat: *Decimo autem Anno egreſsionis ſuæ ab Vrbe* (Roma) *Placentiam, & inde Mediolanum adueniens* (Nazarius) *Sanctos Geruaſium & Protaſium ibi in carcere detineri reperit. Audito autem, quòd per Nazarium ad conſtantiam Fidei animarentur; citò vinctus ad Præfectum trahitur; & in confeſsione nominis Chriſti perſeuerans, fuſtibus verberatus extra Ciuitatem eiicitur.* Denique verò poſt eorumdem Nazarii & Celſi martyrium ac ſepulturam hæc addebat: *Poſt multum temporis Deus horum Corpora Sancto Ambroſio reuelauit. Qui, Celſum in ſuo loco relinquens, Nazarium, quaſi eadem hora ſepultum, mira odoris fragrantia, integrum & incorruptum,* C *cum capillis & barba, reperiens, ipſum ad Eccleſiam Apoſtolorum tranſtulit, & honorificè ſepeliuit. Paſsi ſunt autem circa Annum Domini Quinquageſimum-ſeptimum.*

III. En igitur, vt ex hoc etiam Chronologo dignoſcimus, quemadmodùm Sanctus Ambroſius ad Apoſtolorum Baſilicam vnà cum Sancti Nazarij Corpore non tranſtulerit Sancti Celſi Corpus; ſed hoc in ſuo loco, in quo ad eam diem iacuerat, reliquerit.. En itidem, vt nulla ſit habenda ratio illius additamenti, quòd è Iacobi Voraginenſis textu abolendum penitùs, vel ſaltem corrigendum, contendebam Capite 113. Numero 2.

CAPVT CXXIV. D

Carolus Foroliuienſis, è Celſiani Monaſterii Abbate Archiepiſcopus Mediolanenſis, in eiuſdem Sancti Celſi Baſilica ſepelitur.

I. DE hoc noſtro Archiepiſcopo pauca admodùm apud Scriptores ego noſtros inueni: nec alibi de ipſo ſcriptum luculentiùs, quàm in Catalogo manuſcripto, quem humaniſsimè mihi commodatum profitebar Capite 78. Num. 3. à litteratiſsimo Marchione, Vercellino Maria Vicecomite.

II. In eo autem ſic habetur: *Carolus Foroliuienſis, Centeſimus vndecimus, creatus Anno*

Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo-ſeptimo. Venit cum Conſanoneriis comitatus, & in Sedem collocatus. Aureos quinquaginta pro equo & baldachino prædictis Conſanoneriis tradidit. Sedit Annis quatuor. Iacet in templo Diui Celſi, vbi ante Abbas fuerat. Certè autem Abbas illic fuerat ex Anno ſaltem ſupra Milleſimum quadringenteſimum quinquageſimo-primo. Ligneis enim valuis portæ primariæ, qua patet in eam Eccleſiam ingreſſus, inciſa legitur adhuc hæc inſcriptio: *Carolus Abbas fecit fieri MCCCCLI.* A

III. Auctor Catalogi, *Succeſſores Sancti Barnabæ* inſcripti, eumdem Numero. 114. nominat, non modò Abbatem, ſed etiam Monachum Sancti Celſi: quod indicio eſſe poſſet, eum non fuiſſe Abbatem Commendatarium; quamquàm ne certa quidem regula hæc eſt. Pontificias enim ego vidi Bullas, in quibus Monachi nomen adſcriptum erat Clerico Sæculari, cui Ciſtertienſis Monaſterii Abbatia commendabatur. B

IV. Peropportunè autem percommodequè hanc mihi ambiguitatem diſcuſſit idem Marchio Vercellinus Maria, inter publicas etiam Belli Paciſquè curas legendo & ſcribendo numquàm defeſſus. Bina enim Documenta publica mihi ſuppeditauit, è quibus optata rei veritas apertè dignoſcitur. Primum autem recentiori charactere ſcriptum in fronte præfert: *Iacobi de Lomeno*. Deinde verò ſic incipit: *Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo-ſeptimo, Indictione ſexta, die Mercurii, decimo-ſexto menſis Nouembris, in Domibus Monaſterii Sancti Celſi Mediolani, Ordinis Sancti Benedicti, Portæ Romanæ, foris Muros Ciuitatis Mediolani, conuocato & congregato Capitulo & Conuentu Dominorum Abbatis & Monachorum ipſius Monaſterii Sancti Celſi, de mandato & impoſitione Reueren. in Chriſto Patris Domini Caroli de Forliuio, Dei gratia ipſius Abbatis Monaſterii, in quo quidem Capitulo & Conuentu aderant fuerunt & ſunt præfatus Dominus Carolus Abbas, vt ſupra, & cum eo & penès eum Religioſi & Honeſti Viri Domini, Don Manfredus de Opreno Prior ipſius Monaſterii, Don Chriſtofforus de Cagnolis, & Don Nazarius de Sancto Protaſio, omnes Monachi & Profeſſi ipſius Monaſterii, facientes & repræſentantes totum & integrum Capitulum & Conuentum ipſius Monaſterii, prout ibidem præfati Domini Abbas & Monachi dixerunt* &c. Confitentur autem, ſe à quodam Alexandro de Bonipertis accepiſſe plenam & integram ſatisfactionem pro ficto quodam libellario, ibidem diligenter & accuratè indicato. Atque hoc Confeſſionis Documentum denique aſſeritur *Actum in Aedibus ipſius Monaſterii* &c. Tunc itaque Carolus hic Foroliuienſis re vera erat Celſiani huius Monaſterii Abbas; neque tamen adhuc erat Commendatarius, ac ne Mediolanenſis quidem Archiepiſcopus. Sequitur alterum, quod ego mox innuebam, Documentum, & in fronte quidem ſic inſcriptum: *Abbreuiatura mei Notarii Martini de Medda, filii quondàm Domini Petri, Ciuitatis Mediolani, Portæ Vercellinæ, Parochiæ Sanctæ Valeriæ, Notarii publici.* Subinde verò textus ipſe ſic incipit: *In nomine Domini. Anno à Natiuitate eiuſdem Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo-nono, Indictione ſeptima* C D

Gggg (ſuperioris

(ſuperioris nempe Anni menſe Septembri inchoata) *die Sabbati, vi-* A
geſimo-octauo menſis Aprilis. Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus,
Dominus Carolus de Forliuio, diuina prouidentia Archiepiſcopus Mediola-
nenſis, habitans in Monaſterio Sancti Celſi, Portæ Romanæ foris Medio-
lani, ratione & nomine dicti ſui Archiepiſcopatus, & nomine ſuæ Menſæ
Archiepiſcopalis, & pro eius Menſæ & Eccleſiæ vtilitate, voluntariè ſponte &
ex certa ſcientia, & omnibus modo ſine via & forma, quibus melius potuit
& poteſt, inueſtiuit nomine locationis & ficti, ad benefaciendum & melioran-
dum, & non peiorandum, Philippinum de Burris, filium quondàm Domini Pe-
tri, habitantem in Burgo Corbettæ, Capitis Plebis, Ducatus Mediolani, ibi
præſentem &c. Denique verò: *Actum in Eccleſia Sancti Celſi extra Muros*
Mediolani, præſentibus &c. Quamobrem Carolus hic Archiepiſcopus in B
Celſiano quoque Monaſterio habitabat.

V. Cæterùm tam eius Catalogi, typis impreſſi, Auctor, quàm Galeſinius in
ſua noſtrorum Archiepiſcoporum Tabula, Num. 115. expreſsè addunt,
Carolum hunc à Calliſto Papa Tertio creatum eſſe Archiepiſcopum.
Nec plura.

CAPVT CXXV.

Calendarii Ambroſiani, per hæc tempora manuſcripti, teſtimonium.

I. CAlendarium hoc abſque dubio conſcriptum fuit vnà cum C
Miſſali Ambroſiano, cuius in fine collocatum fuit, & cui
characteris forma penitùs eſt ſimile. Sicut ergo Miſſale
Ambroſianum beneficio typographiæ primam in lucem
prodiit Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſep-
tuageſimo quinto; ſic etiam ego manuſcriptum hoc planè credidi priùs
eo Anno fuiſſe elaboratum. Quia rursùs tam Miſſale quàm Calenda-
rium hoc ſexto Auguſti die in ſe continent mentionem Feſtiuitatis, qua
Dominica Transfiguratio celebranda eſſet; propterea etiam vtrumque
hoc pariter credidi conſcriptum nonniſi poſt Annum eiuſdem Sæculi
quinquageſimum-ſextum, vel quinquageſimum-ſeptimum. Alterutro D
enim ex his Annis à Callixto Papa Tertio inſtitutam fuiſſe Feſtiuitatem
illam, ſatis conſtat ex Henrico Spondano ad Annum illum quinquage-
ſimum-ſextum in Auctario Chronologico ad Cardinalis Baronii Anna-
les, ac prætereà ex Sancto Antonino, Tertia Parte Chronicorum, Ti-
tulo 22. Cap. 14. necnon etiam è noſtrate Donato Boſſio in Chronico
Mediolanenſi ad eumdem illum Annum quinquageſimum-ſextum. Qui
quidem poſtero Anno (& hoc à nobis obiter additum ſit) ſic etiam
narrauit: *Hoc Anno ſalutifera doctrinarum omnium, imprimendorum libro-*
rum Ars, auctore Ioanne Gutember, Germano, reperta eſt. Sic enim Boſſio
viſum eſt, non longè aliter ac illis, quos alibi ego indicabam.

II. Videamus

II. Videamus verò nunc, quid in eiuſmodi Miſſalis Calendario, apud me extante, reperiatur, inſtituto præſenti conſentaneum. Decima-octaua die Aprilis ita quidem habetur: *Depoſitio Sancti Galdini, Archiepiſcopi Mediolani, & Confeſſoris; qui obiit Anno Milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſexto.* Atque hoc ad ea pertinet comprobanda, quæ Capite 106. Num. 7. & ſeqq. diſſeruimus. Sic etiam decima die Maii: *Tranſlatio Sancti Nazarii ab Eccleſia Sancti Celſi* (ab eo videlicet horto, in quo poſtmodùm Eccleſia Sancti Celſi conſtructa fuit) *ad Eccleſiam Sancti Nazarii*: quæ nimirùm appellationem hanc ex eiuſmodi Tranſlatione accepit. Vndevigeſima item Iunii die: *Tranſlatio Sancti Protaſii & Geruaſii ad Sanctum Ambroſium*: ſiue ad Ambroſianam Baſilicam; vt hinc etiam intelligamus, Sanctos illos, non ea die paſſos eſſe martyrium, ſed ad Baſilicam eſſe Ambroſianam translatos. Sed & vigeſima-octaua Iulii die: *Sanctorum Nazarii & Celſi, vbi Corpus requieſcit*: hoc eſt, vbi cuiuſque ipſorum Corpus requieſcit, ſiue in propria cuiuſque ipſorum Eccleſia. Et mox vigeſima nona die: *Proceſſio ad Sanctum Celſum*; ſicut etiam Capite 97. Num. 8. è Beroldi Calendario obſeruabamus. A B

CAPVT CXXVI.

A noſtris Mediolani Ducibus mandatur, vt feſtus ac ſolemnis celebretur dies Sanctorum Protaſii & Geruaſii, Martyrum, ſub primario Baſilicæ Ambroſianæ Altari quieſcentium. C

I. QVemadmodùm hæc Feſtiuitas ab ipſomet Antiſtite noſtro Ambroſio inſtituta fuerit: hoc iam vidimus Capite 45. Num. 1. Quemadmodùm item à Clero Mediolanenſi retenta fuerit deinceps: hoc etiam colligi facilè poteſt è tam multis Officii Ambroſiani Codicibus, quos identidem hactenus in teſtimonium produxi. Populum tamen progreſſu temporis ab eiuſdem Feſtiuitatis cultu grauiter defeciſſe: ne hoc quidem latere poteſt, ſi ſubſequentes Ducum noſtrorum Epiſtolas attendamus; quibus vtique non fuiſſet opus, ſi Feſtiuitas ipſa iugiter apud eumdem Populum perſeueraſſet; quaſquè propterea fortaſsè (ſicut etiam colligi poſſe videtur ex Eminentiſsimi Cardinalis Bellarmini Libro 3. De Cultu Sanctorum, Capite 16. propè finem) ne Apoſtolica quidem Romana Sedes hoc tempore reprobaret; è cuius alioqui Sedis iudicio totus ego pendeo. D

II. Tres autem inuenio fuiſſe huiuſmodi Epiſtolas, & intra paucos Annos exaratas; primam enim Anno 1444. ſecundam 1467. tertiam 1470. Primæ tamen exemplum non inueni; ſed ſecundæ ſolummodò ac tertiæ. Quoniam tamen tertia in eamdem ſententiam conuenit cum ſecunda; idcircò etiam ſecundam credere poſſumus conueniſſe cum prima, cui

præſertim tam ſecunda quàm tertia nixá eſt ; nobiſquè propterea in A
præſenti ſatis erit, ſi ſecundam ſolummodò ad verbum recitemus.

III. In Archiuo Ciuitatis noſtræ, ſiue in Codice Litterarum ab Anno 1462. vſque ad 1472. ea continetur folio 131. & ad verbum ita prorsùs ſe habet: *Blanca-Maria Vicecomes, Duciſſa Mediolani, Cremonæquè Domina: & Galeaz-Maria Sforzia Vicecomes, Dux Mediolani &c. Dilecti noſtri. Decreuit aliàs Illuſtriſſimus numquàm delendæ memoriæ Princeps, Dominus Philippus-Maria, genitor & auus noſter quàm obſeruandiſſimus; quòd dies Beatorum Geruaſii & Protaſii, Martyrum, qui celebratur die decimo-nono Iunii, quorum Corpora ſub Altari Maiore inclytiſſimi Vrbis huius Protectoris & celeberrimi Doctoris Ambroſii reconduntur; quorumuè tam manifeſta & plurima miracula tum aſsiduæ pro nobis & hac noſtra Patria apud Altiſſimum & Om-* B
nipotentem Deum orationes & interceſſiones fiunt, feſtus & celebris fieret, ac ipſe Beatiſſimi Ambroſii dies haberetur; quemadmodùm Celſitudinis ſuæ Litteris, ad vos datis die nono Iunii, Anno vſque 1444. conſtat. Cùm igitur & Nos pari deuotione & veneratione glorioſis Martyribus ipſis afficiamur: cùm & eius ſapientiſſimi & optimi Principis veſtigia libenter imitemur; committimus vobis & volumus, quòd etiam per publica proclamata diem ipſum celebrari & feſtum haberi faciatis; ac ad oblationem, quæ eo die fie ad præfatum Templum & Altare, proficiſcamini, cum Paraticis omnibus, & in quo maiore apparatu & cum quo maiore ornatu & ſolempnitate fieri poſſit; & quemadmodùm eo antelati Sancti Ambroſii feſto fit. Dat. Mediolani die quinto-decimo Iunii, 1467. C

Subſcript. *Antonius.*

A tergo: *Egregio Militi, & Nobilibus & ſapientibus ac prudentibus Viris, Poteſtati noſtro, necnon Vicario & Duodecim Prouiſionum, Syndiciſquè Communis Inclytæ huius Vrbis noſtræ Mediolani; Dilectis noſtris.*

IV. Sic igitur ea Epiſtola Ducalis ſeſe habet: eiuſdemquè argumenti ac penè verborum eſt tertia item illa, quam ſupra indicabam. Ea verò etiam ipſa continetur in prædicti Litterarum Codicis folio 196. atque ſic incipit: *Galeaz-Maria Sfortia Vicecomes, Dux Mediolani &c. Dilecti noſtri* &c. *Dat. Papiæ die 14. Iunii*, 1470. Sic etiam ſubſcripta eſt: *Ioannes Vicecomes*. Ac denique à tergo: *Egregio, & Nobilibus ſapientibuſquè ac prudentibus Viris, Poteſtati noſtro, necnon Vicario & Duodecim Prouiſionum,* D
ac Syndicis huius Vrbis noſtræ Mediolani.

V. Ecce verò luculentiſsimè nobis hic etiam teſtatum, quemadmodùm Sanctorum Protaſii & Geruaſii Martyrum Corpora, non Briſaci, ſed in hac Baſilica Ambroſiana, quinetiam præcisè ſub eius Altari primario conquieſcerent; vbi ſcilicet ab initio per Sanctum Ambroſium collocata iam fuerant.

CAPVT

CAPVT CXXVII. A

Teſtimonium alterius Codicis , Anno 1481. *manuſcripti.*

I. HIC etiam Codex, quem innuo , meus eſt ; ſed ſuperior in charta pergamena ; hic autem in communi ; & huius eſt argumenti : *De Indulgentiis , quæ conceſſæ ſunt noſtræ Vrbis Eccleſiis ; dequè Corporibus Sanctorum , in ea eiuſquè Diœceſi quieſcentibus* . Conſcriptus verò etiam fuit Anno 1481. ſicut ad finem legitur, folio 27. pagina 2.

II. Cùm ergo à Baſilicæ Nazarianæ Indulgentiis cœpta eſſet narratio ; ſic etiam legimus ibidem, fol. 2. pag. 2. *Anno Domini* 392. (è dictis Capite 37. Num. 15. iam patet legendum potiùs eſſe *Anno Domini* 382.) *dicta Eccleſia ædificata fuit per Sanctum Ambroſium in honore Apoſtolorum: & in dicta Eccleſia iacent infraſcripta Corpora Sanctorum & Confeſſorum : videlicet Sancti Veneri, Maroli, Clicerii, Lazari, Oldrici, Matrognani, Arefredi, Angelberti, Anſelmi, & Henrici* (Henricus autem hic mihi videtur idem cum Arderico illo, de quo iam ſupra Capite 84. ſicut etiam illic admonebam Numero 9.) *Lini Pontificis & Martyris , & Sancti Nazarii : & ibi recondita ſunt Reliquiæ Duodecim Apoſtolorum per Sanctum Ambroſium , & præcipuè brachium vnum Sancti Petri.* Viden , vt inter hæc Sanctorum Corpora nuſquàm nominetur Celſi Corpus , ſed eius tantùm Commartyris Nazarii ? B

III. Accipe verò rem planè ſingularem in eadem Baſilica , & memoratu digniſsimam. Folio mox 3. pagina 1. hæc etiam leguntur : *Nota , quòd hæc Eccleſia Sancti Nazarii ſcribitur habere vnum ſingulare priuilegium. Videlicet, quando Columba ærea in feſtis ſolempnibus & in toto tempore anni ponitur ſuper Altare Sancti Petri Apoſtoli in dicta Eccleſia, quòd tota Indulgentia ſuperiùs ſcripta* (per capita verò multa eam proximè recenſuerat) *duplicatur in ipſa Eccleſia* . Auro autem illita erat Columba hæc ænea : eiuſquè ſpeciem referebat, qua Spiritus Sanctus effingi quandoque ſolet. Nunc verò non exponitur illa quidem publicè ; verumtamen in Baſilicæ Sacrario reuerenter cuſtoditur. C

IV. Eiuſdem porrò folii 3. pagina 2. ſequuntur Indulgentiæ , ad Baſilicam conſequendæ Ambroſianam , & ad alias Eccleſias & Cappellas ei conterminas : atque initium his conceptum eſt verbis : *Reperitur in antiquis Romanorum Sanctorum Pontificum Regiſtris , quòd viſitans Eccleſiam Beatiſsimi Patris Ambroſii , in qua eiuſdem Corpus , necnon Corpora Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii, Sanctæ Marcellinæ Virginis ac ſororis Sancti Ambroſii requieſcunt , & cum eis glorioſa Sanctorum Corpora Caſtii & Apolonii* (legendum eſt *Caſti & Polemii*) *Sanctus Victor & Corona , Candida , Marcus , Robuſtianus , Agricola , Saluator , Sigiſmundus , Griſantus & Daria , Gregorius , Iuſtina , & multa alia Corpora Sanctorum , omnium peccatorum ſuorum* [illegible] *ſi verè confeſſi & contriti conſequantur.* D

V. Dehinc

V. Dehinc folii 4. pagina 2. *Item in Capella Sancti Satyri, fratris Sancti Ambroſii, ſunt Anni octo mille, & totidem Quadragenæ omni die Iouis per totum Anni circulum: & in eadem Capella iacet ſuum Corpus, cum multis aliis Reliquiis.* A

VI. Congruenter autem ad ea, quæ diximus Cap. 56. Num. 17. addamus hic etiam illud, quod folii 16. pagina 1. legitur hunc in modum: *Indulgentia Sancti Carpophori. Quia habitatio fuit Sancti Ambroſii, Satyri, & Marcellinæ; Indulgentia fuit appoſita propter reuerentiam tantorum Virorum.* Solam tamen Marcellinam illic habitaſſe, iam ego credidi; Ambroſium verò & Satyrum ad Eccleſiam Maiorem; ad quam idcircò Ambroſius ſtatim poſt obitum antelucana delatus eſt hora.

VII. Denique verò folio 17. pagina 2. dum ſeparatim enumerantur Corpora Sanctorum, in Ciuitate iacentia, id etiam inde nobis percommodè ſuppetit: *In Sancto Celſo* (nempè iacent) *idem Celſus, Sancti Nabor, Cerina, & Baſilidus, in Mediolano.* Corruptè ſiquidem ibi ſcriptum ita eſt Cyrini & Baſilidis nomen. B

CAPVT CXXVIII.

Deipara Virgo in ſua propè Sanctum Celſum Eccleſia viſibiliter apparet Anno Domini 1485.

I. VBI Deiparæ Virginis effigiem antiquitùs pilæ lapideæ appictam, & miraculis ex Anno circiter 1429. inſignem, atque adſtructa recenter Eccleſia coli cœptam, dicebamus Capite 121. ibidem Deipara ipſa Virgo viuens, & admirabili circumfuſa lumine, ſeſe repentè ſiſtit Anno 1485. multiſquè conſpicuam præbet. Quoniam verò ſuper hac re, vſqueadeò admirabili Teſtes etiam ritè ac legitimè poſtea fuerunt examinati, & ipſorum teſtimonia nobis etiam ſunt in promptu; idcircò ſatius etiam & ad fidem aptius procul dubio erit, ſi eadem per nos hic ad verbum recitentur. C

II. Sic autem illa ſe habent: *Inter Abbreuiaturas Inſtrumentorum, rogatorum per quondàm Guidonem Boſsium, olim Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani Notarium & Cancellarium, exiſtentes in Archiuio Archiepiſcopali Mediolani, reperitur ſcriptum, vt infra. Videlicet.* D

III. *Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo-ſexto, Indictione quarta, die Sabbati, ſeptimo menſis Ianuarii, in Veſperis.*

IV. *Coram Reuerendo in Chriſto Patre, D. Rolando, Dei gratia Epiſcopo Anteradenſi, Reuerendiſsimi D. D. Ioannis Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolani Suffraganeo, ac Venerabili Iuris Vtriuſque Doctore Ioanne Baptiſta de Ferris &c. eiuſdem Vicario Generali: exiſtentibus in Refectorio, ſito in Abbatia ſeu Monaſterio Sancti Celſi extra & propè Muros Mediolani.*

V. *Conſtitutus Magiſter Ioannes de Stramitis, Magiſter à legnamine, filius quondàm Magiſtri Ambroſii, Portæ Ticinenſis, Parochiæ Sancti Georgii in Palatio, Mediolani:*

diolani: qui, delato ſibi iuramento per præfatos Dominos Epiſcopum & Vicarium, dixit, nolle iurare; ſed quòd ſuper onere conſcientiæ ſuæ dixit, quòd dicet veritatem de eis & ſuper eis, de quibus & ſuper quibus interrogabitur, bona fide, ſine fraude &c. Interrogatus per præfatos Reuerendos Dominos Epiſcopum & Vicarium, quid ſcit de miraculo, quod dicitur apparuiſſe his diebus elapſis in Eccleſia Sanctæ Mariæ propè & iuxta Eccleſiam Sancti Celſi, extra & propè Muros Mediolani; reſpondit & dixit ſuper onere conſcientiæ ſuæ, vt ſuprà; Quòd, dum ipſe Teſtis die Veneris, Sancti Eugenii, proximè præterita, eſſet in dicta Eccleſia pro audiendo & audiret Miſſam in dicta Eccleſia, quam ad Altare Sanctæ Mariæ prædictæ celebrabat Dominus Presbyter Ioannes Petrus de Porris (qui vocatus & oſtenſus ipſi Teſti, cognitum eſt per nos Notarium & Cancellarium, eſſe Presbyterum Ioannem Petrum de Porris) poſt Communionem & vltimam Orationem Miſſæ, vidit quamdam mulierem, veſtitam habitu nigro, cum vno velo albo in capite (quam non cognoſcit) quæ erat intùs clauſuram, iuxta quamdam feneſtram ferratam, in qua feneſtra eſt effigies & imago antiqua Beatæ Virginis Mariæ cum Filio in brachio: quæ mulier orabat ad dictam effigiem. Et cùm oraret, ipſe Teſtis vidit faciem Beatæ Virginis Mariæ in forma viuæ imaginis ad modum mediocris mulieris, ſe applicantem ad dictam ferratam. Et ſtatim ipſe Teſtis audiuit aſtantes, clamantes MISERICORDIA *cum lachrymis maximis. Et vidit, quemdam leuare velum, quod erat ante ipſam ferratam, & ponere ſuper ferratam: & ſtatim cecidit dictum velum, & iterùm vidit dictam imaginem Beatæ Virginis Mariæ. Et aſſerit, ipſam figuram manſiſſe per ſpatium, quo diceretur bis* AVE MARIA. *Interrogatus, qui erant præſentes præmiſſis, dixit, quòd plures, circa numerum tercentum, erant præſentes: inter quos erat, & cognouit quemdam Angelinum, Ducalem Prouiſionatum: & de aliis dixit non recordari. Et hoc, quantum ſcit. Super generalibus interrogatus, rectè reſpondit. Eſt ætatis Annorum ſeptuaginta, vel circa.*

A B C

VI. *Die & horâ ſupraſcriptis, Emmanuel de Vpertis de Poſſano, filius quondàm Iacobini, habitans in Porta Noua, in Parochia Sancti Bartholomæi intùs: qui, delato ſibi iuramento per præfatos Dominos Epiſcopum & Vicarium, iurauit ad Sancta Dei Euangelia, ſe dicere & reſpondere puram & meram veritatem. Interrogatus per præfatos Reuerendos Epiſcopum & Vicarium, quid ſcit de miraculo, quod dicitur apparuiſſe, vt ſuprà, in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ; ſuo iuramento teſtificatus reſpondit & dixit, Quòd, dum ipſe Teſtis die Sancti Eugenii, proximè præterita, eſſet in Eccleſia ſupraſcripta Sancta Maria de Sancto Celſo pro audiendo & audiret Miſſam, quam in dicta Eccleſia & ad Altare Sanctæ Mariæ prædictæ celebrabat Presbyter Ioannes Petrus de Porris, quem benè cognoſcebat & cognoſcit, poſt Communionem & dictæ Miſſæ vltimam Orationem vidit ipſe Teſtis quamdam mulierem, exiſtentem extra clauſuram, ſitam propè & ante dictum Altare, clamantem* MISERICORDIA: *& ipſe Teſtis ſtatim, audito dicto clamore, proſpexit versùs dictam ferratam, vbi eſt imago Beatæ Virginis Mariæ, quæ eſt in feneſtra vna, ibi propè antiquiſſima: & vidit effigiem Beatæ Virginis Mariæ in forma viuentis & lucidæ ſemel*

D

cum

cum brachiis apertis, & ſemel cum manibus iunctis: quod durauit per ſpatium A
vnius MISERERE. Interrogatus de tempore, dixit, quòd fuit hora deci-
ma-ſeptima, vel circa. Item, qui erant præſentes, dixit, cognouiſſe quemdam
Donatum, Ducalem Prouiſionatum, & quemdam legnamarium, qui moratur
penès Sanctum Georgium in Palatio, Mediolani. Super generalibus interroga-
tus, rectè reſpondit; ſaluo, quòd eſt Scholaris Scholæ dictæ Eccleſiæ Sanctæ
Mariæ. Et eſt ætatis Annorum quadraginta, vel circa.

VII. Die ſupraſcripto, in Veſperis Ioannes Angelus de Rochis, filius Domini Mat-
thæi, Portæ Romanæ, Parochiæ Sancti Stephani in Brolio, intùs, Mediolani,
conſtitutus, vt ſupra, & qui iurauit, vt ſupra. Interrogatus, quid ſcit de
miraculo, quod dicitur apparuiſſe his diebus elapſis in ſupraſcripta Eccleſia
Sanctæ Mariæ de Sancto Celſo, vt ſupra, ſuo iuramento teſtificando reſpondit B
& dixit, Quòd, dum ipſe Teſtis in die Sancti Eugenii, proximè præterita,
eſſet in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ pro audiendo & audiret Miſſam, quam ad
Altare dictæ Eccleſiæ celebrabat Presbyter Ioannes Petrus de Porris, quem benè
cognoſcebat & cognoſcit, poſt Communionem & vltimam Orationem Miſſæ vi-
dit & audiuit quamdam mulierem, nomine Catarinam de Galantis, quæ erat
veſtita de nigro, cum velo albo in capite, exiſtentem extra & propè clauſu-
ram, in qua eſt feneſtra cum ferrata ante, in qua feneſtra eſt imago Beatæ Ma-
riæ Virginis, clamantem & ſignantem digito verſùs dictam feneſtram, & di-
centem: VEDI, VEDI. Et ſtatim ipſe Teſtis inſpexit ſuperiùs, dubitando,
ne caderet tectum ipſius Eccleſiæ. Et cùm audiret alios aſtantes, & clamantes
MISERICORDIA; inſpexit verſùs dictum Altare; & vidit in dicta fe- C
neſtra, iuxtà ferratam, effigiem Beatæ Mariæ Virginis, quæ cum brachio ſiniſ-
tro eleuauit vnum velum, quòd erat ad dictam ferratam; & poſtea ſtatim
vidit dictam effigiem in forma viua, quæ videbatur Virgo Maria, & vide-
batur in brachio ſiniſtro habere Infantulum, cum ſplendore in dicta feneſtra,
cum brachiis apertis. Et ſtatim ipſe Teſtis fuit ad dictum Altare, & accepit
duos cereos accenſos pro illuminando dictam effigiem: & quòd vidit interim
dictum Presbyterum Ioannem Petrum de Porris, qui abbaſiauit dictum velum,
vt ſupra leuatum. Interrogatus, qui erant præſentes; dixit, quòd erant præ-
ſentes multæ perſonæ, quas non recordatur cognoſcere: & erant numero ducen-
tum, & vltra. Super generalibus interrogatus, rectè reſpondit: & eſt ætatis
Annorum viginti-duorum, vel circa. D

VIII. Die & hora ſupraſcriptis, Paulina de Taſſis, vxor Iacobi de Magnanis, Por-
tæ Ticinenſis, Parochiæ Sancti Laurentii, intùs, conſtituta vt ſupra, & inter-
rogata vt ſupra, medio iuramento vt ſupra, reſpondit & dixit, Quòd, dum
ipſis elapſis diebus ex deuotione viſitaſſet pluribus diebus ſupraſcriptam Eccle-
ſiam Sanctæ Mariæ de Sancto Celſo: & die Veneris, quæ fuit dies Sancti Eu-
genii proximè præteriti, eſſet cum matre ſua ad audiendum Miſſam in dicta
Eccleſia, quam celebrabat Dominus Presbyter Ioannes Petrus de Porris, poſt
Communionem ipſius Miſſæ, dum ipſa finiuiſſet quamdam ſuam deuotionem, &
inſpiceret verſùs feneſtram cum ferrata ante, vbi erat & eſt effigies Beatæ
Virginis, vidit ipſam effigiem in modum viuentis Virginis Mariæ, cum Filio
infantulo,

infantulo, & brachiis apertis & dilatatis, cum magno ſplendore in dicta ferrata: & in continenti territa remanſit, nec ampliùs vidit. Super generalibus interrogata, rectè reſpondit; ſaluo, quòd eſt de Schola dictæ Eccleſiæ. Et eſt ætatis Annorum viginti-duorum, vel circa. A

IX. *Die & hora ſupraſcriptis, Iacobina de Latuada, filia quondàm Arentii, & relicta quondàm Antonii, conſtituta vt ſupra, medio iuramento ſuo reſpondit & dixit, Quòd ſupraſcriptis die & hora ac loco, dum eſſet ad audiendam Miſſam in dicta Eccleſia, quam celebrabat quidam Presbyter Ioannes Petrus, & eſſet intùs clauſuram iuxta dictam feneſtram, vidit, poſt Communionem dictæ Miſſæ, effigiem viuam Beatæ Virginis Mariæ in facie candida cum magno ſplendore, cum brachiis apertis, & cum Filio infantulo ſuper brachiis: & ipſam effigiem vidit duabus vicibus. Super generalibus rectè reſpondit; ſaluo, quòd eſt ex dicta Schola. Et eſt ætatis Annorum viginti-duorum, vel circa.* B

X. *Die & hora ſupraſcriptis, Catarina de Marliano, filia quondàm Ioannis, & vxor Antonii de Barzanore, Portæ Orientalis, Parochiæ Sancti Stephani in Brolio, foris, conſtituta iurata & interrogata vt ſupra, reſpondit & dixit vt ſupra: & dixit ſupraſcripta, & quòd toto tempore, quo dicta fuit dicta Miſſa, vidit ipſam effigiem viuam cum Filio infantulo in brachio. Super generalibus interrogata, rectè reſpondit; ſaluo, quòd eſt de dicta Schola. Et eſt ætatis Annorum quadraginta, vel circa.*

XI. *Die & hora ſupraſcriptis, Girardus de Caloe, filius quondam Domini Ioannis, Portæ Orientalis, Parochiæ Sancti Stephani in Brolio, foris, conſtitutus iuratus & interrogatus vt ſupra, & cùm eſſet ad audiendum Miſſam vt ſupra, dum ipſe Teſtis, vnà cum vxore & quinque filiis maſculis & vna filia, in die Sancti Eugenii, proximè præterita, faceret celebrari vnam Miſſam in dicta Eccleſia ex voto, propter gratiam conſecutam in vxore ſua, quæ erat infirma peſte; poſt Communionem in fine Miſſæ, dum eſſet propè muretum clauſuræ, in qua eſt feneſtra & imago, de quibus ſupra, vidit effigiem Beatæ Virginis Mariæ ad dictam ferratam, cum brachiis apertis, & mouentem manus, & quòd habebat faciem & manus albas vt nix, & in habitu albo: & quod Eccleſia erat quaſi plena perſonis, quæ Miſſam audiebant: & hæc vidit duabus ogiatis. Super generalibus interrogatus, rectè reſpondit: & eſt ætatis Annorum quadraginta & vltra: & eſt fornarius.* C

XII. *Die & hora ſupraſcriptis, in margine iurauerunt dicere veritatem Angelinus de Legnano, filius quondàm Domini Stephani, Portæ Nouæ, Parochiæ Sancti Benedicti: Ioannes Iacobus de Cernuſculo, filius quondàm Domini Donati, Portæ Romanæ, Parochiæ Sancti Stephani in Brolio intùs: & Ioannes de Bonadeis, filius quondàm Domini Petri, Portæ Orientalis, Parochiæ Sancti Stephani in Brolio, intùs.* D

XIII. Hucuſque protenditur Examen Teſtium, prima die confectum, ſcriptiſquè conſignatum. Neque tamen poſtea tres tantùm illi poſtremi Teſtes fuerunt examinati, ſed alii præterea multi, & in eiuſdem miraculi teſtificationem concordes. Quocirca etiam prudentiſsimis Marianæ illius Eccleſiæ Moderatoribus ad perpetuam tanti miraculi memoriam

ſatis quidem viſum fuit, ſi primæ ipſius diei Proceſſum, ſicut à me in A
præſenti ad verbum exſcriptus eſt, ſic etiam ipſi olim graphicè conſcribendum curarent in pergamena tabula, quæ perpetuò in eadem Eccleſia penderet omnibus conſpicua; ſed nihilominùs alteram quoque tabulam conſcribi extareque ſimiliter ibidem voluerunt, qua ſummatim omnium eiuſmodi Teſtium nomina & effata indicarentur.

XIV. Ea verò ſeſe hunc in modum habet: *Die Veneris, trigeſima Decembris* (qua nimirùm die Mediolanenſis Eccleſia ex antiquo in præſens celebrare conſueuit anniuerſariam Sancti Eugenii, Epiſcopi & Confeſſoris, dequè conſeruato Ritu Ambroſiano meritiſſimi, feſtiuitatem) *Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo-quinto; fuit Apparitio Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ in Eccleſia dictæ Sanctiſſimæ Virginis propè Eccleſiam Sancti Celſi, ex-* B
tra Portam Romanam, in celebratione Miſſæ per Dominum Presbyterum Ioannem Petrum de Porris, ipſius Eccleſiæ Cappellanum; exiſtente Populo ad audiendum dictam celebrationem: in quo fuerunt hi, qui viderunt dictam Apparitionem.

Dominus Donatus Peſtonus, aliàs Staferius Illuſtriſſimi Galeazi, Ducis Mediolani, vidit, vt ſupra.

Dominus Girardus de Carono, Portæ Tonſa, Parochiæ Sancti Stephani, foris, vidit, vt ſupra.

Dominus Antonius de Callo, Portæ ſupraſcriptæ, Parochiæ Sancti Stephani, foris, vidit, vt ſupra.

Dominus Ioannes Petrus de Grandate, Portæ ſupraſcriptæ, foris, vidit, vt C
ſupra.

Dominus Ioannes de la Stufa, Porta & Parochiæ ſupraſcriptæ, intùs, vidit, vt ſupra.

Dominus Ioannes Angelus de Rochis; Porta & Parochiæ ſupraſcriptæ, vidit, vt ſupra.

Dominus Bernardinus de Cariſmate, Porta Nouæ, Parochiæ Sancti Benedicti, vidit, vt ſupra.

Dominus Angelinus de Legnano, Portæ & Parochiæ ſupraſcriptæ, vidit, vt ſupra.

Dominus Martinus de Boſsiis, Portæ Orientalis, Parochiæ Sancti Babilæ, foris, vidit, vt ſupra.

Dominus Ioannes Iacobus de Ciſnuſculo, Portæ Romanæ, Parochiæ Sancti Nazari, D
in Contrada Larga, vidit, vt ſupra.

Dominus Gaſparinus de Vimodrono, Portæ Romanæ, foris, vidit, vt ſupra.

Dominus Manuel de Pupertis, de Forano Pedemontis, & Vxor ſua, viderunt, vt ſupra, & conuerſi ſunt ad ſeruiendum ipſi deuotioni.

Domina Caterina de Tanziis, & Paulina eius filia, Portæ Ticinenſis, Parochiæ Sancti Laurentii, vidit, vt ſupra.

Domina Iacobina de Latuata, Porta & Parochiæ ſupraſcriptæ, vidit, vt ſupra: & vult eſſe eremita ipſi deuotioni Sanctæ Mariæ.

Domina Caterina dell'Acqua, Porta ſupraſcripta, foris, vidit, vt ſupra.

Domina Blanchina de Lafranconis, Portæ ſupraſcriptæ, Parochiæ Sanctæ Euphemiæ, vidit, vt ſupra.

Domina

Domina Eliſabeth de Botatiis, Portæ ſuprascriptæ, Parochiæ Sancti Stephani in Biſſario, vidit, vt ſupra. A

Domina Caterina de Arnate, Portæ ſuprascriptæ, Parochiæ Sancti Sebaſtiani, vidit, vt ſupra.

Domina Caterina de Suzago, Portæ ſuprascriptæ, Parochiæ Sancti Laurentii, foris, vidit, vt ſupra.

Domina Angelina de Legnano, Portæ Nouæ, Parochiæ Sancti Benedicti, vidit, vt ſupra.

Domina Caterina de Boſsiis, Portæ & Parochiæ ſuprascriptæ, vidit, vt ſupra.

Domina Margarita de Balſamo, Portæ ſuprascriptæ, Parochiæ Sancti Bartholomæi, foris, vidit, vt ſupra.

Domina Sanctina de Baſilica-Petri, Portæ Cumanæ, Parochiæ Sancti Simpliciani, vidit, vt ſupra. B

Domina Ioanna de Pauesino, Portæ Romanæ, Parochiæ Sanctæ Euphemiæ, foris, vidit, vt ſupra.

Domina Elena de Panigatis, Portæ Romanæ, Parochiæ Sancti Calimeri, foris, vidit, vt ſupra.

Hactenùs ea Teſtium tabula, ibidem publicè in præſentem vſque diem omnibus expoſita.

XV. Verumenimuerò in calce ſuperioris illius tabulæ, qua primæ diei Proceſſus & Examen Teſtium continetur, videre ſimiliter exſcriptam licet Epiſtolam ſubſequentem. Quæ quidem alicubi non immeritò videri poteſt manca & imperfecta, texturæque ſibi parum cohærentis, quemadmodùm etiam mihi viſa eſt. Verè tamen ea congruit & ad verbum conſentit cum archetypo exemplari, quod in eiuſdem Marianæ Archiuo Eccleſiæ cuſtoditur, & quocum accuratiſsimè à me ipſo collata fuit. Quamobrem, ſi quid ineſt ineptè contra Grammaticæ leges contextum; id Notario rudiquè communiter per ea tempora Latinitati condonetur; rerumquè nihilominùs veritas ad purum & ſincerum exinde colligatur. C

XVI. Ea verò Epiſtola ſic ad verbum ſe habet: ROLANDVS, *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Anteradenſis, infraſcripti Reuerendiſsimi Domini Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis Suffraganeus: & Ioannes Baptiſta de Ferris, Iuris Vtriuſque Doctor, Rector Eccleſiæ Sancti Syri de Soreſina Cremonenſis Diœceſis, Reuerendiſsimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Ioannis, miſeratione diuina Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli Sanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis, Vicarius Generalis: vniuerſis & ſingulis, præſentes inſpecturis, Salutem in Domino ſempiternam. Ineffabilia Glorioſæ Virginis Dei Genitricis Mariæ meritorum inſignia deuota conſiderationis indagine perſcrutantes: & intra noſtræ mentis arcana reuoluentes, quòd ipſa caſtiſsimo eius vtero, prout noſtri ſtatus exigebat neceſsitas, humanæ ſalutis Auctorem protulit: & apud eum, quem maternis lactauis vberibus, ſedulas pro noſtræ fragilitatis expiatione preces effundit; dignum quin potiùs debitum reputamus, vt in honorem ſui nominis dedicatas Eccleſias & Capellas gratioſis Remiſsionum proſequamur impendiis, & Indul-* D

gentiarum decoremus muneribus. Cupientes igitur, vt Eccleſia Sanctæ Mariæ, de Sancto Celſo nuncupata, extra Muros Mediolani, in qua Sacratiſsima Virgo Dei Genitrix Maria ineffabilia miracula in dies deuotè cunctis ad eam recurrentibus pro ſuis, pro quibus ægrotantur, infirmitatibus & languoribus, patefaciendo ſanantur, & gratias diuerſimode poſtulantes exandiuntur: & nuperrimè in dicta Eccleſia mirabiliter demonſtrauit, vt apud Acta Guidonis de Boſsiis, Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani Notarii & Cancellarii, conſtat ex fidedigna medio iuramento relatione, Populo incognita relinquere nolentes: vt ad illam, quæ de abundantia pietatis ſuæ multò maiora retribuit, quàm ſupplices poſsint promereri, deuotione feruentiùs recurratur: & quæ mirabiliter in die Sancti Eugenii proximè decurſa, dum inibi Miſſa celebraretur, poſt Communionem Miſſæ mirabiliter apparuit Sacratiſsima Virgo ipſa, ac ſi in humanis ageret, cum ſplendore maximo, ſemel cum brachiis apertis, & reiterata vice manibus iunctis, cum Filio infantulo ſuper brachio ſiniſtro: libris, calicibus, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis decoretur, fulciatur, & laudabiliter muniatur, in ea quoque cultus augmentetur diuinus: & vt Chriſti-fideles eò libentius deuotionis cauſa ad eamdem confluant Eccleſiam, & ad reparationem, augmentationem, conſeruationem, aliaquè præmiſſa manus promptiùs porrigant adiutrices, quò ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ vberiùs conſpexerint ſe refectos; Dilectorum nobis in Chriſto Scholarium dictæ Eccleſiæ ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, de Omnipotentis Dei gratia & miſericordia confiſi, auctoritate & facultate nobis attributis, præſentium tenore, & omnibus modo iure via & forma, quibus melius poſſumus, Omnibus vtriuſque ſexus Chriſti-fidelibus, verè pœnitentibus & confeſsis, qui Eccleſiam ipſam in Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in feſto Paſchæ Reſurrectionis eiuſdem, in Vigiliis & Feſtis Beatiſsimæ Virginis Mariæ, ac ſecunda Dominica menſis Aprilis, ac Sancti Eugenii deuotè viſitauerint annuatim, & ad reparationem, conſeruationem, augmentationem, aliaquè præmiſſa manus porrexerint adiutrices, vt præfertur, pro ſingulis diebus feſtiuitatum earumdem, Quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. In quorum teſtimonium præſentes fieri iuſsimus, & ſigilli præfati Reuerendiſsimi Domini Domini Cardinalis & Archiepiſcopi appenſione muniri. Dat. Mediolani die primo menſis Aprilis, Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo-ſexto, Indictione quarta.

A B C

Subſcript. cum proprio Signo Tabellionatus: *Ego Guido de Boſsiis, filius Domini Iohannis, Portæ Nouæ, Parochiæ Sancti Euſebii, Mediolani, publicus Imperiali Curiaquè Archiepiſcopalis Mediolani auctoritatibus Notarius, eiuſdemquè Curiæ Cancellarius, ſubſcripſi.* D

XVII. Vt igitur ſuperiora ego ſummatim hoc denique loco complectar, res ita ſe habuit. Sub finem Anni 1485. atque trigeſima Decembris die, Virgo Deipara ſub ſpecie viuentis illic ſeſe quamplurimis conſpicuam obtulit circiter horam diei decimam-ſeptimam; ſicut Emmanuel de Ypertis, ſecundo teſtatus loco, expreſsè Num. 6. affirmabat. Inchoato deinde Anno 1486. ſeptimaquè iam die Ianuarii, cœptum fuit Examen Teſtium. Denique verò prima die ſubſequentis Aprilis data fuit Epiſ-

tola

ſola illa Paſtoralis, ac per eam Indulgentia: qua videlicet Fideles ad maiorem Dei ac Deiparæ in ea Eccleſia cultum allicerentur. Eccleſia verò ibi ſatis ampla iam extabat; itaut trecentos etiam homines & amplius capere poſſet. Cùm enim trecenti circiter ineſſent; tùm verò dicebatur quaſi plena. Fortè autem ſolo tunc tecto tegebatur (cuius vtique ruinam Numero 7. Teſtis ille tertius imminere ſuſpicabatur) neque ſub eo aliud planum aut concameratum habebat operimentum. Deiparæ porrò ipſius imago continebatur intra quoddam fictæ veluti feneſtræ ſpatium, in ea pila lapidea efformatum: ſic etiam ſupereminebat Altari, eidem pilæ adſtructo: inſuper verò crate ferrea exteriùs fulta erat: crateſquè ipſa candido tegebatur velo: videlicet, infra Deiparæ infantiſquè Ieſu faciem; ſicut ego interpretor è more cæteroqui erga ſimiles imagines in præſentem vſque diem vſitato. Idipſum ergo velum Deipara Virgo ipſa è medio tollere dignata eſt brachio ſiniſtro; quemadmodùm Ioannes Angelus de Rochis Numero 7. præcisè teſtabatur: idquè ab ea factum ego credidi, quò meliùs ac diſtinctiùs conſpiceretur. Altare denique ipſum, pilæ illi adſtructum, altiuſculo muro cingebatur, ne populus illuc promiſcuus appropinquaret, ac Sacerdotibus Diuina Myſteria celebrantibus moleſtiam afferret. E ſuperioribus ergo Teſtium pronunciatis mihi quidem ſatis hæc conſtare videntur.

XVIII. Quòd tamen ad ipſam per ſe attinet Eccleſiam; ego quidem ſuſpicor, priorem illam Deiparæ Cappellam, circiter Annum Chriſti 1430. primùm à fundamentis conſtructam, eo ſitu diſpoſitam fuiſſe, vt ex ipſa & ex propinqua Sancti Nazarii IN CAMPO Eccleſia coaluerit vna tantùm, quæ deinde Marianæ ad Sanctum Celſum Eccleſiæ appellationem obtinuerit. Litaneuticum mihi eſt triduanum & Ambroſianum, *impreſſum Mediolani per Antonium Zarotum, Parmenſem* (cuius etiam mentionem in ſuperioribus iam feci) *impenſa Petri Caſolæ, Ordinarii Eccleſiæ Mediolanenſis* (cuius item mentio mihi ante iam facta) *Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-quarto, die vigeſima-ſecunda Aprilis, Regnante Ioanne Galeazio, Duce Secundo.* Tertia igitur Litaniarum die ibi deſcribitur Proceſsio à Sancta Euphemia ad Sanctum Celſum: ſubinde autem à Sancto Celſo ad Sanctum Nazarium IN CAMPO, & his præſcribitur verbis: *Et andando à Sancto Nazario* IN CAMPO, *che hora ſe chiama Sancta Maria de Sancto Celſo, diceſi queſta Antiſona: Rex Sanctorum, Deus, conuerte nos; & in tempore malo non nos derelinquas. Et intrando in la Gieſa, ſe dice queſta Antiſona: Beatus Nazarius vnà cum Celſo paruulo meruerunt à Domino coronam perpetuam. Kyr. Kyr. Kyr. Letanie in Sancto Nazario* IN CAMPO. &c. Eadem verò ad verbum leguntur etiam in altero, quod mihi eſt, exemplari Litaniarum, typis impreſſo poſtea per Alexandrum Pelizonum, ſed ſine Anno adnotato. In fine autem Litanias hoc inſuper habet Maiores, quotannis die feſto Sancti Marci ſolitas celebrari: in quibus itidem ad Sanctum Celſum priùs, quàm ad Sanctum Nazarium IN CAMPO procedebatur. Sed hic pro Sancto Nazario IN CAMPO

legitur

legitur abſolutè SANCTA MARIA DE SANCTO CELSO; quippe A quia communi iam omnium ſermone ita prorsùs illa tunc temporis nuncuparetur; ſicut etiam in præſenti nuncupatur; tametſi Sanctus Cardinalis & Archiepiſcopus Carolus priorem ac veterem illam Sancti Nazarii IN CAMPO appellationem (quam cæteroqui video retentam in duobus etiam illis Litaniarum codicibus manuſcriptis, quorum teſtimonio vtebar Capite 64. Numero 10.) reuocare in vſum voluiſſe videatur. In Libro enim Litaniarum, quem ipſe ſuo tempore iuſsit imprimi, quiquè poſtea recognitus & impreſſus fuit Anno 1599. reſumptam videmus veterem illius Eccleſiæ nomenclaturam. Ibi enim præſcriptum legimus, vt à Sancto Celſo procedatur *ad Sanctum Nazarium* IN CAMPO; cùm alioqui non ad aliam eo tempore procederetur Eccleſiam, B quàm Sanctæ Mariæ propè Sanctum Celſum. Sed cur, obſecro (& hoc per occaſionem à nobis inquiratur) cur, inquam, priùs ad Eccleſiam Sancti Celſi, quàm Sancti Nazarii IN CAMPO, procedebant? Per eam enim viam, qua venientes ab Eccleſia Sanctæ Euphemiæ tendebant ad Eccleſiam Sancti Celſi, prior illis & proximior occurrebat ea Sancti Nazarii Eccleſia, vltra quam circiter viginti cubitos ſita erat Eccleſia Sancti Celſi. Quamobrem, cùm ex hac poſtmodùm procedendum eſſet ad illam; certè per eamdem prorsùs, qua venerant, viam retrocedendum erat; ſicut etiam poſt Stationem ibi de more peractam neceſſe rursùs erat, vt per eamdem viam tranſeuntes ante portas Eccleſiæ Celſianæ progrederentur ad reliquas Litaniarum Stationes. Vt quid C ergo tam moleſtum hoc procedere per eamdem viam, mox retrocedere, rurſumquè procedere? Quantò commodiùs & expeditiùs potuiſſent recta breuiquè ab Eccleſia Sanctæ Euphemiæ ad eam Sancti Nazarii Eccleſiam, indequè ad Celſianam procedere? Moleſtam quidem atque incommodam fuiſſe, nemo ſanæ mentis diffitebitur, talem hanc Proceſsionis diſpoſitionem. At quantò magis ea iudicetur moleſta & incommoda, eò grauiori ex cauſa profectam credere profectò par eſt. Ecquænam verò tandem illa erit? Non alia vtique mihi venit in mentem, quàm hæc; quia non in ea Nazariana quieſcit Sancti Nazarii Corpus, ſicut Sancti Celſi quieſcit in hac ſua. Quòd ſi prudentibus rerum æſtimatoribus eiuſmodi cauſa non improbetur; ne mihi quidem D diſplicebit; & hoc, non tam quia placeant argumenta & indicia, quibus comprobemus, Corpus Sancti Celſi re vera ibi conditum eſſe (cuiuſmodi argumentorum multa, & longè certiora, in poſterum etiam ſuppetent) quàm quia veram & congruentem Litaniarum, tali ordine illic diſpoſitarum, rationem protulerimus.

XIX. Inter ſuperiora porrò Teſtium Examina factam vidimus aliquoties mentionem cuiuſdam Scholæ ac Scholarium, tam virorum quàm fœminarum, in ea ipſa Sanctæ Mariæ Eccleſia. Quænam verò ſit eiuſmodi Schola, quando & à quo & quem ad finem illic erecta: hæc à me reſeruantur in Caput poſtea 160. Illic enim Diploma quoddam recitabo

Gregorii

Gregorii Papæ Decimi-quarti, ex quo non tam illa quàm multa itidem conſtabunt alia, quæ ad has Marianam & Celſianam Eccleſias pertinent, ab Anno Chriſti præſertim 1430. vſque ad 1591. Nec enim ea ſeparatim ſuis locis ac temporibus in hac Diſſertatione adſcribere placuit. A

XX. Non ego tamen in præſenti tacitus præteribo, quiſnam fuerit Ioannes ille, Archiepiſcopus noſter, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis: cuius Suffraganeus Epiſcopus & Vicarius Generalis Examinibus illis Teſtium præſederunt, atque Paſtoralem illam ediderunt Epiſtolam. Ioannes nimirùm ille fuit cognomento Arcimboldus, cuius res præclarè geſtas nimis longum eſſet recenſere. Quamobrem paucis ego in præſenti contentus ero: eaquè præſertim pertinebunt ad tempus, quo Eccleſiam ille rexit Mediolanenſem. Alphonſus Ciaconius in Sixto Papa Quarto, & in ſecunda Cardinalium creatione per eum Anno Chriſti 1473. facta, ſic tradebat: *Ioannes Arcimboldus, Protonotarius Apoſtolicus, Mediolanenſis, Parma oriundus, Epiſcopus Nouarienſis, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei, deinde Tituli Sanctæ Praxedis, Archiepiſcopus Mediolanenſis. Obiit tertio Idus Aprilis, Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-quinto.* Talia Ciaconius. Sed in hoc ipſo Chriſti Anno manifeſtus eſt error (&, ni fallor, Typographi) vt mox conſtabit: fortè autem ne vndecima quidem illa dies Aprilis errore caret. Carolus à Baſilica Petri, Epiſcopus Nouarienſis, Nouariæ ſuæ Libro 2. Num. 76. cum ex Actis Romanis aſſerit creatum fuiſſe illius Vrbis Epiſcopum Anno 1468 vndecimo Calendas Decembris: aliunde verò colligit creatum eſſe Anno 1484. Mediolanenſem Archiepiſcopum: ac propterea mox Numero 77. rurſus ex Actis Romanis affirmat, eius in Epiſcopatu Nouarienſi Succeſſorem, Hieronymum Palauicinum, electum eſſe Anno 1484. decimo Calendas Maii; & hoc propter translationem Ioannis ad Eccleſiam Mediolanenſem. Quocirca ſecundùm hanc computationem Ioannes ad Eccleſiam Mediolanenſem ſine dubio translatus iam fuiſſet vigeſima ſecunda ſaltem Aprilis die; poſito, quòd vna eademquè die Ioannes ad Mediolanenſem, mox Hieronymus ad Nouarienſem, fuiſſent Eccleſias electi; qua ſuppoſitione nihil à nobis rigidius depoſci poteſt. Noſtrorum tamen Archiepiſcoporum Catalogis Ioannes ille traditur creatus, non Anno 1484. ſed 1485. Donatus in primis Boſſius, qui eo tempore florebat, quique Chronicum ſuum Mediolanenſe primitùs edidit Anno 1492. ſic in eodem Chronico teſtatus eſt: *Anno Domini* 1485. *die vndecimo Ianuarii, Ioannes Archimboldus* (ſic enim eum ipſe cognominat) *Cardinalis, Mediolanenſis Ciuis, olim Nouarienſis Epiſcopus, Archiepiſcopus Centeſimus tertius-decimus Mediolani creatus, ſedit Annos tres.* Hos enim (vt ego interpretor) Ioannes iam compleuerat, quando Boſſius hæc ſcribebat. Rurſùs autem in Archiepiſcoporum Catalogo, ad Chronici calcem collocari ſolito, Stephanum Cardinalem Nardinum, eiuſdem Ioannis deceſſorem proximum, diſertè aſſerit occubuiſſe die vigeſima-

B

C

D

ſecunda

ſecunda menſis Octobris, Anno. Domini 1484. De Ioanne autem ipſo hæc ſubdit: *Ioannes Archimboldus, Cardinalis, Mediolanenſis Ciuis, olim Nouarienſis Epiſcopus, Archiepiſcopus Centeſimus tertius-decimus Mediolani die vndecimo Ianuarii, Anno Domini* 1485. *creatur. Sedit Annos tres, menſes octo, & dies viginti & vnum.* In eamdem verò ſententiam per omnia tam de Nardino quàm de hoc Arcimboldo conſentiunt tres alii Catalogi manuſcripti: quorum primus eſt penes perſpicaciſsimum & acutiſsimum Marchionem Vercellinum Mariam Vicecomitem, atque ad Guid-Antonium Arcimboldum, ſuperioris Ioannis fratrem ac ſucceſſorem, pertingit: reliqui autem duo (vnus in pergamena, alter in communi charta conſcripti: vnuſquè Littera P. Num. 170. alter Littera Q. Num. 395. congruenter ad Indicem in folio conſignati) vſque ad Cardinalem Hippolitum Eſtenſem, Guid-Antonii ſucceſſorem, ſiue ad Annum Chriſti 1498. progrediuntur, & in Ambroſiana cuſtodiuntur Bibliotheca. Quamobrem ſi Cardinalis Nardinus Anno Domini 1484. vigeſima ſecunda Octobris die occubuit (& hoc fatetur etiam Ciaconius loco nuper à me indicato) quomodo igitur eiuſdem Anni menſe Aprili ſublectus ei iam fuerat Ioannes Arcimboldus? Quòd ſi etiam Ioannes ipſe creatus eſt Archiepiſcopus Anno 1485. vndecimo Ianuarii die: ſi præterea vſque ad obitum perſeuerauit tres Annos, ac præterea menſes octo, dieſquè viginti & vnum (non autem vndecim tantùm, ſicut eſt in Archiepiſcoporum Tabula per Galeſinium elaborata, & in Beſutii Hiſtoria Pontificali, Numero 117.) reliquum profectò eſt, vt ille occubuerit Anno Domini 1488. Calendis Septembris. Cæterùm concors eſt Scriptorum ſententia, eum in Vrbe Roma obiiſſe. Codex autem ille, Littera Q. obſignatus, diuerſó ac minùs antiquo charactere ſuperadditum habet: *Sepelitur in Sancto Auguſtino Romæ.* Hæc ego interim, donec aliquid certius, vt ſpero, innoteſcat de tempore, quo Ioannes hic Arcimboldus Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtrauit. Etenim Acta illa Romana, quæ Carolus à Baſilica-Petri producebat in teſtimonium, hæſitare me grauiter adhuc cogunt.

XXI. Quoniam verò Nardini Cardinalis Archiepiſcopiquè noſtri mentio proximè facta eſt; in gratiam Celſianæ Baſilicæ ac Monaſterii hoc inſuper nunc addamus, quod in tribus illis Catalogis manuſcriptis, quos proximè nominabam, traditum de ipſo accepimus. *Stephanus* (tradunt) *Nardinus, Archiepiſcopus Mediolanenſis Centeſimus duodecimus, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo-primo creatus, à Curia Romana ad Sedem peruenit, honorificè comitatus per Confanonerios à Monaſterio Sancti Celſi ad Cathedralem Sedem Eccleſiæ Maioris Mediolani* &c.

CAPVT

A

CAPVT CXXIX.

Donati Boſsij teſtimonium pro Martyribus hiſce noſtris.

I. DOnatus noſter Boſsius, vt etiam paulò ante innuebam; Chronicum ſuum Mediolanenſe, necnon etiam noſtrorum Archiepiſcoporum Catalogum, recenter à ſe compoſita, typis edidit Anno Domini 1492. ad quem vſque Annum ambo pertingunt. Quocirca totius Operis editio his denique ad calcem verbis concluditur: *Hoc Opus impreſſum fuit in inclyta Ciuitate Mediolani per ſolertiſsimam Artis Impreſſoriæ Magiſtrum, Antonium Zarotum, Parmenſem, ad impenſas probi Viri, Domini Donati Boſsii, Ciuis Mediolanenſis, & Cauſidici accuratiſsimi, Auctoriſquè huius pulcherrimi Operis,* B *Anno Salutis Chriſtianæ Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-ſecundo, Calendis Martiis.* Chronico autem ipſi ſe in Præfatione affirmabat adlaboraſſe vltra tria Luſtra, ſiue vltra quindecim Annos, ei videlicet impartientem totum id temporis, quod à Foro & à negotiis familiaribus ſupereſſet. Sic etiam poſtea ſuo tempore hunc in modum ſcribebat: *Anno Domini 1436. die quinto menſis Martii, Ego Donatus Boſsius, præſentis Operis Scriptor, voluntate Dei, Mediolani natus ſum.*

II. Quid autem de Sanctis Martyribus hiſce noſtris in præſenti cauſa ſenſerit, non in ambiguo ille reliquit ad Annos Domini 69. & 391. Priori namque loco ſic narrabat: *Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti Sexage-* C *ſimo-nono, ſub Nerone Imperatore, Sanctus Gaius, Tertius Epiſcopus Mediolani creatus, ſedit Annis viginti-duobus, Paulino Duce pro Imperatore Ciuitatem Mediolani regente. Qui videns, Feſtis Paſchalibus iuxta Fontem Sancti Euſtorgii, vt moris fuerat, ad celebranda Baptiſmatis Sacramenta conueniri; inuocata Sancti Spiritus gratia, flexis genibus, Fontem benedixit; in ipſiſquè Feſtis non ſolùm Populares, verùm etiam Conſules & Senatores ac Ciues clariores in fidei Summæ Trinitatis Fonte baptizauit. Inter quos fuerunt Beatus Vitalis, magnus Ciuis Mediolani, cum Beata Valeria eius vxore, ac Geruaſio & Protaſio filiis, cum tota eius familia. Ac etiam baptizauit Philippum: ex quo dicitur Hortus Philippi, vbi nunc ſunt Templa Sanctorum Ambroſii & Franciſci. Nero verò Imperator Annolinum, virum peſtilentem, totius Italiæ* D *Conſulem conſtituit: mandans illi, quatenùs Fidem Chriſtianam ita radicitùs euelleret, quòd ſub aſtris nihil de ipſa Fide remaneret. Qui Annolinus, Ciuitatem Mediolani totius Italiæ Metropolim ingreſſus, Nobiles & Populares, in Chriſti confeſsione confirmatos, mittens ſuos ſatellites, rapi ac eos iuſsit igne ferroquè flagellis & aculeis dilaniatos beſtiis in eſcam tradi, atque iuxta Fontem Sancti Euſtorgii ibidem in luto turpiſsimo ſubuolui. Et tunc paſsi & interfecti ſunt Beati Geruaſius & Protaſius, ac Nazarius & Celſus, & alii quamplurimi. Præfatum verò Gaium Epiſcopum, fuſtibus cæſum, extra Vrbem eiecerunt.* Hæc eo loco Boſsius.

III. Deinde autem Anno Domini Trecenteſimo nonageſimo-primo ſic inquit:

Eodem Anno Beatiſsimus Ambroſius Corpus Sancti Nazarii in Baſilicam, ſub A
honore Petri & omnium Apoſtolorum ab ipſo fundatam, tranſtulit. Quamobrem ab eodem deinde Nazario nomen accepit. Sicut igitur ab ipſo ſolo ea nomen accepit; ſic etiam ipſius viciſsim ſolius (& non etiam Celſi ſimul) Corpus ad eam translatum fuit.

CAPVT CXXX.

Ludouicus Maria, Mediolani Dux, vt expeditius & commodius iter ex Vrbe pateat ad Marianam & ad Celſianam Baſilicas, Anno Domini 1496. nobilem aperit Portam, è ſuo nomine Ludouicam. B

I. PErennem huius rei memoriam Porta ipſa in fronte præfert, marmori candido inſculptam. Supernè inciſum illic eminet gentilitium Ludouici ſimul & vxoris Beatricis Eſtenſis Stemma cum primordialibus hinc inde literis vocabulorum, quibus eorum nomina & cognomina ſignificantur: quarum litterarum & vocabulorum ſignificatione cum reliquis ſubtùs verbis copulata, integratur Inſcriptio huiuſmodi:

LVDOVICVS O MARIA
BEATRIX O ESTENSIS C
SFORTIA O ANGLVS
MEDIOLANI DVCES.
VT RELIGIOSVM ITER AD MARIÆ DEI MATRIS ET CELSI AEDES COMPENDIO CIVIBVS SVIS COMMODIVS FACERET, LVDOVICVS DVX MEDIOLANENSIS PORTAM, NOMINE SVO LVDOVICAM, CVM BEATRICE CONIVGE APERVIT.

II. Hanc ipſam Inſcriptionem, ſed ſine primordialibus illis litteris, proptereaquè mutilam & imperfectam, recitauit etiam Paulus Morigia Capite 3. Libelli, quem ille Anno 1594. typis Mediolanenſibus edidit, inſcriptum: *Hiſtoria, doue ſi narra l'origine della famoſa diuotione della Chieſa* D
della Madonna, poſta vicina à quella di San'Celſo di Milano. Eidem verò Inſcriptioni ſic etiam ille præfatus eſt: *Mà auanti ch'io tratto del gouerno de detti Signori Deputati, voglio dire, come, creſcendo ogni giorno la frequenza del Popolo alla diuotione della Santa Imagine, piacque al Duca Lodouico Sforza di fabricare vna Porta, per commodo de'Popoli. Percioche chiunque voleua ire à quella diuotione, conueniua andar'ad eſſa per la via di Porta Ticineſe, ouero da Porta Romana. E perciò, ſubito ch'ella fù fatta, l'aperſe ancora: e ciò fù l'Anno della Commune Salute 1496. e dal ſuo nome volſe ch'ella foſſe domandata Porta Lodouica: & à perpetua memoria volſe, che ſopra detta Porta gli foſſe meſſo l'Arma Ducale, ſcolpita in marmo bianco, con queſta ſottoſcritta Inſcrittione,*

ſcrittione, ciò è: Mediolani Duces &c. Sed fallitur in eo Morigia, quod A
ſcribebat, exitum tunc temporis ex Vrbe ad Marianam illam Eccleſiam
patuiſſe per Portas tantummodò Romanam & Ticinenſem. Vt enim
Capite 108. iam oſtendimus, duabus hiſce Portis interſitæ tunc ſtabant
binæ Puſterlæ; vna nimirùm, quæ DE LA CLVSA (qua nunc etiam
exitur ad Eccleſiam Sanctæ Crucis) altera, quæ *Sanctæ* dicebatur *Eu-
phemiæ*; atque per hanc ſine dubio Clerus & Populus tertio Litaniarum
die procedebat ab ipſius Sanctæ Euphemiæ ad Marianam illam Eccle-
ſiam, ſicut etiam proximè Capite 128. Num. 18. videbamus. Gualua-
neum Flammam hoc item loco audiamus. In Chronica enim Extraua-
ganti, quam ſæpè adhuc nominauimus, & in Ambroſianæ Bibliothecæ
Codice iam diximus extare, ſic ille Capite 49. quod eſt *De ſitu Puſter-* B
larum per reſpectum ad Portam Romanam, ſic, inquam, ille deſcripſit hu-
ius Portæ ſitum, quem tunc temporis habebat: *Iſta Porta habet duas
Puſterlas. Versùs Oriens Puſterla, quæ dicitur Porta Tonſa, vnde exit Foſſa-
tum Ciuitatis, quod dicitur Nauirium. Ex altera parte versùs Occidens habet
Puſterlam Sanctæ Euphemiæ: quæ ſuper cæteras Puſterlas eſt decentiori opere
fabricata, & clariori marmore. Iſta Puſterla habet deforis ex oppoſito Monaſte-
rium Sancti Celſi*. Talia ibi Gualuaneus. Qui quidem quòd hanc ipſam
Puſterlam præ cæteris aſſerebat decentiori opere ac marmore clariori
fabricatam: idipſum profectò dignoſci poteſt etiam è præſenti eius ſta-
tu. Non enim dubium eſſe poteſt, quin apta & decens veteris eius
Puſterlæ materia, præſertimquè marmora, conſtruendæ fuerint ornan- C
dæquè reſeruata Portæ recentiori, atque adhuc extanti.

III. Sed, vt eruendæ veritati proderit, ſic etiam placebit, vt ſpero, ſi men-
tionem obiter hic ego faciam Portæ itidem illius, quam idem poſtea
Ludouicus è ſuæ vxoris nomine Beatricem nuncupauit. De ipſa Ber-
nardinus Corius ita ſcripſit: *L'Anno Mille dugento trentadue, ſtando le coſe
predette, Pietro Vento, Genoueſe, fù Podeſtà in Milano. Coſtui fece rinouare
la Puſterla di San Marco, al preſente Porta Beatrice, così detta dal nome della
Illuſtriſsima Ducheſſa noſtra: & la chiamò Porta di Algiſio*. Quaſi verò Pe-
trus ipſe Ventus hoc ei cognomentum ab initio indiderit. Sed non ita
profectò ſenſit Triſtanus Chalcus. Ad eumdem quippe Annum ſic in-
quit: *Mediolani verò interea Præturam geſſit Petrus Ventus, homo Ligur:* D
*cuius memoriæ attribuitur inſtauratio Portæ Vrbis, Algiſii tunc cognominatæ:
quam, diu obſtructam, nouiſsimè Ludouicus Sfortia aperuit, & de Coniugis no-
mine, quamuis iam defunctæ* (defuncta verò eſt Anno Domini 1497. ſe-
cunda Ianuarii die) *Beatricem nuncupauit*. Hæc igitur Porta priùs etiam,
quàm per eum Prætorem inſtauraretur, Algiſii Porta vocitari iam ſole-
bat. Sed cuius, obſecro, Algiſii? Ego quidem nullum hactenùs legi
Auctorem, à quo expreſsè hoc fuerit explicatum. Si quis tamen con-
iecturæ meæ locus datur; hunc ego interim arbitror Algiſium fuiſſe
Pirouanum, Sancti Galdini Archiepiſcopi noſtri ſucceſſorem, atque de
reparanda ſimul & amplificanda poſt Aenobarbicum excidium Vrbe

noſtra quàm optimè meritum; ſicut ex iis abundè conſtat, quæ iam ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis recenſui ab Anno Chriſti 1176. vſque ad 1185. intra quos Annos Eccleſiam ille Mediolanenſem adminiſtrauit. Vt igitur conſtructæ huius etiam Portæ Vrbanæ decus tanto illi Archiepiſcopo aſſererem, obiter hoc adieci additamentum. Eamdem verò fateor etiam Puſterlæ Sancti Marci nomine appellatam; ſicut etiam nobis eam Gualuaneus Flamma appellabat ſuperiore Capite 107. Num. 4. Sed hæc appellatio illi tantùm eſt indita poſteaquàm noſtri Mediolanenſes illic in propinquo Eccleſiam Sancti Marci conſtruxerunt: hoc eſt, Anno Domini 1254. vt benè obſeruauit etiam Paulus Morigia, Libro 1. Hiſtoriæ Mediolanenſis, Cap. 12. itemquè in Sanctuario Vrbis ac Diœceſis Mediolanenſis, & ante ipſum Gualuaneus Flamma in Manipulo florum Capite 83. eodemquè Anno 1254. his verbis: *Iſto Anno primus lapis in Eccleſia Sancti Marci ponitur*. Certè tamen ii loquuntur de ampliſsima illa Sancti Marci Eccleſia, quæ nunc etiam extat; cùm alioqui vetus altera & minor ibidem antea extitiſſet, nec adhuc è ſuo nomine nomen ei Puſterlæ communicaſſet. Quocirca Bernardinus etiam ipſe Corius ad Annum 1252. poſt deſcriptam Sancti Petri Veronenſis, ex Ordine Prædicatorum celeberrimi Martyris, cædem, de ipſius Socio, grauiter item vulnerato, loquens, hæc addit: *Frate Domenico, ferito, fù condotto à Meda; doue à dodici di Aprile paſsò à ſempiterna vita. E'l dì medeſimo il ſuo Corpo fù portato à San'Marco, fuor della Puſterla di Algiſio. Quiui, occorrendogli l'Arciueſcouo co'l Clero, lo leuarono, & lo poſero preſſo al Sacratiſsimo Martire*: videlicet in Euſtorgiana Baſilica; de qua nobis iam dictum eſt Capite 109.

IV. Vt autem ad Portam denuò reuertar Ludouicam: fortaſsè illam Princeps ille libenter ob eam quoque cauſam aperuit; quia illac ad eum iretur locum, qui ſecundùm ea, quæ Capite præſertim 48. Num. 12. iam vidimus, ſuam olim appellationem tribus è Moris accepiſſet; ſicut & ipſe ſibi ex eadem arborum ſpecie cognomentum aſſumpſerat Mori. Præclarè ſiquidem Paulus Iouius, in ſuis Virorum bellica virtute Illuſtrium Elogiis, Libro 4. ſub eiuſdem Ludouici effigie ſic initio ſcribebat: *Ludouicum Sfortiam, Mediolanenſium Principem, cui Moro cognomen fuit, nequaquàm à fuſcedine oris, quòd eſſet æquo pallidior, ita vocatum ferunt; verùm ab argumento, quod pro inſigni geſtabat, Mori arboris: quæ idcircò ſapientiſsima arborum cenſeatur; quoniam tardè & non priùs germinet & floreſcat, quàm hyemis iniuriam effugerit; ſtatimquè tuto partu ocyſsimè fruticet. Quaſi hoc ingenio ſuo eſſe inſitum indicare vellet, in omni actione nunquàm properè ſed grauiter conſilia inire: atque ea, ſicuti oporteret, maturè & celeriter explicare.*

CAPVT

CAPVT CXXXI. A

Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterii Abbatia, ſatagente proximo eius Commendatario, Aſcanio Maria Sfortia Vicecomite, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Anno Domini 1497. ab Alexandro Papa Sexto vnitur Ordini Ciſtertienſi: eiquè mox Anno poſtero nobiliſsimi fundamenta Monaſterii iaciuntur ab eiuſdem Cardinalis fratre, Ludouico Maria, Mediolani Duce.

I. BReuiter ab hoc ego argumento me expedio: cuius alioqui
tractatio benè prolixa eſſe deberet, ſi Baſilicæ ac Monaſ- B
terii eius Monumenta mihi vſque ad extremum Volumen
proſequenda eſſent.

II. Monaſterium verò ipſum eiuſquè Abbatia iam inde ab
exordio Monachis Sancti Benedicti, quos communiter
Nigros appellamus, ab Archiepiſcopo noſtro Petro Oldrado tradita
fuit: atque publicum traditionis eius Documentum, Anno Domini
790. confectum, ego in eiuſdem Baſilicæ ac Monaſterii Monumentis
Num. 17. iam recitaui. Exinde igitur Monachi pariter eiuſdem Ordi-
nis in primæua illa poſſeſsione perſeuerarunt vſque ad Annum circiter
Milleſimum quadringenteſimum; cùm deinde Commendatarius illis
Abbas inſtitutus fuit. At ne propterea quidem inde Monachi pariter C
illi diſceſſerunt.

III. Branda profectò Cardinalis Caſtellionæus, vt inde faceſſerent, molitus
poſtea fuit Anno Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo; ſed in
caſſum; ſicuti Bernardinus narrat Corius, & ex eo Ioſephus Ripamon-
tius; quorum verba recitaſſe non diſplicebit; & hanc præſertim ob
cauſam; quia luculenter hinc etiam conſtabit, quemadmodùm iidem
Monachi iam inde ab exordio ipſius Monaſterii non aliter, quàm Ritu
Ambroſiano, Diuina Officia in ea Baſilica celebrarint ad hæc vſque
tempora: & quàm tenax eiuſdem Ritus Ambroſiani per hæc ipſa tem-
pora Mediolanenſis Dux & Populus eſſet.

IV. In eum igitur Annum Corius hunc in modum ſcribebat: *In queſto Anno* D
medeſimo Brando da Caſtiglione, Cardinale di Piacenza, volſe leuar via l'Vffi-
cio di Sant'Ambruogio. Il modo fu, che, hauendo in Commenda l'Abbadia, cac-
ciò i Monaci Ambruogiani, e vi miſe i Certoſini (qui nimirùm Diuina illic
Officia ſecundùm propriam ſui Ordinis formulam celebraturi eſſent)
Vedendo queſto i Milaneſi; ricorſero al Duca; il quale ſubito ſotto pena del fuoco
gli fece licentiare. Vedendo queſto il Cardinale; hebbe intelligenza co'l Prepoſto
di Santa Tecla; il quale gli diede il Libro compoſto da Sant' Ambruogio (hunc
ego Librum interpretor fuiſſe Miſſale Ambroſianum, quod nonniſi ma-
nuſcriptum tunc eſſet, atque in ea Eccleſia vnicum haberetur) *& nella*
feſta di Natale in detta Chieſa all' Altar' Maggiore fece cantare la Meſſa Romana.

Intendendo queſto il Popolo; ſubito ſi leuò, e co'l fuoco corſe al palazzo del Cardinale; il quale per paura gli gettò il Libro per vna feneſtra; & per queſto fù placato il Popolo nel giorno dell'Epifania. La ſeguente mattina il Cardinale naſcoſamente ſi partì da Milano, doue mai più non venne. Talia Bernardinus Corius. A

V. Accipe nunc, quemadmodùm eadem Ripamontius Latinè reddiderit. Hiſtoriarum enim Eccleſiæ Mediolanenſis Parte altera, Libroquè vndecimo propè finem, ſic ſcribebat: *Inter cætera Sacerdotia, quæ multa & ampla obtinebat* (Cardinalis ille) *Diui Ambroſii Monaſterium fuit, ea conditione & iure, vt pars vectigalium cederet Monachorum alimentis, reliqua Commendatarius teneret. Monachi erant Ciſtertienſes: qui Ordo, iam inde ab initio fundatus ibi & conſtitutus* (ſed hic à vero longè aberrat Ripamontius, B ipſaquè refellitur etiam prima Ciſtercienſis Ordinis origine, cui communiter Annus Chriſti Milleſimus nonageſimus-octauus aſsignatur; ſicut ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis obſeruabam Numero 286.) *pari cum Canonicis iure Baſilicam eam tuetur. Hos ille Monachos dimiſerat è Monaſterio omnes: induxeratquè Carthuſienſes in eam ſedem, haud parua Mediolanenſium offenſione & ira. Fit Vrbe tota propter eam rem conſternatio & tumultus, qualis eſſe ſolet, cùm publica iura violata animos irritauere. Poſtquàm aliquandiu turbatum eſt, publico denique conſilio, opis implorandæ cauſa, ad Principem itur. Is abire extemplò Carthuſienſes iubet, vacuamquè relinquere Ambroſianis ſedem. Ni abeant; igni ſe & ferro deiecturum eos minitatur; ſtatimquè illi abiere. At Cardinalis, vbi* Ducis *intermi-* C *nitatione Monachos ceſsiſſe loco videt; ad conſilium aliud adiecit animum, vt Ambroſiani Officii Ritus deleret, ac pro eo Romanam Formulam in Mediolanenſis Eccleſiæ conſuetudinem inducere conaretur. Id non poſſe fieri arbitrabatur, niſi Codicem ipſum intercepiſſet, in quo Formulam Ambroſiani Ritus Diui Ambroſii manu deſcriptam ferebant. Aſſeruabat Codicem Præpoſitus Diuæ Teclæ, venalis homo, ſicuti res docuit; an potiùs abſque ſcelere vllo leuis, & parùm acer ad cuſtodiam rerum, quæ fidei ipſius concreditæ eſſent. Hunc, auro corruptum, ſiue promiſsis vel qua alia deceptum arte, Caſtelleonæus in eam mentem adducit, vt ſacroſanctum Codicem prodere ſibi non recuſet. Accepto Codice, Cardinalis idem facilè deinde exſequitur cætera: & primum omnium, agendo cum Canonicis, impetrat hoc, vt die feſto Res Diuina Romano Ritu fiat ad Aram Maximam:* D *& data opera dies eſt electus Epiphaniæ* (immò verò Dominicæ Natiuitatis, vt Corius aſſerebat) *quò maiore concurſu ac celebritate noua cæremonia ſpectaretur. Confuderat ea res admiratione ac nouitate Ciuium animos: atque inter ſeſe frementes, cauſam ſiue authorem immutandi patrii Ritus quærebant. Poſtquàm cognitum eſt, rem eſſe artificio & machinatione conflatam eius Caſtelleonæi Cardinalis; ad ipſius repentè ædes aduolauere cum facibus; & obſeſſa domo minitabantur excidium, ni ſibi Codex Ambroſianus illicò traderetur. Cardinalis enimuerò, perfuſus horrore periculi, proiecit è feneſtra Librum: ac timens in reliquum deinde tempus Populi Mediolanenſis iras, Placentiam, vnde oriundus erat* (& hic item pudendus eſt Ripamontii error) *aufugit*. Pudendus,

inquam,

inquam, eſt hic error. Certiſsimum enim & exploratiſsimum eſt, Cardinalem hunc patria & origine fuiſſe Mediolanenſem; ac ea tantùm ratione vocitatum fuiſſe Cardinalem Placentinum, quia eius Vrbis Epiſcopus eſſet; vt benè obſeruauit etiam Paulus Morigia, Hiſtoriæ Mediolanenſis Libro 3. Cap. 12. Legatur verò etiam poſtrema, ſiue Anni 1630. editio Alphonſi Ciaconii de Vitis & rebus geſtis Romanorum Pontificum & Cardinalium, pagina 1088. & 1089. A

VI. Abbatiæ ipſius Ambroſianæ Commendatarius erat tandem Aſcanius Maria Sfortia Vicecomes, itidem Cardinalis, & Ludouici Mariæ Mediolani Ducis frater; cùm pro veteribus illis Monachis illuc inducere Ciſtertienſes (qui tamen Ambroſiano Ritu Diuina ibidem celebrarent) è Congregatione Sancti Bernardi, & è Lombardiæ Prouincia, quinetiam è Charæuallenſi propè Vrbem hanc Monaſterio, deliberauit; ac demùm etiam curauit, vt eiſdem Abbatia ipſa in perpetuum vniretur. Hanc ergo ille Alexandro Papæ Sexto in eum finem ſponte reſignauit: viciſſimquè Alexander Abbatiam ipſam eiſdem Ciſtertienſibus vniuit Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-ſeptimo, Pontificatus ſui quinto, quarto Idus Aprilis: ac Litteræ quidem ipſæ Pontificiæ hodiequè in eiuſdem Monaſterii Archiuo conſeruantur archetypæ. B

VII. In eiſdem porrò Litteris meliora ſe Pontifex in poſterum ſperaſſe aiebat etiam ex eo, *Quòd in dicto Monaſterio (in quo aliàs ſex Monachi dumtaxat, & non regulariter viuentes, erant) vigore quarumdam Litterarum in forma Breuis, felicis recordationis Innocentii Papæ Octaui, prædeceſſoris noſtri, nonnullos Monachos Monaſterii Charauallis, Ordinis Ciſtertienſis, Mediolanenſis Diœceſis, Congregationis & Prouinciæ prædictarum, iamdudùm precibus & opera quondàm Blanchæ-Mariæ Sfortiæ, Mediolanenſis Duciſſæ, eiuſdem Aſcanii Mariæ Cardinalis genitricis, reformatos, & ad regularem obſeruantiam reductos, immiſit* (idem Aſcanius Cardinalis) *& præfati Monachi Monaſterii Charæuallis quamplures alios Monachos receperunt, qui in dicto Monaſterio Sancti Ambroſii Profeſsionem emiſerunt.* C

VIII. Charæuallenſis videlicet Monaſterii reformationem (cùm illud eidem Aſcanio Mariæ commendandum mox eſſet) Paulus Papa Secundus per Apoſtolicas Litteras, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo-quinto, quinto Kalendas Septembris, Romæ datas, demandauerat Antonio, Epiſcopo Fuliginatenſi, Nuncio & Oratori ſuo: eiquè ſimul ſcriptas tranſmiſerat inſtructiones opportunas, in quibus hæ item binæ legebantur: *Cùm autem, auctore Deo, cum dictis Monachis* (duobus nimirùm, è Septimo propè Florentiam Monaſterio, nec ita pridem reformato, aſſumptis) *Mediolanum perueneris; conuenias Dilectum Filium, Nobilem Virum, Franciſcum Sfortiam, Ducem Mediolanenſem: & poſt paternæ ſalutationis & Apoſtolicæ benedictionis officia, propoſitum noſtrum, & cauſam tui aduentus exponas. Nam rei conſcium illum inuenies. Siquidem & per ſuas Litteras de ea re nobis ipſe perſcripſit.* Et aliquantò pòſt: *Communicabis etiam hoc noſtrum pium & ſalutare propoſitum Dilectæ in Chriſto Filiæ, Mariæ* D

Blanchæ, Duciſſæ Mediolanenſi: quam ſcimus reformationem hanc gratiſſimo animo accepturam; cùm intellexerimus, eam reformationum Monaſteriorum ſtudioſiſſimam, & plura Mediolani, eius ſtudio ac ſolicitudine, tam Virorum quàm Sanctimonialium Cœnobia ad regularem obſeruantiam fuiſſe reducta. Sicut igitur Epiſcopus ille in mandatis à Supremo Pontifice acceperat; ſic etiam feliciter executus ſubinde fuit; ac denique vniuerſus pro eiuſmodi reformatione Proceſſus Anno Sæculi eiuſdem poſtero, vndecima Iunii die, abſolutus fuit; idemquè nunc etiam in eiuſdem Monaſterii Archiuo cuſtoditur. A

IX. Proſperos ea reformatio progreſſus habuit; ac propterea deinde factum eſt etiam, vt Aſcanius inde Monachos ad Ambroſianum itidem Monaſterium, ſibi pariter commendatum, traduxerit. Traduxit autem vigore Litterarum (ſicuti legebamus) ab Innocentio Papa Octauo ſibi conceſſarum; quas ego tamen adhuc videre non potui, nec aliunde diſcernere, quonam præcisè tempore datæ ſint. Certè tamen Romanum ille Pontificatum adminiſtrauit ab Anno Domini octuageſimo-quarto ſupra Milleſimum quadringenteſimum, & à vigeſima-nona Auguſti die, vſque ad vigeſimam-quintam Iulii diem Anni nonageſimi-ſecundi. Certè itidem tales ii Monachi iam ibi erant Anno nonageſimo-primo, decimo-ſexto Martii die: quo quidem Anno diequè Frater Graſſelinus & Frater Raphael, Congregationis Sancti Bernardi Ciſtertienſis in Lombardia Ordinis Viſitatores, idipſum Monaſterium perſonaliter viſitantes, multa inibi decreta ſanciuerunt, ad monaſticam diſciplinam & præſertim ad cultum Dei & Eccleſiæ pertinentia: eademquè chartæ pergamenæ, nunc etiam illic conſeruatæ, conſignarunt. B C

X. Sic etiam in eiuſdem Alexandri Papæ Litteris illis hæc inerant: *Nulloſquè alios Abbas & Conuentus dicti Monaſterii Sancti Ambroſii Superiores habeant (etiamſi tales forent qui aliquam poteſtatem haberent ſuper dictam Congregationem de iure vel conſuetudine) præter ipſam Congregationem, cuius Regimini & Congregationi, prout alia Monaſteria dictæ Congregationis, ſubiiciantur: ipſumquè Capitulum, Præſidentem, Viſitatores, & Diffinitores dictæ Congregationis perpetuò: & præfatum Aſcanium Mariam Cardinalem, præfatæ Congregationis Protectorem: cui, quoad vixerit, ſuperioritatem & omnimodam iuriſdictionem in Abbatem & Conuentum dicti Monaſterii Sancti Ambroſii (etſi per quoſcumque alios & quauis auctoritate viſitati vel correcti fuerint) illos per ſe, vel aliam perſonam idoneam regularis obſeruantiæ Regulæ Sancti Benedicti, viſitandi & corrigendi, toties quoties ſibi placuerit, facultatem concedimus. Et inſuper propter deuotionem Ducum, pro tempore exiſtentium, ac dilectorum filiorum Populi Mediolanenſis ad dictum Monaſterium Sancti Ambroſii, cum illius Abbate & Monachis etiam pro tempore exiſtentibus, vt in Miſſis, cærimoniis, cantu, & aliis Diuinis Officiis, tam nocturnis quàm diurnis, de conſueto Officio, Ambroſiano Officio nuncupato, prout hactenùs dicere conſueuerunt, nihil immutent* &c. *diſpenſamus.* D

XI. Poſt hæc varias Pontifex præſcribebat eleemoſinas, quas quotannis è

Monaſterii

A Monaſterii reditibus deinceps fieri per Abbatem oporteret: eaſquè fieri A
concludebat oportere *ſecundùm ordinem & formam, tradendam per præfatum Aſcanium Mariam Cardinalem: quam perpetuò obſeruari volumus: & cui, ſuper tradenda forma diſtributionum ſupradictarum duarum millium librarum, harum ſerie concedimus facultatem.* Talem igitur formulam Cardinalis per ſuas tradidit Litteras, Romæ datas Anno Salutis ſupra Milleſimum quadringenteſimum nonageſimo-ſeptimo, die Maii decima-quinta; eodemquè mox Anno, Calendis Iulii, Pontifex ipſam per ſuas itidem Litteras, Romæ datas, confirmauit.

XII. Cùm verò talibus hiſce modis Aſcanius hos Monaſterii Ambroſiani Monachos reformare ſtuduiſſet; in eamdem profectò curam & ſolicitudinem Ludouicus etiam, eius frater, & Mediolani Dux, ita incubuit B (curando ſcilicet, vt executioni ea mandarentur, quæ præſcripta fuerant) vt eiuſdem reformationis propoſitum ipſemet abſoluiſſe videretur, extremamquè illi manum appoſuiſſe. Sic enim ea mihi videtur indicatum Inſcriptione, quam, tabulæ marmoreæ inſculptam, primis inſeruit noui & magnificentiſsimi fundamentis Monaſterii, quod ibidem Anno poſtero conſtruere occœpit, quodquè ſumptibus deinceps per Monachos continuatis in eam molem prouectum eſt, quam in præſenti admiramur, neque tamen adhuc perfectum videmus. Ea verò Inſcriptio ſic habet:

Ludouicus
Mediolanenſis Dux C
ſuſceptum ab Aſcanio fratre
Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario
reformandæ Religionis in Ambroſiana Aede
propoſitum abſoluit
& magni Monaſterii fundamenta iecit
Anno ſecundo poſt Beatricis coniugis mortem
Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-octauo.

XIII. Eo quippe Anno Ludouicus Monaſterium ipſum à fundamentis renouare incœpit, poſteaquàm Beatrix Eſtenſis, eius vxor dilectiſsima, eodem Anno ſecunda Ianuarii die primum ab obitu ſuo expleſſet Annum. Quocirca etiam in eiuſdem Monaſterii Archiuo eam ipſam obitus diem D vidi enunciatam in Epiſtola, quam Bartholomæus Chalcus nomine Ludouici Ducis (cui primus à ſecretis erat) ad Abbatem ac Monachos eodem Anno 1497. die vigeſima-ſecunda Decembris, ſcribebat, eos præmonens, vt proximi Ianuarii ſecunda die, qua primus ab eius obitu Annus compleretur, eiuſdem Anniuerſarium mortuale celebrarent. Tabula verò illa nunc quidem in aperto expoſita, & nouiſsimam pariter ac nobiliſsimam Monaſterii ſcalam aſcendentibus obuia eſt è pariete, cui confixa viſitur. Atqui priùs & ab initio inter ima Triclinii noui (è quo cœpta eſt hæc Monaſterii renouatio) deliteſcebat fundamenta; indequè demùm eruta fuit, cùm paucis ab hinc Annis concameratus ſub

eodem Tricilinio locus maiori verſus Viridarium lumine per portam illic denuò conſtructam illuſtraretur. A

XIV. Superiora porrò Charæuallenſis & Ambroſiani Monaſteriorum Documenta, quorum teſtimoniis in hoc Capite vtebar: ea mihi humaniſsimè promptiſsimequè ab eorum Abbatibus commodata fuerunt. Ac primi quidem tunc Abbatem ſuperiori Cap. 36. Num. 9. dicebam eſſe Virum illum præſtantiſsimum, Domnum Attilium Petraſanctam, qui priùs Romani Sanctæ Crucis in Ieruſalem, ac poſtea Mediolanenſis Ambroſiani Abbas, itemquè ſimul vniuerſæ Congregationis in Italia Ciſtertienſis Præſes fuiſſet. Sicut autem antea in eius Romani, ſic etiam poſtea in huius Mediolanenſis regimen ipſi meritiſsimè ſucceſsit Domnus Carolus Maldura, Ciuis & ipſe Mediolanenſis, multos per annos Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſor celeberrimus, mihiquè etiam ſæpè inter diſſerendum expertus; & congruenter ad natiuum generis ſplendorem virtutibus, omniquaque magno ſtudio conquiſitis, ornatiſsimus; quinetiam hinc præterea fortunatus, quòd in hoc ipſo Mediolani Monaſterio eumdem Petraſanctam ex Anteceſſore nunc habet Succeſſorem. B

XV. Cæterùm de Aſcanio ipſo Cardinali Andreas Victorellus in Additamentis ad Alphonſi Ciaconii Vitas Pontificum & Cardinalium Romanorum, ſecundùm poſtremam earum Vitarum editionem, Anno Sæculi præſentis trigeſimo elaboratam, hoc inter alia multa celebrabat, quòd, *Eccleſiaſticis opibus ditiſsimus, in Viros doctos, in pauperes, & alios munificentiſsimus fuit*. Quocirca ne illud quidem mihi prætereundum ſilentio eſt, quod proximè apud doctiſsimum legi Virum, Theophilum Raynaudum. In Libro enim *De vitæ ac mortis humanæ Terminalibus*, qui typis editus Anno prodiit quinquageſimo-ſecundo, ſic ille tradit Puncto 6. Num. 7. tamquàm è Laurentii Condii à Ripa Tranſona Libro, cui titulus *Medicina philoſophica contra peſtem*: ſic, inquam, ille tradit: *Nec aliter ſtatuendum de exemplo planè inſigni, quod manuſcripto Diario, à Cardinali Toleto Romani Collegii Bibliothecæ relicto, per Blaſium Baronum Martinellum, Pontificium Sacellanum, alioſquè exarato, ſuppeditat de Guidone Aſcanio Cardinali Sfortia, Vicecancellario, qui Romæ ex peſte deceſsit ineunte Sæculo ſuperiore, Anno ſcilicet Milleſimo quingenteſimo-quinto, & in Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Populo ad ſepulturam eſt aſportatus. Vir, vt in manuſcripto illo Codice habetur, æterna dignus memoria, elatus eſt, tametſi graſſante lue, perhonorifico funere, comitantibus & funus deducentibus cum vlulatu veriùs, quàm gemitu, non domeſticis modò, ſed etiam Ciuibus permultis, & plebe copioſiſsima: quæ, quacumque pertranſibat feretrum, adiungebat ſe comitem ex omni ſexu ac ætate, cereoſquè & funalia pro gradus & conditionis ſuæ varietate maiora minoraue præferebat: & quibus cerea fax parua aut magna deerat, lucernas vel etiam titiones geſtabant. Priuſquàm cadauer inferretur tumulo, omnes ad manuum & faciei Cardinalis, ex peſte demortui, oſcula intrepidi acceſſerunt (mirabile dictu) veluti conteſtantes, fieri non poſſe, vt manus adeò in egenos beneficæ, per quas Deus tam multa bona opera ediderat, dum vita* C D

ſupereſſet,

ſupereſſet, in demortuo fierent noxiæ Ciuibus, de quibus adeò benemeritæ fuerant per vitæ tempus. Et cùm omnes pia oſcula fixiſſent; nemo proditur fuiſſe, cui appreſſum oſculum fraudi fuerit; nemo, præter morem cæterorum cadauerum lue contactorum hominum, virulentiam hauſerit. Etiam poſtridie tumulationis ex multis Parthenonibus Moniales (quas tunc concluſio, poſtea inducta, minùs vrgebat) ad tumulum conuenerunt, benefactorem, à quo largiſsimas eleemoſinas in ſumma annonæ neceſsitate excipere ſolitæ erant, eo religioſo officio honeſtaturæ, & apud Deum adiuturæ. Quod fecere tantis cum lachrymis, vt ſpectatorum omnium animos ad lachrymandum commouerent: reuocarentquè in memoriam, quod à viduis pupilliſquè & egenis, circùm Tabithæ corpus lamentantibus, factum Lucas narrat; niſi quòd Petrus defuit, qui beneficium, mulieri illi impenſum, Viro iſti in tot pauperum gratiam rependeret. Talia ibi ex eo Auctore Raynaudus.

A B

XVI. Idem porrò Victorellus eiuſdem Aſcanii Cardinalis Epitaphium, in Eccleſia illa Sanctæ Mariæ de Populo collocatum, recitat ibidem, atque his conceptum verbis:

D. O. M.
Aſcanio. Mariæ. Sfortiæ. Vicecomiti
Franciſci. Sfortiæ. Inſubrum. Ducis. filio
Diacono. Cardinali. S. R. E. Vicecancellario
in. ſecundis. rebus. moderato
in. aduerſis. ſummo. viro
Iulius. II. Pontifex. Maximus C
virtutum. memor
honeſtiſsimarum. contentionum. oblitus
Sacello. à. fundamentis. erecto. poſuit

Sed de tanto illo Cardinali noſtrate plura ego & enucleatius alibi; ſi tamen Deus annuere dignetur.

CAPVT CXXXII.

Bernardini Corij teſtimonium, nobis in præſenti cauſa conſentiens.

I. BErnardini noſtri Corii, Patricii verè memoria æterna digniſſimi, me profectò miſeret, quoties ipſum video ſuis Rerum Mediolanenſium Hiſtoriis, Annoquè Chriſti 1345. præmaturè inſerentem mentionem infelicis eius ſtatus, quo ſe habebat Anno 1500. propterea quòd Anno ſuperiore Gallorum Exercitus ſub Ludouico Rege, nominis huius Duodecimo, Ditionem inuaſiſſet Mediolanenſem; atque hinc Ludouicus Sfortia Dux in Germaniam fugere ad Maximilianum Imperatorem, implorandi auxilii gratia, coactus fuiſſet. De Niguarda loquens Rure, hæc ille ſcribebat: *Queſta è vna Villa, due miglia lontana da Milano, fuori della Porta Comaſcha: nella quale io Bernardino Corio, Auttore preſente, hauendo vno ameno e* D

piaceuol podere, & molto ſpeſſo dimorandoui, poſſo affermare d' hauerui in gran' A
parte compoſto la preſente Hiſtoria. Quiui ancora ſoſtenendo i funeſti & doloro-
ſiſſimi trauagli, che occorſero l'Anno Mille cinquecento, ch'io con grand'ordine
ſcriuerò più auanti, ritirai la mia dilettiſſima & amata moglie con cinque figli-
uoletti, due maſchi, & trè femine, d'aſſai gentile aſpetto (il nome de quali era-
no Marc'Antonio, Giouan' Franceſco, Liſabetta, Franceſca, & Fauſtina) per
maggior' ſalute loro: fin'che nella Plebe d'Incino ad vn'altro mio luogo, detto
Monticello, per il paſſare de gli Suizzeri la mia venuſta pudiciſſima & cara
Conſorte, oppreſſa da horribiliſſima paura, à ventitrè di Febraio, eſſendo ſana,
morì di ſubita morte. Di queſta Terra, doue io eſſendo ne fattioſi tempi come
priuato delle dignità & delli vfficii conceſſimi da Ludouico Sforza, Prencipe
Illuſtriſſimo, in qualche compenſa di sì lunghe mie vigilie; conſumate al com- B
porre l'Opera preſente, come bandito dalla mia Patria, ſtaua aſſente in ſolitudi-
ne: hò fatto portar'il ſuo, da me ſempre amato, Corpo nella Chieſa di San'
Martino, dauanti ad vna mia Capella, aſſai, ſecondo l'humile Luogo, conde-
centemente ornata ſotto il titolo di Santa Agneſe. Et quiui la cara Moglie con
pace del ſuo Creatore ſepolta giace, con queſto Epitafio à ſua memoria, ſcolpito
in marmo &c.

II. Hoc autem Opus hiſtoricum exorſus ille fuerat Anno Chriſti 1485. ætatis
ſuæ vigeſimo quinto; quippe cùm natus fuiſſet Anno 1459. die Martii oc-
taua. Sic enim teſtatus ipſe fuit in Epiſtola eiuſdem Operis Nuncupatoria
ad Aſcanium Sfortiam, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ipſiuſquè
Ludouici Ducis fratrem, ſuperiori à me Capite memoratum, ac prætereà C
in eiuſdem Operis contextu, ad eoſdem illos Annos 1459. & 1485.

III. Sed & ſcribendo proſecutus illud fuerat vſque ad Annum tertium ſupra
Milleſimum quingenteſimum: quo quidem Anno typis etiam illud
Medi lani menſe Iulio impreſſum primam edidit in lucem. Atqui poſt
deſcriptam Ludouici Ducis fugam, non aliud prætereà tunc euulgan-
dum exiſtimauit. Quamobrem his denique verbis vniuerſam Hiſtoriam
concluſit: *Di quello, che doppo la partita del Duca Lodouico ſucceſſe in Italia,*
le quali coſe tutte con diligenza & fede habbiamo brieuemente notato, non ha-
uendogli ancora impoſto l'eſtrema mano, riſeruiamo la editione in altro tempo,
con ſperanza (ſe l'Omnipotente Iddio ci preſta il ſuo fauore) di ſodisfar'non poco
ad ogn'vno deſideroſo d'intendere, come ſiano ſeguiti tutti li andamenti ſino à D
queſto giorno venticinque di Marzo, l'Anno del Natale Chriſtiano appunto Mille
cinquecento trè: & anche più oltra; ſe da Fati ci ſarà conceſſo.

IV. Et hæc ſatis in vniuerſam Scriptoris huius noſtratis Hiſtoriam: ſcilicet,
vt inde intelligatur, quàm proprio aptoquè loco ac tempore teſtimo-
nium ipſius in præſenti cauſa producamus. Quantopere verò nobis ipſe
faueat: hoc nempe illud eſt, quod nunc commonſtramus. Prima igi-
tur Parte, ac ſecundùm Venetam editionem Anni 1565. pagina 7. ſic
narrabat: *Morto Ottauiano, ſucceſſe nell Imperio Tiberio, dipoi Caligola, e poi*
Nerone, peſſimo Imperatore; il quale cominciò à perſeguitare i Chriſtiani: &
mandò Paolino, huomo peſtifero, ſuo Vicario à Milano; accioche faceſſe vccidere

tutti

tutti quei, che credeuano nel nome di Chriſto. In queſto tempo ad Anatalone, A
Veſcouo in Milano, ſucceſſe il Beato Gaio: il quale ſopra la Fonte, al preſente
vicina alla Chieſa di Sant'Euſtorgio, battezò molti Senatori & Conſoli Milaneſi:
& Santa Sofia con trè figliuole, ciò è, Speranza, Fede, & Carità: ſimilmente
San'Vitale, & Valeria ſua conſorte, con due figliuoli San Geruaſio, & Pro-
taſio: inſieme con Filippo de gli Oldani, il quale nella Sedia Epiſcopale miſe Caſ-
tritiano, huomo ſantiſſimo. Et paucis interiectis: *In proceſſo di tempo, par-*
tendoſi Paolino da Milano, andò à Rauenna, & ſeco conduſſe San'Vitale, il
quale fece martirizare: & fù il primo (nimirum ex Mediolanenſibus) *che*
per la Fede patiſſe il martirio. Valeria fù martirizata à Milano: & patendo
il martirio, partorì duoi figliuoli, Diogeno & Aurelio. Coſtei fù ſepolta doue al
preſente è vna Chieſa, dedicata al ſuo nome (illa nempe, quam ego in- B
uenebam Capite 120. Num. 5.) *Morto Paolino, in ſuo luogo fù ordinato Ano-*
lino: il quale à Milano fece publicamente fruſtare Gaio, & mandollo in eſsilio:
fece decapitar'San'Nazaro, & Celſo. Poi venne il Conte Aſtaſio, che diede il
martirio à Geruaſio, & Protaſio, & molti altri huomini ſanti. Denique verò
inter Sancti Ambroſii, Patroni noſtri, geſta connumerat hæc etiam:
Fece poi drizzare fuora della Città di Milano quattro horreuoli Tempii, & gli
dotò de'beni della Setta Ariana. Il primo fù in honore di San'Geruaſio & Pro-
taſio. Il ſecondo de gli Apoſtoli, hoggi San'Nazaro. Il terzo di tutti i Confeſſori,
hoggi San'Dionigi. Il quarto dedicò alla Vergine Madre, hora detto San'Sim-
pliciano. Per hæc igitur nobis in præſenti cauſa Bernardinus Corius ad-
ſtipulatur. Eiuſmodi tamen Eccleſias non ſatis ego adhuc credidi ex C
Arianorum fuiſſe facultatibus dotatas.

CAPVT CXXXIII.

Baſilicæ Ambroſianæ Monachi ſimul & Canonici Anno tandem 1507. cum ſuis Abbate ac Præpoſito deliberant de Odæo tranſferendo è veteri ante Altare primarium ſitu ad poſteriorem. Quocirca etiam impetrare à Chriſtianiſsimo Galliarum Rege, tunc temporis Mediolani Duce, tentant, vt illic domum canonicalem conſtruere liceat, vbi nunc etiam extra Baſilicæ
Atrium ſeparatim ſub aperto cælo erecta manet vetus è candi- D
do marmore Columna. Quid ad eam Columnam olim ageret Imperator, Italici Regni Coronam ſuſcepturus: quid item Mediolani Prætor etiamnùm ageret, quo primùm die Præturam inibat.

I. SIcut Monachi per Petrum Archiepiſcopum iam inde ab initio Monaſterii, ſiue ſub Annum Chriſti Septingenteſimum nonageſimum, in Ambroſianam Baſilicam inducti fuerant, vt ibi ante Corpora Sanctorum Protaſii & Geruaſii Martyrum atque Confeſſoris Ambroſii continuatim & indiffe-

rentes

renter ac publicè concelebrarent Officia Diuinaſquè Laudes, quemadmodùm Petrus ipſe loquebatur in ſuo Diplomate, quod ego in eiuſdem Baſilicæ Monumentis recitabam Numero 17. ita etiam conſentaneum erat, vt Chorus & Odæum ibidem conſtructum eſſet ante primarium Altare, ſub quo Sacra illa Corpora venerabiliter humata quieſcebant. Quia tamen per illud interim Odæum tranſitus patebat Populo, ad veneranda ea Corpora confluenti: eamquè ob cauſam fieri non poterat, quin tam Monachi quàm Canonici nonnihil aliquando inter celebrandum Diuina Officia perturbarentur; propterea vtrique tandem Collegio placuit, vt Odæum inde in alterum locum Altari eo poſteriorem, & à Populi concurſu magis remotum, transferretur. Quocirca etiam ſuper hoc, ſicut etiam ſuper aliis multis capitibus, de quibus antea variæ hinc inde lites fuerant agitatæ, confectum denique fuit publicum Documentum Anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Indictione decima, die Martis, decimo-ſeptimo menſis Auguſti. Cui quidem Documento affuit etiam, conſenſumquè ſuum & auctoritatem pariter ac decretum interpoſuit Sebaſtianus Gilbertus, Hippoliti Eſtenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ac Mediolanenſis Archiepiſcopi, Vicarius in Spiritualibus Generalis: confectumquè illud fuit per publicos Imperiali auctoritate Notarios, Ioannem Iacobum Scarauagium, & Baptiſtam de Capitaneis, ac per vtrumque illorum (ſicut Inſtrumentatores loqui ſolent) in ſolidum. Indequè propterea factum eſt etiam, vt eiuſdem Documenti exemplaria legantur modò ab vno, modò ab altero eorum tradita & ſubſcripta. Illud quidem, quo ego vtebar in prædictis Monumentis Num. 20. cùm Tranſactionis & Conuentionis item huius mentionem facerem, à Ioanne Iacobo Scarauagio traditum erat; hoc autem, quo nunc vtor, à Baptiſta de Capitaneis.

II. Per eiuſmodi ergo Documentum quid ambæ partes primo loco faciendum conſenſerint, his ibi verbis expreſſum eſt: *In primis namque titulo Tranſactionis, & vt ſupra, conuenerunt & conueniunt in primis, vt à diuino cultu mutuæ concordiæ primordia facerent, conuenerunt, vt Reuerendus Dominus Præpoſitus ac Canonici prænominati liberum relinquant locum (facta priùs infraſcripta alia Sacriſtia noua) qui eſt poſt Altare Maius Eccleſiæ prædictæ Sancti Ambroſii, in quo nunc Domini Canonici Sacriſtiæ vſum habent; vt in ipſum locum Chorus transferatur, ad Diuinorum celebrationem: qui Dominorum Monachorum ac Dominorum Canonicorum Collegii ſit communis; vt vtrique in ipſo loco, ab Populi interuentu ſeparati, quietiore animo & ad Deum intentiore, quæ ad decantanda Diuina Officia pertinent, agere poſſint. Huiuſquè rei gratia vtrumque Collegium, dum ſua decantabit Officia, clauſum teneat Chori locum: neque in eo, quantùm fieri poterit, vllum, niſi aliquo modo inſignem virum, admittat. Et ne Reuerendus Dominus Præpoſitus & Canonici, relicto conſueto loco, Sacriſtiæ vſu priuati maneant, Reuerendus Dominus Abbas & Monachi in alio loco commodo Sacriſtiam honeſtam tutamquè Dominis Canonicis, ad ſeruandas ſacras veſtes, libros, vaſaquè argentea, & aliam ſacram ſupellectilem,*

lectilem, ædificent impenſa ſua: in quo loco feneſtræ opportunis locis, ad lumen ſuum recipiendum, fiant, cum ſpecularibus vitreis, & cancellis ferreis; vt non ſolùm paries benè conſtructus, verùm etiam feneſtrarum munimenta fures arcere poſſint. A

III. Talia illi primo loco. Hæc autem conſequenter ſecundo: *Item conuenerunt, vt dictus Dominus Petrus Antonius Caſsina, Canonicus eiuſdem Eccleſiæ, qui domum ſuam habet poſt locum, in quem Chorus eſt transferendus, & in cuius parte noua Sacriſtia Dominis Canonicis eſt ædificanda, liberè eam Dominis Abbati & Monachis relinquat, prout ex nunc, cum conſenſu præfatorum Dominorum Præpoſiti & Canonicorum, relinquit. Et antequàm ab ea diſcedat, melioramenta, quæ in ea ſunt ſupra ſolum, extimentur, habita etiam ratione illius partis, quæ ſuperioribus menſibus viſa & menſurata fuit. Et de domo, iuxta melioramentorum extimationem, per Dominum Abbatem & Monachos prouideatur loco opportuno iuxta Eccleſiam: in quam ſe cum bonis ſuis & familia ſua recipere poſſit, cùm à ſua diſcedet.* B

IV. Ex his autem reliquum iam erat, vt prædicto Canonico Caſsinæ iuxta Baſilicam ipſam noua domus extrueretur, in quam ſeſe cum ſua familia & ſupellectile recipere poſſet ex ea, quam Monachis liberam & demoliendam reliquiſſet. Id ergo conſilii ſuſceperunt. Mediolani per hæc tempora dominabatur Francorum Rex Ludouicus, huius nominis Duodecimus. Supplices ergo ipſum adierunt cum eiuſmodi Libello, cuius exemplar in Ambroſiani Monaſterii Archiuo compertum eſt, hanc in tergo inſcriptiunculam præferens: *Supplicatio Abbatis & Monachorum, ac Præpoſiti & Canonicorum, Sancti Ambroſii Maioris Mediolani*: cum eiuſmodi Libello, inquam, Regem ipſum adierunt: *Chriſtianiſsime Domine Rex. Inita proximè Compoſitio fuit inter Ven. D. Abbatem ac Monachos ex vna parte, & Ven. D. Præpoſitum & Canonicos ex altera, omnes Eccleſiæ Sancti Ambroſii in Vrbe Mediolani, de quibuſdam rebus, propter quas inter eos longo tempore in iudicio concertatum fuit. Ad quam ſedandam contentionem D. Præpoſitus & Canonici contenti fuerunt cedere domo, in qua D. Petrus Antonius Caſsina habitat, ipſius Eccleſiæ Concanonicus; vt in ea D. Abbas ac Monachi prædicti Sacriſtiam ædificent in vſum Dominorum Canonicorum; quia ipſi vacuam relinquere promiſerunt illam, qua nunc vtuntur; vt in ea ad eorum vſum Chorus transferatur. Pro domo autem Domini Petri Antonii Caſsinæ Dominus Abbas & Monachi promiſerunt aliam ædificare domum, in qua Dominus Petrus Antonius, cùm à ſua diſcedit, recipere ſe poſsit. Huic igitur condendæ domui electus eſt locus non longè à Campanaria Turri Dominorum Canonicorum. Sed commodè conſtrui domus non poteſt; niſi ſpatium illud comprehendat, in quo eſt Columna, quæ à Mediolani Prætore adiri ſolet eo die, quo Præturam init. Id autem neque dicti Dominus Abbas & Monachi, neque Dominus Præpoſitus & Canonici ſine Maieſtatis Veſtræ aſſenſu temptare vel debent vel volunt. Vtrique igitur, genibus nixi ad Maieſtatis Veſtræ pedes, vt, noua hac ædificata domo, quæ dicta eſt condi debere, executioni mandari Compoſitio, quæ inita eſt, valeat; ſuppliciter à Maieſtate Veſtra petunt, vt eis concedere* C

dignetur;

dignetur; vel Columnam ex eo loco tollere, in quo præter loci ignobilitatem pa- A
rùm honeſtè aditur, & eam ante frontem Templi erigere; vel intra ædes, quæ condendæ ſunt, amplecti, relictis foribus, quibus in neceſsitatis tempore eam Prætor adire poſsit. Ita enim & publico Officio (nimirùm Prætoris) *& privatæ Canonicorum neceſsitati ſatisfiet.*

V. Supplicationis tamen huius exitum fuiſſe inanem, vel ex eo apparet, quòd vetus illa Columna in primæuo conſiſtit adhuc ſitu, nec ante frontem Templi erecta, nec vllarum ædium amplexu comprehenſa, immò verò ſatis ab omnibus ædibus diſtans & ſolitaria, in præſentem vſque diem conſpicitur. Itaque tam conſpicuo etiam & ſeparato ſuimet ipſius ſitu quemadmodùm illa curioſos quoſque vetuſtatis indagatores, illac prætereuntes, excitat ad percunctandum inquirendumquè, qua occaſione B
cuiuſuè rei cauſa illic erecta fuerit, & in præſentem vſque diem immota conſtiterit; ſic etiam me quoque nunc ad eamdem inquiſitionem acriùs extimulat, quàm cùm Ambroſianæ Baſilicæ Monumenta conſcriberem; in quibus tamen aliquid etiam de hac Columna obſeruaui, & hic rurſùs illud in memoriam reuocare iuuat.

VI. Illic enim Numero in primis 102. è formula Coronationis, antiquitùs ſeruari ſolita, cùm in Ambroſiana Baſilica Imperator in Regem Italiæ coronaretur, hæc ego recitabam: *Quando Rex Romanorum vult recipere Coronam Regni Italiæ in Eccleſia Sancti Ambroſii, Imperator primò debet ire iuxta Columnam marmoream, quæ eſt extra Eccleſiam Sancti Ambroſii: & vnus ex Comitibus Angleriæ debet præſentare Imperatori vnum Miſſale: &* C
Imperator debet iurare, quòd erit obediens Papæ & Eccleſiæ Romanæ in temporalibus & ſpiritualibus; & de hoc debet fieri publicum Inſtrumentum. Et poſtea Archiepiſcopus, vel Abbas Sancti Ambroſii, debet ipſum Corona Ferrea coronare ſuper Italiam. Quo facto, Imperator debet Columnam illam rectam marmoream amplexari, in ſignum, quòd in ipſo erit iuſtitia recta. Tunc Comes Angleriæ debet præſentare Chriſtum, in Cruce fixum, Imperatori: & Imperator debet oſculari pedes Crucifixi. Poſtea Comes Angleriæ cum Cruce eleuata debet intrare Eccleſiam, & Imperator debet ſequi &c. Ex hac igitur Coronationis formula (quam ego tunc videram apud Gualuaneum Flammam in Chronico Maiori, Capite 167. & apud Auctorem Chronici *Flos florum*, fol. 101. ſed poſtea rurſùs etiam vidi apud multos alios Rerum D
Scriptores) ex hac, inquam, formula interim habemus, quem ad finem Imperatori Regiquè Italiæ Columna illa in tanta celebritate deſeruiret. Cùm verò finis eius & celebritatis tanta eſſet dignitas & maieſtas; nemini profectò dubium eſſe debet, quin eumdem potiſsimè ad finem conſultò & ex induſtria illic ab initio erecta fuerit eadem Columna.

VII. Hinc igitur ego itidem in eiſdem Monumentis, Numero 132. Carolum à Baſilica-Petri refellebam, opinatum, eam ipſam Columnam eſſe veſtigium ac reſiduum Palatii, quod ibidem antea extitiſſet. *Certè ibi fuit* (aiebat ille in Sancto Caio, Archiepiſcopo Tertio) *Palatium Imperatoris, quod poſtea Canonicis donatum eſſe ſcribitur, & in authenticis Monumentis habetur,*

habetur, quæ in Eccleſia Ambroſiana aſſeruantur. Cuius Palatii veſtigium adhuc extat, marmorea ſcilicet Columna, quæ ad ſiniſtram Eccleſiæ partem foris poſita eſt. A

VIII. Sed illud inſuper mihi nunc in confirmationem accedit è ſupplici eo Libello, quòd noſtræ itidem Vrbis Prætor primo Præturæ ſuæ die Columnam illam ſolemniter & ex Officii ſui ratione adire ſolitus, tamquàm è præſcripto, eſſet. Non enim credibile videtur, eum illuc ita pergere voluiſſe; quia Columna eſſet vſqueadeò fortunata, vt ex Imperialis Palatii ruinis ſola illic ſuperſtes & erecta etiamtùm ſtaret; ſed quia illic è maiorum inſtituto Symbolum eſſet aliquod peculiare ac definitum, è quo Præturam feliciter auſpicari ſuam deberet.

IX. Sed quid ibi tandem Prætor tunc agebat? Non enim hoc tempore moris eſt, vt illuc pergat: non vt ibi, vel etiam vt in Ambroſiana Baſilica quicquam agat; in qua tamen Antiſtiti Patronoquè Vrbis Ambroſio prima itidem Præturæ ſuæ die donarium quoddam offerebat vſque ad Annum Milleſimum ducenteſimum octuageſimum-nonum; ſicut ſuperiori Capite 112. Num. 10. iam vidimus. B

X. Ego quidem, vt hac in parte Lectori beneuolo mihiquè ſatisfacerem, nullam penitùs omiſi perquiſitionem, quæ videretur opportuna: necnon etiam plurimos Viros doctos, & in antiquitatum ſtudiis benè verſatos, conſului; ſed adhuc in caſſum. Simpliciter itaque in medium nunc proponam, Lectoriſquè arbitrio planè reſeruabo, quid ego tandem coniecerim. Huius videlicet Vrbis Prætor, quo primùm die Præturam initurus eſt, ante omnia Præfecto Vrbis, ſiue Prouiſionum Vicario, in tribunali ſuo conſidenti, coram Notario ac Teſtibus, è præſcripta verborum formula, genuflexus etiamnùm iurat, ſe per omnia munus illud ſuum ritè ſemper ac fideliter executurum. Quocirca non eam modò, quæ hoc tempore ſeruatur, ſed aliquot etiam alias, olim vſitatas, eiuſmodi formulas ego legi, variis conſignatas Codicibus, in Vrbis noſtræ Archiuo cuſtoditis. Sic igitur ego etiam exiſtimaui, vt Anno itidem illo 1507. idem Prætor prima illa Præturæ die Columnam illam cum frequenti comitatu ex antiqua deceſſorum ſuorum conſuetudine adiret: ibiquè cum debito apparatu, velut in oculis Sancti Ambroſii Vrbis Patroni, iuramentum illud ſolemniter eiuſdem Vrbis Præfecto ederet, ac fortaſsè Columnam quoque ipſam amplexaretur: indequè Baſilicam ingreſſus, ipſimet Patrono Ambroſio munus aliquod offerret, ſequè patrocinio ipſius ſupplex commendaret. C D

CAPVT CXXXXIV. A

Triſtani Chalci teſtimonium, ex parte nobis aduerſum, ſed ne ſibi quidem ſatis conſtans.

I. QVas Rerum Mediolanenſium perturbationes, dominantibus Mediolani Gallis, Bernardinus Corius, eaſdem Triſtanus quoque Chalcus incurrit, ſed exitu minùs inclementi. Sicut enim ego eius Reſiduis, cùm Anno 1644. typis in lucem ederentur, præfabar, Anno ille ſupra Milleſimum quingenteſimum tertio Regius iam erat Secretarius: & hoc titulo inſignis eiuſdem Anni Calendis Auguſtis aureum Cenſorini DE DIE NATALI Librum & alia nonnulla aliorum Opuſcula, typis Mediolanenſibus edita, officioſus nuncupauit STEPHANO PONCHERIO; B cùm nuper è Regio Senatus Mediolanenſis Præſide prouectus ad Pariſienſis Eccleſiæ Pontificatum fuiſſet. Certè autem (ſicut ego pariter in eadem Præfatione contendebam) nonniſi poſt Annum Milleſimum quadringenteſimum nonageſimum-ſextum contexendæ Hiſtoriæ Patriæ ſemetipſum applicuit; ac propterea iure merito nunc à nobis ſecundùm temporis ordinem Bernardino Corio poſtponitur.

II. Eodem autem Hiſtoriæ Patriæ Libro Primo nobis ex parte vna ille fauet, ex altera verò aduerſatur, & ſibimetipſi parùm conſtans. Etenim, Anathalonis Epiſcopatu Mediolanenſi vſque ad octauum Neronis Annum C protracto, Caioquè in eius locum ſubſtituto, ſic proſequitur: *Caii prædicatione non craſſum modò vulgus, & multitudo imperitior, ſed, in Nobilitatem penetrante ſermone, Præſides & Magiſtratus in Nomen Chriſtianum ceſſerunt. Inter quos duo, opibus & genere illuſtres, Vitalis & Philippus fuere, quos ſecuti ſunt liberi* (quis verò neſcit, Protaſium ac Geruaſium Vitalis liberos fuiſſe?) *tota familia, & complures Ciues Senatorii Equeſtriſquè Ordinis; quos omnes Caius luſtrauit ſacra aqua ex perenni Fonte, qui Via Ticinenſi, non longè à mœnibus ortus, nunc quoque perdurat: manſitquè mos poſteris inde lauandi, quos in Nomen Chriſtianum recipiebant, quoad, recepta intra Vrbem Religione, tutò alibi exercere ſacrum munus licuit. Vltimo Neronis Anno, cùm Patriæ tum Petri Pauliquè viſendorum gratia, Romam petere Caius D conſtituit. Et quamuis in itinere necis eorum obuios nuncios habuerit; nihilominùs, quò intendebat, ire perrexit; atque, Clemente conuento, à quo rem omnem geſtam didicit, Mediolanum reuerſus eſt.* Per hæc igitur interim è Chalci teſtimonio habemus, Protaſium ac Geruaſium, Vitalis abſque dubio filios, à Sancto Caio baptizatos eſſe Neronis tempore, necnon etiam priùs, quàm Sancti Petrus & Paulus Apoſtoli necarentur.

III. Progreditur idem Chalcus hunc in modum: *Per idem tempus Nazarius, Ciuis Romanus, adoleſcens clariſsimus, cuius Mater à Petro baptizata fuerat, in Ligures tranſmiſſus, Genuæ primò, dein Placentiæ* (in hoc tamen ille fallitur; vti iam conſtat è Capite 10. Num. 2. Cap. 13. Num. 17. & Cap. 14.)

Chriſti

Chriſti præcepta aperuit : quod & Mediolani mox fecit : Celſumquè , ſummæ A
nobilitatis puerum, ad idem pertraxit . Syrus quoque, Aquileienſis genere , &
Iuuentius , Hermagoræ miniſtri , qui poſtea à Marco Euangelium accepit , Tici-
num venere, nouaquè tum ibidem Religionis fundamenta iecere : atque ex pro-
pinquitate locorum frequenter , ad communicanda cum cæteris Chriſtianis conſi-
lia, Mediolanum ventitabant. Tradunt quidam, Neronis iuſſu, qui plurimum
in Chriſtianos ſæuiebat , Nazarium & Celſum fuiſſe pariter trucidatos . Sed
Paulinus Nolanus, qui Vitam Ambroſii ſcripſit , apertè fatetur , incompertum
ſibi eſſe tempus cædis Nazarii . Quo tamen argumento , in contrarium
propoſito, fallitur profectò Chalcus; ſi propterea negare vellet, Naza-
rium & Celſum iuſſu Neronis necatos eſſe . Non enim Paulinus prop-
terea magis hoc negaſſe cenſendus eſt, quàm eoſdem negauerit necatos B
eſſe certo aliquo ac definito tempore , quod ad eam vſque diem præ-
ceſsiſſet; cùm alioqui nihilominùs pro conſtanti & indubitato ſupponi
oporteat , eos interim certo aliquo ac definito tempore ſecundum rei
veritatem necatos eſſe . Quòd ſi tempus illud Paulino tunc ignotum
erat; quidnam, obſecro , vetat , quominùs aliis poſtea innoteſcere po-
tuerit , requè ſic etiam ipſa innotuerit ? Exemplo nobis hac in re ſit
Sanctus ipſe Ambroſius . Hic vtique ante Annum Chriſti Trecenteſi-
mum octuageſimum-ſeptimum ignorabat , vbinam condita iacerent
Corpora Sanctorum Protaſii & Geruaſii, necnon etiam Nazarii & Celſi.
Quis autem ſanæ mentis propterea hinc concludat , hoc ipſum poſtea
etiam illi ſemper ignoratum fuiſſe? Tunc nempe Ambroſius hoc igno- C
rabat (nos illicò reſpondebimus) ſed poſtea edoctus idipſum à Deo
fuit. Sic igitur (congruenter addemus) Paulinus etiam è vetuſtis rerum
monumentis condiſcere poſtmodùm potuit, quod antehac ignorauerat:
ac ſi fortè nunquàm ipſe poſtmodùm illud didicit ; certè alii didice-
runt, ac poſteritati rursùm conſignarunt . An enim fortaſsè fieri non
poteſt, vt, quod aliquandiu antea delituerat , ne per vlteriorem qui-
dem perquiſitionem inueniri deinde poſsit ? Sed hinc ad alia proceda-
mus, in quibus apertè nobis Chalcus aduerſatur.

IV. Eodem namque Libro Primo ad Imperatoris Aureliani tempora, & ad
Marcomannicum ſub ipſo bellum , & ad Annum Chriſti Ducenteſimum
ſeptuageſimum-ſecundum progreſſus ; hac denique ſententia ſe profite- D
tur eſſe: *Hoc tempore vixiſſe Protaſium & Geruaſium , Martyres Mediola-*
nenſes, crediderim . Et hanc reddit rationem : *Quia cùm iuſſu Aſtaſii Co-*
mitis decollatos fuiſſe (ſolus tamen Protaſius re vera , vt alibi iam dixi-
mus, decollatus fuit) *omnes conſentiant : nec fide digna habeatur Columna ,*
quæ adhuc manet iuxta Iouis Arcem , qua eam cædem factam vtique Aſtaſio
Comite ſcriptum eſt , ſed Anno Quinquageſimo ſeptimo ab Chriſti (vt aiunt)
Incarnatione, qui in principium Neronis caderet : ſed nec verba ipſa nec cha-
racteres litterarum illis temporibus congruant (quippe longè poſterius & à pa-
rùm peritis ſculpta Columna fuit) & alii in alia tempora eorum mentionem tranſ-
ferant ; ego quodam loco non abrogandæ fidei obſeruaui , cæſos eos fuiſſe iuſſu

Aſtaſii Comitis, ad bellum Marcomannicum proficiſcentis. Hæc nempe ſunt A Triſtani verba, quæ iam ego ſupra Capite 24. Num. 2. recitabam, & pro viribus examinabam; ſed operæ pretium profectò erat, vt hic rursùs oculis ſubiecta, paulò adhuc accuratiùs expenderentur.

V. Ecquis verò in primis erat ille non abrogandæ fidei locus, vnde Chalcus obſeruauit, hos Sanctos fratres fuiſſe cæſos iuſſu Aſtaſii Comitis, ad bellum Marcomannicum proficiſcentis? Si quis eſt alius, quàm Philippi Libellus ille, quem nos in ſuperioribus è Sancto Ambroſio exſcripſimus; proferatur. Sed ſicut alius profectò non eſt, ita ne proferetur quidem. Accipimus igitur, quod Chalcus vltrò admittit, quodquè nos plurimis adhuc teſtimoniis commonſtrauimus: eiuſmodi Libellum re vera talem eſſe, cui fides abrogari non debeat. Atqui Libellus idem B ille diſertiſsimis itidem verbis affirmabat, Protaſium & Geruaſium eſſe Vitalis & Valeriæ filios. Quamobrem ſi Sanctus Epiſcopus noſter Caius ipſos vnà cum eorum patre, atque cum tota eius familia baptizauerat eo iam tempore, quo Nero imperabat, vt Chalcus paulò ante narrauit; certè conſequens eſt, vt eoſdem fratres fateatur pluſquàm ducentos deinde annos vixiſſe priùs, quàm martyrium paterentur. Quippe Nero mortuus eſt Anno Chriſti Septuageſimo: Sanctus autem Vitalis aliquamdiu ante iam fuerat necatus. Quòd ſi martyrium tandem conſummarunt Anno Chriſti Ducenteſimo ſeptuageſimo-ſecundò; certè Chalcus non effugiet è ſalebra illa, in quam ſuamet ipſius confeſsione coniectus & à nobis conuictus tenetur. C

VI. Doctiſsimus ille Vir, mihiquè quàm optimè notus, necnon etiam dilectiſsimus maximiquè æſtimatus, qui nonnullas Chalco Notas longiores in fine Operis (nedùm breuiores in eiuſdem margine) adiecit: cùm ad paginam ventum eſſet vigeſimam-ſecundam, qua ſuperiora illa Chalci de Protaſio ac Geruaſio verba continentur; ſic ad ea obſeruauit: *Protaſium ac Geruaſium cæſos eſſe Anno Chriſti Centeſimo ſeptuageſimo-primo, Marco Aurelio & Lucio Vero Imperatoribus, & quidem iuſſu Aſtaſii Ducis, ad bellum Marcomannicum proficiſcentis; quòd ei ab Idolorum Sacrificulis denunciatum erat, victoriam nonniſi illorum morte poſſe conſtare: ſatis teſtata res eſt apud ſacros Hiſtoricos ac Chronologos, Baronium Anno Chriſti 171. & Adnotationibus ad Martyrologium: Gordonum eodem Anno: Gualterum in Tabula ab Anno* D *100. vſque ad 200. A qua ſententia diſcedere non poteſt Auctor* (Chalcus) *cùm & ipſe pro certo habeat, eam cædem patratam eſſe ab Aſtaſio, ad bellum Marcomannicum proficiſcente; qua expeditio eodem Anno ſuſcepta eſt. Quòd igitur tradit, paſſos fuiſſe bello Marcomannico, ab Aureliano Imperatore geſto, centum ſcilicet integris annis pòſt: nec veritati nec ſuperiori eius poſitioni rectè cohæret. Sed falſus eſt, cùm ſimilitudine nominum Aurelii & Aureliani Imperatorum, tum commemoratione belli Marcomannici, quod vnicum credidit; cùm re vera bis à Romanis contra Marcomannos pugnatum ſit; primùm Marco Aurelio Imperatore ab Aſtaſio Duce; deinde poſt annos centum ab ipſomet Aureliano Imperatore. Neceſſe eſt autem, Protaſium & Geruaſium eo bello Marcomannico*

nico

nico coronatos fuiſſe, quod ab Aſtaſio geſtum eſt, à quo conſtat occiſos: nimirùm primo, quod Anno Chriſti Centeſimo ſeptuageſimo-primo parabatur. Hactenùs ille Notarum Auctor. A

VII. A quo tamen ego vice verſa in primis exquirerem, vndenam conſtet, primum potiùs, quàm ſecundum, bellum Marcomannicum ab Aſtaſio Duce (ſiue potiùs Comite) geſtum eſſe. Quòd ſi hoc non conſtat (vt certè non conſtat; nec enim quiſquam è veteribus Romanarum Rerum Scriptoribus hoc tradit) cur ergo Chalcus in ſua perſiſtere ſententia non poſsit? Sed ingenuè dicam ego quoque, quod ſentio: Re quidem vera Chalcus nec in ſua perſiſtere ſententia, nec ad alteram illam tranſire poteſt; ſi tamen ſibi conſtare velit. Vt enim paulò ante videbamus, Protaſium ac Geruaſium (Vitalis vtique liberos) ille conceſsit ab Epiſcopo noſtro Caio baptizatos fuiſſe tempore Neronis. Sicut igitur in ſua B perſiſtere ſententia non poteſt, niſi pluſquàm ducentos ætatis annos Protaſio ac Geruaſio adſcribat; ſic etiam tranſire ad alteram non poteſt, niſi pluſquàm centum ætatis pariter annos eiſdem adiudicet; quod item à veritate prorsùs alienum mihi quidem videtur. Ex vna enim parte citra dubium ab obitu Neronis ad Marcomannicum illud Bellum, quod nunc ſupponitur primum, effluxerunt centum anni. Sed & aliquandiu ante Neronis obitum necatus iam fuerat Sanctus Vitalis: eoquè iam tempore Protaſius & Geruaſius ad eam peruenerant ætatem, vt non multo pòſt, præ Chriſtianæ perfectionis ſtudio, venderent patrimonium, eiuſquè pretium pauperibus erogarent. En igitur, vt Anno Chriſti C Centeſimo ſeptuageſimo-primo neceſſe foret, vt ii centeſimum ætatis ſuæ annum, ac longo præterea interuallo, exceſsiſſent. Ex altera verò parte illos conſtat necatos eſſe, cùm iuuenes adhuc & ephebi eſſent. Quamobrem hanc etiam ob cauſam ſub ea tantùm ſpecie ſeſe Sancto Ambroſio conſpicuos præbuerunt; vt in ſuperioribus Ambroſium ipſum iam vidimus ſcribentem ad Epiſcopos, per Italiam conſtitutos. Sic enim ad eos inter cætera ſcribebat: *Ita me ſomnus oppreſsit, vt nec vigilans apertè, nec dormiens integrè, viderem apertis oculis duos iuuenes ephebos, veſtibus candidiſsimis, id eſt colobio & pallio, indutos, caligulis calceatos, manibus extenſis orantes.*

VIII. Accipe verò nunc, quam prætereà obſeruationem ac regulam in vniuerſum hinc eliciamus. Hanc nimirùm elicimus, vt abſque dubio pro D nobis contra noſtros hac in parte aduerſarios ea ſtent omnia teſtimonia, quibus Protaſius ac Geruaſius ab Antiſtite noſtro Caio baptizati aſſeruntur. Si enim Caius tempore Neronis Mediolanenſem regebat Eccleſiam: ſi eos interim (vel potiùs antea, cùm eſſet Anathalonis adminiſter) baptizauit: ſi præterea Comes Aſtaſius eos ætate adhuc iuuenili florentes interfecit; quomodo fieri poteſt, vt Anno Chriſti Centeſimo ſeptuageſimo-primo, vel etiam Ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, interfecerit? Eademquè fermè ratio Philippi eſt illius, à quo ſepulti Martyres ipſi traduntur. Non enim Eccleſiæ Mediolanenſis Monumenta

Philippum

Philippum agnoſcunt alium, cui tale miniſterium adſcribi poſsit, quàm A
illum, qui cum filiis ſuis à Sancto Caio Chriſtianum Baptiſmum ſuſce-
pit: quiquè Caio domum, ex ipſius poſtea nomine Baſilicam Philippi
nuncupatam, donauit: cuiuſquè filii Portianam & Fauſtam intra Sancti
Caſtritiani Pontificatum condiderunt. Non enim credibile videtur,
Philippum illum tamdiu ſuperſtitem fuiſſe, vt Anno Chriſti Centeſimo
ſeptuageſimo-primo, vel Ducenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo, Martyres
illos tumulare potuerit: præterquamquòd ne ipſi quidē (vt paulò ante ar-
gumentabar) ab eo tumulari tunc potuerunt. Et hæc ſatis ſint in præſenti.

CAPVT CXXXV.

Teſtimonium Libri, Anno 1515. typis editi, De Indulgentiis & Sancto- B
rum Corporibus in Ciuitate ac Diœceſi Mediolanenſi.

I. Liber hic hunc in modum eſt inſcriptus, quemadmodùm
Lombardus maiorum noſtrorum ſermo per ea tempora
ferebat: *Tractato vtiliſsimo alle anime deuote, ciò è, delle In-*
dulgentie & Corpi Santi, che ſono nelle Gieſie de la Citade de
Milano: etiam in alcuni altri lochi, che ſono nel Comitato de la
dicta Citade: come ſi troua per li antiqui Regiſtri, & Priuilegii autentici. Eſt
autem typis impreſſus Mediolani Anno Domini 1515. vt in fine legitur.

II. In hoc autem Libro, quænam Sacræ Reliquiæ in Baſilica Nazariana cuſ-
todirentur, his indicatum fuit verbis: *Gli iace Sancto Nazario, Martire:* C
Sancto Matroniano, Heremita: Sancto Lazaro, Archiepiſcopo de Milano, ſedette
anni vndeci: Sancto Olderico, Confeſſore: Sancto Clicerio, Archiepiſcopo de
Milano, ſedette anni diciotto: Sancto Venero, Archiepiſcopo de Milano, ſedette
anni cinque: Sancto Marolo, Archiepiſcopo de Milano: Sancta Perpetua, matre
de Sancto Nazario: Sancto Ariphredo, Martire (verè tamen Archiepiſco-
pus hic fuit, & non Martyr) *Sancto Angelberto: Sancto Anſelmo: Sancto*
Lino, Pontifico & Martire: lo brazo ſiniſtro de Sancto Petro Apoſtolo, cum le
Reliquie de tutti li Apoſtoli, riposte in lo Altare de Sancto Petro. Cùm verò
poſtea ſermo eſſet de Celſianæ Baſilicæ Reliquiis; his ille verbis factus
eſt: *Prima gli iace Sancto Celſo, Martire: Sancto Nabore, Sancto Cirinio, &*
Sancto Baſilido, Martiri. Et paulò pòſt: *Ancora in la Gieſa de Sancta Ma-* D
ria, la quale è li à canto, gli è vna Imagine de la Glorioſa Vergine Maria, che
è de grandiſsima diuotione. Et queſto ſi manifeſta per la moltitudine de li mi-
racoli, che ogni di concede à li intercedenti.

III. Sed quid ibi pariter de Ambroſiana Baſilica? *Gli iace lo Corpo del Glorio-*
ſiſsimo e Beatiſsimo Ambroſio, Archiepiſcopo de Milano, Doctore irreprehenſibi-
le, & Patrono noſtro Reuerendiſsimo &c. Et paucis interpoſitis: *In la dicta*
Gieſia iaceno molti corpi Sancti: li quali ſono li infraſcripti: ciò è, Sancto Pro-
taſio e Sancto Geruaſio, Martiri: Sancta Marcellina, Vergine: Sancto Caſto e
Sancto Polinio, Martiri: Sancta Candida Vergine &c. Et aliquantò pòſt de
Sancti Satyri Cappella, eidem Baſilicæ contigua, ſic etiam legitur: *Et il*
ſuo Corpo iace in lo ſuo Altare.

IV. Sic

IV. Sic igitur in hæc vſque tempora perennem videmus traditionem locorum, in quibus Sacra Corpora quieſcant, de quibus præſertim agere nunc nobis propoſitum eſt. A

CAPVT CXXXVI.

Sanƈti Celſi Corpus, Anno Domini 1521. ſub primario Eccleſiæ ſuæ Altari repertum, ſolemniter in eo ipſo collocatur.

I. PRO Corpore Sanƈti Celſi luculentum nobis profeƈtò per hæc tempora ſuppetit teſtimonium è Libro manuſcripto, in Celſiani Monaſterii Archiuo extante, mihiquè perhumaniter ſuppeditato ab ipſius Monaſterii Abbate Regulari, Ioanne Baptiſta Maderno, Vrbis noſtræ ſuiquè Canonicorum Regularium Ordinis ornamento, re vera ſingulari, & inter præcipua decora computando. B

II. In eiuſmodi ergo Libro inter alia multa, quæ ad Monaſterii ſtatum & ad nonnullorum ibidem Canonicorum Profeſsionem religioſam pertinent, ſic etiam ſcriptum extat folio 52. pagina 2. *Nota ancora, che nella detta noſtra Chieſa è il Corpo di San'Celſo, poſto ſotto l'Altare Maggiore, con altre Reliquie d'alcuni altri Santi, come ſi contiene in queſta memoria infraſcritta, cauata ad verbum da vn'Libro di vna perſona diuota, & particolarmente verſo queſto Glorioſo Santo. Videlicet: Anno Domini Milleſimo quingenteſimo vigeſimo-primo, die vigeſimo Aprilis, Abbas, ſeu Commendatarius Eccleſiæ Sanƈti Celſi fecit fodere ſubtùs Altare Maius: & inuentum fuit Corpus Sanƈti Celſi, & tria vaſa, in quibus erant de ſanguine ipſius Sanƈti, & de Reliquiis Apoſtolorum, & Sanƈtarum Fidei Spei & Charitatis. Die vigeſimo-oƈtauo ſupradiƈti menſis & Anni diƈtus Abbas fecit reponere Corpus & Reliquias cum maximo honore in Altari Maiori Sanƈti Celſi, præſentibus Domino Ruphino, Archiepiſcopi Vicario, & Scholaribus Sanƈtæ Mariæ, & multitudine magna Populi. Et etiam ego Ambroſius Braſca & Ioannes Baptiſta filius aderamus. Et de hoc faƈtum fuit Inſtrumentum.* Vtinam verò id etiam Inſtrumentum meas ad manus perueniſſet. Quamuis enim diligenter admodùm à me perquiſitum fuerit, necdùm tamen inuentum eſt. C

III. Ne tamen confiƈtam eſſe quiſpiam cauilletur Sacrarum eiuſmodi Reliquiarum inuentionem, atque honeſtiore illo in loco repoſitionem, commemorare prætereà lubet, quemadmodùm alia quoque veritatis eiuſdem indicia ſe ſe mihi obtulerint. D

IV. Librum in primis habeo, nuperrimè ab Amico donatum humaniſsimo illi erga me Carolo Septalio, Metropolitanæ Archipresbytero, recenter autem Terdonenſi Epiſcopo; ab ipſo autem protinùs mihi commodatum ad hunc finem, vt inde veritatem illam confirmarem. Ipſe ſiquidem fortè fortuna illam ibidem teſtatam conſpexit, ſtatimac inſpeƈto Libri principio; cùm cæteroqui benè conſcius iam eſſet, quali nunc ego

Diſſertationi

Diſſertationi conſcribendæ operam darem. Continet autem Franciſci A
Petrarchæ Triumphos, Cantiones, & alia multa pariter eiuſdem Car-
mina Etruſca, Commentariis Bernardi Ilicini, Franciſci Philalphi, &
Hieronymi Squarzifici explicata: de quibus Commentariorum Aucto-
ribus legi poteſt eruditiſsimi Iacobi Philippi Thomaſini Petrarcha Re-
diuiuus Capite 8. Quandonam verò typis editus ille fuerit, his ad cal-
cem verbis edocemur: *Finiſſe li Sonetti di Miſſer Franceſco Petrarca, im-
preſsi in Milano per Magiſtro Vlderico Scinzenzeler nel' Anno del Signore Mille
quattrocento nouanta-quattro, adi ventiſei de Marzo*. Sic igitur Liber ille
impreſſus ſe habet. In primo autem candidæ chartæ folio, quod Libris,
dum conſuuntur, anteponi ſolet, quodquè vulgò riſguardo nuncupa-
tur, ſiue in poſtrema eiuſdem folii pagina, quæ impreſſo Libri initio ex B
aduerſo reſpondet, conſcripta charactere perantiquo, ſecundùm idioma
eo tempore maioribus noſtris vſitatum, hæc verba leguntur; quæ tunc
abſque dubio credendus eſt ad poſteritatis memoriam dominus eiuſdem
Libri (ſicut ſæpè fieri ſolet) adiecisse. Illic ergo hæc (inquam) verba
leguntur: *Theſus. 1521. adi 20. di Aprili, à ore 21. Monſignoro Reue-
rendiſsimo Epiſchopo de Liſandria, Abati Santi Celſi, fece cerkar in la dita
Gexa. Trouò el Corpo de Santo Celſo, & anchora molti altri Reliquie de diuer'-
Santi, diuerſe ſorte, funi trouato ſoto el dito Altare de Santo Celſo. Ne fù fato
grandiſsima celebratione alla dita Geſſa. Credo veramente, che quello di veneſſe
più de duxento milli perſone à vedere quello benedetto Corpo ſanto*. Et hæc
quidem hunc in modum ſubſcripta ſunt: *Io. Antonio da Rò*. Eſt autem C
Rò notiſsimum atque celeberrimum Agri Mediolanenſis Oppidum, mil-
liario ab Vrbe octauo diſtans: è quo nobiliſsima hodiequè familia
Rhaudenſis, ſiue de Rhaude, cognomentum conſeruat. Subinde ſequi-
tur in eadem pagina, eodem (vt mihi videtur, vel ſaltem perſimili)
charactere, his exaratum verbis: *Memoria, como Monſignoro Reuerendiſsi-
mo & Illuſtriſsimo fece reponere el Corpo de Santo Celſo nel dito locho ſuo, pre-
xento molte gente, ciò è, Meſero l'Auicario de Milano contuti molti altri Sacer-
doti de ſua compagnia: che fù adi 20. de Aprili* 1521. Quòd tamen per
hæc demùm verba eidem prorsùs diei adſcribitur Celſiani Corporis
repoſitio in eius Altari, cui fuerat adſcripta illius inuentio; id ego qui-
dem calami errore factum interpretor. Non enim credibile videtur, D
ſacrum illud Corpus, ad quod viſendum ac religiosè colendum tanta
confluebat Fidelium multitudo, tam breui tempore, ſiue ab hora tan-
tùm eius diei vigeſima-prima vſque ad noctem, collocatum & expoſi-
tum in aperto fuiſſe loco, è quo inſpici poſſet. Quocirca illud ego po-
tiùs credidi repoſitum verè ac reconditum fuiſſe in Altari non alia die,
quàm eius menſis vigeſima-octaua; ſicut in priori eo Libro teſtatum
videbamus. Ruffinus ille porrò, Archiepiſcopi noſtri Vicarius, cogno-
mento Belingerius erat: idemquè Anno Domini 1518. Vitam Beatæ
Veronicæ, Monialis in Monaſterio Sanctæ Marthæ Mediolani, nuper
ab Iſidoro de Iſolanis Latinè conſcriptam, eodemquè Anno typis im-
preſſam,

preſſam , nuncupauit Ioanni Antonio Borſano , Eccleſiæ Sancti Pauli A Parocho: pariterquè Anno 1522. Ambroſianum comprobauit Miſſale, tunc denuò recognitum & impreſſum; ſicut ex ipſiſmet Beatæ Veronicæ Vita Miſſaliquè conſtat.

V. Illud verò me magis etiam magiſquè in huius rei fide confirmat, quòd eadem quoque teſtimonio Caroli à Baſilica-Petri , Nouarienſis demùm Epiſcopi, comprobatur . Caroli nomen (vt aliàs ego commemini) ex eo tantùm tempore ille aſſumpſit, ex quo religioſum Barnabitici Ordinis habitum: quem quidem nonniſi Anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-octauo aſſumpſit; vt Libro 1. Capite 7. conſtat ex ipſius Vita, per Innocentium Eccleſiam Italicè conſcripta. Priùs enim vocabatur Ioannes Franciſcus . Cùm igitur ſeptuageſimo-quinto eiuſ- B dem Sæculi Anno , poſt adeptam Iuris Vtriuſque lauream, Clericali fuiſſet Militiæ adſcriptus , ac præterea Baſilicæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius creatus eſſet, ſicut ex ipſius pariter Vita liquet Libro 1. Capite 3. tum verò conſcribendis Eccleſiæ Mediolanenſis Rebus ſeſe tradidit, Annoquè ſubſequenti bina nobis reliquit eius teſtimonia veritatis, quam in præſenti exquirimus. Librum in primis eodem ipſo Anno Italicum edidit De aliquot Vrbis Mediolanenſis Eccleſiis : & inter eas de Celſiana itidem ſcribens , cùm pauliſper ad Marianam illic in propinquo diuertiſſet ; ad illam ſe recipit his verbis : *Hora laſciando la Chieſa di Santa Maria, & tornando alla Chieſa di San'Celſo; è ſotto l' Altare grande il Corpo del Beato Martire San' Celſo , acconcio nel modo che ſi vede,* C *già circa cinquanta-cinque Anni; eſſendo prima ſotto terra , nel medeſimo luogo.* Sic etiam in Hiſtoria Mediolanenſi , quam non vltra Sancti Dionyſii, Archiepiſcopi noſtri Vndecimi , Pontificatum proſecutus eſt , quæquè primùm Anno 1628. typis edita fuit, eadem in Sancto Caio , Archiepiſcopo Tertio, repetit his verbis: *De puero Celſo nihil apud Paulinum; quòd fortaſſis etiam ab initio diuerſam ſortitus ſit* (vt re quidem vera, iam in ſuperioribus ſatis ſuperquè comprobata , ſortitus eſt) *ſepulturam ; vt Ambroſius illius Corpus ſimul eruere non potuerit . Illius Reliquiæ ſub Altari Maiori in Eccleſia eius nomine dicata conditæ apud nos coluntur . De quarum Tranſlatione Annis ab hinc circiter quinquaginta-quinque memoria eſt .* Vel ex hoc ipſo igitur Anno circiter quinquageſimo-quinto intelligi datur, D Hiſtoriam quoque hanc hucuſque ſaltem conſcriptam fuiſſe Anno circiter eiuſdem Sæculi ſeptuageſimo-ſexto . Sed & præterea in eamdem ſententiam conſentit ipſius initium , ab his deductum verbis : *Ciuitatis Mediolanenſis Hiſtoriam , ſi non eximia argumenti dignitate , pio ſaltem erga Patriam ſtudio motus , pro eo , quod mihi à Iuris Ciuilis ſtudio tribueretur otii, quandoque ſcribere cogitabam. De quo meo conſilio quid attinet nunc dicere? Nam vt me, ad Rerum Ciuilium curſum ingredientem, diuina vox ad Sacra reuocauit: & Sanctiſſimus Archiepiſcopus Carolus* (Borromæus) *initiatum in Collegium ſuum* (ſiue in Capitulum Metropolitanum) *cooptauit; ſacer ipſe ex profano , à profanis ad ſacra , à Ciuitate ad Eccleſiam traduxi conſilium meum.*

meum. Quod eò feci lubentiùs; quòd tanti Patris acceſsit auctoritas. Et verò qui de Eccleſia dicit, de Ciuitate tacere non poteſt. Si ergo prudentiſsimus hic Auctor talia ſcribebat Anno illo ſeptuageſimo-ſexto: ſi tunc quinquaginta-quinque circiter anni iam erant ex eo tranſacti tempore, quo facta fuerat ea Sacrarum Celſi Reliquiarum Tranſlatio; nonne reliquum eſt, vt hinc dignoſcamus, talibus hiſce verbis, velut intento digito, indicatam fuiſſe illam prorsùs earumdem Reliquiarum effoſsionem atque repoſitionem, quam videbamus eiuſdem Sæculi Anno factam vigeſimo-primo? A

VI. Ex hoc ipſo autem Anno vigeſimo-primo ego quidem facilè crediderim eam inualuiſſe conſuetudinem, quam nunc etiam vſu retentam contuemur: videlicet, vt ferreis è cancellis, Altari primario circumdatis, binæ pendeant è charta pergamena tabellæ, quibus enunciatur, ipſummet Sancti Celſi Corpus in eo eſſe conditum Altari. Peruetuſtæ quidem adhuc ibi ex perſeuerant: & quæ ſiniſtro introeuntium lateri reſpondet, talis eſt, *Corpus Sancti Celſi ſub Altare Maiori huius Eccleſiæ reconditum eſt, & nomen eius viuet in æternum*: quæ autem dextro, Latinæ ignaros Linguæ ſic affatur, *In queſto Altare Maggiore giace il Corpo di San'Celſo, con altre Reliquie.* B

VII. Altare porrò ipſum è grandibus marmoris candidi tabulis compactum eſt: & quadratam in medio tergo feneſtram habet, crate ferrea obſtructam: ex qua commodè introſpicitur incluſa è candido pariter marmore Arca, palmo circiter ab exterioribus tabulis diſtans. Et verò inſculptæ in circuitu conſiſtunt variæ Sanctorum imagines: ac tres illæ, quæ ſunt è feneſtræ regione, mihi profectò viſæ ſunt Chriſti Domini & Apoſtolorum Petri & Pauli, huius ad dexteram illius ad ſiniſtram eidem Chriſto adſtantis: de quo Apoſtolorum ſitu ſatis abundè iam ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis diſſerui Numero 65. & aliquot aliis ſubſequentibus. Eidem igitur Arcæ ineſſe creditur Sancti Celſi Corpus, & ibidem à Fidelibus adoratur. Sicut autem quidquam ego non ambigo, quin ibi fuerit ita collocatum Anno illo Domini Milleſimo quingenteſimo vigeſimo-primo; ſic etiam nihil poſtea in præſentem vſque diem arbitror mutatum intra marmoreum illud Altare; licet aliqua deinde ornamenta extrinſecùs addita fuerint. C D

✚

CAPVT

CAPVT CXXXVII. A

Teſtimonium Breuiarii Ambroſiani, typis impreſſi Anno Domini 1539. *& hoc pro Sancta item Perpetua, Sancti Nazarii matre.*

I. E Breuiarii Ambroſiani exemplaribus, typographicè impreſſis, & adhuc à me repertis, hoc quidem primum eſt, in quo proprias Sanctorum identidem incidentium Lectiones, ex ipſorum Vitis depromptas, inuenerim. Quod enim Capite 39. Numero 17. dicebam impreſſum Anno Domini 1490. in eo Lectiones è Sacra tantummodò Scriptura extabant. Itaque, B
cùm priuatim à Clero Ambroſiano recitaretur Officium Diuinum, non alias ego recitari Lectiones coniectabam: proprias verò Sanctorum Lectiones in Eccleſiis tantùm Collegiatis recitari; proptereaquè ſeparatim conſcriptas etiam eſſe; quales profectò erant illæ, quas ego nonnunquàm è Septaliano Codice nominaui.

II. Breuiarium igitur hoc, Anno Domini 1539. impreſſum, multas habet eiuſmodi Lectiones proprias Sanctorum: eorumquè nominatim habet, pro quibus nos in præſenti Opere laboramus: nimirùm Protaſii & Geruaſii, Nazarii & Celſi, necnon etiam Perpetuæ, quæ Nazarii mater fuit. Vt verò alibi monebam, ſingulis eiuſmodi Sanctis ternæ adſcribebantur eiuſmodi Lectiones, quarum prima & ſecunda ſuum protinùs C
habebant Reſponſorium; ſed ego, Reſponſoriis intermiſsis, eas contraham velut in vnius Lectionis contextum.

III. Vndeuigeſima porrò Iunii die ſic ibidem legimus: *Mediolani, Natiuitas Sanctorum Martyrum Protaſii & Geruaſii*. Cùm enim Clerus Ambroſianus propriam horum Sanctorum Natiuitatem, ſiue Paſsionem (ſicut eam Capite 122. Num. 3. vidimus in Ambroſiano illo Lectionario appellatam) celebrare non poſſet eo ipſo die, quo illi martyrium paſsi ſunt (quippe qui vigeſimus-quintus eſſet Martii dies, in tempus Quadrageſimale incidere ſolitus) eamdem celebrarunt eo die, quo ipſorum Corpora per Sanctum Ambroſium translata in Ambroſianam Baſilicam fuerunt; vt ſupra iam docuimus: & hæc, vt opinor, nonnullis occaſio D
fuit, vt ipſos hac ipſa die martyrium paſſos eſſe exiſtimauerint. Sequuntur ſubinde Lectiones, & his verbis conceptæ: *Hi gemini fratres filii fuerunt Sancti Vitalis & Beatæ Valeriæ. Qui, parentibus orbati, omnia pauperibus erogarunt. Et cùm per decem annos in vno Cænaculo concluſi lectionibus orationibus atque ieiuniis vacaſſent; vndecimo ad palmam martyrii peruenerunt. Tenti ſunt itaque ab Aſtaſio Comite. Qui Geruaſium tamdiu iuſsit plumbatis contundi, quamdiu exalaret ſpiritum: Protaſium verò, fuſtibus cæſum, decollari fecit. Quorum Corpora Philippus, vir religioſus, vnà cum filio ſuo furtim abſtulit, & in domo ſua in arca marmorea ſepeliuit. Quorum ſepulchra multo pòſt tempore, Theodoſio Imperante, ipſis ſe Martyribus reuelantibus,*

à Beato Ambroſio reperta ſunt. Erant enim miræ magnitudinis viri, recentes A
& incorrupti, ac ſi eadem die in ſepulchro fuiſſent poſiti. Quibus leuatis, cæcus
quidam, Seuerus nomine, ex eorum contactu lumen illicò accepit. Hæc ibi
decimo-nono Iunii die.

IV. Rurſùs autem die Iulii vigeſimo-octauo: *Mediolani, Natiuitas Sanctorum*
Martyrum, Nazarii & Celſi. Mox & Lectiones in hunc modum: *Beati*
Nazarii, Romæ exorti, pater Africanus fuit, mater verò Perpetua, à Beato
Petro baptizata. Ipſe verò Sanctus Nazarius à Sancto Lino baptizatus &
inſtructus eſt. Quo comperto, metuens Pater, ne tormentis addictus deficeret;
ſeptem animalium onera auri & argenti ei largitus eſt. Qui de Vrbe Roma diſ-
cedens, circumquaque prædicando verbum Dei, omnia, quæ attulerat, largitus
eſt pauperibus. Poſt decimum Annum, per Placentiam Vrbem tranſiens, venit B
Mediolanum: ibiquè tunc inuenit Martyres Chriſti, Protaſium & Geruaſium,
in carcere ab Anolino Principe conſtitutos. Quos cùm confirmaret in Fide Chriſti;
tentus eſt ab Anolino; à quo grauiter fuſtibus verberatus, protectus eſt extra
Ciuitatem. Surgens autem, verbum Dei vbique prædicando, peruenit in Ci-
uitatem Galliæ, quæ dicitur Cimellus. Vbi, cùm multos Fidei Chriſti ſubiecíſ-
ſet, Matrona quædam ei ſuum paruulum, nomine Celſum, obtulit: quem, in
Fide Chriſti confirmatum, ſecum tenuit. Tandem poſt innumeras gentes verbo
Dei ad Deum conuerſas, poſt infinita tormenta viſitationeſquè Angelicas, tan-
dem Mediolanum remearunt: ibiquè ab Infidelibus tenti, extra Ciuitatem, foris
Portam Romanam, ad locum, QVI TRES MOROS DICITVR, *ducti, de-*
collati ſunt & ſepulti. Quos Beatus Ambroſius poſtea reperiens, Nazarii Corpus C
ad Baſilicam Apoſtolorum repoſuit. Quamobrem ſuperiùs etiam die Maii
decima, qua fuerat celebrata *Translatio Corporis Beati Martyris Nazarii*
ad Baſilicam Apoſtolorum, ſic item ad Matutinum legebatur: *Erat enim*
Nazarii Corpus AD TRES MOROS *in horto reconditum. In cuius ſepul-*
chro ſanguis ita recens inuentus eſt, ac ſi eadem die fuiſſet effuſus. Caput etiam
ipſius, quod ab impiis fuerat abſciſſum, ita integrum cum capillis & barba, vt
videretur eodem tempore lotum, & in ſepulchro compoſitum. Odor etiam tan-
tus efflagrauit, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem. Quo ad Baſilicam
Apoſtolorum translato, cùm tractaret Epiſcopus &c.

V. Nunc ad Perpetuam, Nazarii matrem, cuius annua feſtiuitas celebrari
tunc ſolebat quarto die menſis Auguſti. Eius ergo Lectiones ad ver- D
bum tales erant: *Romæ, Beatæ & Sanctæ Perpetuæ, matris Sancti Marty-*
ris Nazarii. Quæ ſic diuinæ gratiæ radio illuſtrata extitit, vt, execrato Gen-
tilitatis errore, ab Apoſtolorum Principe baptizata, non ſolum Nazarium filium
ad Chriſti cultum flecteret, ſed & Africanum, eius infidelem virum, Iudaici
Ritus cultorem; fidelis mulier, duplici lucro ditata, Chriſtianorum Collegio ſo-
ciaret. Hæc, miſericordiæ operibus exuberans, indigentibus ſubueniebat, &
afflictos miſeria conſolabatur. Hæc Beatorum Martyrum Corpora pio tradidit
ſtudio ſepulturis. Hæc, miris coruſcans virtutibus, fugabat Dæmones: à morbo
cancri Matronam, nomine Seruiliam, liberauit: Iuliam, Neronis filiam, ſana-
uit lunaticam: ab ignis quoque incendio Romam Signo Crucis ſeruauit indem-
nem,

nem, & filium Mamurtini ſuſcitauit. Hæc denique, in ſinceritate Fidei & A
operum ſanctitate perſeuerans, carnis deſerens clauſtrum, læta migrauit ad Chriſtum. Hæc igitur Matronæ tam inſignis elogia lætus ego quoque hic inſero: ſcilicet vt eius ſanctitas planiùs cognoſcatur, quàm potuerit ex iis, quæ de ipſa recitabamus è Sanctorum Nazarii & Celſi Vita, per Mombritium producta.

VI. Sed quid item de Sancto Syro? *Papiæ* (inquit ad nonam Decembris diem) *Depoſitio Sancti Syri, Epiſcopi. Qui videlicet à Beato Ermagora, Marci Euangeliſtæ diſcipulo, Epiſcopus ordinatus, cum Beato Iuuentio ab Aquilegia Papiam directus eſt, primituſquè ibi nomen Chriſti prædicauit.* Et paulò pòſt: *Poſt hæc peruenit Papiam: cuius viſis miraculis, ferè omnis Ciuitas baptizata eſt. Eo tempore, perſequente Nerone, Sancti Martyres Nazarius &* B *Celſus ab Anolino Comite Mediolani trucidati ſunt: & Sancti Martyres Protaſius & Geruaſius carcere tenebantur. Poſt quos* (Protaſium & Geruaſium) *trucidatos, Liberius quidam, ad petitionem Sancti Diaconi Iuuentii, particulam ex indumentis Sanctorum Martyrum Syro Epiſcopo ſumma cum reuerentia obtulit. Quibus Sanctorum Martyrum pignoribus multis ſignis comprobatis; in eorum honorem, extra Ciuitatem, vnam Eccleſiam, & primam in eadem Vrbe, conſtruxit in modum Crucis, & conſummatam conſecrauit.* &c.

VII. Notatu verò dignum eſt, quòd hæc ipſa, quæ nos è præſenti Breuiario deprompſimus, ad verbum retenta item fuerunt in poſteriori pariter Breuiarii noſtri editione, quæ Anno Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo elaborata fuit. C

CAPVT CXXXVIII.

Teſtimonium Breuiarii Ambroſiani, aliquantùm reformati, ac typis impreſſi Anno 1549.

I. DVabus illis Breuiarii noſtri editionibus, quas ego Capite proximo memorabam, quædam interceſſit media, neque tempore ſolùm, ſed etiam qualitate. Quippe Anno 1549. abſoluta fuit, cùm per Andream quemdam Souicum, Sacerdotem noſtratem, reformatum fuiſſet, multiſquè in re- D bus immutatum ſecùs, quàm in anteriori editione ſe haberet. Eam tamen Clero Mediolanenſi non placuiſſe, vel hoc indicio ſatis explicatur; quòd Anno poſtea 1557. recuſum illud & reſtitutum in eam prorſùs formam fuit, quam ſuperiori habebat Anno 1539.

II. Inter cæteras mutationes iſtæ etiam erant; quòd aliquæ Sanctorum propriæ Lectiones è tribus contractæ fuiſſent in vnam, quæ duabus aliis è Sacra Scriptura Lectionibus tertia ſimul & poſtrema ſuccederet; quòd præterea pleræque priori è ſtatu multùm immutatæ fuiſſent; quòd item nonnullæ penitùs omiſſæ. Sanè quidem penitùs omiſſæ fuerunt Sanctæ Perpetuæ Lectiones: quæ verò ad Sancti Nazarii Translationem pertinebant,

nebant, in vnam & poſtremam redactæ fuerunt; eaquè fuit in eum efformata modum, quem mox videbimus: tres autem Sanctorum Protaſii & Geruaſii Lectiones ad verbum deſumptæ ſunt è Philippi Libello; quem propterea hinc etiam cognoſcimus in Eccleſia Mediolanenſi per hæc tempora receptum fuiſſe tamquàm legitimum, authenticum, & fide dignum: denique verò tres aliæ Sanctorum Nazarii & Celſi Lectiones mutuatæ ſunt ex ipſorum Vita, per Mombritium recitata. A

III. Qualiſcumque tamen fuerit eiuſmodi mutatio; nihil profectò derogatum eſt iis, quæ nos in Opere præſenti contendimus pro Sanctis Nazario & Celſo, ac Protaſio & Geruaſio. Quamobrem in eorumdem Nazarii & Celſi Paſsione Lectio Secunda ſic etiam ſe habebat: *Denique Mediolanum venit* (Nazarius) *ibiquè Protaſium & Geruaſium, ab Anolino in carcere detentos, inuenit. Quos adhortatus, vt viriliter agerent, Mediolano diſceeſſit.* B Sic etiam Tertia mox Lectio, poſt factam Neroniani mentionem mandati, quo Nazarius & Celſus capti fuerant, & in mare deiecti, ac demùm capite damnati, tum verò his ad extremum verbis concludebatur: *Educti itaque extra Portam Romanam, ad locum, qui* AD TRES MOROS *dicitur, decapitati ſunt. Quorum Corpora in eodem loco viri religioſi, condita aromatibus, ſepelierunt.* Quomodo autem recenter contexta tunc eſſet Lectio Tertia, Translationi Sancti Nazarii propriè accommodata, nunc accipe. *Poſt multum tempus* (ea vtique talis erat) *cùm Deus Omnipotens pro ſalute Credentium Sanctos ſuos ad noſtram voluiſſet venire notitiam; eorum Corpora Beato Ambroſio, Mediolanenſi Epiſcopo, reuelauit, Theodoſio Imperatore* (id quod ego iam negaui) *regnante. Qui cùm ad locum acceſſiſſet vnà cum Populo vniuerſo; erudeata deſuper terra, inuenerunt Sanctum Nazarium, quaſi eadem hora poſitum, miro odore fragrantem: Sanctum verò Celſum, in quo poſitus fuerat loco, obtectum dereliquit. Porrò Nazarii Corpus, vt erat integrum atque incorruptum, cum capillis capitis & barba, in lectica compoſitum, cum multitudine innumerabili & canticis Angelicis, ad Baſilicam Apoſtolorum venerabiliter tumulauit.* C Sed ne tacenda quidem hoc loco mihi ſunt, quæ nobis pro præſenti cauſa per idem Breuiarium ſuppeditantur in Prima Sancti Syri Lectione, quæquè ſunt huiuſmodi: *Syrus Beati Hermagoræ Aquilegienſis Epiſcopi diſcipulus fuit. Qui ab eodem Epiſcopus ordinatus, Papiam Ciuitatem miſſus eſt, ad prædicandum Fidem Chriſti; iuncto ſibi Inuentio diſcipulo.* D Nec multò pòſt: *Ingreſſus itaque Vrbem, verbum Dei Populo prædicabat, multoſquè conuertebat & baptizabat. Cumquè Beati Martyres Protaſius & Geruaſius martyrio vitam finiſſent; quidam, nomine Liberius, de Reliquiis eorum Beato Syro detulit. Quas ipſe ſuſcipiens, multas virtutes in eis operatus eſt. Quapropter extra Vrbis mœnia Eccleſiam Domino in honorem eorum erexit.* Talia igitur cauſæ noſtræ præſidia in eo etiam Breuiario extabant.

CAPVT

CAPVT CXXXIX. A

Andreæ Alciati teſtimonium, nobis aduerſum, viciſsimquè à nobis confutatum.

I. Attento temporis ordine, non alium profectò aduerſariū in
præſenti cauſa nos adhuc inuenimus Andrea infenſiorem
Alciato: qui quidem grauibus Iuriſprudentiæ, & amœnis
Eloquentiæ ſtudiis, inter ſe feliciter coniunctis, celeber-
rimum, & admirandum, & exteris inuidendum fuit huius
Vrbis Patriæquè ſuæ decus. Aetatis ille ſuæ Annum age-
bat quinquageſimum-octauum; cùm Anno Chriſti quinquageſimo ſu- B
pra Milleſimum quingenteſimum, pridie Idus Ianuarii occubuit; ſicut
è nobiliſsimo conſtat ipſius Epitaphio ac Sepulchro, quod Papiæ in
Sancti Epiphanii Eccleſia conſpicitur.

II. Hiſtoriam verò etiam Mediolanenſem ſcribere aggreſſus; eam tamen ad
Valentiniani tantùm & Valentis Imperium, Anno Chriſti Trecenteſi-
mo ſexageſimo-quarto incœptum, per quatuor Libros protraxit; morte
forſitan, vt quidam ſuſpicati fuerunt, interceptus. Et hanc quidem
Hiſtoriam è Bibliothecæ Ambroſianæ codice manuſcripto primus typis
euulgandam curauit Anno 1625. Ioannes Baptiſta Bidellus, Vrbis noſ-
træ bibliopola nulli ſecundus: idemquè dilectiſsimo illi meo, ſæpequè
à me grati animi cauſa nec vnquàm ſatis laudato, Domno Matthæo C
Valerio, Carthuſiæ Papienſis tunc Procuratori, poſtea verò multos per
annos Priori meritiſsimo, ipſam nuncupauit.

III. Alciatus ergo Libro Secundo, cùm de Neronis acerbiſsima in Chriſtia-
nos perſecutione dicere incœpiſſet, hæc adiecit: *In Tranſpadanam Gal-
liam* (Nero) *Anolinum quendam Præfectum miſerat, qui Chriſtiani Nominis
Quæſitor foret. Eo tempore Nazarium & Celſum, tum Protaſium Oribaſium-
què* (à nobis Geruaſium appellari ſolitum) *ſummo ſupplicio affectos, Sacri
Scriptores, quotquot in præſentem diem videre contigit, auctores ſunt.* Præ-
clara profectò ingenui ſincerique hominis confeſsio. Sed quanti eam
vice verſa ipſe facit? *Quod procul dubio* (vide, quàm certum ipſi hoc
videatur) *à veritate longiſsimè abeſt.* Ecce verò rationes, quæ ipſum D
permouerint. *Arguit hoc Libellus, quem ſe ante Protaſii caput inueniſſe Diuus
Ambroſius teſtatur. Occiſos ab Aſtaſio Comite, dum aduersùs Marcomanos arma
compararet, Protaſium Oribaſiumquè, is indicat. At Marcomani, Germaniæ
Populi, vt Cornelius Tacitus ſcribit, ad ſuam vſque memoriam Romanis amici
fuere: quorum armis rarò Barbari, ſæpiùs pecunia iuuabantur: eamquè inde
ipſi gratiam referebant, vt vim & potentiam Regibus ex auctoritate Romana
tribuerent. Primus Rom. Imperator, cum filio Commodo, M. Antoninus Pius,
excitatis in ſocietatem aliis Barbaris, præferoces armis compeſcuit; vt eo tem-
pore periiſſe celeberrimos Religionis noſtræ Aſſertores conjectare liceat; deceptis
idcirò recentioribus, quòd Commodus, Neronis moribus non impar, eo quoque*

titulo

titulo ſuas ſtatuas inſcripſit. Nam, qua percuſſi ſint tempeſtate, neque apud A
veteres conſtaſſe, Nolæ Antiſtes Paulinus (ego eum iam negaui Nolæ An-
tiſtitem fuiſſe) *oſtendit: qui in Ambroſii Vita, quo ceciderit tempore Naza-
rius, ſe neſcire teſtatus eſt. Eum autem Protaſii ætate vixiſſe, nemo eſt, qui
dubitare iure poſsit. Accedit his, quòd Aſtaſius Comes ſub Nerone eſſe non po-
tuit; eo dignitatis nomine tum incognito.* Binæ ſunt igitur adhuc rationes,
quas Scriptoribus illis Sacris Alciatus opponit. Prima; quia Marcomani
Romanis amici fuerint vſque ad Cornelii Taciti memoriam; nullumquè
propterea bellum ipſis vſque ad illud tempus interceſſerit; ac proinde
ne Romanorum quidem nomine quempiam contra Marcomanos arma
comparaſſe. Secunda illius ratio hæc erat; quia Neronis tempore in-
cognitum adhuc eſſet Comitalis dignitatis nomen. Sed hæ quidem ra- B
tiones quàm euanidæ ſint & inefficaces, ſatis per nos iam conſtat ex
iis, quæ diſſeruimus Capite 28. 29. 34.

IV. Pergit eodem Libro Secundo Alciatus: dumquè Lucium Virginium
Rufum, qui extremo Neronis tempore Germanicis Legionibus præerat,
quiquè, audita Iulii Vindicis Galliæ Præfecti aduerſus Neronem con-
ſpiratione, contra eum ſtatim profectus eſt: dumquè Lucium (inquam)
illum contendit patria fuiſſe Mediolanenſem; ſimul etiam nobile nobis
teſtimonium pro Sancti Celſi Corpore, nuper in eius Eccleſia inuento,
relinquere videtur. *Fuiſſe Mediolanenſem* (verba ſunt eiuſdem Alciati)
*ex C. Cæcili Epiſtola tradunt doctiores: indicioquè eſt antiquis marmoribus
celebris in hac Vrbe familia. Clarus municipali honore in primis Sextumuir L.* C
*Virginius Attilianus, tum Virginius Meſſor, & Virginius Quintianus, conſpi-
cuo in Nazarii Aede tumulo æterni omnes. Inter fœminas Virginia Artemia in
Dionyſii* (nimirùm Aede, ſeu Baſilica) *ſeruat adhuc nomen: vulgoquè notior
Aurelia Virginia in Celſi area, nuper eius inuento Corpore, etiam poſt tot annos
integro; quod tamen ob aeris vim demùm eſt reſolutum, purpurea veſte ſolo
tactu defluente.* Per hæc vtique verba videri fortaſſe alicui poſſet Alcia-
tus de Sancti Celſi Corpore locutus: quod Anno Domini 1521. (ſicut
ego quoque Capite 136. narrabam) inuentum, cauſa fuerit, cur Popu-
lus ſolito frequentior illuc conflueret, ac propterea vulgo notior eua-
deret Aurelia illa Virginia, cuius tumulus & lapis eius nomine in-
ſculptus extaret in area, ſiue platea, Celſianæ illi Eccleſiæ præiacente. D
Sed mihi profectò Alciatus ibi, non de Sancti Celſi, ſed de Aureliæ
illius Virginiæ Corpore locutus videtur; ſicut etiam contextus ipſe meo
quidem iudicio vnicè requirit. Ea igitur ſub illud tempus, quo Alcia-
tus hanc Hiſtoriam ſcribebat, facta fuit vulgo notior; quia nuper in
area illa inuentum fuerat eius Corpus; ac tale prorsùs, quale iis verbis
deſcribebatur. Idipſum verò iam ante ſenſiſſe mihi videtur etiam Ca-
rolus à Baſilica Petri, cuius erat ille Codex, & cuius munere nunc eſt
Bibliothecæ Ambroſianæ (ſicut in fronte teſtatum habet) cuius præte-
rea manu conſcriptæ mihi videntur marginales illæ notatiunculæ, quæ
in eo paſsim conſpiciuntur. E regione ſiquidem illorum Alciati ver-
borum,

borum, quæ tandem mox ego recitabam, ſic in ora marginali adſcrip- A
tum eſt: *Simile traditur de Corpore Tulliolæ, vt aiebant, Romæ ante octo-
ginta annos reperto.* Sed illud inſuper huc accedit; quod, quando deni-
que Sancti Celſi Corpus inuentum fuit, non ita videtur ob aeris vim
reſolutum, quemadmodùm Alciatus narrabat. Si enim reſolutum ita
fuiſſet; ego quidem ſic exiſtimo, vt per octo dies illud non reliquiſſent
in aperto & publico expoſitum ante, quàm in Altari reconderetur.
Sed hinc rursùs cum Alciato progrediamur.

V. Poſt Antiſtitem noſtrum Barnabam, narrauerat iam ante Alciatus, Eccle-
ſiæ Mediolanenſi præfuiſſe Anatelonem, atque hunc vixiſſe vſque ad
octauum Neronis Annum. Iam verò verbis illis, à me proximè reci-
tatis, hæc ſubtexit: *Præfuit tunc Anatelonis ſucceſſor Caius: qui pro more* B
*Chriſtiano cùm plures, puro, qui ad Euſtorgii labitur, Fonte lotos, ſaniora
conſilia ſequi docuiſſet; veritus Neronis edictum, ſæuaſquè Anulini eius Præ-
fecti executiones, ab Vrbe profugerat. Secuta Principis (*Neronis*) nece, re-
uerſus, in dies meliora conabatur, donec ab Decurionum Ordine iuſſus flagellis
cædi, per Æditnos, tamquàm impietatis in Deos reus, mactatus eſt. Excita-
uerat ad ambitioſum decretum Magiſtratus, quòd in ſuam ſententiam quoſdam
etiam Decuriones Caius traxiſſet.* Et aliquantò pòſt: *Mediolanenſis Sacri
haud ita multò pòſt Antiſtes fuit Caſtricianus, vitæ Sanctitate morumquè ele-
gantia vnicum Vrbis ſpecimen. Cumquè non exemplo ſolùm ſed & aſſiduis
concionibus Populum à veteri Deorum ſuperſtitione in dies retrahere conaretur;
veritus Domiciani, qui Veſpaſiani filius tunc regnabat, in Chriſtianos legem,* C
ſecedere parumper à tumultu decreuit. Decurio quidam ante eum fuerat,
PHILIPPVS *nomine, duobus filiis Fauſto Portioquè, indole nequaquàm dege-
nere, felix. Ipſe, Caii tempeſtate mortuus, domum ſuam Præſuli Chriſtiano
legauerat. Ea, quòd paulùm in receſſu extra Ciuitatem eſſet, Caſtriciano habi-
tabatur. Verùm, quieſcente tandem pauxillùm Domiciani furore, quia nullum
Chriſto Sacrarium adhuc conſtitutum erat; eas ædes primus veri Dei Delubrum
dedicauit. Noſtris temporibus Franciſci appellationem tenet. Imitati laudabilem
patris munificentiam Fauſtus & Portius, ſuadente Caſtriciano, ipſi quoque Deo
Optimo Maximo Templa condidere: quæ dein Sanctiſsimorum Virorum tumu-
lis referta, etiamnùm ſolemnibus diebus religioſè ſalutantur, & ab Auctoribus
acceptum apud peritos ſeruant adhuc nomen.* Hæc autem obſeruari nobis D
opus eſt pro Philippo præſertim eo, cuius mentio hic eſt; ac de quo
longè aliter ſentientem Alciatum mox videbimus, ne ſibi contradicat.

VI. Etenim Libro Tertio, vſque ad Marci Aurelii Antonini & Lucii Veri
Imperium protracta Hiſtoria, ſic progreditur: *Maxima quoque apud
poſteros gloria dignus Myſtes quidam Iulianus: qui de Ritibus Sacrorum ſcrip-
ſit: & tam egregiæ in diuinis operibus eruditionis fuit, vt ſiti pereuntibus
Romanis Legionibus à Deo Optimo Maximo pluuias impetrauerit; quibus epotis
præſentaneam mortem euaderet Miles. Chriſtianæ hunc Religionis Virum &
ſub Marco Philoſopho floruiſſe, opinari libet; quoniam apud alios Rerum Scrip-
tores Marcum legere memini, cùm vnà cum filio Marcomanis inferret bellum,*

 eamquè

A *eamquè ad inopiam perueniſſet exercitus, vt aquæ penuria periclitarentur omnes; Militis Chriſtiani precibus exoratum largiſsimos imbres Deum effudiſſe. Quapropter optimus Imperator, nedùm in hanc Religionem inquiri eiuſquè profeſſores edicto vetuit accuſari, ſed & in adipiſcendis honoribus eiuſdem conditionis cum exteris eſſe iuſsit; cùm tamen priùs eos atrocibus pœnis foret perſecutus. Nam ſubeleſcente huius belli mole, aduersùs hoſtes primùm miſit Aſtaſium (quod dignitatis nomen erat) Comitem. Hic cùm Mediolani conſtitiſſet; profani cultus impellente turba, Protaſium Oribaſiumquè, Valeriæ ex Vitali gemellos partus, Deis Gentilibus vt Sacra facerent, compellere adnixus eſt. Quod cùm mira animi conſtantia vterque renuiſſet; plumbatis Oribaſius capite Protaſius cæſi, inter Chriſtianorum Diuos relati, æternum ſeruant nomen. Eorum cadauera clàm Philippus quidam, tum diues & opulens, intra domus ſuæ tecta* B *ſepulchro mandauit: libellumquè, huius rei indicem, tumulo impoſuit, quem ſe legiſſe Ambroſius auctor eſt. Aſtaſium tunc Comitem ab Auguſtis miſſum is tradit; vt non id ſub Nerone factum (quam vulgatam opinionem ſupra falſam conuicimus) ſed Marco Lucioquè Diuis fratribus, in Imperium aſſumptis, credere neceſſarium ſit; cùm tum primùm duo Auguſti regnauerint, Marcomanoſquè agitauerint bello. Quæ ſententia ſi vera ſit; Philippum quoque illum eodem tempore vixiſſe, credendum eſt; tametſi crebriorem ſecutus in hoc aliorum opinionem, Neronis tempore eum extitiſſe prodiderim. Niſi ab illo diuerſus hic, ex nepotibus fortaſsè; quòd veteri lege gentiles ſimul cognomines traduntur.*

VII. *Cæterum eadem tempeſtate Nazarius quoque & Celſus vltimo ſupplicio affecti ſunt, eadem delati noxa, quòd Deorum Sacra contemnerent. Teſtis indigniſsimæ eorum necis eſt extra Vrbis Portam, cuius Ludouicæ nomen in præſentia* C *dicitur, locus, qui à veteribus* TRIVM MORORVM *appellationem tenuit, nunc Celſi Delubro ſacer omni Populo venerabilis eſt. Antiqui nominis cauſam tres mori arbores quidam opinantur; quòd patrum noſtrorum memoria etiam ibi frondeſcerent. Ipſe tres Maurorum imagines lapideas potiùs exiſtimauerim. Nam adhuc in Portæ ipſius fornicibus, vicino loco translatæ, illic viſuntur. Arbores enim hoc ætatis viuere, naturæ leges non ſinunt. Quòd ſi miraculum id pro diuino teſtimonio eſt; cur perpetuum, vt per ora hominum æternum vigeret, non permanſit? Dii quidem, etſi omnia poſsint, malunt tamen maiore in negotio poteſtati ſuæ indulgere. Et hæc de Nazario dicta ſint ſatis.*

VIII. *At Protaſii mater Valeria, cùm, defuncto Rauennæ Marito, Mediolanum rediret; Syluano Agreſtibuſquè Dijs Sacra facientes quoſdam offendit; à quibus,* D *quoniam ſe Chriſtum ſequi faſſa erat, tam acriter verberata eſt, vt ægrè triduo ſuperuixerit. In maxima enim veneratione ab Inſubribus Syluanus habebatur* &c. Hactenùs Alciatus pro ſingulari ſua opinione, qua Protaſium & Oribaſium (nobis Geruaſium) necnon etiam Nazarium & Celſum, contendebat necatos fuiſſe, non ſub Nerone, ſed ſub Marco Aurelio Antonino & Lucio Vero Imperatoribus.

IX. Hæc autem cùm à me in ſuperioribus per obuias occaſiones ac temporis rationes confutata iam fuerint; idcircò nunc diſcuſsione noua non indigent.

gent. De Philippo tantùm dicam illo, quem denique Alciatus credendum eſſe tamquàm ex hypotheſi concludebat vixiſſe tempore, non Neronis, ſed Marci Aurelii & Lucii Commodi. *Quæ ſententia ſi vera ſit; Philippum quoque illum eodem tempore vixiſſe, credendum eſt*: hæc erat hypothetica & conditionata (vt Dialectici loquuntur) Alciati argumentatio. Sed ego, vice in contrarium verſa, ita potiùs argumentor: Ergo ſi Philippum quoque illum eodem tempore vixiſſe, credendum non ſit; ne ſententia quidem illa vera eſt. Certè autem, illud credendum non eſſe, vel hinc liquet. Si enim Philippus ille à Sancto Caio baptizatus fuerat: ſi eidem Caio ſuam legauerat domum; certè vixit Neronis tempore; niſi fortè Alciatus nobis etiam ſimul negare auſit, Sanctum Caium vixiſse tempore Neronis; quod quidem non ſine manifeſta temeritatis nota negari poteſt. A B

X. Quòd autem alterum ſibi quærit Alciatus diuerticulum: alterumquè comminiſci videtur Philippum, ac fortaſse vnum è ſuperioris illius Philippi nepotibus, eiuſquè propterea cognominem; certè ne hoc quidem illi ſatis eſse poteſt. Etenim Philippus ille, Sanctorum Protaſii & Geruaſii contemporaneus, eorum denique Cadauera ſepeliuit in ſua ipſius domo, & in ea quidem, quæ deinde in Baſilicam Cognomento Philippeam conuerſa eſt, & in qua proinde à Sancto Ambroſio tandem inuenta ſunt ante Corpora Sanctorum Naboris & Felicis. Sicut igitur ea domus, in eam Baſilicam conuerſa, verè non alterius Philippi, quàm prioris illius, fuit; ſic etiam non alter, quàm prior ille Philippus, Cadauera illorum ſepeliuit. Si enim prior ille Philippus domum illam ſuam tradiderat Sancto Caio: ſi Sanctus Caſtritianus, Caii ſucceſſor, illam conuerterat in Baſilicam Chriſtianam; qua veritate poſtea potuiſſet poſterior hic Philippus, prioris illius nepos, de vna eademquè domo illa loquens, in eo Libello dicere: *Ego Seruus Chriſti, Philippus, intra domum meam Sanctorum Corpora, quæ cum filio meo rapui, & ſepeliui?* Et rursùs: *Ego ſeruus Chriſti, Philippus, abſtuli cum filio meo furtim nocte Sancta Corpora, & in domo mea, Deo ſolo teſte, in iſta arca ſaxea, ſepeliui?* Numquid fortè Alciatus reſpondere inſuper audebit, domum illam, quæ poſtea in Baſilicam Philippi conuerſa eſt, non à priore illo Philippo, ſed ab hoc poſteriore legatam eſſe? Numquid etiam, primam Vrbis noſtræ Baſilicam (quæ quidem communi Scriptorum conſenſu Philippea fuit hæc) nonniſi poſt Annum Domini Centeſimum ſeptuageſimum conditam fuiſſe? Prò, quàm multa inſuper alia eiuſmodi conſectaria concedantur oportebit, ſi doctrina hæc Alciati admittatur! C D

XI. Nos igitur priorem potiùs, & communi Doctorum Eccleſiaſticorum ſententiæ conſentaneam, quàm poſteriorem Alciati doctrinam, ſequemur: lubenterquè ipſum denuò audiemus priori adhærentem ſententiæ in quodam ſuo Fragmento, cuius exemplar mihi eſt, *De Templo Sancti Euſtorgii, Mediolani*. Sic enim hac de re in eo ſcribebat non procul ab initio: *A latere Delubri* (Euſtorgiani) *limpidiſsimæ aquæ ſcaturiunt: & ipſæ*

 iccircò

iccircò venerationi habitæ propterea, quòd ſub Nerone Auguſto trucidati Chriſtiani Martyres ibi proiiciebantur. Habeo Auctores, qui, hac tempeſtate Re Chriſtiana ad Caium, Antiſtitem huius Vrbis Tertium, deuoluta, tradunt, Cæſaris Vicarium Paulinum, Ethnicum alioquin & Infidelem, vbi diuerſæ Religionis viros fuiſſet adortus, tormentis omnibus adhibitis eos occidere ſolitum, & prædictis aquis mergere. Inter quos Oribaſium, Protaſium, Nazarium, Celſum, Magnum, aliosquè complures extitiſſe legimus. Quidam Præſidis nomen, non Paulinum, ſed Anolinum, eius ſucceſſorem, fuiſſe arbitrantur: nec ſub Caio Antiſtite cœptam perſecutionem, ſed ſub Magno. Verùm vtcumque ſit; & hoc conſtat, luſtralibus illis aquis tactos à Caio Ciuitatis Primores Dæmonum Sacrificiis abrenunciaſſe, & quæ vocant Baptiſmi ſuſcepiſſe myſteria: qualis Valeria fuit cum coniuge Vitali: Philippus, duoquè eius filii, Fauſtus & Portius: & hi, quos martyrii corona illuſtres ſupra retulimus. Quo quidem indicio extra omnem controuerſiam deſignat Oribaſium & Protaſium. Nec plura ego in præſenti ex Alciato.

A B

CAPVT CXXXX.

Aloyſij Lippomani & Laurentij Surij teſtimonium pro præſenti cauſa.

I. DIgreſſus ab Alciato, ſtatim ei contrarium nanciſcor Aloyſium Lippomanum, Patricium Venetum, ac poſtea Veronenſem Epiſcopum, & in colligendis examinandiſquè Sanctorum Vitis accuratiſsimum: qui, teſte Antonio Poſſeuino in Apparatu Sacro, florebat Anno Domini 1545. & in Concilio Tridentino clariſsimus fuit, ac tandem obiit Anno 1559. C

II. Hic nempè ſuperiorum quatuor Martyrum noſtrorum Vitam è Simeone Metaphraſte recitaturus illam, è qua nos item in ſuperioribus multa decerpſimus, eidem ſequentia præfatur: quæ quia poſtmodùm Laurentius etiam Surius die 19. Iunii ad verbum repetita comprobauit; idcircò eum quoque vnà cum Lippomano teſtem hic nobis aſciſcimus.

III. Talis ergo eius Præfatio ſic ſe habet: *Aloyſius, Epiſcopus Veronenſis, Pio Lectori. Duo in hac Vita, quæ ſequitur, videbis, quæ primo ſtatim occurſu animum tuum facilè percellere poterunt. Primum, quòd Sancti Martyres, Nazarius, Geruaſius, Protaſius, & Celſus ſiue Celſius puer, ſimul gladio conſummati ſunt in Ciuitate Mediolanenſi. Secundum, quòd ſub Anulino ſiue Anolino Præſide, ad Neronis Cæſaris iuſsionem. Nam in Primo Tomo Vitarum Sanctorum, quem edidimus, Vitam Sanctorum Geruaſii & Protaſii, per Diuum Patrem Ambroſium ſcriptam* (in ea nimirùm Epiſtola, qua Libellus Philippi recitatur) *poſuimus, in qua de Sanctis Nazario & Celſo nulla fit mentio: quod vtique ſubticendum non videbatur, ſi hi in martyrio illis conſortes fuiſſent. Sed & ibi priores ſub Aſtaſio Comite, ad bellum contra Marcomannos (quos hodie vulgari ſermone Morauos vocant) proficiſcente, non autem ſub Anolino Præſide, peremptos fuiſſe legimus.* D

IV. *Verùm*

IV. *Verùm hæc tanti eſſe non videntur, vt à legenda hac Sanctorum Vita te deterrere valeant; cùm Diaboli miniſtri in Sanctorum martyriis ſatellites plurimos habere conſueuerint; quorum aliqui, dum aliis forſan occuparentur negotiis, aut in Sanctorum laniandis corporibus iam feſsi eſſent, aut fortè quòd alium magis idoneum eſſe ad Sanctos torquendos arbitrarentur, ſibi inuicem ſucceſſores & vicarios dabant, vel aſſeſſores ſuis tribunalibus adhibebant. Cuius rei ſexcenta per te ipſum exempla inuenire poteris. Potuit ergo Anulinus Præſes author eſſe Sanctorum agonis, deinde Aſtaſius Comes ad finem illum deducere: aut aliquid occurrere, quòd ſub vtroque illorum Sancti hi omnes gladio feriri iuſsi ſint.* Nos tamen Capite 21. varietatem hanc ex eo diximus profectam; quia paulò poſt Nazarii & Celſi cædem Anolinus iuſto Dei iudicio ſublatus ex hac vita fuerit. A B

V. Sequitur Lippomanus: *Quòd autem Diuus Ambroſius non ſolùm in Vita Sanctorum Geruaſii & Protaſii non meminerit Beatorum Nazarii & Celſi, ſed neque in Vita horum, in Secundo noſtro Tomo poſita, quam idem ſcripſit Dei Sacerdos Ambroſius, de prioribus illis vllam prorsùs mentionem faciat; non te contriſtet. Nam in huiuſmodi rebus locus ab authoritate negatiuè ſumptus infimam partem habet. Potuerunt namque ſocii ſimul eſſe in Paſsionis certamine; licet Sanctus Vir hoc non dixerit. Nam & Diuus Cyprianus Carthaginenſis, & Sanctus Petrus Alexandrinus Epiſcopus, plures coronæ ſocios habuiſſe leguntur; & tamen eorum dumtaxat ſingulorum martyrium celebratur, aliorum nominibus ſuppreſsis. Quòd ſi adhuc te taciturnitas iſta ſolicitat; lege Adonem Treuirenſem Epiſcopum in Vita Sanctorum Nazarii & Celſi, in Tomo noſtro Quarto poſita, vbi in fine hæc verba habentur: Inuenti autem ſunt (nempè Nazarius & Celſus, de quibus loquitur) pridie Idus Iunii. Feſtiuitas verò agitur de martyrio quinto Calendas Auguſti. Commemoratio autem eorum publica & celebris in die Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii à Fidelibus frequentatur, & venerabiliter excolitur. Quod profectò non fieret, ſi aliqua inter Sanctos ipſos non interceſsiſſet communio. Vale, & Dei gratia ſit ſemper tecum.* C

VI. Hæc Lippomanus, & ex ipſo Surius: vt obuios diſſoluerent nodos, quos ab eiuſmodi Sanctorum Vita per Metaphraſten recenſita erumpentes prævidebant; quia præſertim Nerone imperante paſsi aſſererentur à Metaphraſte; neque tamen hac in re ipſi ab eo diſſentirent; quippe quam ſententiam ne longè quidem à veritate abeſſe ſuſpicarentur; ſicuti procul dubio longiſsimè abeſſe Alciatus affirmabat. Nos verò, qui ſententiam hanc Metaphraſtis ita retinuimus, vt Martyres tamen illos vna eademquè die ſupplicium extremum paſſos negauerimus, faciliorem profectò exitum ex hac etiam poſteriori difficultate nanciſcemur; cùm præſertim eorum cæteroqui ſocietatem aliquam euidenter agnouerimus è Sanctorum Nazarii & Celſi Actis, per Mombritium ex Auctore perantiquo recitatis; necnon etiam è Sanctorum Syri & Iuuentii Vita, quam Surius relinquebat in incerto, illa ne ſit, quam Pompeius eiuſdem Syri diſcipulus, an verò quam ex hoc Paulus Diaconus edidit. D

VII. Interim

VII. Interim verò (quod item permagni noſtra intereſt) tam Lippomanus quàm Surius in id pariter conſentiunt, vt Libellus ille Philippi, quem Sanctus Ambroſius à ſe inuentum ſcribebat exſcribebatquè, germanus re vera ſit & fide dignus. A

CAPVT CXXXXI.

Franciſci Maurolyci, Abbatis Meſſanenſis, teſtimonium.

I. MArtyrologii, ab hoc Auctore collecti, & multò quàm antea (ſicut in fronte præfert) purgati & locupletati, exemplar ego habeo, Venetiis apud Iuntas typis impreſſum Anno Domini 1570. ſed Epiſtola Nuncupatoria præmunitum, data Meſſanæ die decimo-quarto Iulii, Annoquè 1564. videlicet ad Marcum Antonium Amulium, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſub Titulo Sancti Marcelli Cardinalem. Atque hanc ob cauſam id ego teſtimoniū in hunc ipſum Annum conïcio. Quale autem quamquè multiplex iſtud ſit, è ſequentibus conſtabit locis, quæ ſecundùm ordinem menſium proſequi lubet. B

II. Primùm enim vigeſima-octaua die Aprilis hæc habentur: *Apud Rauennam Natale Beati Vitalis Martyris, patris Sanctorum Geruaſii & Protaſii. Qui cùm Corpus Beati Vrſicini, Medici Liguris, quem ipſe ad martyrium fuerat adhortatus, ſublatum honeſtate debita ſepeliſſet; tentus à Paulino Conſulari, poſt equulei tormenta, iuſſus eſt poni in foueam profundam, & terra ac lapidibus obrui; taliquè martyrio migrauit ad Chriſtum. Ipſo die Mediolani Sanctæ Valeriæ, coniugis Sancti Vitalis, pro Chriſto mactatæ.* C

III. Deinde verò duodecima Iunii die: *Mediolani Natale Beati Nazarii Martyris. Quem Anolinus ſub rabie perſecutionis, quæ per Neronem excitata eſt, diu maceratum & afflictum in carcere, & cum eo ſanctiſſimum puerum Celſum, quem idem ipſe nutrierat, gladio feriri iuſſit. Fuit autem Beati Nazarii pater Africanus, mater Perpetua, à Petro Apoſtolo baptizata: ipſe autem Nazarius à Sancto Lino inſtructus & baptizatus. Horum Corpora, vt ſcribit Sanctus Paulinus* (nimirùm in Sancti Ambroſii Vita) *temporibus Arcadii & Honorii, Beatus Ambroſius, Deo reuelante, reperit. Martyrii verò recolitur memoria quarto Calendas Auguſti. Romæ Sanctorum Martyrum, Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii, ſub Diocletiano & Maximiano.* D

IV. Ad hæc, vndeuigeſimo Iunii die: *Mediolani Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii, filiorum Sancti Vitalis. Ex quibus priorem tamdiu iuſſit Aſtaſius Comes plumbatis cædi, quouſque exhalaret ſpiritum; ſequentem verò, fuſtibus cæſum, capite truncari. Horum ſepulchrum Sanctus Ambroſius, Domino reuelante, reperit: & ita integra eorum Corpora, ac ſi eo die fuiſſent interempti. Rauennæ Sancti Vrſicini Martyris ſub Nerone: qui ſub Iudice Paulino poſt nimia tormenta, in confeſſione Domini conſtans, capitis abſciſsione martyrium compleuit.*

V. Vigeſimo

V. Vigeſimo autem octauo Iulii die: *Mediolani Sanctorum Martyrum Nazarii* A
& Celſi pueri. Qui ſub Neronis perſecutione & Anolino Proconſule diu mace-
rati, & carcere afflicti, gladio percuſſi ſunt.

VI. Denique verò Decembris nona die: *Item Beati Syri, Papienſis Epiſcopi,*
diſcipuli Beati Hermagoræ Aquileienſis Epiſcopi, in Aede Sanctorum Geruaſii
& Protaſii, quam ipſe condiderat, ſepulti.

VII. Talia igitur Franciſcus Maurolycus in ſuo ad vſum Sanctæ Romanæ
Eccleſiæ Martyrologio tradebat: quibus quantopere noſtra iuuetur
cauſa, nihil eſt, cur explicando immoremur. Pro Sanctis enim Naza-
rio & Celſo textus ipſe clariſsimus eſt. Pro Sanctis autem Protaſio ac
Geruaſio ſatis eſt, ſi curſim argumentemur ex his, quæ de Sanctis Vr-
ſicino & Syro mox dicebantur. Si enim ſub Nerone Vrſicinus marty- B
rium paſſus eſt, ad quod fuerat à Sancto Vitali animatus; certè tunc
etiam Vitalis ætate iam erat adulta, filioſquè Protaſium ac Geruaſium è
Sancta Valeria iam genuerat; idemquè pariter ſub Nerone martyrium
poſtea conſummauit. Si præterea Sanctus Syrus in Eccleſia ſepultus eſt,
quam Sanctis Geruaſio & Protaſio iam condiderat; quidni ſequitur, vt
Martyres iſti iam ante necati eſſent, vtquè ad Marci Aurelii & Lucii
Commodi Imperatorum tempora non ſuperuixerint? His autem con-
ceſsis, cui dubium eſſe poterit, quin eoſdem Martyres Maurolycus fa-
teatur necatos eſſe ſub Nerone?

VIII. Quòd ſi fortaſsè quiſpiam nihilominùs hac de re dubitat; pluſculùm
adhuc progrediatur mecum; eidemquè Martyrologio ſubnexum Con- C
ſulat Opuſculum. *Topographia* (nimirùm illud eſt) *Sanctorum Chriſti*
Martyrum, per Primum, Cabilunenſem Epiſcopum ac Theologum Anno Salutis
Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo olim compoſita, & nunc demùm re-
cognita, videlicet ab eodem Maurolyco. Cùm igitur ordine alphabeti-
co ibi diſpoſita ſint Loca; poſtquàm ventum eſt ad faciendam Medio-
lani mentionem, ſic ibidem legitur: *Mediolanum, Ciuitas Ciſalpinæ Gal-*
liæ. Hic Sanctus Barnabas, qui ante Apoſtolos Romam Fidem detulit ſecundum
quoſdam (qua de re nos etiam Capite 2. diſſeruimus) *primus Epiſcopus;*
ſed apud Paphum in Cypro Martyr. Et paulò pòſt: *Hic Geruaſius & Pro-*
taſius ſub Nerone Martyr.

D

CAPVT CXXXXII.

Alani Copi, ſiue potiùs Nicolai Harpesfeldi, Anglorum, teſtimonium.

I. PER occaſionem, qua iuſſu ductuquè Sapientiſsimi Cardi-
nalis & Archiepiſcopi noſtri, Federici Borromæi, perpe-
tuùm celebrandi, totus olim ego eram in Controuerſiis ad-
uersùs Aeui noſtri Hæreticos lectitandis, memini perlectos
à me ſumma cum voluptate fuiſſe Dialogos ſex, Anno Do-
mini

mini 1566. Antuerpiæ primùm editos ſub Alani Copi nomine, *contra* A
*Summi Pontificatus, Monaſticæ Vitæ, Sanctorum, Sacrarumquè Imaginum Op-
pugnatores, & Pſeudomartyres*: pariterquè commemini, nonnihil ibi
etiam extare, quod præſenti cauſæ ſuffragetur; neque profectò memo-
ria me feſellit.

II. Dialogus ibi Tertius erat *contra Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & traditionis de Inuo-
catione Sanctorum, eorum Reliquiis, & poſt obitum miraculis, Oppugnatores.*
Bini etiam erant Interlocutores, Irenæus Catholicus, & Critobulus
Hæreticus. Cùm igitur Capite 13. incidiſſet quæſtio, vtrùm inuocandi
ſint Sancti; tum verò IRENÆVS: *Quid aliud eſt Sanctos inuocare, quàm
eos ſupplicibus verbis orare, vt ſuis precibus ac meritis adiumento nobis eſſe
velint ad id, quod à Deo petimus, impetrandum? Quòd ſi non præſtarent; ne* B
inuocandi quidem eſſent. CRITOBVLVS: *Non nego, opem nos illorum pre-
cibus ſentire, arcanis quidem ſoliquè Deo cognitis rationibus.* IRENÆVS:
*Fateris ergo miracula. Quod enim maius miraculum, quàm mortuos viuis
opem ferre? quod omnem naturalem ordinem cauſamquè egreditur. Apparere
quoque Sanctos poſt mortem, confeſſus es: quod ſi non ſit miraculum; nondùm
intelligo, quid miraculi appellatio complectatur.* CRITOBVLVS: *Video me
penè deprehenſum.* IRENÆVS: *Ne dixeris, penè: te totum enim, quantus
quantus es, irretitum hic teneo.* CRITOBVLVS: *Sed me expediam. Ne-
que enim tam omnia Sanctorum poſt mortem miracula tollo, quàm iuſtam fidem
probationemquè eorum poſtulo: eaquè, quæ veſtri recenſent, pro vanis ſtatuo.
Nam verum & ſolidum id genus miraculorum, ne vnicum quidem Magde-* C
burgenſes, quantumuis elaborarint, totis his quingentis annis reperiunt.
IRENÆVS: *O bellos homines! Quia in Oceano aquam, in Sole lucem deeſſe
queruntur? Quos vel ſola, quam primam attigiſti, Protaſii & Geruaſii hiſto-
ria miſeros conficit. Inuenit enim Ambroſius, diuinitùs admonitus, eorum Cor-
pora, qui ſub Nerone paſſi ſunt. Fuere homines miræ magnitudinis, vt priſca
ætas ferebat: omnia oſſa integra, ſanguinis plurimum. Dum transferuntur in
maximo Populi concurſu, cæcus ſanatus eſt. Sed iuuabit ipſum Ambroſium au-
dire, ad Populum concionantem. Cognouiſtis (inquit) immò vidiſtis ipſi multos
à Dæmoniis purgatos* &c. Et aliquantò poſt, idem Irenæus, Critobulum
alloqui perſeuerans: *Proxima à te mentio Nazarii & Celſi Martyrum facta
eſt; quorum hiſtoriam eleganter idem Ambroſius* (Sermone de Nazario & D
Celſo, vt habetur in margine adnotatum) *deſcribit. Sed audiamus, quid
ille Vigilantio, & diſcipulis eius, tuis Magdeburgenſibus, oblatrantibus reſ-
pondeat. Quòd ſi dicas mihi: Quid honoras in carne iam reſoluta atque con-
ſumpta, de qua nulla iam Deo cura eſt? Honoro (inquit) in carne Martyris
exceptas per Chriſti nomine cicatrices* &c. Itaque Sermonem quoque illum
hic Auctor non alteri, quàm Sancto Ambroſio noſtro adſcribendum
arbitratur. Quamobrem tam in hoc fauet nobis, quàm in eo, quod
paulò ante diſertiſsimè aſſerebat, Sanctos Protaſium ac Geruaſium ſub
Nerone paſſos eſſe.

III. Cur autem id ego teſtimonium Nicolao potiùs Harpesfeldo, quàm

Alano

Alano Copo, adiudicauerim, fidelem pro me cauſam & rationem reddet Ioannes Pitſeus, Anglus, Tomo Primo *De Illuſtribus Angliæ Scriptoribus*, Aetate Decima-ſexta, Numero 1023. & 1030. atque poſteriore quidem hoc Numero his verbis: *In carcere igitur conſtitutus* (Harpesfeldus, Anno nimirùm Chriſti 1559. eo quòd Elizabethæ Reginæ impiiſsimæ Primatum Eccleſiaſticum agnoſcere nollet) *ſcripſit egregium Opus, ſex doctiſsimis Dialogis comprehenſum, contra Magdeburgenſes, & Pſeudomartyrologium Ioannis Foxii, Angli. Quod Opus quia ſub nomine proprio in lucem emittere non eſt auſus; intimo amico ſuo, Alano Copo, in exilio tum agenti, edendum commiſit, ſuppreſſo Auctoris nomine, ne captiuo capitis periculum crearet. Edidit igitur Alanus hoc Opus ſuo nomine. Tamen, ne veritas poſteritatem lateret, & amicus amicum debita ſua laude fraudaret, in calce Voluminis, id eſt finito Sexto Dialogo, maiuſculas quaſdam litteras imprimi curauit, earumquè explicationem amico vni forſan & alteri communicauit, in hunc modum, qui ſequitur.* A B

Maiuſculæ litteræ:

A. H. L. N. H. E. V. E. A. C.

Explicatio characterum:

Auctor Huius Libri Nicolaus Harpesfeldus. Edidit Verò Eum Alanus Copus. Igitur Alanus Copus erat, qui Librum ſex Dialogorum ſuo nomine edidit; ſed Harpesfeldus erat, qui compoſuit. Et paulò pòſt: *Obiit tandem Londini Confeſſor in Carcere, poſt viceſimum captiuitatis Annum, qui fuit Partus Virginei plus minus 1583. ſub duro Catholicis Elizabethæ Regno.* Hactenùs Ioannes Pitſeus: & hæc nos denique cum ipſo. C

CAPVT CXXXXIII.

Breuiarii Romani, Anno 1568. reſtituti editiquè, teſtimonium.

I. CErtè autem pro Martyribus hiſce noſtris Romanum quoque nobis fauet Breuiarium: quale ſcilicet, ex decreto Sacroſancti Concilii Tridentini reſtitutum, & Pii Quinti Pontificis Maximi iuſſu editum, primò prodiit in lucem Anno Domini 1568. multoſquè poſtea per annos inuariatum perſeuerauit. D

II. In eo enim vigeſima-octaua Iulii dies hanc quarto loco Lectionem habebat Matutinam: *Nazarius, à Beato Lino Papa baptizatus, cùm in Galliam profectus eſſet; ibi Celſum puerum, à ſe Chriſtianis præceptis priùs inſtructum, baptizauit. Qui vnà Treuerim euntes, Neronis perſecùtione in mare vterque deiicitur: vnde mirabiliter euaſerunt. Poſtea Mediolanum venientes, ibi primùm Chriſti Fidem diſſeminàrunt. Qui cùm Sanctis Martyribus Geruaſio & Protaſio, in carcerem incluſis, inſeruirent; ab Analino* (ſic enim legebatur in ea primùm editione, tam Romana, quàm Veneta) *Præfecto, conſtantiſsimè Chriſtum confitentes, capite plectuntur: quorum Corpora extra Portam*

Romanam ſepulta ſunt. Quæ cùm diu latuiſſent; Dei monitu à Beato Ambroſio, conſperſa recenti ſanguine, ſunt inuenta, tamquàm ſi paulò ante martyrium paſsi eſſent: vnde in Vrbem translata, honorifico ſepulchro contecta ſunt. Ecce verò nobis in hac poſtrema periodo ſeſe bina offerunt: quorum ſi placet primum, vereque placet; certè diſplicet alterum. Etenim non modò Nazarii ſed etiam Celſi Corpus inuentum fuiſſe tam recenti ſanguine conſperſum: id nos quidem ſummoperè comprobamus; vt etiam Capite 48. Num. 13. profitebamur. Tametſi enim Paulinus id ſilentio prætererit; ego tamen ex ipſius contextu, cùm præſertim promiſsionem illam Chriſti allegaret, tamquàm per figuram (vt vocant) intellectionis, idipſum eliciebam; ipſaquè ſuadebat etiam diuinæ prouidentiæ largitas, in Corpus Nazarii vſqueadeò mirabiliter effuſa. Hæc enim depoſcere pariter mihi videbatur, vt miraculum tam inſigne, Corpori Nazarii diuinitùs ad Chriſtianæ Fidei confirmationem attributum, Corpori quoque Commartyris Celſi, eodem in horto tumulati, eodem tempore ac per eumdem Antiſtitem Ambroſium diuino monitu reperiendi, ad eumdem prorsùs finem communicaretur. Quòd autem ambo ea Corpora dicebantur IN VRBEM TRANSLATA, quod idem eſt ac ſi dicta fuiſſent AD BASILICAM quoque APOSTOLORVM TRANSLATA; hoc profectò illud eſt, quod præſertim hoc Opere confutamus.

III. Cæterùm, Geruaſium etiam & Protaſium ſub Nerone paſſos eſſe, luculentioribus idem Breuiarium verbis aſſerebat in propriis eorum Lectionibus. Hæ ſiquidem (ſecunda nimirùm & tertia) tales erant die Iunii vndeuigeſimo: *Geruaſius & Protaſius, Vitalis & Valeriæ filii, quorum pater Rauennæ, mater Mediolani, in Neronis perſecutione, pro Chriſti Domini Fide martyrium ſubierunt, diſtributo pauperibus patrimonio, domeſticos ſeruos libertate donarunt. Quo facto Gentilium Sacerdotes immane in illos conceptum odium habebant. Quare cùm Auſtaſius* (emendatiùs poſtea legerunt *Aſtaſius*) *Comes in bellum proficiſci vellet; hanc occaſionem perdendi pios fratres ſe nactos eſſe putauerunt. Itaque Auſtaſio perſuadent, ſe à Diis admonitos eſſe, nullo modo eum in bello victorem futurum, niſi, Geruaſio & Protaſio coactis Chriſtum negare, eoſdem ad Sacra Diis facienda compelleret. Quod cùm illi deteſtarentur; Auſtaſius imperauit, Geruaſium tamdiu cædi, dum inter verbera expiraret; Protaſium, fuſtibus contuſum, ſecuri percuti iubet. Quorum Corpora Philippus clam ſuſtulit, & in ſuis ædibus ſepeliuit: quæ poſtea Sanctus Ambroſius, Dei monitu inuenta, in loco ſacro & inſigni collocanda curauit. Paſsi ſunt Mediolani decimo-tertio Calendas Iulii.* Quo tamen die Martyres iſtos, non paſſos, ſed à Sancto Ambroſio inuentos & tranſlatos fuiſſe, iam ego in ſuperioribus obſeruaui.

IV. Quod autem obiter & in tranſitu hoc loco dictum ſit: Breuiarium profectò Romanum, quod iuſſu Pauli Papæ Tertii confectum fuerat à Franciſco Quignonio, Tituli Sanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero Cardinali, quodquè denuò recognitum iam erat Anno 1543. (quo

Anno impreſſum Lugduni exemplar ego habeo) quod item propter ni- A
miam præſertim breuitatem, ad quam redactum fuerat, à Pio tandem
Papa Quinto reprobatum fuit Anno 1568. Breuiarium profectò illud
(inquam) die vndeuigeſima Iunii Lectionem de Sanctis Geruaſio &
Protaſio habebat, ex eo deſumptam Philippi Libello, quem Ambroſius,
Præſul noſter Sanctiſsimus affirmauerat à ſe repertum ad ipſorum Mar-
tyrum capita.

V. Sic etiam Lectionem inde pariter deſumptam habebat Breuiarium quo-
que ipſum commune Romanum, quo tunc Religioſi præſertim vteban-
tur, & cuius exemplar ego nuper vidi in Franciſcana Fratrum hac in
Vrbe Conuentualium Bibliotheca, impreſſum Venetiis Anno 1550.
Sed in hoc erant præterea Lectiones de Sanctis Nazario & Celſo, die B
Iulii vigeſima-octaua: eæque ad verbum acceptæ ex ea ipſorum Vita,
quam Mombritius recitauit. Quocirca ipſis inerant hæc item: *Deinde
ingreſsi* (Nazarius & Celſus) *Ciuitatem Ianuenſem, perrexerunt Mediola-
num: vbi requiſiuit Nazarius in carcere Sanctos Dei Martyres Geruaſium &
Protaſium, & inuenit eos: quibus adhærens, confortabat eos* &c. Vſqueadeò
Eccleſiæ itidem Romanæ perſuaſum per ea tempora erat, quatuor iſtos
Martyres, Nerone imperante, necatos eſſe.

CAPVT CXLIV.

Ioannis Coſterij teſtimonium. C

I. IOannes Coſterius, quem hic ego nomino, Canonicus fuit
Regularis ex Ordine Sancti Auguſtini. Vitam verò Sancti
Antiſtitis noſtri Ambroſii conſcripſit illam, quæ ipſius
Operibus præfixa circumfertur, impreſsis Anno Domini
1569. Lutetiæ Pariſiorum per Ioannem Gillotium. Quo-
rum quidem Operum exemplar mihi commodatum fuit ex Oliuetano
Sancti Victoris Monaſterio.

II. Mentionem igitur iam fecerat Concionis, ad Populum habitæ, De Baſi-
licis non tradendis Hæreticis, cùm hiſtoriam hiſce verbis proſecutus
eſt: *Eodem quoque tempore, & in eodem loco, cæleſti oraculo commonitus, San-* D
*ctiſsimorum Martyrum Geruaſii & Protaſii Corpora reperit: quæ longa tempo-
ris vetuſtate neglecta iacebant. Donati erant martyrii triumphali corona Ne-
ronis Imperatoris tempore; deciſis capitibus per Rauennatem Præfectum. Orti
verò ex præclariſsimis parentibus: patre Vitale, excellentiſsimo Martyre: ma-
tre Valeria, inſigni pietate fœmina. Multa & præclara miracula tunc per San-
ctorum Martyrum merita edita ſunt: quibus & Catholica Plebs admodùm in
Fide Chriſti confirmata, & aduerſariorum contumacia grauiter repreſſa fuit* &c.

III. Hactenùs Coſterii verba. In quibus tamen tria ſunt minutiora, quæ non
ſatis à nobis probantur. Non enim Protaſius & Geruaſius per Præfec-
tum Rauennatem cæſi ſunt, ſed per Aſtaſium Comitem; non ambo

deciſis capitibus, ſed ſolus Protaſius. Sic etiam ne Sanctus quidem Ambroſius eorum Corpora reperit in eodem loco, in quo eam Concionem habuerat. Illam enim habuerat in Baſilica Portiana, ſicut ipſemet fatetur Coſterius; eorum verò Corpora reperit in Baſilica Philippi; in qua videlicet ſepulta tunc iacebant pieque colebantur Corpora Sanctorum Naboris & Felicis, & ante quorum cancellos tunc orabat. A

CAPVT CXLV.

Gaſparis Bugati teſtimonium.

I. GAſparis Bugati, patria Mediolanenſis, Ordine Religioſo Prædicatoris, notiſſima eſt Hiſtoria Vniuerſalis, Italicè conſcripta, & ab initio Mundi vſque ad Annum Chriſti 1569. per octo Libros, ac denique nouo Additamento vſque ad Annum 1581. deducta. Ii autem octo Libri Venetiis primùm impreſſi fuerunt Anno 1570. cùm eodem Anno Auctor ipſe illos Cæſari nuncupaſſet Vicecomiti. Additamentum verò illud Anno 1587. Cæſari Cotticæ ab ipſomet pariter Auctore nuncupatum fuit, necnon etiam Mediolani typographicè impreſſum. B

II. De Sanctis autem Geruaſio & Protaſio quid ille ſenſerit, luculenter hoc expreſſit Libro Secundo. Deſcripta enim Chriſtiani Euangelii prædicatione, Mediolanenſibus per Sanctum Barnabam peracta; ſic inquit: *Da queſta Fonte* (qui nunc etiam communiter Sancti Barnabæ Fons appellatur, & de quo ſæpiùs à nobis dictum iam eſt) *& dalla Città poi dipartendo l'Apoſtolo, per euangelizare Chriſto altroue; laſciò qui in ſuo luogo Anatalone, di natione Greco; & l'inſtitui Veſcouo & Paſtore di Milano. Coſtui fù vno de' diſcepoli ſuoi, che ſeco qui haueua condotto: & à lui ſucceſſe (poiche eſſo fù andato à Breſcia) l'altro, chiamato Gaio, nobile Romano, che battezò Geruaſio & Protaſio al Fonte di San Barnaba* &c. Et paulò pòſt, introducta crudeliſſimi Neronis mentione: *Queſto Nerone, primache foſſe deſignato Ceſare, ſtette à Milano nella Prefettura della guerra contro gli Oltramontani Galli & Alemani: & di commiſſione di lui furono decapitati Geruaſio & Protaſio* (ſolum tamen Protaſium capite truncatum fuiſſe, nos hic denuò affirmamus) *Martiri. Et da lui deriuò il nome dell'Acqua Neroniana, che hoggi da Milaneſi corrottamente è chiamata Acqua del Nilone, in vece di dire di Nerone.* Qua de re nos item iam egimus Capite 79. Numero 2. Quòd ſi fortè Bugatus Martyres illos exiſtimauit necatos antequàm Nero creatus eſſet Imperator; nos quidem in hoc ab eo iam diſſenſimus. C D

CAPVT CXLVI. A
Hieronymi Rubei teſtimonium.

I. EOſdem Sanctos Geruaſium ac Protaſium Nerone Imperante necatos eſſe, Hieronymus item Rubeus non obſcurè teſtatus eſt Libro Primo Hiſtoriarum Rauennatum: quas, denis comprehenſas Libris in lucem primùm edidit Anno Domini 1571. quæquè poſtea rurſùs auctiores prodierunt Anno 1589.

II. Eo enim Libro Primo Sanctum Apollinarem narrat à Sancto Petro, Apoſtolorum Principe, Rauennam ex Vrbe Roma miſſum, vt primus illic Epiſcopus Euangelium promulgaret. Eius igitur opera multos ad Fidem Chriſti conuerſos, ac nominatim Vrſicinum, Ligurem medicum. B Cùm verò Apollinaris iam eſſet martyrio coronatus ſub Imperio Neronis: cùmquè Vrſicinus, capite propter Chriſtianam Religionem cædendus, aliquantùm hæſitaſſet primò, ſed à Sancto mox Vitali, Mediolanenſi, Prætoriano milite, Sanctorumquè Geruaſii ac Protaſii patre, animatus, martyrium denique conſtanter ſubiiſſet; tum verò Vitalem propterea ipſum ſub eodem Nerone necatum eſſe Rauenna pariter in Vrbe. Digreſſam inde Valeriam, eius vxorem, cùm rediret Mediolanum, in Gentiles Syluano Deo ſacrificantes incidiſſe, ab iiſquè tam grauiter verberatam; *vt in ædes importata, cùm vtero gereret geminos adhuc immaturos, in lucem ediderit viuos; quos Caius, Mediolanenſis Epiſcopus, Sacro Baptiſmate expiauit; & alterum Diogenium, Aurelium alterum vocauit, ad cæleſtem mox gloriam, priùs Martyres, quàm nati, abeuntes.* C Et paulò pòſt ſic etiam proſequitur idem Rubeus: *Tertio pòſt die Valeria mater ſanctam animam exhalauit. Filii* (nempe Protaſius ac Geruaſius) *decimo deinde Anno* (videlicet iam completo) *eodem genere necis ob Chriſtum trucidati; cùm Diuum Paulum Apoſtolum, vt Diuus Ambroſius* (ex Libello nimirùm Philippi, quem ſuperiùs nominauerat) *& Petrus Damiani teſtantur, magiſtrum habuiſſent; ſacris aſsiduè lectionibus vacaſſent; &, bonis omnibus diuenditis, & in egenorum vſus diſtractis, Monachorum vitam, vt Diuus Auguſtinus ſcribit, egiſſent.* Quem quidem Auguſtini locum (ſi tamen Auguſtini re vera eſt) ego item Capite 9. Numero 6. congruenter ad hæc ipſa Rubei verba, illic pariter à me copioſiùs recitata, producebam. D

III. Sequitur porrò Rubeus ibidem: *Sub id tempus, Q. Voluſio, P. Cornelio Scipione Conſulibus, qui Annus fuit ab Vrbe Condita Octingenteſimus-nonus, à Partu autem Virginis Quinquageſimus-ſeptimus, Clodii Quirinalis mors, Viri auctoritate grauis, gloria clari, maximè Rauennates perturbauit.* Vel hinc igitur etiam liquet, quemadmodùm Geruaſius etiam & Protaſius opinione Rubei ex hac vita ſublati fuerint, cùm Nero adhuc tyrannidem ſuam longè lateque aduerſùs Chriſtianos exerceret: hoc eſt, vndecimo ſaltem Anno pòſt, quàm Vitalis ſub eodem Nerone necatus fuiſset.

CAPVT

CAPVT CXLVII. A

Caroli Sigonij teſtimonium.

I. CArolus Sigonius Anno Domini 1577. Opus ſuum de Occi-
dentali Imperio abſoluit: & hoc poſteritati teſtatum ipſe
voluit in fine poſtremi ſimul ac vigeſimi Libri. Pro re au-
tem noſtra hoc in primis teſtimonium Libro nono, Anno-
què Chriſti 384. nobis reliquit pro Sanctis Protaſio ac Ger-
uaſio. *Erat* (inquit) *illo tempore Mediolani Auguſtinus, Tagaſtenſis, qui poſ-
tea Hipponenſem Eccleſiam Epiſcopus rexit. Is, ſuperioribus annis ex Africa
profectus, Rhetoricam Romæ, deinde Mediolani docuerat: atque Ambroſio co-* B
*gnitus, propter ingenii præſtantiam acceptiſſimus fuerat. Itaque, cùm aſſiduis
eius Concionibus intereſſet, ex Manichæo Cathecumenus euaſerat. Per hos autem
dies in Paſchate ab eodem ſalutiferum quoque Baptiſmatis Sacramentum acce-
pit. Proximo inde menſe Iunio Ambroſius ſancta veterum Martyrum Corpora
reperit, Ciuitati ad eam vſque diem incognita. Fuerunt autem Geruaſius &
Protaſius, qui ſacrum, ſæuiente Nerone, martyrium tulerant. Quippe per
quietem diuinitùs eſt admonitus, vt terram ante cancellos Sanctorum Felicis
& Naboris effoderet; nam ibi Martyrum Geruaſii & Protaſii Reliquias deli-
teſcere.* Et paulò pòſt: *Caterùm Ambroſius ipſa oſſa primo die in Baſilicam
Fauſtæ, Populo lætante, traduxit. Seuerus autem, homo oculis captus, vni-
uerſæ Ciuitati notiſſimus, cùm gratulationis publicæ cauſam exegiſſet, eamquè* C
*accepiſſet; tacita religione repentè captus, eò ſe duci iuſsit; &, cùm ſudario
feretrum attigiſſet, idquè oculis admouiſſet, illicò aſpectum recepit. Quo facto,
Ambroſius Concionem de gloria Martyrum habuit: tertioquè die ea ſub Altari
repoſuit, vbi ipſe ſibi ſepulchrum deſtinauerat: ac Concionem alteram in ean-
dem ſententiam habuit. Vtraque ſcriptis eius inſerta eſt. Huic ſpectaculo affuit
etiam Auguſtinus, vt ipſe in Confeſſionibus teſtatum reliquit.* Talia ibi Sigo-
nius. Tunc autem profectò affuit Auguſtinus; ſed cùm adhuc Cathe-
cumenus eſset; vt ego ſupra iam oſtendi. Quamobrem ille non ſupe-
riore iam fuerat in Paſchate, ſed quidem certè in poſteriore baptizatus
fuit, & quidem cùm Annus Chriſti Trecenteſimus octuageſimus-oc-
tauus ageretur. Sic etiam inſumpto in eruendis Corporibus biduo, ſub D
eiuſdem bidui veſperam Corpora fuerunt in Baſilicam Fauſtæ traducta;
ſed inſequenti profectò die rursùs eadem translata inde fuerunt in Am-
broſianam, & ibi poſtridie condita ſub Altari; necnon etiam ibidem
Ambroſius vtramque illam Concionem ad Populum habuit. Perperàm
igitur Sigonius Baſilicam Fauſtæ non diſtinguebat ab Ambroſiana.

II. Sic etiàm nonnihil improbamus in altero ipſius teſtimonio, quod Libro
decimo, Annoquè Chriſti 396. conſignauit, poſteaquàm Theodoſii obi-
tum Anno 395. enarraſſet. Inquit enim: *Per eoſdem etiam dies ipſe Am-
broſius Corpus Sancti Nazarii Martyris in horto extra Vrbem inuenit, ſangui-
ne perinde recenti, ac ſi eodem tempore, quo leuabatur, lotum & compoſitum*

in

in ſepulchro fuiſſet. Id ad Baſilicam Apoſtolorum pridie Solemnis eorum deinde conditum fuit. Solum igitur Nazarii Corpus ad Apoſtolorum Baſilicam, teſte Sigonio, translatum fuit. Sed in hoc aſsignando translationis die dupliciter ille à veritate aberrauit. Sicut enim ſolemnis Apoſtolorum Petri & Pauli dies eſt vigeſimus-nonus Iunii dies; ita etiam præcedentem Nazario aſsignauit, perinde ac ſi eius celebritas eo ipſo menſis eiuſdem die perageretur; cùm alioqui re vera peragatur vigeſimo-octauo Iulii die. Rurſus autem hoc ipſo die, non ipſa Nazarii Translatio, ſed Martyrium celebratur, vt ſupra docuimus. Duplex itaque hoc Sigonii erratum à nobis non probatur. A

CAPVT CXLVIII. B

Alphonſi Vigliega teſtimonium.

I. HVic ego Teſti Annum è Dominica Natiuitate adſcribo Milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum-octauum; quia ſuo ipſe Volumini, *Flos Sanctorum* inſcripto, quo mox vtar, manum eodem Anno appoſuit extremam. Sic enim diſertè teſtatus ipſemet fuit in vniuerſi eius Operis Peroratione, ad extremum adiecta. Sequor autem Italicam ex Hiſpano Idiomate verſionem, à Timotheo Bagnenſi ac Monacho Camaldulenſi elaboratam, typiſquè Venetis Anno 1627. à Georgio Valentino impreſſam. C
Etenim ſecundùm eam ſic ipſe tandem concludebat: *Nel quale Libro poſi l'vltima mano in giorno di Domenica, che fù alli ſei di Gennaio, nel quale la Chieſa Catholica celebra la ſua feſta delli trè Rè Magi, l'Anno del Signore 1578. tenendo la Sedia di San'Pietro Gregorio Decimo-terzo, e l'Imperio Romano Rodolfo d'Auſtria, regnando in Spagna il Catholico Rè Don Filippo Secondo di queſto nome, & in Francia il Chriſtianiſsimo Rè Henrico Terzo.*

II. Primùm autem Sancti Vitalis Vitam die 28. Aprilis in Præfatione ſe profitetur è Sancto Ambroſio deſcripturum; quia videlicet illam è Philippi Libello, per Sanctum Ambroſium inuento, Epiſtolæquè ſuæ conſito, deſcripturus eſſet. Vitalem tamen è ſuo addit Ciuem fuiſſe Rauennatem; cùm alioqui nos eum fuiſſe Mediolanenſem contendamus. Propè D
finem verò ſic inſuper addit: *La Chieſa celebra la feſta di San'Vitale il giorno del ſuo martirio: che fù alli 28. d'Aprile, l'Anno del Signore Seſſantanoue circa.*

III. Pro Sanctis autem Geruaſio & Protaſio hæc deinde teſtatus eſt Vigliegas vndeuigeſimo Iunii die: ſuperiores illas obſeruationes, eorum Vitæ ab Aloyſio Lippomano præmunitas (quas ego quoque Capite 140. Numero 3. 4. 5. recitabam) ſibi quidem fuiſſe comprobatas: ſic etiam Libellum illum Philippi (qualem pariter ego Capite 7. & ſequentibus exſcribebam) ſibi quoque viſum eſſe authenticum fideque dignum: denique verò eoſdem Sanctos ſub Nerone paſſos eſſe. Quamobrem pro-

pè

pè finem ſic addebat: *La feſta loro ſi celebra il giorno, che furono martirizati, che fù alli diecinoue di Giugno* (ſed in hoc tamen ille fallebatur, vt ego alibi iam in ſuperioribus animaduerti) *circa gli Anni del Signore Seſſanta-noue, al tempo di Nerone Imperatore.* A

IV. Sanctorum verò Nazarii & Celſi Vitam die vigeſima-octaua Iulii fermè totam deſcripſit ex ea, quam Metaphraſtes recitauerat. Quocirca etiam in eoſdem fermè omnes cum ipſo errores lapſus eſt. Quid, quòd etiam cum aliquem illorum declinare vellet, in alterum pariter malè cautus impegit? Tale profectò quiddam ex his eius dignoſcimus verbis: *Et ancorche steſſero vn' tempo naſcoſti* (ſermo autem illic erat de Sanctorum tam Geruaſii ac Protaſii quàm Nazarii & Celſi Corporibus) *eſsi poi ſi riuelorono; e gli furono fabricate Chieſe in nome loro nella Città di Milano. La Chieſa de' Santi Geruaſio e Protaſio la fece edificare Sant' Ambroſio, che fù quello, che ritrouò i Corpi loro: e quella de' Santi Nazario e Celſo, ancorache il medeſimo Sant' Ambroſio ritrouaſſe i Corpi loro, la fece edificare Theodoſio Imperatore, che fù il ſecondo di queſto nome, e figliuolo di Arcadio: al cui tempo e di Honorio ſuo fratello furono ritrouati, ſi come dice Paolino nella Vita di Sant' Ambroſio. Theodoſio hebbe occaſione di fabricare la Chieſa à i Santi Martiri per cauſa che, paſſando lui vna volta per Milano, pigliò delle Reliquie loro, e le portò ſeco; & in vna battaglia, che lui fece contra li Sciti, li vidde viſibilmente, che l'aiutauano; il che fù cauſa di dargli la vittoria contra i ſuoi nemici. Onde per la gratia hauuta da loro, gli fece fabricare vna ſontuoſa Chieſa: e quando vi ſi volſe metter dentro i Corpi de' Santi Martiri, il noſtro Signore Dio moſtrò molti miracoli per mezzo loro.* Quod igitur apud Metaphraſtem Theodoſio Magno ac Seniori tribuebatur, hoc Vigliegas Iuniori tribuit, nec immeritò; ſed eam profectò Eccleſiam Iunior, non Mediolani, ſed Conſtantinopoli conſtruxiſſe dicendus erat. B C

V. Sequitur inde Vigliegas, & his etiam verbis errare (quemadmodùm ego iam ſupra commonſtraui) pergit: *Dipoi, al tempo di Papa Paolo Primo di queſto nome, Grodegando, Veſcouo Metenſe, traſportò con altri Santi il Corpo di San' Nazario, e lo poſe in vn' Monaſterio chiamato Loreſain, l'Anno del Signore 775.* Atqui re vera Corpus illud, non Nazarii noſtri fuit, ſed alterius, qui Romæ fuerat necatus; vt ego Cap. 75. abundè comprobaui.

VI. *Queſti Santi furono martirizati* (verba ſunt eiuſdem Vigliegæ) *alli diecinoue di Giugno, l'Anno del Signore Seſſanta-noue, al tempo di Nerone. La Chieſa celebra la feſta loro alli 28. di Luglio. Vſuardo li mette alli 12. di Giugno. Queſta variatione venne; perche in alcuni luoghi celebrauano il giorno del loro Martirio, in altri la loro Inuentione; & in altri la Translatione. Io li hò poſti nel medeſimo giorno, che furono martirizati Geruaſio & Protaſio; perche così dice il Metafraſte, che è l'Auttore, il quale io hò ſeguitato in raccontare la Vita loro.* Metaphraſtes verò Nazarium quidem ac Celſum aſſeruit eodem necatos die, quo Geruaſium ac Protaſium; ſed eum diem ſimul etiam dixit, non vndeuigeſimum fuiſſe Iunii, ſed Octobris decimum-quartum; ſicut iam vidimus Capite 18. Num. 16. Et hæc ſatis de Vigliegæ teſtimonio. D

CAPVT

CAPVT CXLIX. A

Petri Galeſinii teſtimonium.

I. EOdem Anno Domini Septuageſimo octauo ſupra Milleſimum quingenteſimum Petrus Galeſinius, tunc è Sancti Caroli Cardinalis & Archiepiſcopi noſtri familia, ſuum euulgat Martyrologium, noſtra primùm in Vrbe ac mox Venetiis impreſſum: idquè Gregorio Decimo-tertio Pontifici Maximo nuncupat.

II. Quinto autem Calendas Auguſti ſic habebat: *Mediolani, Sanctorum*
Martyrum Nazarii & Celſi pueri: qui in Neroniana perſecutione, Anolini Pro- B
conſulis iuſſu, diu in carcere concluſi, ac penè cruciatibus confecti, demùm ſecuri feriuntur. Priùs autem ſexto Idus Maii ſic habuerat: *Mediolani, Translatio Sancti Nazarii Martyris: cùm eius Corpus, recenti ſanguine conſperſum, tamquàm ſi paulò ante ille martyrium obiiſſet, Dei monitu extra Portam Romanam à Beato Ambroſio inuentum, in Vrbem ad Apoſtolorum Baſilicam delatum eſt.* Teſte igitur interim Galeſinio, ſolum Nazarii Corpus, & non Celſi, translatum illuc fuit.

III. Quandonam verò Protaſium & Geruaſium paſſos crediderit: ne de hoc quidem vllum nobis ambigendi locum reliquit. Decimo-tertio enim Calendas Iulii hæc tradebat: *Mediolani, Sanctorum Martyrum Geruaſii*
& Protaſii. Ii, germani fratres, poſt Vitalis & Valeriæ parentum marty- C
rium, diſtributo in pauperes patrimonio, ſeruos libertate donarunt. A Chriſtiana Fide in perſecutione Neroniana cùm Anaſtaſius (nobis Aſtaſius) *Comes verbis cùm dimouere nullo pacto poſſet; iubet Geruaſium tamdiu plumbatis cædi, quoad in cruciatu animam efflaret; Protaſium, fuſtibus contuſum, ſecuri percuti.* Eodem verò illud etiam pertinet, quod ibidem illicò addit: *Rauennæ. Sancti Vrſicini Martyris. Is Ligur, Medicus egregius, Beati Apollinaris ſtudio Chriſtianam Religionem amplexus, ad Suetenium Paulinum, Neronis Imperatoris Vicarium, quòd Chriſti Fidem coleret, delatus, cùm inter pœnas & tormenta Chriſtianum nomen integrum conſeruaſſet; capitis tandem damnatus, dum ad ſupplicium ducebatur, animum demittere viſus eſt. Cuius metum Vitalis*
Mediolanenſis, Chriſtianæ Religionis cultor, conſpicatus, ſalutari grauiquè ora- D
tione hortari cœpit. Qua ille magis animatus, magna conſtantia & alacritate martyrium ſubiens, loco, qui Palma vocatur, obtruncatus, euolauit in cælum. Videamus verò etiam, quid item de Sancto Vitali Galeſinius docuerit. *Quarto Calendas Maii, Rauennæ* (inquit) *Sancti Vitalis Martyris. Hic, Beatorum Martyrum Geruaſii & Protaſii pater, cùm Vrſicinum Medicum, in tormentis, quæ ob Chriſti confeſſionem patiebatur, paululùm titubantem, magnoperè animaſſet; eum Paulinus Iudex, attentata illius conſtantia, primùm equuleo torqueri, poſt in profundam foſſam lapidibus & terra obrui iuſſit. Mediolani, hoc ipſo die, Sanctæ Valeriæ Martyris: quæ audito viri Vitalis martyrio, Rauennam venit, vt illius Corpus Mediolanum aſportaret; in ſomnis*

vero diuinitùs admonita, ab ſuſcepto conſilio deſtitit &c. Siue igitur Galeſinii teſtimonium de genitoribus ſiue de filiis attendamus; vtrinque profectò conſtat, Protaſium & Geruaſium paſſos eſſe ſub Nerone. A

IV. Quid, quòd etiam idipſum conſtat ex eiuſdem Galeſinii teſtimonio de Sancto Caio? Etenim, cùm eius mentionem facerer quinto Calendas Octobris, hunc in modum ſcripſit: *Mediolani, Sancti Caii Epiſcopi: qui, Beati Barnabæ Apoſtoli diſcipulus, apoſtolicæquè virtutis imitator præclarus, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli deſiderio flagrans, iter ad Vrbem Romam ſuſcepit: in via dum eſſet, diuina præſenſione vidit, eos Neronis iuſſu martyrium obiiſſe. Romam vbi venit, quod præſenſerat, re ipſa factum eſſe cognouit. Cum Beato autem Clemente & cæteris Apoſtolorum diſcipulis aliquandiu fuit: quibuſcum Euangelii prædicationem communicauit. Mediolanum reuerſus, Geruaſium & Protaſium, paulò pòſt præclaro martyrio nobilitatos, Chriſtiana Fide inſtruxit ac baptizauit* (quod ego tamen decennio ſaltem ante iam factum credidi Capite 6. Numero 5.) *aliaquè multa cùm egiſſet, tum graues pro Fide pugnas in illo perſecutionis Neronianæ impetu ſuſtinuiſſet; demùm, Eccleſiæ Mediolanenſis ſanctè adminiſtrata laude clarus, quieuit in Domino.* B

V. Certè autem idem Galeſinius decimo Calendas Auguſti, de Sancto Apollinari, Euangelico Vrſicini Magiſtro, ſic etiam ſcripſerat: *Rauennæ, Sancti Apollinaris, Epiſcopi & Martyris. Hic cum Beato Petro, Apoſtolorum Principe, Antiochia Romam profectus, ab eodem Epiſcopus conſecratus, Euangelii cauſa Rauennam mittitur.* Et paulò pòſt: *Demùm Rauennam rediit: vbi, Veſpaſiano Imperatore, præclari martyrii curſum confecit.* C

VI. Denique verò huc etiam addamus, quæ ille Calendis Decembris tradidit his verbis: *Mediolani, Sancti Caſtritiani, Epiſcopi & Confeſſoris: qui, in Paſtoralem curam ſumma vigilantia incumbens, quæcumque ingraueſcente Domitiani perſecutione collapſa erant Mediolani, reſtituere contendit. Philippi, nobilis Viri, ædes, quas dono acceperat, Deo in Eccleſiam dicauit. Baſilicas præterea duas, vnam Portianam, alteram Fauſtinianam, conſecrauit, tranſlatis Sanctorum Vitalis & Agricolæ Reliquiis* (ſed hæ tamen nonniſi poſtea tempore Sancti Ambroſii, qui eas Bononia in Vrbe inuenerat, tranſlatæ Mediolanum fuerunt) *His atque aliis piè geſtis rebus, cùm vnum & quadraginta Annos Eccleſiam Mediolanenſem in ſumma perſecutionum tempeſtate gubernaſſet; multis pro Dei Religione laboribus & certaminibus perfunctus, abiit ad Dominum.* Et poſtmodùm in ſuis ad eumdem diem ac Sanctum Notationibùs: *Ex Codice perantiquo Baſilicæ Sancti Ambroſii Mediolani* (certè verò ille eſt, quem ſupra ego Capite ac Numero 2. deſcribebam) *& ex Tabulis Eccleſiæ item Mediolanenſis. Nos præterea eius Vitam contexuimus, Breuiario eiuſdem Ambroſianæ Eccleſiæ adſcriptam.* Eam nimirùm, quæ cum ipſomet Breuiario typis poſtmodùm edita fuit; vt ſuo nos etiam tempore videbimus. Philippus autem ille non alius eſt, quàm qui Martyres Protaſium ac Geruaſium ſuis in ædibus ſepeliuit, eiſquè Libellum adiecit illum, de quo nos adhuc tam multa diſſeruimus. D

CAPVT

CAPVT CL. A

Sancti Nazarij Corpus aliaquè Sanctorum Reliquiæ à Sancto Carolo, Cardinali Archiepiſcopo, ſolemniter transferuntur Anno 1579.

I. HAC de re noſtrates in promptu nobis ſunt Scriptores, qui eiuſdem Sancti Antiſtitis noſtri Caroli Vitam litteris ex inſtituto conſignarunt: Carolus à Baſilica-Petri, Libro 5. Cap. 6. & Ioannes Petrus Gluſsianus Libro 5. Cap. 9. Sed ne propterea quidam ad ipſos Lectorem noſtrum dimittemus. Præſtat enim eorum verba hoc recitare loco, indequè ſimul etiam dignoſcere, qualiſnam Baſilicæ Nazarianæ ſtatus eſſet hoc tempore; ſiue Anno ſupra Milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo-octauo, quo Sacræ illæ Reliquiæ fuerunt recognitæ; poſteroquè, quo ſolemniter translatæ. B

II. Concilium Prouinciale Quintum Sanctus Archiepiſcopus noſter Carolus Anno Sæculi huius Septuageſimo-nono inchoauerat die ſeptimo Maii menſis, idquè tandem abſoluerat, cùm Sacrarum eiuſmodi Reliquiarum Translationem aggreſſus eſt. Hinc igitur Carolus item à Baſilica-Petri, poſteaquàm eiuſdem Concilii Acta deſcripſiſſet Capite 5. tum verò Capite 6. hunc in modum proſequitur: *Concilium autem ornauit Translatio Reliquiarum Baſilicæ Apoſtolorum; quemadmodum & Translatio ipſa ex Epiſcoporum præſentia valde illuſtrata eſt. Mouerat eas Carolus ſuperiore Anno; cùm Canonici antiquam Aedem inſtaurare atque ornare vellent. Sed in loco deſtinato non repoſuerat; vt honore celebritatequè maiore, cùm haberetur Concilium, per Vrbem geſtarentur; & omninò earum eſſet Translatio ſplendidior, & ad Populum piè excitandum efficacior. Cùm igitur Altare præcipuum ex media Eccleſia tolleretur; inuenimus ſub eo, quemadmodùm à Maioribus traditum erat, Corpora Sanctorum Antiſtitum noſtrorum, Venerii, Glicerii, Maroli, atque Lazari; non ſatis commodè tamen, aut diſtinctè, ac in rudibus quibuſdam lapideis labris poſita. Alia oſſa incerta rudiùs etiam habita. In medio loco arculam argenteam, & in ea quædam velamina: vaſculumquè rotundum, in quo oſſis fruſtulum itidem cum velo erat. Collocatas in hac Aede pridem Sanctorum Apoſtolorum Reliquias, Paulinus ſcribit; ea de cauſa Baſilicam Apoſtolorum appellatam ſignificans. Sanctum Simplicianum verò eas Roma attuliſſe, quidam tradiderunt: quem quidem multùm, antequàm Epiſcopus eſſet, peregrinatum eſſe, Sanctus ipſe Ambroſius teſtatur. Perpetuò igitur exiſtimatum eſt, eas Reliquias ſub hoc fuiſſe Altari: atque adeò, vt fit, etiam vulgatum, certa ipſius Apoſtoli Petri oſſa ibi recondi. Ea nos cum hoc tempore inuenire geſtiremus: & in argentea Capſula, cùm ea demùm apparuiſſet, eſſe crederemus; velaminibus tantùm repertis, hæſitauimus triſtes. Sed quod inuentum in ea eſt, quidquid dubii afferretur, Carolus, cæleſti aliquo motus inſtinctu, tamquàm Apoſtolica pignora iuſsit nihilominùs haberi: & primo loco ſuis ſocio-* C D

 rumquè

rumquè Epiſcoporum humeris in ſacra pompa portari, tum eodem receptaculo recondi. A

III. Sequitur ſubinde Auctor explicare, quemadmodùm Romani Pontifices petentibus Apoſtolorum Reliquias ſolerent, non oſſa dare aliqua, ſed brandeum, ſiue velamen quoddam, in pyxide concluſum. Hiſquè interiectis, cœptam narrationem ita rurſus proſequitur: *Cùm autem in rotundo vaſculo* (quod proximè dixerat ſub eo Altari repertum) *inciſas litteras vidiſſem huiuſmodi, Dædalia viuas in Chriſto; putaui, aliquid ea in re eſſe, quod ad clariſsimam quoque præſtantiſſimamquè Virginem Mediolanenſem, Manliam Dædaliam, pertineret; quæ cùm per ea tempora vixerit, earum Reliquiarum partem fortaſsè contulit. Hæc pauperum mater, ob inſignem in eos liberalitatem; appellata eſt: & annis ſexaginta, quibus in hac vita fuit, ſanctiſsimè coluit virginitatem. Cuius memoriam, quamuis publico non colatur honore, obſeruare ſemper & colere Mediolanenſes, maximè autem Deo dicatæ Virgines, debent.* Hæc ibi Carolus de hac Manlia Dædalia. Ego autem de hac ipſa nonnihil in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis diſſerui Numero 19 vbi denique ipſam opinione Triſtani Chalci commemorabam ſororem fortè fuiſſe Theodori Manlii, Conſulis Romani; opinione verò Caroli, cuius teſtimonio nunc vtimur, vixiſſe circa Sancti tempus Ambroſii. Certè tamen in his duobus ab vtroque illorum diſcrepat Alciatus in Antiquario, quod ſæpè in teſtimonium producebat eruditus ille Vir, cognomento Fontana, ſuperiori Capite 86. Num. 4. à me collaudatus, in ſuis Notis ad manuſcriptum Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogum, quem paulò accuratiùs in eiſdem Monumentis Num. 43. deſcripſi. In eo ſiquidem Catalogo, poſteaquàm eius Collector egiſſet de Theodoro Archiepiſcopo Vigeſimo-quarto: cumquè dixiſſet obiiſſe Anno Domini Quingenteſimo-ſexto (qua de re iam ego aliquantùm ab ipſo diſcors in Laurentii Litta Archiepiſcopi noſtri Vita diſſerui) tum verò Fontana, tamquàm ex Alciati Antiquario, ſic adnotat, eiuſdem Alciati verba exſcribens: *Theodorum hunc Archiepiſcopum nobiliſsimum ex Manlia gente conücere licet ex eleganti Epigrammate* (hoc ego quoque recitabam eo Numero 19.) *quod Manliæ Dædaliæ, Sorori, Virgini Sacratæ, fecit. Extat iuxta Protaſii Oribaſiiquè* (ſeu Geruaſii) *Martyrum ſedem: Martyris ad frontem recubent quæ membra Sepulchro* &c. Hanc igitur Alciatus aſſerit Theodori eius Archiepiſcopi ſororem fuiſſe; multiſquè proinde annis poſteriorem, quàm Chalcus & Baſilica-Petri opinabantur. Sed hinc, ſecundùm inſtituti præſentis rationem, progrediamur cum eodem Baſilica-Petri. B C D

IV. *Sub alio item præcipuo Altari* (ſubdit) *ad caput Eccleſiæ conſtituto* (& hæc quidem iam ſupra ego recitaui, Cap. 48. Num. 10. ſed tamen etiamnùm lubens hic repeto) *quod itidem tollendum & commodiore loco conſtituendum fuit, celeberrimi Martyris Nazarii, vnde præſens nomen Eccleſia accepit, Reliquias inuenimus: quæ altè ſub terram inter tenues quaſdam & politas marmoreas tabulas conditæ erant. Vidi ſuccidum quiddam adhærere inferiori tabulæ:*

bulc: quod equidem veſtigium eſſe recentis ſanguinis putaui, quem à Sancto A
Ambroſio cum Reliquiis huius Martyris mirabiliter repertum Paulinus narrat.
Neque enim conücere potuimus, Corpus ex eo tempore motum eſſe, quo illud
Ambroſius condidit. Apud loculum Sancti Nazarii arca inuenta eſt, duorum
Corporum oſſa continens (quorum Corpora fuerint, me quidem coniectu-
ræ nondum pœnitet illius, quam Capite 37. Num. 17. faciebam) *quæ*
quorum fuerint, ignoramus. Ex vtroque autem loco magna odoris ſuauitas,
cum ſepulchra aperirentur, afflata eſt. Hæc igitur ibi Auctor de Sancti
præſertim Nazarii Corpore, tunc inſpecto. Quibus quemadmodum ea
conſentiant, quæ ipſe pariter poſtea narrauit in Hiſtoria Mediolanenſi,
ſeu in Sancto Caio, Archiepiſcopo Tertio, quæquè iam ego recitaui
ſuperiore Capite 48. Num. 10. ego quidem nunc taceo, Lectoremquè B
illuc propterea remitto.

V. De Sancti porrò Vldarici Corpore iam ego ſcripſi ſuperiore Capite 85.
Sed nihilominùs hic item inſpiciamus, quæ Carolus idem Baſilica-Petri
eodem loco, quem de Sancti Caroli Vita tractamus, adiecerit. Talia
vtique adiecit: *A latere dextro Eccleſiæ, ferè ſub loco Euangelii legendi, aliam*
arcam aperuimus: quæ, paruulo Sacello Altariquè munita, Sancti Vlrici (ſiue,
vt alii, Arderici) vulgò appellata, à multis præcipuo cultu frequenter viſeba-
tur: cui loco eiuſdem Sancti Viri ſtatua etiam appoſita erat. Omnia verò erant
remouenda; vt Eccleſiæ apta decenſquè forma conſtitui poſſet. Inuenimus in
arca indumentis Pontificalibus ornatum Corpus; quamquàm, ſimulac ea aperta
eſt, eorum ſpecies tota propemodùm euanuit. Quiſnam Epiſcopus ille fuerit Me- C
diolanenſiſnè, an Auguſtanus, vt quidam putant, aut verò alius: adhuc equi-
dem ignoro.

VI. *Has igitur Reliquias Carolus inuentas, piè manibus ſuis collegit, nobis ſancto*
officio inſeruientibus, quos iubebat eiuſmodi ſemper actionibus adeſſe. Sicut
autem initio Capitis huius dicebamus, has Carolus Reliquias inuenit
inſpexitquè Anno Sæculi præſentis Septuageſimo-octauo: ſicut & Anno
deinde ſubſequenti eaſdem tranſtulit.

VII. *Abſoluto autem, vt mox dicebamus, Anno inſequenti* (verba ſunt eiuſdem
Caroli à Baſilica-Petri, narrationem ſuam proſequentis) *Epiſcoporum*
Concilio, hæc Corpora religioſa admodùm celebriquè pompa extulit: & congruo
viarum ambitu, portans ipſe cum Epiſcopis ſancta feretra, Populo frequentiſ- D
ſimo ad venerationem propoſuit. Commemoratas Reliquias omnes collocauit ſub
nouo Magno Altari; præter Epiſcopales illas, ab Eccleſiæ latere dextro abla-
tas; quas ab eadem parte in extremo Eccleſiæ brachio poſuit, & Altare ſuper
eas conſtruxit. Nam aptus ad id erat locus; quoniam in oppoſita Eccleſiæ parte
aliud è regione ſimile reſpondebat; ſub quo itidem Sancti Matroniani Corpus,
alio loco antea poſitum, tunc retulit; ſiue potiùs referre meditatus eſt. Non
enim re ipſa illud retulit ad alteram illam brachii ſiniſtri extremitatem
(in qua quidem nunc extat Deiparæ Virginis Altare) ſed in eadem
prorsùs reliquit Cappella, in qua priùs poſitum fuerat; ſicut etiamnùm
atteſtatur eiuſdem Matroniani geſta (qualia nimirùm ego indicabam

Capite

Capite 38. Num. 4.) eidem Cappellæ intrinſecùs ex antiquo appicta. Porrò pergit ibidem Baſilica-Petri, alteramquè protinùs addit rationem, quare Sancti Vlrici Corpus in ea fuerit brachii dexteri extremitate collocatum. Subdit enim: *At efficiebatur quoque, vt dextri lateris eiuſdem ianuam, quam nuper, vt in cæteris Eccleſiis, claudi iuſſerat, nemo poſthac, appoſiti Corporis ſaltem gratia, eſſet patefacturus. Ratio condendarum Reliquiarum, qua Carolus vſus eſt, quamquè in poſterum præſcripſit, fuit ſanè magis quàm antiqua, quantùm perſpicio, & ad conſeruationem aptior, & ad memoriam accommodatior: quæ quidem eius editis Libris continetur.* Et ita quidem Baſilica-Petri ſacrarum eiuſmodi Reliquiarum inſpectionem ſolemnemquè Translationem narrando concludit. A

VIII. Proximum nunc eſt, vt Petrum pariter Gluſsianum, eadem Libro 5. Cap. 9. Annoquè Chriſti 1579. narrantem, necnon aliquid inſuper apertiùs indicantem, videamus. Deſcripta igitur etiam ipſe Concilii Prouincialis Quinti celebratione, de Sancto Antiſtite noſtro Carolo loquens, hunc in modum ſcribebat: *Con l'occaſione di hauer in Milano i ſuoi Veſcoui, le parue bene di fare vna ſolenne Traslatione del Corpo di San Nazaro Martire, e d'altri Santi, che ripoſano nella Chieſa dedicata à queſto glorioſo Santo: la quale ſi chiama per altro nome la Baſilica delli Apoſtoli; perche ſi conſeruano in eſſa alcune Reliquie de' Santi Apoſtoli Pietro e Paolo, che San Simpliciano portò da Roma, ſino auanti ch'egli foſſe Arciueſcouo di Milano. Preſe dipoi queſt'altro nome, quando il Dottore Sant' Ambrogio fece la Traslatione del Corpo di detto Santo.* B

IX. *Hauendo i Canonici di queſta Collegiata determinato ſino l'Anno precedente di riſtorarla, e ridurla à forma migliore, conforme gli Ordini fatti da San Carlo nella ſua Viſita; era neceſſario rimouere i Corpi Santi, iui riposti. Perciò d'ordine ſuo ſi cercò prima il Corpo del Martire San Nazaro: il quale fù ritrouato ſotto terra, circa ſette ò otto braccia, in vn ſepolcro, fabricato d'alcune laſtre di finiſsimo marmo, ſotto vn laſtricato duriſſimo, eſſendoui l'oſſa ſole, per l'incenerita carne. Del che eſſendo auuiſato il Cardinale; venne incontanente à riconoſcerlo; doue ſi fermò in oratione ſino à meza notte; eſſendoui preſenti alcuni de ſuoi Canonici, & in particolare Monſignor Carlo Baſcapè, hora Veſcouo di Nouara; il quale riferiſce queſt'attione compitiſſimamente nell'Hiſtoria ſua. Et ſi hebbero ſicuri teſtimonii di queſto Sacro Corpo, che manifeſtano l'errore di coloro, i quali ſcriuono, che fù traſferito nella Città di Metz, nella Germania, da Grodegando, Veſcouo d'eſſa Città, l'Anno di noſtra Salute 775.* &c. quemadmodùm ſcilicet ego iam recitaui Capite 75. Num. 1. C D

X. *Ritrouarono ſimilmente ſotto l'Altare di San Pietro, ſituato all'hora ſotto la Cuppula della Chieſa, vna Caſſetta d'argento, effigiata artificioſamente di varii miſteri della Paſſione di Chriſto noſtro Signore: nella quale erano alcuni veli, & vn vaſetto rotondo, con vn pezzetto d'oſſo dentro, rinuolto in vn'altro velo. Et queſta è la Caſſetta delle Reliquie delli Santi Apoſtoli. Vi furono parimente ritrouati li Corpi di quattro Santi Arciueſcoui di Milano, Venerio Oldrado, Gliterio Landriano, Marolo, & Lazaro Boccardio, che fù l'iſtitutore delle Litanie Triduane.*

Triduane. De quarum Litaniarum inſtitutore iam ego diſſerui Cap. 64. A

XI. *Dalla parte deſtra, verſo l'Euangelio, era il Corpo di Sant'Olderico, Veſcouo di Auguſta* (ſic enim Auctor hic opinatus eſt) *& in vn' altra Capella, dall' altra parte, il Corpo di San'Matroniano Eremita. Li quali Santi Corpi furono meſſi in alcune Caſſe, molto bene accommodate, che ſi riposero in luogo honorato e ſicuro, fin che ſe ne faceſſe la Traslatione. La quale fu differita à poſta da San'Carlo, per celebrarla con maggior' pompa e ſolennità per l'interuento de' i Veſcoui, e Prelati, congregati nel Concilio. E trà tanto ſi fece la nuoua fabrica dell'Altare Maggiore, e l'abbellimento del Choro, e di tutta la Chieſa.*

XII. *Ordinò, che ſi faceſſe vn'nobiliſſimo apparato di tutta la Chieſa, e delle ſtrade, per doue paſſar' doueua la Proceſſione, con varii fregi & adobbamenti: e'l giorno auanti la Traslatione andò con alcuni Veſcoui à riporre i Santi Corpi nelle Caſſe, accommodate con molti ornamenti, per fare la Traslatione, ſeparati vno per caſſa: il che fecero con ogni riuerenza, vſcendo da quelle ſacre Reliquie, mentre ſi moueuano, odore ſoauiſſimo.* B

XIII. *La mattina ſi diede principio alla Proceſſione, comparendo tutti gli Eccleſiaſtici, veſtiti de più pretioſi veſtimenti, con lumi acceſi in mano: e'l Cardinale & i Veſcoui, veſtiti Pontificalmente, portarono quelle ricche Caſſe ſopra le proprie ſpalle per tutta la ſtrada, con molta edificatione del numeroſo Popolo, concorſo.*

XIV. *Finita la Proceſſione, riposero quei ſacri pegni tutti nell'Altare Maggiore; eccetto il Corpo di Sant'Olderico, che collocarono in vn'nuouo Altare, fatto ſotto il corno deſtro della Chieſa, doue era prima vna Porta laterale; & il Corpo di San' Matroniano, che reſtituirono nell'Altare della ſua Capella.* In hoc enim Gluſſianus, à Baſilica-Petri diſcors, mihi quidem ac veritati conſentit. C

XV. *Per cauſa di queſta Traslatione ſi eccitò tanto la diuotione del Popolo verſo i Corpi Santi, che ſi è viſta poi quella Chieſa molto frequentata da' i Fedeli, e particolarmente la Capella di Santo Olderico, per le molte gratie, che ſi riceuono dalla ſua interceſſione.*

XVI. His porrò conſentit Paulus etiam Morigia, qui certum præterea definitè aſsignat diem, quo eiuſmodi Translatio peracta fuit. Erat autem decimus Maii dies, quo ſcilicet die Translatio Sancti Nazarii olim fuerat à Sancto Ambroſio celebrata. Itaque hanc ipſam ob cauſam ego eum credidi à prouidentiſsimo Carolo de induſtria delectum. Talem verò Translationem Morigia deſcribit in Hiſtoria Mediolanenſi, Libro 2. Cap. 23. & rursùs in Ciuitatis ac Diœceſis Mediolanenſis Sanctuario, qua parte agit de Nazariana Baſilica: & hic quidem his verbis: *Hora è da dire, come l'Anno* 1578. *li Signori Canonici fecero con groſſa ſpeſa rinouare, rimodernare, & abbellire detta Chieſa, con ſodisfattione di tutta la Città. Et alli dieci di Maggio, l'Anno* 1579. *la ſanta memoria del Beato Carlo Borromeo, noſtro Arciueſcouo vigilantiſſimo, fece la Traslatione de tutti i Corpi Santi, che quiui furono trouati, e riconoſciuti. Doue ſi fece vna ſolenniſſima Proceſſione, con molti Veſcoui e tutto il Clero Secolare e Regolare; con tutti quei apparati poſſibili à farſi, con il concorſo; oltre à quei della Città, di più di trenta mille foraſtieri. Li Corpi Santi adunque, che furono traſportati, ſono li* D

ſeguenti:

ſeguenti: il Corpo di San'Nazaro, Martire: il Corpo di San'Venerio de gli Oldrati: quel di San'Marolo: quel di San'Clicerio, Landriano: e quel di San'Lazaro, de Lazari, che alcuni dicono che fu de' Cotti. Queſti quattro furono Arciueſcoui di Milano, e Nobili Milaneſi. &c. A

CAPVT CLI.

Corpora Sanctorum Martyrum, Baſilidis, Cyrini, & Naboris, Anno 1581. in Baſilica Celſiana inter effodiendum inueniuntur, & à Sancto Carolo, Cardinali Archiepiſcopo, recognoſcuntur. B

I. ROmæ necatos fuiſſe hos Martyres, eorumquè Corpora Romano Pontifice Paulo, nominis huius Primo, inuenta, necnon etiam ſecundùm aliquas partes fuiſſe in Galliam tranſlata: ſatis hæc iam conſtant è ſuperiore Capite 75. Sic etiam è Capite 115. ſatis iam liquet, aliquid ex iis ad Vrbem quoque noſtram fuiſſe allatum, & in Baſilica Celſiana collocatum.

II. Quonam verò præcisè in loco illud Sacrarum Reliquiarum lateret: huius item rei traditio aliqualis vigebat Anno 1576. Quocirca etiam Carolus à Baſilica-Petri in eo Libro, quem De aliquot Vrbis Mediolanenſis Eccleſiis Italicum eodem Anno edidit (de quo Libro relegi poſſunt, quæ C iam diximus Capite 132. Num. 5.) cùm de Celſiana diſſereret Eccleſia, ſic etiam ſcribebat: *Si hà, che vi ſiano anco i Corpi de Santi Cirino Nabore e Baſilide, che col martirio là vita terrena con la celeſte cambiarono: & il loro luogo ſia in capo alla Chieſa, nella parte di verſo Santa Maria, doue già era vn'Altare.* Certè autem fidelem ac veracem fuiſſe huiuſmodi traditionem, liquidò apparuit hoc tandem Anno 1581. quo Sacræ Martyrum illorum Reliquiæ in eo ipſo loco repertæ ſunt, vt proximè videbimus.

III. Ipſemet in primis Carolus a Baſilica-Petri, Vitam ſcribens Sancti Cardinalis & Archiepiſcopi noſtri Caroli, ac Libro 6. Capite primo Geſta proſequens Anni 1581. cùm ſolemniem Sacrarum Reliquiarum, quæ in Stephanienſi Baſilica repertæ fuerant, Translationem narraſſet factam D decimo-quarto Aprilis die; tum verò ſic addidit: *Atque eodem menſe, poſt dies quinque, Reliquias mouit Sanctorum Cirini, Naboris, & Baſilidis: quæ in Altari Sancti Celſi, in capite ſiniſtræ nauis, vt appellant, poſito, recondita erant; quod Altare, ob minimè congruum locum, tollendum erat. Celebritatem pompamuè eius rei nullam inſtituendam cenſuit; cùm pauca tantùm oſſa ante conſpexiſſet. Ea priuatim repoſita ſunt, mox in aptiorem locum referenda.* Hæc ille.

IV. Eadem, ſed aliquantò explicatiùs, narrauit etiam Petrus Gluſsianus in eiuſdem Sancti Caroli Vita, Libro 9. Capite 21. & ad Annum pariter 1581. & poſt deſcriptam illarum Translationem Reliquiarum, quas in

Baſilica

Baſilica Stephanienſi repertas innuebam. *Occorſe l'iſteſſo meſe d'Aprile* (ver- A
ba ſunt ipſius) *pochi giorni doppo la detta Traslatione* (quam pariter dixe-
rat die factam eiuſdem Aprilis decimo-quarto) *che, eſſendo ſtato leuato*
ſin' l'Anno 1576. *vn' Altare della ſiniſtra naue nella Chieſa di San' Celſo, offi-*
ciata da' Canonici Regolari di San' Saluatore, dedicato alli Santi Martiri Baſi-
lide Cirino e Nabore, d'ordine di Monſignor Famagoſta, Viſitatore Apoſtolico,
per eſſer' troppo vicino all' Altar' Maggiore: e facendo cauare quei Padri nel luogo
d'eſſo Altare, per farui vna ſepoltura; vi ritrouarono vn' arca di marmo,
chiuſa; & hauendone dato conto à San' Carlo, egli v' andò, accompagnato dalli
Veſcoui di Nouara e Vercelli, e da molto Clero e Popolo; e fatto leuare il co-
perchio dell' arca, vi ritrouò dentro le ſacre Oſſa delli detti trè Santi Martiri; e
doppo hauerle riconoſciute & venerate, le traſportò con grande honore nella B
Sacriſtia di eſſa Chieſa; & le ripoſe in vn' armario, decentemente ornato, per
reſtituirle poi nel proprio Altare, quando foſſe rifatto.

V. Vide autem, quàm benè duobus hiſce teſtimoniis tertium conſentiat, quod
nobis depromendum iam ſupereſt ex eo Codice manuſcripto, quem
Capite 132. Num. 1. & 2. ingenuè profitebamur commodatum à Cel-
ſiani Monaſterii Abbate, videlicet ex eiuſdem Monaſterii Archiuo.
Etenim poſt verba, per nos Numero illo ſecundo recitata, hæc etiam
in eodem Codice ſequuntur: *A di 21. Aprile 1581. Nota, come nella*
noſtra Chieſa di San' Celſo ſoleuano eſſere due Altari: vno dedicato alla Ma-
donna, poſto in capo della Nauata deſtra, vicino alla Porta del Campanile: e
l'altro dedicato alli Santi Martiri, Baſilide, Cirino, e Nabore, poſto in capo C
della Nauata ſiniſtra. I quali duoi Altari furono leuati l'Anno 1576. per eſſer'
troppo appreſſo all' Altaro Maggiore, di commiſſione del Viſitatore Apoſtolico,
Monſignor Reuerendiſſimo Hieronimo Ragazzone, Venetiano, all' hora Veſcouo
di Famagoſta, & hora di Bergamo. L' Altare della Madonna fu traportato
all' hora & rifatto nel mezzo della detta Nauata deſtra: oue dippoi l'Anno 1580.
l'Illuſtriſſimo Signor' Don' Alfonſo Gueuara, Maggiore del Conſeglio Secreto di
Sua Maeſtà Cattolica quì in Milano, hà fatto fare la Capella & Sepoltura ſua
(cuius etiam Sepulchri Epitaphium ego poſtea recitabo in Annum Mil-
leſimum quingenteſimum octuageſimum-quartum) *L' altro Altare della*
Nauata ſiniſtra per fino adeſſo non' è ſtato rifatto in altro luogo. Cauandoſi adun-
que queſt' Anno 1581. nel meſe di Aprile, vicino alla Porta, doue era il detto D
Altare, per fare vna ſepoltura; fù ſcoperto vn' vaſo, ouero conca, di marmo:
del quale ne fù auuiſato l'Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Signor' Cardinale Bor-
romeo, Arciueſcouo; il quale nel giorno ſeguente (che fù adi diecinoue di queſto
detto meſe Aprile, & Milleſimo) venne ſuper locum, accompagnato da due
Reuerendiſſimi Veſcoui, Nouara e Vercelli, con altri Prelati, & molte perſone
Eccleſiaſtiche, & gran' moltitudine di Popolo. Entrato ch' egli fù in Chieſa con le
ſolite ceremonie, & fatte le debite orationi & prieghi, prima all' Altare Mag-
giore, e poi al detto luogo cauato: & iui recitate le Letanie; fù leuato il coper-
chio dal detto vaſo, & conca marmorea; & trouate le ſante Oſſa delli trè ſo-
pradetti Martiri, Baſilide, Cirino, e Naborre, furono da Sua Signoria Illuſtriſ-

ſima & Reuerendiſsima ſcoperte con canti & organo, & applauſo grande ſpirituale, & con altre dimoſtrationi & ſegni di diuotione; & poi portate nella Sagreſtia, & riposte dentro in vn'armario, honoreuolmente accommodato, & ſerrato con chiaui, & con quattro ſuggelli ſegnato. E perche l'hora era tarda, che non ſi poteua dare compimento à quanto era neceſſario; la mattina ſeguente, di commiſsione di Sua Illuſtriſsima & Reuerendiſsima Signoria, ritornorno i ſuoi due Reuerendi Commiſſarij, & altri ſuoi Officiali, con il Notaro della Communità: il quale, inteſo tutto il fatto ſopradetto, ne fù rogato, & furono eſſaminate le perſone, che haueuano ò poteuano hauer informatione, cognitione, & qualche notitia di queſti Corpi Santi, ſi per ſcritture, come per traditione: e coſi fù ſcritto minutamente ogni coſa. Li Canonici noſtri, che furono preſenti, & che dal detto Notaro furono ſcritti, ſono l'infraſcritti: videlicet, Don Floriano della Mirandola, Vicario: Don Coſmo da Bologna: Don Floriano da Bologna: Don Hieronimo da Piacenza: il Priore era andato à Bologna, al Capitolo Generale. Le ſopradette Oſſa e ſante Reliquie ſtaranno coſi ſerrate nel detto bancho inſinoche gli ſarà fatto l'Altare in Chieſa, in luogo condecente, che per anco non gli è ſtato deſignato; & all'hora con ſolenne Proceſsione ſaranno publicate alla Città. Coſi hà detto l'Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Signor Cardinale, Arciueſcouo e Paſtore vigilantiſsimo ſopra il Gregge ſuo. Coſi ſi deue pregare noſtro Signor Iddio, che ſia la guida ſua da bene in meglio, à gloria & honore di ſua Diuina Maeſtà. Amen. Nec aliquid amplius in eo Scripto continetur pro tribus iuſce Sanctis Martyribus.

A … B

VI. Quando itaque ſacra illorum Corpora proprio Sacello, in id extructo, decorata fuerint, & illuc illata: hoc ego quidem haſtenus neſcio. Tale nihilominus Sacellum deinde auctum & ornatum fuiſſe à Cæſare Marino, Patricio Genuenſi, commonſtrabo infra, cum ad Annum Chriſti Milleſimum ſexcenteſimum octauum differendo peruenero. C

CAPVT CLII.

Breuiarij Ambroſiani, per Sanctum Cardinalem Archiepiſcopumque Carolum reformati, & Anno 1582. typis editi, teſtimonium pro Sanctis Nazario & Celſo, ac Protaſio & Geruaſio. D

I. SAnctiſsimus ipſe noſter Archiepiſcopus, Carolus Cardinalis Borromæus, poſt abſolutum Concilium Tridentinum, per id tempus quo Pius tam Quartus quàm Quintus Pontificatum Romanum adminiſtrabant, reformationi Breuiarii & Miſſalis Romani adlaborandum Romæ per Viros egregiè doctos curauerat; ſicut in eius Vita narrant Libro 1. Carolus à Baſilica Petri Capite 9. & Ioannes Petrus Gluſsianus Capite 8.

II. Tametſi autem Mediolanenſis Eccleſiæ regimen Anno iam 1560. ſuſceperat: omninoquè neceſſarium eſſe videbat, vt reformandum etiam

curaret

curaret Ambroſianum Breuiarium : idquè omni ſtudio & ope conten- A
debat; nihilominùs voti ſui compos eſſe non potuit niſi ſub Annum
1582. quo tandem Anno illud nouis impreſſum typis euulgauit. Teſtis
eſt ipſius Epiſtola , quam eidem Breuiario tunc præfixit : & quam
ego innuebam propè finem Capitis 39. quamquè , quia vniuerſo eſſe
Orbi Chriſtiano notiſsimam cupio , hic ad verbum interſeram ; licet
ea deinde, in omnibus adhuc Breuiarii noſtri editionibus denuò ſem-
per impreſſa, legi nunc etiam percommodè poſsit. Ea verò eſt huiuſ-
modi : CAROLVS , *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Tituli*
Sanctæ Praxedis , Archiepiſcopus , Vniuerſo Clero Mediolanenſi Salutem in Do-
mino . Diuina miſericordiæ munere donoquè Eccleſia Mediolanenſis , cuius Ar-
chiepiſcopalem curam & adminiſtrationem , Dei Sediſquè Apoſtolicæ gratia , ge-
rimus , cùm multis aliis ornamentis exculta ſit , tum hoc vno etiam , quòd Di- B
uinorum Officiorum Ritum præcipuum , atque eum quidem antiquiſsimum, habet:
quem , ab Sancto Ambroſio Patre Patronoquè noſtro inſtitutum , & à Beato
Simpliciano auctum , deinceps Archiepiſcopi , qui ordine ſucceſſerunt , tamquàm
amplam ſibi hæreditatem relictam , religiosè conſeruarunt . Itaque nos , vbi
primùm ad hanc Archiepiſcopalem curam gubernationemquè vocati ſumus : cùm
alia , quæ vel ad Cleri diſciplinam , vel ad Populi morum conformationem , vel
ad Eccleſiarum inſtaurationem ornatumquè pertinerent , pro ſolicitudinis noſtræ
officio , non ſolùm Conciliis tam Prouincialibus quàm Diœceſanis , ſed omni alio
Archiepiſcopali munere , quantùm in nobis fuit , benè iuuante Deo , procurare
ſtuduerimus ; in id quoque maximè incumbere operæ pretium eſſe cenſuimus ; vt
antiqua Eccleſiæ huius nobis commiſſæ inſtituta , vetereſquè ritus , atque adeò C
ab ipſo Sancto Ambroſio inſtitutos , rectè tueremur ; & , vbi opus eſſet , inſtau-
raremus . Quamobrem multis ab hinc annis (præter cetera , quæ ad huius Ec-
cleſiæ rationes vſumquè opus eſſe vidimus) illud maximoperè curauimus : vt
Breuiarium in primis , adhibito peritorum piorumquè hominum conſilio , reco-
gnoſceremus , ritequè & congruenter veteribus Ambroſianis inſtitutis confor-
maremus . Quo in genere cùm exemplaria antiqua , aliaquè comprobata huius
Eccleſiæ monimenta , adhiberi mandauimus : tum verò totius Officii normam ,
in multiplici Breuiarii Ambroſiani varietate , diuerſis temporibus non rectè à
nonnullis Sacerdotibus priuatim introducta , ad Ritum accommodari voluimus ,
quem clariſsimi Diuinorum Officiorum Scriptores docent , & Theodorus in pri-
mis Archiepiſcopus , prædeceſſor noſter : qui eiuſdem Ambroſiani Diuinarum Pre- D
cum Officii Nocturni Matutiniquè partes pie & eruditè explicauit luculenta
myſteriorum interpretatione . Hoc igitur Breuiarii opus , demum diuinæ pietatis
abundantia confectum , & Ritui veteri accommodatum , & , quod ad Lectiones
ſacræ Scripturæ attinet , cum ratione canone atque inſtituto antiquo huius noſtræ
Eccleſiæ congruens , cæteriſquè partibus abſolutum , in lucem emitti iuſsimus .
Quare vniuerſis & ſingulis Eccleſiaſtici Ordinis hominibus (etiam Regularibus)
qui iure , conſuetudine , conſtitutione , decretouè noſtro , aut alia quacumque cau-
ſa , Ambroſiano More Diuina Officia obire debent , iis edicimus , & in virtutè
ſanctæ obedientiæ iubemus præcipimuſquè , vt ad huius Ambroſiani noſtri Bre-
uiarii præſcriptum Canonicas Horas Diuinumquè Officium deinceps perpetuò , tam

publicè quàm priuatim, præſtent. Quòd ſi quis ſecùs fecerit; cùm eum Canonicarum Horarum Officio, quod debent, non ſatisfacere declaramus; tùm pœnis affici ſancimus, quæ Lateranenſi Concilio à Leone X. Pontifice, & aliis ſanctionibus Pontificiis, & Prouincialibus Synodis Mediolanenſibus, contra Clericos conſtitutæ ſunt, qui Canonicarum Horarum Officium intermittunt. Illud autem eos vniuerſos ſingulosquè hortamur ac monemus: vt, diuinæ charitatis ſtudio incenſi, ita ſe in huius Breuiarii vſu exerceant, vt, quod ore pſallunt, mente ſpirituquè idem intimè pſallant: ſicquè toto animo ſuæ pietatis fructus in dies vberrimos à Deo percipere ſtudeant, intercedente Beatiſsimo Patre Ambroſio, in cuius Eccleſia ipſi miniſtrant. Datum Mediolani Octauo Idus Septembris, M.D.LXXXII. A

III. Sic igitur ſapientiſsimus & vigilantiſsimus Archiepiſcopus Clerum ſuum de hac noua Breuiarii Ambroſiani editione præmonebat. Sicut autem inter alia profeſſus fuit, ſe ad hoc Opus conſilio quoque peritorum ac piorum hominum eſſe vſum; ita etiam inter eiuſmodi homines commemorandus nominatim eſt nobis Petrus ille Galeſinius, cuius mentionem ſæpè fecimus adhuc, & cuius eruditio Eccleſiaſtica communiter celebratur. In Archiepiſcopi noſtri Aula tunc ipſe viuebat, & percharus; operamquè ſuam tanto Litteratorum Mœcenati præſtabat in iis præſertim rebus, quas Latinè conſcribi oporteret; quippe cuius elocutio purgata & dilucida meritò permagni æſtimaretur. Hinc igitur factum eſt etiam, vt nouas Breuiarii noſtri tunc reformati Lectiones, quibus Sanctorum Vitæ ſummatim recenſentur, ipſe contexuerit. Contexuit autem tam multas, vt è Breuiario antehac vſitato nullam prorsùs retinuerit. Singulas enim tales vtriuſque Breuiarii Lectiones ego diligenter inter ſe contuli, multoſquè præterea Sanctos cum propriis Lectionibus in hoc nouiſsimo comperi, quorum mentio non fiebat, vel ſaltem quorum propriæ Lectiones non habebantur in anteriori; quamobrem has etiam de nouo & integro Galeſinius abſque dubio compoſuit. B C

IV. Quales porrò in anteriori Breuiario eſſent Lectiones de Sanctis Nazario & Celſo ac Protaſio & Geruaſio, ſatis iam liquet ex iis, quas in præſenti Diſſertatione iam ſupra recitauimus, & præſertim Capite 137. atque 138. Reliquum ergo nunc eſt, vt in hoc recentiore ac reformato diſpoſitas Breuiario proferamus. D

V. Vigeſima quidem octaua Iulii die, Sanctis Nazario & Celſo dedicata, hæc ibi ad verbum Lectio habetur: *Nazarius, Ciuis Romanus, à Beato Lino Pontifice, Fidei myſteriis imbutus, baptizatur. Diuinæ autem pietatis ardore incenſus, vt alios Chriſto adiungeret, multas peragrauit Prouincias, & Galliam in primis: vbi puerum Celſum, Chriſtiana Religione à ſe inſtructum, baptizauit. Et cùm vbique pro Fide Chriſti ſupplicia varia ſuperaſſet; in mare etiam deiectus, inde mirabiliter ope diuina euaſit. Mediolanum verò vnà cum Celſo veniens, cùm in propaganda Fide vterque verſaretur, & Sanctis etiam Martyribus, in carcere incluſis, Protaſio & Geruaſio inſeruiret; Anolini Præfecti iuſſu ambo comprehenſi, præclaris Fidei Confeſsionibus nobiles, ſecuri feriuntur.*

feriuntur. Eorum Corpora, extra Portam Romanam in ſepulturam illata, diu A
cùm latuiſſent; demùm Dei admonitu ab Sancto Ambroſio inuenta, in Vrbem
tranſlata, piè honorificequè in Baſilica Apoſtolorum recondita ſunt. Et hæc
quidem Lectio penitùs conſentit cum Romana, quam ſuperiore Capite
143. Num. 2. è Breuiario tandem reformato producebamus.

VI. Cæterùm pro Sancti Nazarii Translatione nihil habebat Breuiarium
Romanum. Noſtri ergo propriam eius Lectionem acceperunt è Sancti
Ambroſii Vita, per Paulinum conſcripta. Paulinus tamen, priuſquàm
Translationem illam deſcriberet, ita fuerat exorſus: *Nec diu clementiſſi-*
mæ memoriæ Theodoſius Imperator, ſuſceptis filiis in Eccleſia, & traditis Sa-
cerdoti (Ambroſio) *in hac luce fuit. Poſt cuius obitum ferè triennium ſuper-*
uixit. Quo in tempore (quo videlicet Ambroſius Theodoſio ſuperuixit) B
Sancti Nazarii Martyris Corpus, quod erat in horto poſitum extra Ciuitatem,
leuatum, ad Baſilicam Apoſtolorum, quæ eſt in Romana, tranſtulit &c. quem-
admodùm ego quoque Capite 48. Num. 1. ad verbum recitabam. Noſ-
trates verò Sacerdotes, quibus reformandi Breuiarii cura incumbebat,
velut in compendium & ſummam contrahere volentes ea, quæ Pauli-
nus fuerat de Imperatore Theodoſio præſatus, primis duobus verbis à
vero germanoquè Paulini ſenſu deſciuerunt. Sic enim eam ipſi Lectio-
nem orſi fuerunt: *Theodoſio Imperatore* (perinde nimirùm ac ſi tunc etiam
temporis Theodoſius in hac luce vitaquè foret; è qua tamen, Paulino
teſte, iam diſceſſerat) *Sancti Nazarii Martyris Corpus, quod erat in horto*
poſitum extra Ciuitatem, leuatum, ad Baſilicam Apoſtolorum, quæ eſt Romana, C
Sanctus Ambroſius tranſtulit. Vidimus autem in ſepulchro, quo iacebat Corpus
Martyris, ſanguinem Martyris ita recentem, quaſi eodem die fuiſſet effuſus.
Caput etiam ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba,
vt nobis videretur eodem tempore, quo leuabatur, lotum atque compoſitum in
ſepulchro. Etiam odore tanto repleti ſumus, vt omnium aromatum vinceret
ſuauitatem. Translato itaque Corpore Martyris ad Baſilicam Apoſtolorum, vbi
pridem Sanctorum Apoſtolorum Reliquiæ ſumma omnium deuotione poſitæ fue-
rant: cùm tractaret Epiſcopus; quidam de Populo, repletus Spiritu immundo;
clamare cœpit, ſe torqueri ab Ambroſio. At ille, conuerſus ad eum, ait: Ob-
muteſce Diabole; quia non te torquet Ambroſius, ſed fides Sanctorum. Ita
quippe noſtri tunc Sacerdotes Lectionem hanc conflarunt; collectis in D
vnum iis tantùm, quæ ad Sanctum Nazarium ſpectabant; iiſquè præ-
termiſſis, quæ de Sancti Celſi Corpore Paulinus interſeruerat; quia
nimirùm hæc nullatenùs ad eam pertinerent Translationem, quæ die
illo ab Eccleſia Mediolanenſi celebrabatur. Itaque vel hoc ipſo tali
Lectionis contextu ſatis quidem mihi videtur indicatum, Eccleſiam
Mediolanenſem in hac ſententia fuiſſe, vt ſolum Nazarii Corpus, &
non Celſi, eo die fuerit translatum ad Apoſtolorum Baſilicam. Cui
quidem ſententiæ penitùs etiam conſentiunt Orationes in eam celebri-
tatem præſcriptæ; in quibus Nazarius pariter ſolus, & non Celſus,
memoratur.

VII. Videamus

VII. Videamus verò nunc, quemadmodùm de Sanctis item Protaſio ac Geruaſio noſtri tunc Sacerdotes cum Breuiario Romano conſenſerint. Vndeuigeſima enim Iunii die Lectionem hanc propoſuerunt: *Protaſius & Geruaſius fratres, Vitalis & Valeriæ Martyrum filii, Ciues Mediolanenſes, à Caio Epiſcopo baptizati, parentum exemplo ad pietatis ſtudium eruditi, poſt illorum martyrium, & domum, in qua nati ſunt, & facultates pauperibus diſtribuerunt; ſeruos verò libertate donarunt. Ieiuniis autem, orationibus, diuinæquè charitatis officiis dediti, cùm eorum ſanctitas eluceret; in odium venerunt Gentilium Sacerdotibus; qui propterea Anaſtaſio, ad quem ſumma Rei Militaris delata erat, ad bellum profecturo, perſuadent, ſe à Diis monitos eſſe, eum nullo modo victorem futurum, niſi Protaſium & Geruaſium à Chriſti Fide ad Deorum cultum auocaret. Quod ille cùm neque carcere, in quo eos incluſos Beatus Nazarius inuiſit, & valde confirmauit, neque minis aſſequi potuiſſet; Protaſium, fuſtibus contuſum, ſecuri percuti; Geruaſium tamdiu cædi iubet, quoad inter verbera expiraret. Eorum martyrii, quod Nerone Imperatore ſubierunt, memoria vbiquè terrarum in omni Eccleſia perpetuò celebris fuit. Corpora autem illorum Philippus clàm ſuſtulit, in ædibuſquè ſuis ſepeliuit: quæ poſtea Sanctus Ambroſius, diuino admonitu inuenta, ſummo Populi Clerique Mediolanenſis & incredibili finitimarum gentium concurſu celebritatequè in Baſilica Ambroſiana recondidit. Cui actioni Beatus Auguſtinus præſens, miracula narrat, quæ diuinitùs facta ſunt.* Hæc ad verbum in ea Lectione.

VIII. Quòd autem Ciues hi noſtri à Caio Epiſcopo (videlicet item noſtro) baptizati dicebantur; ecce nobis propriam eiuſdem Caii Lectionem in hoc ipſo Breuiario noſtro recenter reformato contextam de nouo, & ad Neronis tempora congruentem. His enim ea verbis concepta eſt vigeſimo-ſeptimo Septembris die: *Caius, Ciuis Romanus, Barnabæ diſcipulus, Anataloni in Epiſcopatu Mediolanenſi ſuccedens, Anolini Præfecti iuſſu multa ſimul cum Clateo, Brixiæ Epiſcopo, Fidei cauſa perpeſſus eſt. Geruaſium & Protaſium, Ciues Mediolanenſes, fratres germanos, quorum deinceps martyrium nobile extitit, Fidei doctrina inſtruxit, & baptizauit. Sanctorum autem Petri & Pauli Apoſtolorum deſiderio flagrans, iter Romam ſuſcepit: in via dum eſſet, diuina quadam ſpiritus præſenſione vidit, eos iuſſu Neronis martyrium obiiſſe. Romam autem vbi venit, quod præſenſerat, re ipſa factum eſſe cognouit. Sed cum Beato Clemente & cæteris Apoſtolorum diſcipulis aliquandiu fuit: quibuſcum Euangelii prædicationem communicauit. Mediolanum verò reuerſus, in illo perſecutionis Neronianæ impetu, pro Fide proquè Eccleſia ſibi commiſſa cùm multa fortiter diuinequè egiſſet; demùm ſanctitatis laude clarus quieuit in Domino.*

IX. In ſuperiori porrò Sanctorum Protaſii & Geruaſii Lectione mentio fiebat etiam Philippi, qui Corpora illorum, clàm ſublata, ſuis in ædibus ſepelierit. Quiſnam verò Philippus ille fuerit, quænam ipſius ædes, & quemadmodùm Neronis etiam tempore officium illud pietatis exequi potuerit, vel ex hoc intelligi poteſt, quod eodem Breuiario continetur in Calendas Decembris. Hæc vtique dies Antiſtiti noſtro, proximoquè

Sancti

Sancti Caii ſucceſſori, Caſtritiano, ſacra eſt. Eius autem matutina ibi Lectio ſic incipit: *Caſtritianus, Ciuis Mediolanenſis, in Caii; qui ex hac vita migrarat, locum Epiſcopus abſens eligitur. Is vbi Mediolanum venit, in Paſtoralem curam, quam etſi inuitus ſuſceperat, ſumma tamen vigilantia incumbens, quæcumque ingraueſcente paulò ante Domitiani perſecutione collapſa erant, reſtituere cœpit. Philippi, Nobilis Viri, ædes, quas dono acceperat* (hoc eſt, per anteceſſorem ſuum Caium, cui eæ primùm à Philippo donatæ fuerant; vt Scriptores noſtri communiter tradunt; à quibus hoc Breuiarium ſine dubio non diſſentit) *Deo in Eccleſiam dicauit. Cùm autem ob miraculorum, quæ eo loco diuinitùs fiebant, magnitudinem ſæpè complures, à Fide Chriſtiana alieni, ſe ab impietate ad verum Dei cultum conuerterent; is, aucta Fidelium multitudine, alias duas ædes conſecrauit; vnas quas Fauſtus, alteras quas Portius, Philippi filii, Eccleſiæ donarunt* &c. Quid ergo vetat, quominùs Philippus ille Neronis tempore potuerit eorum Corpora Martyrum in ſuis ædibus ſepelire prius, quàm Caio illas Epiſcopo, & per Caium Caſtritiano & Eccleſiæ, donaret? A B

X. In eadem verò Neronis tempora citra dubium conſentit etiam Sancti Syri, Papienſis Epiſcopi, Lectio, in hoc ipſo Breuiario diſpoſita in Decembris nonum diem. Sic enim ea ſe habet: *Syrus, ab Hermagora, Aquileienſi Epiſcopo, Sancti Marci Euangeliſtæ diſcipulo, Fidei Chriſtianæ præceptis inſtructus; Iuuentio ſocio ſibi adiuncto Papiam venit: qui primus illius Vrbis Epiſcopus Populum, hoc maximè expetentem vt ſalutaribus vitæ præceptis informaretur, ab impietatis erroribus ad Chriſti Fidem conuertit. Cùm autem Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii, qui paulò ante Mediolani martyrium ſubierant, Reliquiæ ſibi à Liberio quodam, qui Chriſtianam Fidem colebat, dono datæ eſſent; eorum Martyrum nomine, extra Vrbem ædificari Eccleſiam curauit, in qua eas Reliquias condidit* &c. C

XI. Agite verò: videamus hic etiam, qualis Lectio de Sancta Perpetua in eodem Breuiario ſubſtituta fuerit in locum illarum trium, quas è Breuiario Anni 1539. & 1557. recitabamus Capite 137. Num. 5. Ea igitur quarto itidem Auguſti die hunc in modum ſe habet: *Perpetua, Nazarii Martyris mater, ab Apoſtolorum Principe Petro baptizata, Africano, homini Iudæo, cùm nupta eſſet; hortatu aſſiduo, & vitæ ſanctiſſimæ exemplo, adiutrice in primis Dei gratia, perfecit, vt virum ad Fidei cultum perduceret. Nazarium autem, quem ex eo ſuſceperat, à Lino Pontifice baptizari curauit. Illis autem temporibus cùm magna exardeſceret contra Chriſtianos perſecutio; nullo terrore perculſa mulier, quæ cæleſti virtute ad piè agendum inſtructa erat, tota charitatis officiis addicta, pro Chriſto, verbis & hortatu multos ad martyrium confirmauit: & conſolando & facultatibus adiuuit: multorum præterea Martyrum Corpora ſuis manibus ſepeliuit. His atque aliis cumulata virtutum ſanctarum meritis, ad præmium abiit in cælum.* D

XII. Talia igitur ſunt illa, quæ nobis in præſenti cauſa Breuiarium ſuppeditat Ambroſianum, Sancti Caroli, Cardinalis Archiepiſcopiquè noſtri, iuſſu reformatum editumquè hoc Anno 1582. Ad eumdem porrò

Annum

A Annum ſuppetit nobis eiuſdem quoque Sancti Antiſtitis Epiſtola Paſtoralis, octauo Maii menſis die data, & Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſita, in qua ſic item non procul ab initio legitur: *Venne San'Barnaba Apoſtolo à Milano: e ſeminata ch' hebbe quì la parola di Dio, e ridotto in gran' parte il Popolo alla Religione Chriſtiana, inſtituì anco le Città della Prouincia de' i ſuoi miſterii ſantiſsimi. Dipoi Nazario, Martire glorioſiſsimo, da Roma venne: & in tanti modi, in mezzo de tanti tormenti, con chiariſsimi teſtimonii, & con martirio sì nobile ſparſo il ſangue, teſtificò la Fede di Giesù Chriſto, confermò & inanimò marauiglioſamente i due gran' Martiri, fratelli, Cittadini de' i primi di Milano, Protaſio e Geruaſio, ſantiſsimi: i quali ambedue, in quella acerbiſsima perſecutione di Nerone crudelmente trattati, riportarono finalmente, coronati del martirio, etiandio vittoria glorioſa contra i nemici della Fede.* B

CAPVT CLIII.

Ioannes Antonius Homacinus, de Baſilica Celſiana benemeritus, in eadem ſepelitur Anno 1583.

I. CVius hominis gratia conſtruendum eſſet ſepulchrum illud, cuius conſtruendi occaſione nos Capite 151. Num. 4. & 5. comperta fuiſſe Anno 1581. Corpora Sanctorum Baſilidis Cyrini & Naboris narrabamus; id quidem nunc apertè conſtabit: eiuſdemquè viciſsim hominis memoriæ per nos C proderit occaſio, exitum tam felicem ſortita. Celſiana ſiquidem Baſilica nobis hanc Inſcriptionem ſuppeditat, parieti conſitam in eo Cappellæ Maioris latere ſiniſtro, in quo Altare olim fuerat, Sanctis Baſilidi Cyrino & Nabori nuncupatum.

D. O. M.
Io. Antonius Homacinus
à ſecretis Senatus
qui huic Cœnobio ære dato
nexum reliquit Rei Sacræ
bis in hebdomade faciendæ D
& Anniuerſarij bis
quotannis celebrandi
Sepulchrum hic ſibi ac ſuis
Canonicis approbantibus
F. C.
Obijt IV. No. Dec. MDLXXXIII.
annum agens LIII.

CAPVT,

CAPVT CLIV. A

Cæſaris Baronij teſtimonium, Anno 1583. de Sanctis Martyribus hiſce noſtris pronunciatum.

I. FRater Felix à Monte Alto, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ac denique Summus Pontifex Romanus, nomine Sixtus Quintus, ex eo iam tempore, quo inter Ordinis Minorum Franciſcanos religioſus degebat, hanc ſibi à Summis Pontificibus Pio Quarto & Quinto demandatam, & à Gregorio poſtea Decimo-tertio accenſam, ſuſceperat curam, vt Sancti Ambroſii Antiſtitis noſtri litteraria Opera, deprauata olim ac B violata (& proinde interdicta, nec ab Inquiſitoribus permiſſa legi omnibus in vniuerſum, & ſine delectu) diligenter ipſe denuò euolueret ac recognoſceret, ab interiectis ea erroribus repurgaret, atque ad priſtinam ipſius Auctoris puritatem, veterum exemplarium collatione aliouè quocumque ſtudio aptiori, reformaret. Idipſum verò negotium & opus ille tandem abſoluit Anno Domini 1580. ſicut ex ipſius Epiſtola dignoſcimus, eorumdem Ambroſii Operum ita iam tandem emendatorum nuncupatoria, & ad Gregorium Decimum-tertium conſcripta, Romæquè data eo ipſo Anno, Calendis Decembris; ſicut ego inde præmonebam Capite 7. Num. 3. Cap. 37. Num. 15. Cap. 50. Num. 3.

II. Atqui ne hoc quidem contentus Vir ille prudentiſsimus, Cæſarem præ- C terea Baronium, tunc temporis ex Oratorii Congregatione Presbyterum, & in contexendis Annalibus Eccleſiaſticis multos iam annos laborantem, rogauit, vt, quæ de Sancto illo Eccleſiæ Catholicæ Doctore probatiſsimis ex Auctoribus, atque adeò ex ipſomet etiam Ambroſio, accuratè deſcripta notauerat, eadem ſeorsùm colligeret, ac ſeparatim ad Vitæ formam inter ſe connecteret.

III. Baronius igitur etiam ipſe muneri officioquè ſuo ſatisfecit, eidemquè Cardinali officioſus Ambroſii eiuſdem Vitam nuncupauit ex Oratorio Sanctæ Mariæ ad Valliculam, Idibus Decembris, Anno 1583. quæ nimirùm Epiſtola nuncupatoria & Vita præimprimi iam ſolent ipſius Ambroſii Operibus, ſecundùm editionem Romanam emendatis: qualia D ſunt etiam illa, quibus ego nunc vtor, quæquè Pariſiis recuſa ſunt Anno 1614. Si qua ergo Baronius in hac Ambroſii Vita docuit, quæ ad præſens inſtitutum noſtrum pertineant; tempus iam eſt, vt ea in præſenti ſelecta proferamus.

IV. De Sanctorum quidem Geruaſii Protaſiiquè inuentione agens ad Annum Chriſti 387. non obſcurè illos indicat paſſos eſſe ſub Imperio Neronis, contraquàm poſtea exiſtimauit. Sic enim tunc ſcribebat: *Creſcente in dies magis magiſquè furore Iuſtinæ, & aduersùs Ambroſium, filium Imperatorem, Comites, cæteros Magiſtratus atque Milites procaciùs impellente; Deus Omnipotens, de cælo reſpiciens vt liberaret pauperem de manu potentis, auxi-*

liares copias miſit, quæ Sacerdoti ſuo (Ambroſio) *pugnanti præſtò eſſe debe-* A
rent. Fuerunt hi Glorioſiſſimi Milites Geruaſius atque Protaſius, qui olim in ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ fuerant coronati martyrio: qui his temporibus veluti rediuiui comparuerunt, vt ſuppetias ferrent Sancto Epiſcopo laboranti: oſtenderuntquè ſe per viſum eidem, ac ſua nomina prodiderunt: & loca, vbi ſacra illorum Corpora eſſent condita, declararunt.

V. Deinde autem Anno Chriſti 395. hæc item nobis teſtata ſuo calculo reliquit: *Paulò poſt Theodoſii obitum idem Sanctus Sacerdos* (Ambroſius) *ſacra Corpora Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi, in horto quodam extra mœnia Ciuitatis inuenta, ſolemni celebritate tranſtulit in Baſilicam Apoſtolorum* &c. Quibus in verbis Corpora quidem horum Martyrum nobis placet inuenta dici paulò poſt obitum Theodoſii; ſed ambo dici diſplicet in B
Apoſtolorum Baſilicam tranſlata. Solum enim Nazarii Corpus illuc credimus translatum, contendimuſquè.

VI. Illud autem hoc denique loco reuocandum in memoriam ſupereſt, quo Romana Operum Sancti Ambroſii editio, à Cardinali Montalto, vt diximus, elaborata, quàm maximè comprobatur, vt alibi pariter iam præmonuimus. E Cardinali enim creatus Pontifex Romanus Anno 1585. die 24. Aprilis, & Sixtus Quintus appellatus, eiuſdem Anni menſe Septembri ac die decima quarta Pontificium edidit Diploma, quo ſuam illam editionem vnicè commendauit, & in perpetuum à Typographis retineri iuſsit: *quam docti* (ſubdebat) *& pii Viri ſinceram & veram, vt confidimus, agnoſcent, & grato animo amplectentur.* Quocirca hoc C
itidem Diploma præmitti iam ſolet eiuſdem Ambroſii Operibus. Quid porrò Baronius poſtea in contrarium ſenſerit, id altero hinc Capite proferemus.

CAPVT CLV.

Alfonſus Gueuara, Celſianæ Baſilicæ beneficus, in eadem ſepelitur Anno 1584.

I. SVperiore Capite 151. Numero 5. pollicebar me Anno Chriſti 1584. daturum Alfonſi Epitaphium Gueuaræ, D
quem ibi videbamus Anno 1580. conſtruentem Almæ Deiparæ Sacellum, ſibi verò ſepulchrum. Anno igitur 1584. ille obiit, & in eo Celſianæ Baſilicæ Sacello ſepultus eſt cum hac Inſcriptione, quam Tabula marmorea, proximo aduerſoquè parieti confixa, offert:

Deo.

Deo. Opt. Max. A
Alfonſo. Gueuara. Hiſpano
Papienſi. Laudenſiquè Pratura
perfuncto
vniuerſi. Exercitus
Caroli. V. Caſ. in. Italia
Auditori
Mediolani. Summo. Fiſci
Aduocato
A. Conſilijs. Secretis
Philippi. Regis. Hiſpaniarum B
apud. Inſubres
Alfonſus. fil. parenti
opt. merito
P.
Natus. annos. LXX.
Mortem. obijt. pridie Id. April.
MDLXXXIV.

CAPVT CLVI. C

Martyrologii Romani, ac rursùm Caſaris Baronii, teſtimonium Anno 1586. *de Sanctis Martyribus hiſce noſtris.*

I. MArtyrologium Romanum, ad nouam Calendarii rationem & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ veritatem reſtitutum, Gregorii Decimi-tertii Pontificis Maximi iuſſu editum, & ipſius Diplomate, dato Romæ Anno Chriſti 1584. decima-quarta Ianuarii die, communitum prodierat eo ipſo Anno. Idem verò Notationibus prӕterea Baronii locu- D pletatum, & ab eo dicatum Sixto Papæ Quinto, prodiit rursùs Anno 1586. quo ex genere mihi exemplar vnum eſt è Romana Dominici Baſæ Typographia. Videre igitur iam præſtat, quid in eiuſmodi Martyrologio ac Notationibus ad inſtitutum noſtrum pertineat.

II. Quinto quidem Calendas Auguſti ſic legitur: *Mediolani, Natalis Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi pueri: quos Anolinus ſub rabie perſecutionis, quæ per Neronem excitata eſt, diu maceratos & afflictos in carcere, gladio feriri iuſſit.* Multa verò Baronius ibi mox adnotat: & hæc nominatim, quæ nuſquàm ego adhuc in ſuperioribus recitaui: *De his* (Nazario & Celſo) *hac die Vſuardus & alii. Nonnulli autem ad pridie Idus Iunii, qua*

ſanè die inuentarum Reliquiarum per Sanctum Ambroſium ſolemnis dies cele- A
brabatur. Hodie autem illorum dies natalis colitur. De quo extat Sermo Sancti Ambroſii, decimus-quartus de Sanctis, editionis Romanæ: quem etiam habet Lipomanus Tomo Sexto, & Surius Tomo Tertio, decima-nona (legendum eſt *duodecima) Iunii. Meminit idem de Nazario in Commentariis in Lucam, Libro 7. Capite 13. Deſcribit eorumdem Acta Metaphraſtes, quæ & Lipomanus & Surius in iiſdem locis referunt. Alia inſuper, fuſiùs ſcripta, recitat Mombritius Tomo Secundo. Narrantur inſuper horum Martyrum* Res *geſtæ in Actis Sanctorum Syri & Iuuentii: quæ extant apud Surium Tomo Septimo, die duodecima Septembris. Agunt etiam Græci horum Martyrum annuam commemorationem pridie Idus Octobris, vt conſtat ex dicto ipſorum Menologio. De adinuentione ipſorum Corporum ſcribit Paulinus* &c. prout ego ſcilicet iam B
exſcripſi Capite 49. Num. 2. necnon etiam Capite 75. Num 8. & 9. Et hactenùs quidem tam Martyrologium Romanum quàm Baronius nihil habent, quod mihi aduerſetur.

III. Sexto autem Idus Maii ſic etiam legitur: *Mediolani, Inuentio Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi, quando Beatus Ambroſius Epiſcopus Sancti Nazarii Corpus recenti adhuc ſanguine conſperſum reperit, atque ad Baſilicam Apoſtolorum tranſtulit, vnà cum Corpore Beati Celſi pueri, quem idem ipſe nutrierat, & Anolinus in Neronis perſecutione ſimul cum eo gladio feriri iuſſerat quarto* (legendum eſt *quinto*) *Calendas Auguſti, quo die feſtiuitas eorum martyrii celebratur.* Quibus in verbis coma illa, collocata inter *tranſtulit* & *vnà*, nonnihil me profectò ſolicitat. Ad minus enim ſuſpicor, ad C
uerbialem ipſam copulam, *vnà*, non eſſe referendam ad proximum verbum, *tranſtulit*; ſed ad ſuperius, *reperit*; verumquè ac legitimum Martyrologii ſenſum eſſe hunc, vt Ambroſius non modò Nazarii Corpus, quod ad Baſilicam tranſtulit Apoſtolorum, repererit, ſed etiam Celſi; quo quidem ſenſu ſic etiam Capite 48. Num. 13. interpretabar Adonis Martyrologium. Eamdem profectò comam ibi video prætermiſſam in Veneta Anni 1620. apud Ioannem Guerilium editione; ſed ea tamen Anno 1632. retenta eſt in Romana Typographiæ Vaticanæ editione, qua Martyrologium ipſum denique prodiit, Vrbani Papæ Octaui auctoritate recognitum. Fortè autem aliquid habere probabilitatis ea mihi ſuſpicio videretur; niſi Romanum adhuc obſtaret Breuiarium, quod à Martyrologio ita reſtituto diſcrepare non crediderim; D
& in quo ea Corpora nunc etiam legimus in Vrbem tranſlata; quod Romanis perinde fuit, ac ſi tranſlata dixiſſent ad Baſilicam Apoſtolorum.

IV. Quomodocumque tamen ſuſpicio hæc mea ſe habeat; ad Sanctos Protaſium & Geruaſium tranſeamus. De his idem Martyrologium tertiodecimo Calendas Iulii ſic loquitur: *Mediolani, Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii, fratrum: ex quibus priorem tamdiu iuſſit Aſtaſius Iudex plumbatis cædi, quouſque ſpiritum exhalaret; ſequentem verò, fuſtibus cæſum, capite truncari. Horum Corpora, Domino reuelante, Beatus Ambroſius ſanguine*

guine conſperſa & ita incorrupta reperti, ac ſi eo die fuiſſent interempti: in A
quorum Translatione cæcus feretri tactu lumen recepit: & plurimi, vexati à
Dæmonibus, liberati ſunt. Rursùs autem quinto Calendas Octobris:
Mediolani, Sancti Caii Epiſcopi, diſcipuli Beati Barnabæ Apoſtoli: qui Sanctos
Geruaſium & Protaſium baptizauit: &, multa in perſecutione Neronis paſſus,
in pace quieuit. Quòd ſi Caius, Epiſcopus noſter, eo Neronianæ perſe-
cutionis tempore vixit, idemquè Sanctos illos fratres baptizauit; reli-
quum profectò eſt, vt ipſi quoque per ea tempora vixerint. Quo dato,
nihil etiam obſtat aliunde, quin eoſdem credere poſsimus ſub Nerone
paſſos eſſe.

V. Sed quid Baronius ad hæc duo loca? Sic ad ſecundum notauit: *De eodem*
(Caio Epiſcopo) *Tabulæ Eccleſiæ Mediolanenſis. Tertius hic ponitur eius Se-* B
dis Epiſcopus: qui, patria Romanus, vnà cum Anathalone Græco adhæſerunt
Barnabæ Apoſtolo. Vidi de his Hiſtoriam Rerum Patriæ nobiliſsimi Scriptoris
Andreæ Alciati, nondùm editam. De eodem agitur in Actis Sanctorum Mar-
tyrum Geruaſii & Protaſii, quorum ſupra meminimus. His autem poſtremis
verbis Baronius ſuas innuit ad priorem illum locum Notationes, in
quibus ita diſſeruerat: *De his* (Geruaſio & Protaſio) *etiam Beda, Vſuar-*
dus, Ado, & alii Latinorum: Græci autem in Menologio pridie Idus Octobris.
Feruntur horum Res geſtæ ſcriptæ à Sancto Ambroſio ex Libello Philippi. Eas
refert Mombritius Tomo Primo, Lipomanus Tomo Primo, ac demùm Surius
Tomo Tertio. Deſcripſit autem & alia horum Acta Metaphraſtes, quæ Lipo-
manus ſuper diuerſitate narrationum vtcumque concordare (ſicut etiam nos C
Capite 140. iam vidimus) *conatus eſt: recitat eadem Surius Tomo Tertio.*
His non diſsimilia ſunt ea, quæ Actis Sanctorum Syri & Euentii (aliter *Iuen-*
tii, aut *Iuuentii*, vel *Inuentii*) *intexta habentur: deſcripſit eadem Surius*
(eiſdemquè nos etiam vſi ſumus Capite 20. 31. 32. 33.) *Tomo Septimo,*
die 12. Septembris, ex manuſcriptis. At non tantùm me reddit ancipitem;
quòd in prædictis Actis, nomine Sancti Ambroſii editis, nulla de Nazario &
Celſo habeatur mentio; vel quòd ſub diuerſo Præſide paſsi habeantur; quæ &
Lipomanus excuſat. Sed; quod me maiori difficultate inuoluit, eſt illud in pri-
mis; quòd non tantùm in prædictis nulla habeatur de Nerone mentio, vel alte-
rius cuiuſpiam Imperatoris, ſed Auguſtorum plurium tunc ſimul regnantium
idem Auctor meminerit; adeò vt ad alia tempora potiùs, quàm Neronis, illo- D
rum martyrium referre videatur. Huc accedit, quòd, dum de bello Marco-
mannico ibi mentio ſit; nihil ſanè eſt, vt ad ea Neronis tempora poſsint accom-
modari; ſiquidem, nullum tale bellum tunc geſtum eſſe, perſpicuum eſt. Cùm
itaque ex illis Actis exploratum habeatur, plures Auguſtos tunc ſimul imperaſſe,
inſuper & Marcomannicum bellum excitatum eſſe; cogimur vel inuiti in eam
ire ſententiam (ſi tamen ea Acta certa firmaquè & Ambroſii eſſe dixerimus)
vt credamus, hos paſſos eſſe temporibus Marci Aurelii Antonini & Lucii Veri
Auguſtorum; quorum Imperii Anno decimo-quarto (vt ſcribit Euſebius in Chro-
nico, & Iulius Capitolinus, ac cæteri omnes affirmant) Marcomannicum bellum
exortum eſt. Sanè quidem nec Beda, nec Vſuardus, vel Ado, aut antiquorum

aliquis,

aliquis, vel vetera manuſcripta, cùm de his Martyribus agunt, vel de eorum parente Vitali ad quartum Calendas Maii, vllam de Nerone faciunt mentionem. Hæc tamen aliis expendenda relinquimus. Meminit eorumdem Martyrum Sanctus Ambroſius in Lucam Libro 7. Cap. 13. Talia Baronius in ea primùm Martyrologii cum ſuis Notationibus editione. Quam cùm poſtea, creatus iam Cardinalis & Bibliothecarius Apoſtolicus, emendaſſet, & compluribus additamentis locupletaſſet; in Anni 1620. editione Veneta, ita demum emendata & aucta, nihil hac in parte mutatum inuenio, præterquàm in tempore Marcomannici belli: de quo ibi hæc tantùm inuenio: *quorum Imperii Anno nono Marcomannicum bellum exortum eſt.* A

VI. Interim verò Baronius itidem Primum Annalium ſuorum Eccleſiaſticorum Tomum primam edidit in lucem Romæ Anno Domini 1588. Secundum autem Anno 1590. & in eo ad Annum 171. poſteaquàm ex Capitolino & Dione deſcripſiſſet Marcomannicum bellum, tunc temporis excitatum, hæc protinùs (quæ ſupra iam ego recitaui Capite 34. Num. 5. ſed hic repetere iuuat) adiecit: *Tempore eiuſdem Marcomannici belli martyrio coronatos Geruaſium & Protaſium, quæ Sancti Ambroſii nomine (apud Surium Tomo 3. die 19. Iunii) conſcripta habentur, eorum Acta teſtantur. Expetiuiſſe enim Sacerdotes Idolorum ab Aſtaſio Duce, vt, ſi vincere Barbaros, & ad Imperatores victor reuerti cuperet, & de Diis benè mereri, Geruaſium & Protaſium Chriſtianos ſupplicio afficeret: quod ille impigrè faciendum curauit. Scimus tamen, alios ad alia tempora eorum referre martyrium. Sed de his in Notationibus ad Romanum Martyrologium ſatis egimus.* Ea igitur horum Martyrum Acta (ſiue Philippi Libellus ille, ab Ambroſio inuentus exſcriptuſquè, ac ſuæ conſitus Epiſtolæ) aſſertionem hanc, Baronii iudicio, teſtantur: per eas nimirùm rationes, quas ipſe iam ex illis elicuerat in ſuis ad Martyrologium Notationibus, à me proximè recitatis. B C

VII. Quando autem Baronius pro ſua modeſtia libenter & vltrò hæc aliis expendenda relinquebat; propterea ego quoque de hac quæſtione ſenſus exponere meos adhuc auſus ſum; rurſuſquè tandem audebo, poſteaquàm Scriptorum quoque aliorum ſententiam ex ordine temporum exponere deſiero. Aduersùs eiuſdem Baronii argumenta, ſimul hic data in conſpectum, ſatis interim ea ſint, quæ iam ego ſparſim diſſerui Capite 29. 30. 34. D

VIII. Alciati porrò Hiſtoria Mediolanenſis, quam idem Baronius commendabat, ea eſt, cuius ego verba recitabam Capite 139. Illic autem Alciatus hoſce quatuor Martyres noſtros ex æquo negabat paſſos eſſe ſub Nerone; hic verò Baronius idipſum ſolis abnegat Geruaſio & Protaſio. Qualibus autem permoti rationibus ita ſenſerint, non ego explicando, eorumquè pronunciata inter ſe conferendo, hic morabor. Etenim commodè Lector per ſeipſum aſſequi hoc poteſt.

IX. Quòd autem Baronius in ambiguo & ſuſpenſo relinquebat, vtrùm ea

Sanctorum

Sanctorum Protaſii & Geruaſii Acta, quæ Libello Philippi compre- A
henſa & à Sancto Ambroſio exſcripta circumferuntur, ſecundùm rei
veritatem certa ſint & firma, vereque à Sancto illo Doctore ſuis Litte-
ris conſignata; tum profectò ambiguitatem hanc hæſitationemquè Lector
penitùs diſcutiet, quando Diſſertationis huius anacephalæoſin & recapi-
tulationem ad extremum contexere non grauetur.

CAPVT CLVII.

Caroli à Baſilica-Petri, Nouarienſis Epiſcopi, teſtimonium, ex parte tandem nobis aduerſum.

B
I. QVid in præſenti cauſa ſenſerit Carolus à Baſilica Petri: hoc
ego explicare incipiam ab eo Libro, quem ille (vt alibi
iam dixi) de aliquot Vrbis noſtræ Eccleſiis Italicum edidit
Anno Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto; cùm
adhuc Ioannis Franciſci nomen, è Baptiſmo ſuſceptum, re-
tineret; ac nondùm Caroli nomen vnà cum religioſo Barnabitarum
habitu induiſſet. In eo autem Libro, de Baſilica ſcribens Ambroſiana,
dequè primario ipſius Altari, ſic inquiebat: *Mà venendo à i teſori, che
hà dentro; oltre al Corpo di Sant' Ambroſio, contiene i Corpi de' i Glorioſiſsimi
Martiri Geruaſio e Protaſio: de quali ſcriue Pietro Damiano* (cuius ego quo-
que teſtimonium iam produxi Capite 89.) *che non hebbero altro maeſtro* C
nella Religione Chriſtiana, che San' Paolo. Deinde verò, de Nazariana item
Baſilica ſcribens, ſic inquit: *In queſta Chieſa, ſotto l' Altare grande, e'l
Corpo del Santo Martire Nazaro. Il quale, abandonata la ſua Patria, Roma,
ſeco recando le ſue facoltà, le andò di Città in Città diſtribuendo à' poueri, pre-
dicando inſieme la Fede di Chriſto. Fù à Milano: doue godè infinitamente d' ha-
uere conoſciuti & pratticati i Santi noſtri Geruaſio e Protaſio, all' hora per la
Fede imprigionati. Et peregrinato poi in Francia col fanciullo Celſo, & tornato
à Milano, quiui fù martirizato; ſi come ricorda anco Pietro Damiano, à gloria
de' Milaneſi, in vn' Sermone, che fece à queſto Popolo, eſſendo venuto Legato
di Papa Nicolò Secondo; dicendo anco, che fù battezzato da Lino, diſcepolo di
Pietro. Della Tranſlatione di queſto Martire alla Baſilica de gli Apoſtoli così* D
*ragiona Paolino: In queſto tempo traſportò (ciò è, Sant' Ambroſio) il Corpo di
San' Nazaro Martire, leuato dell' horto fuori della Città, doue era poſto, alla Ba-
ſilica de gli Apoſtoli, che è la Romana* &c. Quamobrem Scriptoris etiam
huius iudicio ſolum Nazarii Corpus ad eam Baſilicam tranſlatum fuit.
Sequitur ille porrò his etiam verbis, quæ paulò expreſsiùs Baſilicæ illius
ſtatum nobis ſignificant, noſquè ad ſui recitationem alliciunt; *Nel mezzo
di queſta Chieſa, la quale figura vna Croce, nelle ſue quattro parti eguale, e'l
diuotiſsimo Altare di San' Pietro, ſotto ad vna tribuna, ſoſtenuta da quattro co-
lonne, Nel qual' Altare ſono riposte Reliquie de' Santi Apoſtoli, frà le quali di-
ce. o eſſere vn' braccio di San' Pietro, gioie & teſori ineſtimabili*. Quemad-
modùm

modum denique in eodem poſtea Libro aſſeruerit, Sancti Celſi Corpus in Celſianæ Baſilicæ Altari primario quieſcere: hoc vtique iam recenſuimus Capite 136. Num. 5. A

II. Eodem autem illo Capite Numeroquè addebamus, hunc ipſum Auctorem Anno pariter illo ſeptuageſimo-ſexto ſcribere cœpiſſe Mediolanenſem Hiſtoriam, ſaltemquè Antiſtitis noſtri Tertii, ſiue Sancti Caii, Acta proſecutum eſſe. Si qua igitur eiſdem Actis narrata inſunt eo Anno poſteriora; eadem profectò credamus oportet ab eodem Auctore nonniſi poſtmodùm ſuperaddita ſuiſquè locis interpoſita fuiſſe per id tempus, quo ille poſtea ſuperſtes fuit; hoc eſt, vſque ad Annum Milleſimum ſexcenteſimum decimum-quintum; quo tandem occubuit, cùm ætate ſua ſexageſimum-quintum Annum, Epiſcopatu autem Nouarienſi vigeſimum-ſecundum tranſigeret. Sic enim teſtatum in eius Vita, Librò 6. Capite 8. reliquit Innocentius Eccleſia. Ex hoc igitur additamentorum genere illud in primis mihi quidem videtur, quod Baſilica-Petri eiſdem in Actis protinùs adiiciebat de Sancti Nazarii Corpore, per Sanctum Archiepiſcopum noſtrum Carolum inſpecto, ac deinde ſolemniter translato: quorum primum Anno Sæculi eiuſdem ſeptuageſimo-octauo, ſecundum autem ſeptuageſimo-nono factum eſſe conſtat ex ipſomet Baſilica Petri, quem Capite 150. teſtem producebam. Sic etiam generis eiuſdem videri poſſunt ea, quæ ibidem ipſe diſſeruit de tempore, quo Protaſius & Geruaſius martyrium ſubierint. Ea enim fortè diſſeruit nonniſi poſt euulgatam Baronii opinionem illam, quam Capite 156. vidimus Anno Sæculi eiuſdem octuageſimo-ſexto euulgatam; tametſi nullam fecerit eius mentionem. Ego quidem, vt huic ſuſpicioni obſecundarem, teſtimonium ipſius in hunc locum tempuſquè diſtuli. Re tamen vera nihil video, quod obſtet, quominùs ipſe ita diſſeruerit Anno ſaltem Sæculi eiuſdem ſeptuageſimo-nono; cùm præſertim eum poſtea videam in Sancto Materno, Epiſcopo Septimo, hæc ſcribentem: *Iterùm igitur tranſtulit illum* (nempe Sanctum Victorem, ſiue ipſius Corpus) *ob nouæ Baſilicæ ædificationem, ſuperiùs commemoratam, Carolus Archiepiſcopus octauo Calendas Auguſti, feria quinta, in ſolemnitate Sancti Iacobi Apoſtoli, Anno à Salute Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto: quo eodem die poſt tres annos hæc nos, ad poſteri temporis memoriam, Eccleſiaſticæ veritatis patriæquè pietatis ſtudio ſcribebamus.* Cæterùm inter eiuſmodi additamenta, poſt eum quoque Annum ſeptuageſimum-nonum interſerta, computari ſine dubio illud debet, quod in Sancto Mona, Epiſcopo Sexto, ſcriptum denique legitur. *Omittere* (inquit) *in animo habebam, quod in Libello Romæ edito de Succeſſoribus Sancti Barnabæ, ad huius Sancti Viri elogium, additum eſt* &c. Vt enim ego Capite 77. Num. 14. aſſerebam, Libellus ille nonniſi Anno Sæculi eiuſdem octuageſimo-quarto Romanis typis editus fuit. Sed hinc progrediamur ſecundùm inſtituti præſentis rationem: ad quam nihil profectò aut certè parùm admodùm intereſt, quo præcisè tempore Carolus à Baſilica-Petri ea ſcripſerit, de quibus nunc quærimus.

B C D

III. In

III. In hunc igitur ille modum diſſeruit: *Alios item in toto Chriſtiano Orbe no-* A
biliſſimos Martyres ad hæc eadem tempora (Neronis Imperatoris, & San-
cti Antiſtitis noſtri Caii) *omnium ferè ſententia refert continuata Eccleſiæ
Mediolanenſis traditio: Geruaſium dico & Protaſium. Et certè eodem Anuli-
no, impietatis Neronianæ miniſtro, illos paſſos Metaphraſtes habet, qui horum &
item ſuperiorum Martyrum* (Nazarii nempe Celſiquè) *vnam facit Hiſto-
riam. Sed alia tamen ſiue Epiſtola ſiue Hiſtoria, quæ Ambroſii nomine habetur;
cuius principium eſt, Ambroſius, ſeruus Chriſti &c. quæ à doctis Viris appro-
batur, & in Ambroſiana Baſilica in horum Martyrum die feſto de more legi-
tur: ex qua item Petrus Damianus Sermonem ſuum de Sancto Vitale, & Beda
duo Martyrologii ſui Capita compoſuit: ea, inquam, Epiſtola diuerſa continet.*

IV. *Etenim in ea habetur, Geruaſium & Protaſium ab Aſtaſio Comite (quem aliqui* B
*in Anaſtaſium ſine cauſa verterunt) eſſe cæſos, cùm ad bellum Marcomannicum
proficiſceretur. Cuius belli mentio (quod quidem ſciam, & tamen ſcire ſtudui)
non inuenitur Neronis Imperii tempore. Atque aliquid actum contra Marco-
mannos à Tiberio ſcribit quidem Paterculus; ſed illud nihil ad hunc locum.
Poſtea verò iidem bellum concitarunt ſub Imperatoribus Marco & Vero, fratri-
bus: & præterea etiam ſub Aureliano tumultuati, non parum Romanis damni
attulerunt: maximequè tunc Regio hæc Mediolanenſis vaſtata eſt: quibus de
rebus Capitolinus & Vopiſcus inter alios. Illud ſub Marco circiter Annum Do-
mini Centeſimum ſeptuageſimum: hoc autem circiter Ducenteſimum ſeptuageſi-
mum-quintum accidiſſe intelligimus. Adde, quòd Comitis dignitatem Neronia-
na tempora non agnoſcunt.* C

V. *Triſtanus Chalcus, Hiſtoricus noſter, motus hac ratione belli Marcomannici, horum
Martyrum paſſionem videtur referre ad Imperium Aureliani: neque fidem ha-
bendam cenſet cuidam Columnæ ad Arcem Mediolani, quæ Iouis quandoque ap-
pellata eſt, poſitæ: qua inſcriptum eſt, Martyres hos Anno Quinquageſimo-ſep-
timo à Salute, hoc eſt, ſub Nerone paſſos: quòd vel verba ipſa & litterarum
characteres multò poſteriora tempora arguant. Sed certè Triſtanus Martyrum
antiquitati nimis detrahit; præſertim cùm Sanctus Ambroſius, qui ab Aureliano
ad centum annos ſolùm abfuit, de eorum Inuentione ad Sororem referens, dicat:
Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt priſca ætas ferebat. Quamquàm
fortè non dixit de priſca ætate Neroniana, ſed de antiquiſſima illa. Opinor
non ita ſenſiſſet Triſtanus, ſi Marcomannicum bellum Marci Imperatoris cogi-* D
*taſſet: de quo id intelligendum eſſe in ea, de qua agimus, Epiſtola equidem ni-
hil dubito; maximè ob illa verba, quæ in ea leguntur, Si vis lætus ad Auguſ-
tos noſtros reuerti & victor. Qui enim hi Auguſti erant, niſi Marcus & Ve-
rus? ſub quibus item Eccleſia Dei perſecutionem paſſa eſt.*

VI. *Hæc de tempore, in ea Epiſtola ſignificato: quæ quidem maioris auctoritatis vi-
detur, quàm Metaphraſtis Hiſtoria. Sed tamen & Chronica noſtra & nonnulla
doctorum Virorum teſtimonia in tempus Neronis conſentiunt. Mihi quidem res
dubia redditur ob antiquorum monimentorum incerta teſtimonia. Sed quid mi-
rum, habere hæc aliquid dubii? quando vel ipſo antiquo Ambroſii tempore eo-
rum memoria deleta erat adeò, vt vix (vt ipſe refert) ſenes aliqui eorum*

nomina ſe aliquando audiſſe recordarentur. Verùm cùm fieri etiam potuerit, A
vt, quod Ambroſii tempore ignorabatur, poſtea tamen aliquo reperto monimento reſciretur; qualis qualis ea Epiſtola ſit, ex ea & Petro Damiano totam Martyrum Hiſtoriam recitemus: Continet enim Libellum, tamquàm ad caput Martyrum inuentum, & à Philippo appoſitum: in quo Philippus ipſe narrat, Gernaſio & Protaſio parentes fuiſſe Vitalem & Valeriam, quemadmodùm etiam conſtanter à maioribus acceptum Ciuitas noſtra retinet, ex quibus vno partu illi nati ſint.

VII. Sic igitur inde Carolus martyrium deſcribit Vrſicini, Vitalis & Valeriæ, Protaſii ac Geruaſii: quibus etiam binos alios connumerat fratres, Aurelium ac Diogenem, à Valeria propter Paganorum erga ſe crudelitatem editos ante tempus, ac tamquàm materni martyrii participes. De- B
nique verò ſic etiam concludit: *Hæc ex Epiſtola illa, quæ apud nos præſertim, vt dixi, in Baſilica Ambroſiana habetur, & à Lipomano priùs, mox à Surio edita eſt, adſcribere volui. Sicut enim quamuis arripere ſine delectu & iudicio hiſtoriam, imprudentiæ & temeritatis videtur; ita vetera monimenta omninò aſpernari, quòd quædam fortaſsè incerta, vel minùs vera, neſcio quorum culpa, contineant, nimis faſtidioſum iudico.*

VIII. Talia ſunt igitur, quæ Carolus à Baſilica-Petri hoc tandem loco diſſerebat de tempore, quo Protaſius & Geruaſius martyrium conſummarint. Quæ quidem Lector ipſe per ſe conferat cum iis, quæ iam ego è Chalco ex Alciato & Baronio recitaui Capite 134. 139. 156. quæquè ſuis iam ego locis confutaui. C

IX. Quæ proximè ſequuntur, nobiſquè fauent, ex eiuſdem Caroli à Baſilica-Petri Hiſtoria Mediolanenſi deſumpta ſunt, & ex eiuſdem pariter Sancti Caii Actis, quæ ſic ille orſus eſt: *Tertius Caius numeratur Mediolani Epiſcopus, Ciuis Romanus, Vir ſanctitate omniquè virtutum laude cumulatus, & eloquentia non mediocri: cuius ſacra prædicatione, non ex multitudine modò quamplurimi ad Chriſti Fidem amplectendam ſe conuerterint, ſed multi quoque Nobiles Viri, & Magiſtratus dignitate inſignes. Inter eos duo opibus generequè illuſtres fuere, Vitalis & Philippus, quos liberi familiaquè vniuerſa ſecuta eſt, & item honeſti Ciues non pauci: quos Sanctus Sacerdos ad Fontem illum baptizauit, qui adhuc non longè à Porta Ticinenſi apud Sancti Euſtorgii Eccleſiam emanat: in quo quidem ad hoc tempus pii Ciues eiuſmodi rei memo-* D
riam coluerunt. Ecce igitur iam nobis Vitalem vnà cum liberis ſuis Protaſio ac Geruaſio baptizatum à Sancto Caio. Ecce item ab eo baptizatum Philippum illum, qui Sanctos deinde Martyres Protaſium ac Geruaſium ſua in domo ſepeliuit, & cuius Libellum denique Sanctus Ambroſius ad eorum capita inuenit.

X. Subſequitur Carolus paulò pòſt: *Vltimo Neronis Anno Caius, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli viſendoram deſiderio motus, Romam petiiſſe dicitur. Et quamuis eorum paſſionis, Neronis iuſſu & ſcelere exceptæ, in itinere obuios nuncios habuiſſet; perrexit tamen, ſimilium fortaſsè epularum cupiditate allectatus. Vbi cùm Linum Pontificem, Petri ſucceſſorem, conueniſſet: & ab eo rem*

geſtam

A *geſtam (quibus lachrymis, conìicere poſſumus) ordine didiciſſet; à Sancto Pontifice diſcedens, ad Gregem ſuum, Mediolanum reuerſus eſt.* A

XI. *Verùm de Philippo, nobili Ciue Mediolanenſi, & liberis eius, de quibus ſuperiùs mentionem fecimus, ampliùs aliquid eſt dicendum, quantùm nobis antiqua traditio, libris etiam fide dignis confirmata, ſuppeditat. Tantùm enim abeſt, vt quæ habemus tacere debeam, vt magnopere etiam doleam (ſicut & de aliis quamplurimis) plura ad nos de tanti Viri eiuſquè filiorum eximia pietate non perueniſſe. Hic igitur Philippus (quem meritò Beatum Mediolanenſes dicimus) Vir clarus & diues, Eccleſiæ Mediolani naſcenti ad Religionis progreſſum opibus ſuis adiuuandum diuina miſericordia datus eſſe credendus eſt. Quod eum egregiè præſtitiſſe, ex iis, quæ de eo ſcribuntur, cognoſcere licet. Habuit is amplam domum, hortoſquè latè patentes, quà Eccleſia Sancti Franciſci nunc appellata, quà Ambroſiana item cum Canonicorum Aedibus ædificata eſt, quà Monachorum porticus conclauia horti ingentia ſpatia continent, & quà platea Ambroſiana ad mœnia verſus excurrit: quæ pars Vrbis tunc extra mœnia fuit, vt ex murorum veſtigiis, quæ iuxta Eccleſiam Sancti Petri in Vinea apparent, & ex ipſius Eccleſiæ appellatione noſtri tradunt. In hos igitur hortos, ſiue (vt Triſtanus habet) in eorum partem, quam ei vſui dedicauerat, inſerebat Vir pius Corpora Sanctorum: eorum præſertim, qui, Tyrannorum inſana crudelitate ſæuiente, Fidei cauſa occidebantur &c.* B

XII. Et rursùs paulò poſt: *Huius Sancti Epiſcopi* (Caii) *temporibus Nazarius, Ciuis Romanus, clariſſimus adoleſcens, adſcribitur* &c. *Adſcribitur igitur Epiſcopi huius temporibus Martyr Nazarius, tamquàm Neronis iuſſa Anulino Præfecto exequente percuſſus: quod nomen crudelitate in Chriſtianos etiam Maximiani temporibus infame animaduerto. Sanctus Paulinus tamen in Vita Sancti Ambroſii, quando paſſus ſit, neſcire ſe fatetur. Cuius verba, quod & Inuentionem illius Corporis referant, hic ponam. Quo tempore (poſt mortem ſcilicet Theodoſii Imperatoris, & extremis ipſius Ambroſii vitæ annis) Sancti Nazarii Martyris Corpus, quod erat in horto poſitum extra Ciuitatem (ait Paulinus) leuatum, ad Baſilicam Apoſtolorum, quæ eſt Romana, tranſtulit* &c. C

XIII. Hucuſque nimirùm illa pertingunt, quæ Numero 9. pollicebar è Sancti Caii Vita. Proſequitur deinde Carolus Hiſtoriam: & Sancti Caſtritiani, Epiſcopi Quarti, Vitam his aggreditur verbis: *Peruenerat vtcumque Caius inter incommoda & vexationes ad quintum Domitiani Annum. Sed, eo ad beatam vitam traducto, non permiſit Chriſtiani Nominis hoſtium iniuria (qui Domitiani, impietate furentis, iuſſa exequentes, Chriſtianos inſectabantur, & latitare cogebant) vt ſucceſſor illi in Mediolanenſi Eccleſia daretur. Verùm, Domitiano occiſo, Neruaquè Imperatore creato, cùm Chriſtianis in lucem prodeundi poteſtas facta eſſet (quod vndecimo poſt Caii mortem Anno factum videtur) Caſtritianum, inter Caii diſcipulos præcipuum, Antiſtitem crearunt, qui Eccleſiam, Tyrannorum ſæuitia afflictam, erigeret & confirmaret. Is iam acceptam à Caio Philippi domum, ad eiuſdem hortos ſitam, Fidelium Synaxi celebrandæ dicauit: atque, eorum numero in dies augeſcente (variis ſiquidem etiam miraculis ad veritatis cognitionem Diuina Miſericordia mortales* D

 excitabat)

excitabat) alias quoque duas domos, non longè ab ea poſitas, eidem vſui ſedu- A
lus Pontifex deſtinauit. Illa quidem Baſilica omnium Sanctorum, & poſtea
Sanctorum Felicis & Naboris fuit, vt etiam Paulinus nominat: eſtquè ad in-
gentem amplitudinem perducta: hodie verò Sancti Franciſci dicitur, à Fratri-
bus Franciſcanis laxioris diſciplinæ, ex quo eis tradita eſt, ita appellata. Re-
liquæ duæ à duobus Philippi filiis, Portio & Fauſto, vna Portiana, altera
Fauſti, dictæ traduntur: illaquè mox Sancti Victoris, hæc Sancti Vitalis no-
mine dicata. Vtriuſque mentio eſt apud Sanctum Ambroſium, & Sanctum
Paulinum. Hæc ille. Alteram tamen illam, non *Fauſti*, ſed *Fauſtæ* Ba-
ſilicam fuiſſe à Sancto Ambroſio appellatam; eamquè poſtea non fuiſſe
Sancto Vitali dicatam: hæc ego alibi obſeruaui; ſed ad præſentis cauſæ
diſcrimen nihil intereſt. B

XIV. Illud profectò plurimùm ad Scriptoris conſtantiam intereſt, quod, ſicut
à nobis Capite 134. obiiciebatur Triſtano Chalco, ſic etiam nunc obiici
par eſt Carolo à Baſilica-Petri. Nimirùm hic etiam in ſua Hiſtoria non
alium ante Ambroſii tempora Philippum agnoſcit Mediolanenſem, cui
clandeſtinam Protaſii ac Geruaſii ſepulturam, Libellumquè illum, ad
ipſorum capita collocatum in arca, & à Sancto Ambroſio poſtea reper-
tum, adiudicet, quàm eum, qui cum filiis ſuis à Sancto Caio Chriſtia-
num acceperat Baptiſmum: ſic etiam non alium agnoſcit Vitalem, vnà
cum filiis ſuis ab eodem Caio baptizatum, quam Sanctorum Protaſii ac
Geruaſii genitorem. Quæ quidem ambo, vt iam ſupra commonſtraui-
mus, malè cohærent cum eo tempore, quo Protaſium ac Geruaſium C
contendit martyrio denique affectos.

CAPVT CLVIII.

Annibal Fontana, Sculptor præſtantiſſimus, ac de Mariana propè Sanctum Celſum Eccleſia quàm optimè meritus, in eadem ſepelitur, ac nobiliſſimo Epitaphio, per Ciuem ingenioſiſſimum Iacobum Reſtam expolito, commendatur.

I. TRactationis ego huius occaſionem lubentiſſimus accepi è D
tanti Artificis Epitaphio, quod in Mariana propè Sanctum
Celſum Eccleſia inciſum tabulæ marmoreæ conſpicitur
iuxta Deiparæ Imaginem illam, quam ex antiquiſſima
traditione recenſuimus Sancti Ambroſii Antiſtitis noſtri
mandato pictam fuiſſe in memoriam horti eius, in quo Sanctorum Na-
zarii & Celſi Corpora diuinitùs edoctus inueniſſet. Epitaphium verò
illud ſic ſe habet:

ANNIBALI

A

ANNIBALI FONTANÆ
Mediolanenſi
Sculptori ſummo
qui
vel marmora ſtupente natura
in homines mutauit
vel hominum ſimulacra
in marmoribus ſpirare
iuſsit
Fabricæ Templi huius Præfecti
quod ille ſculptilibus ſignis
mirabiliter ornauit
B M poſuerunt
Vixit Annos XXXXVII
Obiit Anno MDXXCVII

B

II. Eo ipſo florebat tempore Paulus Morigia, ex Ordine Fratrum Ieſuatorum Religioſus, de Hiſtoria Mediolanenſi quàm optimè meritus, nec non etiam æquè conſcius, quanta polleret arte, quamquè celebri fama eſſet Annibal ille Fontana. Quocirca etiam ſæpè inter ſuas Lucubrationes litterarias, Italicè conſcriptas, perhonorificam fecit eius mentionem; C ac nominatim Libro 2. Hiſtoriæ Mediolanenſis, Capite 29. tum etiam in Libello de Mariana propè Sanctum Celſum Eccleſia, Capite 5. (illam typis edidit Anno 1592. hunc autem Anno 1594.) denique verò Nobilitatis Mediolanenſis quinto pariter Capite ac Libro. Hunc igitur ego locum præ cæteris deligam, in quo ille ſic ſcribebat: *E coſa ragioneuole, che hora diciamo alcuna coſa del diuino Annibale Fontana: il quale con le ſue eccellenti virtù s'acquiſtò nome immortale: e veramente ch'egli merita ſtatoua per le ſue diuine opere, che di ciò lo fanno meriteuole. Queſto virtuoſo, & archiuo di virtù, fù eccellente in diuerſe nobili virtù. Primieramente fù raro e diuino nell'intagliar figure, paeſi, proſpettiue, & altre bizzarie nel criſtallo di monte. Onde frà le molte ſue degne opere egli fece vna Caſſetta di criſtallo,* D *tutta hiſtoriata d'hiſtorie del Teſtamento Vecchio: coſa rariſsima da veder al Mondo: della quale ne cauò ſei milla ſcudi. Fù ancora eccellente nelle Medaglie, e nella ſcoltura di baſſo rilieuo, la qual'è vna ſcienza appartata; come ſi vede di ſua mano, trà l'altre ſue opere di tal profeſsione, vn'Ante, poſta all'Altare della Madonna di San Celſo, ſcolpita in laſtra d'argento, la morte della Madre di Dio, Noſtra Signora. Nella virtù poſcia della ſcoltura fù miracoloſo. Percioche teneua il primiero luogo nella noſtra Italia, e più oltre; come ſi veggono le ſue diuine ſtatoue, fabricate dalle ſue eccellenti mani, che ſi veggono nella diuotiſsima e vaga Chieſa della Madonna di San Celſo, inſieme con le hiſtorie poſte nella facciata d'eſſa Chieſa. Queſto grande Annibale la morte lo*

colſe

colſe nel più bel'fiore della ſua età, d'anni quarantaſette, e ciò fù l'Anno Mille A
cinquecento ottantaſette; mà egli viuerà al pari dell'eternità. Piacque poſcia
alli Signori Deputati di porlo nella Chieſa di detta Madonna, dirimpetto al ſanto
Altare, con vn'Epitafio di pietra di Paragone, con le lettere miſſe à oro, che
dicono: Annibali Fontanæ &c. *Volendo gratuire, honorare & immortalare*
queſto Virtuoſo, meriteuole di ſtatoua; per benemerito gli fecero queſto Depoſito.
Dal che hanno acquiſtato molte lodi, hauendo honorato la virtù. Hæc Paulus
Morigia in Opere illo ſuo, ſex Libris comprehenſo, ac Nobilitatis Mediolanenſis titulum præferente.

III. Cùm verò typis illud Anno 1619. recuderetur, Supplementum ei ſuum
Hieronymus Borſerius, lectu profectò dignum, adiecit: in quo ſic etiam
de Annibale Fontana teſtatum legi credique poteſt: *Gioſeffo e Gaſparo* B
Viſmari, giouani di pronto ingegno, vanno cercando la maeſtà e la naturalezza
di Annibal Fontana: il quale veramente fù Scoltore così maeſtoſo e naturale in
vn tempo ſteſſo, che poteua aggiungerſi à qualſiſoſſe de gli antichi, che haueſſe
grido principaliſſimo, hauendo anzi egli quaſi compiuta la eccellenza di queſt'
Arte, cioche in eſſi ſolena ancora deſiderarſi, per non vederſi nelle lor'opere
ciaſcuna parte perfetta; come ſi vede in quelle, ch'egli hà fatto per ornamento
della Madonna di San Celſo, doue hà fatto ſtatue ed hiſtorie incomparabili.

IV. Hactenus de Fontana illo ſatis. Nunc eius Epitaphii Auctorem, immortali
profectò memoria digniſſimum, indicemus. Non alius autem ille
fuit, quàm Iacobus Reſta, Ciuis noſter præclariſſimus: idquè mihi ſæpè
pro certo & explorato à multis eius itemquè meis Amicis & fide C
dignis affirmatum fuit.

V. Litteras nimirùm ille politiores magnoperè adamauit; indequè litteratis
etiam eiuſdem Sæculi Viris peramicus fuit; ac nominatim Erycio Puteano,
Iuſto Lipſio, Ioſepho Ripamontio (quem aliquandiu etiam domi
ſuæ habuit) & Benedicto Sociaco. Ac Puteani quidem prolixa extat
ad ipſum Epiſtola, in Hiſtoriæ commendationem luculenter compoſita,
& inter cæteras eius Epiſtolas, Francofurti Anno 1601. editas,
nonageſima-quarta, & hoc titulo prænotata: *Mediolani* (vbi ſcilicet ille
tunc degebat, Regius Eloquentiæ in Academia Palatina Profeſſor)
Iacobo Reſtæ, Viro illuſtri. Sed & Lipſius è Belgio Epiſtolam illi ſcripſit,
nonam inter alias Centuriæ Quartæ ſelectas: quamquè mihi etiam hic D
conſeri placet, his conceptam verbis: *Mediolanum, Iacobo Reſtæ, Viro nobili.
Amica atque diffuſa ſcriptio tua, etſi in morbo, ad reſpondendum impulit:
neque animo contractiùs, etſi manu fortaſsè fiet. Nam hanc ægrè, illum
alacriter ad te moueo & mitto, libenter apud tales hæſurum, & vel ætatem
acturum. Prudentia & virtus tua (non blandior) ex ipſo characteriſmo ſcriptionis
tuæ innotuit: neque opus teſtimoniis, vel productione Puteani noſtri fuit.
Itaque amicitiam libens volenſquè tecum pango: fouendam deinceps litteris, colendam
etiam officiis, quæ intercapedo quidem hæc locorum admittit. Nam bonæ
& antiquæ fidei in his talibus ſumus: vtinam & ingenium, aut opera eius,
quæ tu æſtimas & attollis! Enimuerò qualiacumque, chara tamen habeo; quia*
me

me charum vobis talibus reddunt. Vt perſeueres mi Reſta, ego rogo: & ambire me, quod ambiebas, ſubſigna. Louanii Kalendis Aprilis 1602. Talia Lipſius ad ipſum. Sociacus verò in ſuis Epigrammatum Libris, Mediolani Anno 1616. impreſsis, aliquoties eius mentionem perhonorificam fecit: vt Libro 4. pagina 156. Libro 6. pag. 202. & 210. Libro 7. pag. 257. (& hinc quidem ipſum dignoſcimus duo Epigrammatum Volumina conſcripſiſſe) & rurſus pag. 258. & 259. A

VI. Cæterùm Iacobus idem, vt erat etiam ſummæ integritatis & prudentiæ vir, ita etiam duriſsimis temporibus & grauiſsimis in rebus vtilitati Reipublicæ non potuit non ſtudere. Tres enim continuata temporum ſerie vnus poſt alium Gubernatores Mediolanenſis huius Prouinciæ, Carolus nempe Aragonius Terræ-Nouæ Dux, Ioannes Ferdinandus Velaſchius Caſtellæ & Legionis Regnorum in Hiſpaniis Comeſtabilis, & Petrus Enriquez Azeuedius Fontium Comes, varias, & magnæ dignitatis, & non imparis induſtriæ fidei pietatiſquè, ſed & permagni ad politicum regimen momenti, Præfecturas hac in Vrbe illi contulerunt: necnon etiam ille viciſsim eas perhonorificè atque per omnes partes laudabiliter geſsit. Et hæc quidem mihi per publicas tabulas, ad hæc ipſa ſignatas, notiſsima ſunt. B

VII. Sed ipſum præterea magnificentiſsimum pro Regio Iuſtitiæ Capitaneo Palatium, hac in Vrbe, cùm ab eodem Fontium Comite ipſa regeretur, potiori ex parte abſolutum, veluti glorianter in oculis omnium atteſtatur, Iacobum itidem hunc Reſtam fuiſſe vnum è prudentiſsimis illis ac primariis Viris, qui ſuimetipſius conſtructioni ex officio præfuerunt, quiquè nonniſi è conſenſu & approbatione grauiſsimorum Secretioris Conſilii Procerum à Gubernatoribus noſtris eligebantur. Quocirca etiam in fronte gentilitium ipſius inſigne nomenquè proprium (ſicut & cuiuſque aliorum in eo tunc munere collegarum) oſtentat in ambitu inſculptum: iiquè omnes vnà cum ſuis quiſque ſeparatim inſignibus, candido inciſis marmori, ac decorè per interualla diſpoſitis, & velut officiosè ſtipantibus auguſtiſsimum Philippi Tertii, Monarchæ noſtri, tunc imperantis, inſigne, ſupra ſpeculam, quæ portæ ſuperſtructa eſt, in medio collocatum, hoc ibi ordine numerantur: Franciſcus Gluſsianus, Senator: Ludouicus Taberna, Senator, & Comes: Clemens Capitaneus de Arſago, Quæſtor: Philippus Pirouanus, Quæſtor: Princiuallus Montius, Prouiſionum Vicarius: Ioannes Ambroſius Fernus, Fiſcalis Regius: Caſtellanus Madius, Decurio: Chriſtophorus Cruccius, Iuris-Conſultus Collegiatus: Iacobus Reſta: Ioannes Baptiſta Puteobonellus: Carolus Brippius. C D

VIII. In eadem verò Palatii fronte, inter portam & ſuperiorem ſpeculam, proſtat etiam Inſcriptio: quam iidem illi Amici ſimiliter affirmabant ab eodem fuiſſe Iacobo Reſta compoſitam. Quæ quia non ſine mendo typis non ita pridem inter alias huius Vrbis multas, quarum nulla fermè pudendo aliquo typographi errato caret, impreſſa fuit; propterea fideliter hic mihi recitanda eſt; & ita prorsùs ſe habet:

PHILIPPO

PHILIPPO III. HISPANIARVM REGE POTENTISSIMO A
Fidei Catholicæ Defenſore imperante
D. Petrus Enriquez Azeuedius Fontium Comes
externi belli victor & domeſtici extinctor inuictus
dextera amabilis ſiniſtra formidabilis
benè agentibus diſtributis præmiis
improbis verò ſuppliciis
Carcerum fores Regiæ Curiæ obiecit
vt Principis aduigilantis oculus
fidiſsima ſit iuſtitiæ cuſtodia
M DC V. B

IX. Tantus autem ille Ciuis mortuus eſt Anno Domini 1613. ætatis verò ſuæ quinquageſimo-tertio, ſexto Kal. Septembris: proprioquè familiæ ſuæ ſepulchro conditus eſt in Euſtorgiana huius Vrbis Baſilica, propè Sacrarium, nec ſine maximo Litteratorum eius temporis mœrore.

X. Hinc igitur Benedictus etiam Sociacus ſeptimo illo, quem dicebam, Epigrammatum Libro, pag. 259. in eius tumulum edidit hoc Carmen:

Dant lachrymas Ciues ad lamentabile ſaxum;
Nam ſaxum Patriæ nobile Sydus habet.
Hei mihi non vllis franguntur buſta querelis, C
Nec gemitus noſtros marmora ſurda bibunt.
Quid loquor ah demens? Ignorant marmora ſenſus,
Hoſpiteque à tanto non didicere loqui.
Sed tamen in lachrymas ſaxum ſe ſoluere vellet;
Sed negat in lachrymas durus abire lapis.

XI. Sed ne his quidem ille contentus, alterum id eius Epitaphium compoſuit: cuius autographum exemplar, fortè fortuna mihi ab Amico eiuſdem Sociaci meoquè traditum, à me rursùs hodiernis eiuſdem Iacobi filiis redonatum fuit, & huiuſmodi eſt: D

Iacobi Reſtæ Epitaphium.

Inſubrum flos hic Procerum, flos vnicus æui:
Patria quem Ciuem, Gens Reſtia ſanguinis vnum
Magnanimis adnectit Auis, vt amabile numen:
Nomine quemquè ſuo donauit Diuus Iberum,
Cùm veterem ablueret maculam luſtralibus vndis:
Hic iacet. Vlteriùs mores ne quære Viator,
Virtuteſquè Viri. Meruit, non Vrbis haberi
Deliciæ vnius, ſed totius Orbis amores.

Nam

Nam cui tantus amor Patriæ? Cui tanta fouendis A
Gratia in hoſpitibus, vel amicis cura iuuandis?
Cui tantus fuit oris honos? Cui gratior vnquàm
Vox imitata fauos, vox placatura colubros?
Olli Graiugenum ne ſe, ne conferat vllus
Romulidum: ſiue vrbanis condiuerit omnes
Sermones ſalibus: ſeu mobile vulgus habenis
Flexerit eloquij. Nulli torrentior vnquàm
Copia dicendi: nulli vis acrior vnquàm
Vis animi memoris viguit, ſeu mente fideli
Facta renarraret veterum, ſeu dicta referret. B
Blandus, dulce loquens: nulli conceſſa facultas
Ingenij maior, varium dum Carmen hiaret,
Hetruſcaquè lyra fidicem, fidicemquè Latinæ.
Sparge pias lachrymas, pacemquè precare ſepultis
Oſſibus: hoc ſaltem Manes cumulentur honore.
Benedictus Sociacus Viro omni immortalitate digniſſimo.

Hactenùs ille ad verbum in eo, quod indicabam, autographo.

XII. Sobolem verò ſe profectò dignam Iacobus ſibi ſuperſtitem reliquit: ac nominatim Abbatem illum inclytum, ac de me ſtudiiſquè meis optimè meritum, Ioannem, cuius ego mentionem Capite 9. Num. 7. faciebam. C

CAPVT CLIX.

Multiplices controuerſiæ, antehac inter Canonicos Sancti Saluatoris Baſilicæ Celſianæ Æedituos, & Marianæ Baſilicæ Fabricerios obortæ, iam tandem amicè componuntur, earumquè Compoſitio à Gregorio Papa Decimo-quarto confirmatur Anno Domini 1591. D

I. QValeſnam fuerint eiuſmodi controuerſiæ, quemadmodùm item conciliatæ, ſicut & alia multa, quæ ad Marianam & ad Celſianam Eccleſias, ſibimet propinquas, pertinent, ſcituquè profectò digna ſunt: hæc ego Lectori ſingillatim dignoſcenda reſeruo è Pontificio Diplomate, quod ſequenti Capite ſeparatim contin[e]bitur: & quo nullum fidelius expetere teſtimonium debemus. Nunc enim tria tantùm ex iis omnibus, quæ Diplomate illo continentur, ego mihi ad obſeruandum peculiariter ſelegi: eademquè mox intento veluti digito præmonſtro.

II. Primum eſt ſitus illius Pilæ, cui Deiparæ Virginis imago iuſſu Sancti Ambroſii appicta fuiſſe traditur, & cuius mentio habetur Numero ſecundo & vndecimo. Ea enim Pila, quemadmodum illic deſcribitur, citra dubium ſtabat extra ſitum Eccleſiæ, quæ ſibi nomen Sancti Nazarii IN CAMPO retinuit; licet alioqui ſtaret intra horti ſpatium illius, in quo Sanctorum Nazarii & Celſi Corpora fuerant à Sancto Ambroſio inuenta. Quamobrem Pila etiam illa ſtabat intra clauſtra Monaſterii, per Arnulphum Archiepiſcopum conſtructi; extra cuius tamen clauſtra ſtabat, omnibus patens Fidelibus, ipſamet Sancti Nazarii Eccleſia IN CAMPO. En igitur, vt Pila etiam illa non illic ſtaret in ſignum eius præcisè loculi, in quo Corpus Sancti Nazarii repertum fuiſſet (in cuius loculi ſignum ſtetiſſe potiùs credenda eſt ipſamet illa Sancti Nazarii Eccleſia, vtpote quæ præſtabilius ac religioſius eſſet monimentum: atque huc etiam illa congruunt, quæ Capite 91. Num. 2. & 4. recitabamus) ſed in ſignum commune horto, intra quem, ſed in loculis inter ſe aliquantùm diſsitis, inuenta fuerant amborum eiuſmodi Martyrum Corpora; & intra quem propterea ſeiunctæ illic ſtabant Eccleſiæ, Nazario vna, Celſo altera dicatæ. Qua tamen de re paulò accuratiùs diſſeram infra, Capite 161. Num. 15. Atque hoc ego nunc obſeruari cupio contra Paulum præſertim Morigiam, cuius teſtimonium poſtea in medium producam.

III. Sic etiam deinde obſeruari quàm maximè opto verba illa, quæ Numero pariter vndecimo ſic enunciantur ex eo Documento: *Cùm ſit, quòd ab Anno Septuageſimo poſt Chriſtum natum Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi Corpora ſepulta & hominibus incognita iacuerint Mediolani extra Portam Romanam* AD TRES MOROS *vſque ad Annum Tercenteſimum nonageſimum-tertium, quo tempore diuino monitu Sanctus Ambroſius ea reperit, ſepulturæquè honorificè mandanda (Nazarium ſcilicet ad Baſilicam Apoſtolorum, Celſum verò in Aedem, vbi nunc etiam recoluntur, deferri iubens) curauit.* Hæc vtique verba traditioni, à Maioribus ad poſteros veluti per manus tranſmiſſæ, nitebantur: indequè nobis intelligere datur, Maiores etiam noſtros eo fuiſſe animo, vt crederent, Nazarium & Celſum ſub Imperio Neronis necatos eſſe, ac præterea ſolum Nazarii Corpus à Sancto Ambroſio translatum fuiſſe ad Baſilicam Apoſtolorum, Celſi verò Corpus illic relictum, vbi tandem Anno etiam illo ſtabat Eccleſia, illius nomini cultuiquè dedicata.

IV. Denique verò ne illud quidem ſilentio nobis prætereundum hic eſt, quod eiuſdem Diplomatis Numero decimo Gregorium ipſum Decimum-quartum videbimus diſertè profitentem, ſemet ex eo tempore, quo iuueniles agebat annos, habuiſſe *plenam notitiam de præmiſsis omnibus & ſingulis, ac bonis & piis operibus & exercitiis, quæ apud dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ fiunt.* Nimirùm Pontifex ille Maximus patria fuit Mediolanenſis, gente nobiliſsima pariter ac piiſsima Sfondratus: &, vt à multis ego ſenibus ſæpè audiui, Marianam illam Eccleſiam religioſè primis ab

annis

annis frequenter adire ſolitus. Quocirca mirum non eſt, ſi prouecta iam ætate creatus Pontifex Anno 1590. Nonis Decembris, inter primas Pontificatus ſui curas (quem ad menſes tantùm decem totidemquè prætereà dies protraxit) hoc quoque Diploma ſponte ſua condere benè memor voluerit. A

V. Sequentis enimuerò Diplomatis tria mihi humaniſsimè ſuppeditata fuerunt exemplaria; prout ego per varia tempora rogaui ſolicitus; ne fortè aliqua in parte mendoſum per me prodiret; aut etiam iis ſuſpectum, ad quos pertinebat. Primum ab Excellentiſsimo Principe Hercule Triuultio, Eminentiſsimi Cardinalis Theodo i filio; ex Archiuo videlicet Abbatiæ Celſianæ, Cardinali eidem commendatæ: ſecundum ab Illuſtriſſimo Marchione Ioanne Puteobonello, Franciſci, Senatoris Regii, & in B Catholici Regis noſtri Aula Regentis Italici Conſiliariiquè, filio, Vrbis noſtræ Decurione, ac per eum Annum Præſide, ſiue Priore, vt vocant, & ſanè quidem meritiſsimo, inter Præfectos Marianæ propè Sanctum Celſum Fabricæ; nimirùm ex eiuſdem Fabricæ Archiuo: tertium à Reuerendiſsimo Celſiani Monaſterii tunc Abbate Regulari, Ioanne Baptiſta Maderno (quem initio Capitis 136. nominabam) ex ipſius itidem Monaſterii Tabulis ac Tabulato.

CAPVT CLX.

Gregorij Papæ Decimi-quarti Diploma, quo Tranſactio & Concordia pro Beatiſsima Virginis Mariæ propè Sanctum Celſum Eccleſia confirmatur. C

I. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus, Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Laudenſi ac Placentino Epiſcopis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie emanarunt à nobis Litteræ tenoris ſubſequentis:* GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Illius, cui ſoli debetur honor & gloria, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ad ea lubenter intendimus, per quæ perſonarum quarumlibet, præſertim religioſarum & cultus diuini ſtudioſarum, votis ſatisfieri poteſt: & his, quæ inter Fideles ipſos concordia tranſacta fuiſſe comperimus, vt firma perpetuò & illibata perſiſtant, lubenter Apoſtolici muniminis firmitatem adiicimus: aliaquè deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.* D

II. *Sanè cùm, ſicut accepimus, poſtquàm bonæ memoriæ Landulphus, olim Archiepiſcopus Mediolanenſis, Monaſterium Sancti Celſi, propè & extra muros Mediolanenſes, olim Sancti Benedicti, nunc verò Sancti Auguſtini Ordinis, Congregationis Sancti Saluatoris, fundauerat,* PILAMQVE CVM IMAGINE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, FILIVM VLNIS COMPLECTEN-

 TIS,

TIS, PER DIVVM AMBROSIVM (QVI CORPORA SANCTO- A
RVM NAZARII ET CELSI DIVINO MONITV REPERERAT)
ALIAS AD PERPETVAM REI MEMORIAM FIERI ET DE-
PINGI IVSSAM, IN EODEM MONASTERIO CLAVSERAT,
*& Congregationi Monachorum Ordinis Sancti Benedicti incorporauerat: deni-
que cùm, vt piè creditur, apud dictam Imaginem interceſsione eiuſdem Beatæ
Mariæ Virginis Altiſsimus quamplura miracula operaretur, & ad ipſam Ima-
ginem deuotionis cauſa confluerent Chriſti-fidelium multitudo; etiam claræ memo-
riæ Philippus Maria Dux Mediolanenſis, pia deuotione ductus, ad Dei laudem
inibi quandam Capellam de licentia & conſenſu Ordinarii ac etiam tunc Abba-
tis dicti Monaſterii, conſtrui fecerat, aliaſquè quatuor Capellanias pro totidem
Capellanis, qui inibi Miſſas celebrarent, fundauerat & dotauerat, Iure patro-* B
natus ad illas ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſeruato.

III. *Deinde cùm propter multitudinem Chriſti-fidelium, ad eandem Capellam deuo-
tionis cauſa confluentium, neceſſarium ſeu ſaltem vtile videretur aliquas per-
ſonas deputare, tam circa curam fabricæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ, iuxta Monaſte-
rium prædictum conſtructæ, quàm diſpenſationem oblationum, quæ per Chriſti-
fideles præfatos ibidem in dies erogabantur; quondàm Leonardus de Vicecomi-
tibus, dicti Monaſterii Commendatarius, tunc Ducis Mediolanenſis & aliarum
proborum Virorum perſuaſionibus inductus, vnam Confratriam, Scholam nun-
cupatam, nonnullorum Confratrum, Scholarium nuncupatorum, in dicta Eccle-
ſia inſtituerat, & ad curam fabricæ Eccleſiæ prædictæ deputauerat.*

IV. *Et deinde cùm inter Abbatem ſeu Commendatarium, & Confratres prædictos,* C
*ſuper diſpenſatione oblationum, & celebratione Miſſarum, rerumquè aliarum
tunc expreſſarum, quædam contentio orta fuiſſet; tandem ſub certis pactis &
conditionibus, tunc in Inſtrumento deſuper confecto latiùs contentis, ſedata fuiſſet.*

V. *Inſuper cùm inſtitutio Confratriæ per felicis recordationis Alexandrum Papam VI.
prædeceſſorem noſtrum, aliaquè tunc expreſſa confirmata fuiſſent: dictaquè Ec-
cleſia in decentem formam redacta fuiſſet; eiuſdem Monaſterii tunc exiſtens Ab-
bas ſeu Commendatarius, tam proprio quàm dicti Capituli Monaſterii nomine,
Fabriceriis dictæ Eccleſiæ conceſſerat, vt quædam ædificia ſub certis conditioni-
bus tunc expreſsis fieri poſſent: ac iure liuellario eiſdem Fabriceriis quendam
alium ſitum cum ædificiis, eidem Eccleſiæ contiguum, pro conſtruendis ædificiis,
eiſdem Confratribus neceſſariis, ſub annua reſponſione ſexaginta vnius libra-* D
*rum Abbati ſeu Commendatario prædicto Annis ſingulis perſoluendarum, inter-
ueniente decreto Legati Sedis Apoſtolicæ, in partibus illis tunc exiſtentis, ſimili-
ter conceſſerat.*

VI. *Poſtmodùm autem per piæ memoriæ Paulum Papam III. & prædeceſſorem noſtrum,
de conſenſu tunc exiſtentis Commendatarii dicti Monaſterii, in eodem Monaſte-
rio dilecti filii Canonici Regulares Ordinis Sancti Auguſtini, Congregationis
Sancti Saluatoris huiuſmodi, introducti fuerant ſub certis modo & forma, in
Litteris Apoſtolicis, tunc deſuper expeditis, latiùs expreſsis.*

VII. *Orto demùm dubio ſuper huiuſmodi introductione, & an in conceſsione dicti
Monaſterii dicta Eccleſia cenſeretur comprehenſa; recolendæ memoriæ Iulius Papa*

III.

III. ſimiliter prædeceſſor noſter, non ſolùm Monaſterium Sancti Celſi ſed etiam A
iura ſpiritualia, Monaſterio & Eccleſiæ prædictis contigua, & alijs Eccleſiis &
Capellis ab illo dependentibus, ad illos pertinere declarauerat.

VIII. Et licet eatenùs electio Fabriceriorum per ipſos Confratres pacificè & quietè
facta fuerat, paramenta & iocalia penes eos cuſtodiendo, ac arcus verſus Ci-
miterium Sancti Celſi claudi faciendo: omnia demùm in eadem Eccleſia Sanctæ
Mariæ ad ipſorum Fabriceriorum arbitrium & voluntatem facta diſpoſita &
adminiſtrata extiterant; nihilominùs poſt nonnullos Annos Canonici prædicti
multas prætenſiones, aliàs à Commendatariis dicti Monaſterii motas, ſuper præ-
miſsis extraiudicialiter renouantes, cùm pro parte dictæ Confratriæ & Fabrice-
riorum prædictorum nonnulla in contrarium adducerentur; tandem, ad euitan-
dum litium expenſas & vexationes, dilecti filii, Paulus Capranicus eiuſdem B
Monaſterii Commendatarius, ac Prior & Canonici dicti Monaſterii, necnon De-
putati Fabriceriorum prædictorum, compromiſerant omnes eorum differentias &
prætenſiones in bonæ memoriæ Carolum, Tituli Sanctæ Praxedis Sanctæ Roma-
næ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem Borromæum nuncupatum, tunc Eccleſiæ
Mediolanenſis ex diſpenſatione Apoſtolica Præſulem; qui, viſis iuribus ambarum
partium, ipſiſquè partibus pluries auditis, ſub Sedis præfatæ beneplacito lauda-
uerat, & decreuerat deueniri debere ad infraſcriptam Concordiam; videlicet
quòd dicti Confratres & Fabricerii ex eleemoſinis oblationibus & redditibus
prædictis ducenta ſcuta quolibet Anno, durante quinquennio, ab Anno Domini
Milleſimo quingenteſimo octuageſimo-quarto incohando, ipſi Paulo Commendata-
rio ſoluere; ipſe verò Paulus Commendatarius mille ſcuta huiuſmodi, ſibi dicti C
quinquennii tempore ſoluenda, in aliqua bona ſtabilia Romæ vel Mediolani con-
uertere; & eo tempore finito prædicti Confratres & Fabricerii eandem ſum-
mam ducentorum ſcutorum prædictis Canonicis quolibet Anno ſimiliter in per-
petuum ſoluere, dictiquè Commendatarius & Canonici ob id omni iuri & actio-
ni, eis ſuper præmiſsis competenti, & ſeu per ipſos prætenſo, eiſdem Confra-
tribus & Fabriceriis cedere, ac vnam Capellam & Porticum iuxta & ſecun-
dùm Laudi & Decreti prædicti Caroli Cardinalis ſeriem & tenorem fabricari
facere tenerentur; qua fabrica finita, dicta ſcuta ducenta ipſis Canonicis in per-
petuum libera remanerent, prout in Laudo & Decreto deſuper facto latiùs con-
tineri dicitur.

IX. Cui Laudo ſatisfacere cupientes dictæ partes, necnon deſiderantes omnibus litibus D
& controuerſiis ac prætenſionibus finem imponere; tandem ad infraſcriptam, ſub
noſtro Sediſquè præfatæ beneplacito, deuenerunt Concordiam, ſeu Tranſactio-
nem; videlicet quòd Paulus Commendatarius & Canonici prædicti tenerentur
renunciare, prout renunciarunt & ceſſerunt, omni iuri per eos prætenſo in ad-
miniſtratione tam electionis Deputatorum, quàm reuiſionis computorum, ac in-
teruentionis Capituli, necnon vſus paramentorum, participationis eleemoſina-
rum rerumquè donatarum, ac etiam in adminiſtratione dictæ Eccleſiæ Sanctæ
Mariæ, reædificatione Capellæ Sancti Bartholomæi, ac murorum & portæ con-
ſtruendæ; quodquè porta lateralis inter Eccleſias Beatæ Mariæ & Sancti Celſi
clauſa, & reliquus murus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ex vno & altero latere
pariter

pariter clauſus remanerent; atque reſpectu prætenſionis aperiendi arcus, necnon A
officiandi, & adminiſtrandi Sacramenta in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ, confirmationequè & inſtitutione dictæ Capellæ, necnon ſuperioritatibus, & aliis rebus quibuſcumque tunc expreſſis, & per eos prætenſis; ita quòd dicta Eccleſia Sancta Maria cum eius Capitulo penitùs ſit excepta & libera ab omnibus prætenſionibus ſupradictis, & aliis quibuſcumque; vlteriùs quòd ipſi Canonici teneantur propriis eorum impenſis conſtrui facere eandem portam & murum ante Cimiterium dictæ Eccleſiæ Sancti Celſi, atque Capellam Sancti Bartholomæi in dicta Eccleſia Sancti Celſi, vel iam incœptam perficere, prout iidem Fabriceríi tenebantur; ipſoſquè Fabricerios ab huiuſmodi oneribus in dies releuare, pro qua renunciatione & aliis prædictis ipſi Deputati tenerentur dare & aſsignare ipſis Canonicis in tot reditibus annuis mille & ducentas libras Impe- B
riales pro augmento ipſorum Menſæ Capitularis quolibet Anno in perpetuum, per eos ſub certis modo & forma tunc expreſſis exigendas; Tranſactioniſquè huiuſmodi à Nobis & Sede præfata confirmatione habita, & conſignata; quo tempore ſimiliter & tenerentur dictos mille aureos eidem Paulo Commendatario ſoluere; à qua tamen præſtatione mille & ducentarum librarum liceret eiſdem Deputatis & eorum ſucceſſoribus in infinitum ſe leuare & eximere, ſoluendo ſcuta quatuor millia, in vtilitatem dictæ Menſæ conuertenda; & vlteriùs ſimiliter tenerentur conſignare eiſdem Canonicis numerum paramentorum, per eundem Carolum Cardinalem deſignatum; item quòd eiſdem Canonicis liceret liberare & affrancare perticas ſeptem, tabulas tres, pedes vndecim, & vncias duas, terreni menſuræ illarum à præſtatione ſexaginta vnius librarum Imperialium præ- C
dictarum, ſub certis modo & forma tunc expreſſis; facta tamen depoſitione pretii penes perſonam idoneam, ab Ordinario Mediolanenſi eligendam; ipſaquè liberatione facta, poſſent in dicto terreno Campanile & Sacriſtiam ædificari, murumquè & parietem aliaquè ibi expreſſa conſtrui facere abſque impedimento; & alia facere & exequi partes hinc inde promiſerunt, prout latiùs in Inſtrumento, per dilectum filium Iulium Cæſarem Confanonerium, Ciuitatis Mediolanenſis Notarium publicum, ſub die vigeſima-tertia Februarii Anni Domini Milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi deſuper confecto (cuius tenorem diligenter in Cancellaria Apoſtolica inſpici, & omiſsis characteribus & ſigno Notarii prædicti præſentibus inſeri fecimus) pleniùs continetur.

X. *Nos igitur, qui, dum in minoribus eſſemus conſtituti, de præmiſsis omnibus &* D
ſingulis, ac bonis & piis operibus & exercitiis, quæ apud dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ fiunt, plenam habuimus notitiam; volentes pro noſtri Paſtoralis officii debito tam vtili Conuentioni grato concurrere affectu; vt etiam in pace, non in commotionibus, opus Domini in poſterum ab vtraque parte exerceatur; motu proprio, non ad ipſorum Pauli Capranici, vel Prioris & Canonicorum, ſeu Fabriceriorum, aut aliorum prædictorum, ſeu alicuius pro illis, nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia & mera liberalitate noſtris, Tranſactionem & Conuentionem huiuſmodi, omniaquè & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſquè perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus; ſupplentes omnes & ſingulos

iuris

iuris & facti defectus, ſi qui quomodolibet interuenerint in eiſdem; & ita per A
partes prædictas inuiolabiliter perpetuò obſeruari debere, nec ab illis vllo vn-
quàm tempore reſiliri poſſe, ſicquè per quoſcumque Iudices, etiam eiuſdem San-
ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, aut Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, vel
quauis alia dignitate ſeu auctoritate fungentes, ſublata eis & illorum cuilibet
quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari &
diſſiniri debere; irritumquè & inane, ſi ſecùs ſuper his à quolibet quauis aucto-
ritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, decernimus. Non obſtanti-
bus præmiſsis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon volun-
tate teſtatorum & benefactorum, ſi qua ſit & obſtet, quam ad effectum præ-
ſentium commutamus; necnon Monaſterii & Ordinis prædictorum, etiam iura-
mento confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis & B
Conſuetudinibus, Priuilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, eidem
Monaſterio illiuſquè Superioribus & perſonis quomodolibet conceſsis, confirmatis,
& approbatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum
infererentur præſentibus, pro plenè & ſufficienter expreſsis habentes, illis, aliàs
in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè deroga-
mus, cæteriſquè contrariis quibuſcumque.

XI. *Tenor verò dicti Inſtrumenti ſequitur, & eſt talis: In nomine Domini. Anno*
à Natiuitate eiuſdem Milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, Indictione
quarta, die Sabbati, vigeſimo-tertio menſis Februarii. Cum ſit, quòd AB
ANNO SEPTVAGESIMO POST CHRISTVM NATVM *Sancto-*
rum Martyrum Nazarii & Celſi Corpora ſepulta, & hominibus incognita ia- C
cuerint Mediolani extra Portam Romanam AD TRES MOROS *vſque ad*
Annum Tercenteſimum nonageſimum-tertium, quo tempore diuino monitu San-
ctus Ambroſius ea reperit, ſepulturæquè honorificè mandanda (NAZARIVM
SCILICET AD BASILICAM APOSTOLORVM, CELSVM VE-
RO IN ÆDEM, VBI NVNC ETIAM RECOLVNTVR, DE-
FERRI IVBENS) *curauit: locum autem, in quo inuenti fuerant, quiquè*
SANCTI NAZARII IN CAMPO *nomen retinuit, Pila quadam ad per-*
petuam facti memoriam notauit: & in ea Beatæ Virginis Imaginem, Filium
vlnis amplectentem, pingi iuſsit.

XII. *Cùmquè nunc quondàm Reuerendiſsimus Dominus Landulfus Carcanus, Medio-*
lani Archiepiſcopus, præfatam Eccleſiam Sancti Celſi Abbatiam inſtituerit, Mo- D
naſterium fundauerit, & Pilam prædictam in eodem clauſerit, boniſquè conti-
guis illud auxerit, ac Congregationi Monachorum Sancti Benedicti incorporaue-
rit ſuccedentibus temporibus.

XIII. *Cumquè nunc quondàm Illuſtriſsimus Dominus Philippus Maria Vicecomes,*
Dux Mediolani, Anno Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo (CVM IAM
COEPISSET ALTISSIMVS INNVMERA MIRACVLA IN IMA-
GINE PRÆDICTÆ VIRGINIS MATRIS OSTENDERE) *Altare*
ſeu Capellam ad eandem Pilam, in dicto Monaſterio conſtructam, & propterea
SANCTÆ MARIÆ APVD ECCLESIAM SANCTI CELSI PRÆ-
DICTI AB EO TEMPORE ECCLESIAM NVNCVPATAM, *in*

iuſpatronatus,

iuſpatronatus, de licentia Ordinarii, ac otiam Abbatis & Conuentus dicti Mo- A
naſterii, inſtituerit, ſibiquè reſeruauerit electionem & præſentationem, confir-
matione & inſtitutione ad ipſum Abbatem remanente; pacto tamen, quòd nul-
lus in dicta Abbatia habitans vel inſeruiens eligi vel inſtitui poſsit; vt patet
ex Inſtrumento, celebrato die vigeſimo quinto Februarii dicti Anni, rogato, vt
dixerunt, per Dominum Beltraminum de Capris, olim publicum Mediolani
Notarium, ſeu Anno & die in eo contentis, cui digna habeatur relatio.

XIV. *Cùmquè continuata ſeu potiùs creſcente Chriſti-fidelium deuotione, & eleemoſi-*
narum oblatione, idem Illuſtriſsimus Dux Anno Milleſimo quadringenteſimo
trigeſimo-quinto, & Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo-nono inſtituerit ad
idem Altare quatuor alias Capellanias, electionem ac præſentationem ſibi reſer-
uans, confirmatione verò & inſtitutione Illuſtriſsimo Archiepiſcopo Mediolani B
remanente; vt conſtat ex Inſtrumentis celebratis die decimo Decembris, & de-
cimo-octauo Septembris Annorum præfatorum, rogatis ſcilicet dicto Anno Mil-
leſimo quadringenteſimo trigeſimo-quinto per tunc quondàm Dominum Marcum
de Marliano, & dicto Anno Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo-nono per tunc
quondàm Dominum Balthaſſarem de Capris, olim Curiæ Archiepiſcopalis Me-
diolanenſis Notarios, ſeu Annis & diebus in eis contentis, quibus digna relatio
habeatur.

XV. *Cùmquè Sanctiſsimus Dominus noſter Sixtus Quartus, felicis recordationis, An-*
no Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo-tertio dictam Abbatiam, iam antea
ab Apoſtolica Sede in Commendam receptam, tunc quondàm Illuſtri & Reue-
rendiſsimo Domino Leonardo Vicecomiti Protonotario commendauerit, qui Re- C
uerendiſsimus Dominus Leonardus etiam vnus ex Scholaribus præfatæ Fabricæ,
vt melius negotia dictæ Eccleſiæ ſeu Capellæ Sanctæ Mariæ pertractarentur, de
voluntate Illuſtriſsimi Ducis tunc temporis, Scholam octodecim Nobilium Viro-
rum inſtituerit, qui ſine reliquorum Scholarium (quorum numerus erat infini-
tus) interuentu omnia adminiſtrarent, & Fabricerii dicerentur, præſertimquè
elargitiones oblationes & munera reciperent, in vtilitatem & ornamentum dictæ
Eccleſiæ conuerterent, Miſſaſquè in ipſa & alia Diuina Officia celebrari face-
rent; vt ex commiſsione Illuſtriſsimi Ducis, tenoris huiuſmodi; videlicet, Dux
Mediolani. Reuerende in Chriſto Pater, Nobis dilecte. Nomine Scholarium
ſeu Fabriceriorum Eccleſiæ Glorioſiſsimæ Virginis Mariæ Sancti Celſi, inclitæ
Vrbis noſtræ Mediolani, porrecta nobis eſt Supplicatio, præſentibus inſerta. D
Quamobrem, de virtute æquanimitate & in ſimilibus maxima experientia
veſtra abundè confidentes, contentamur, & vobis committimus, quòd circa
ſupplicata eam faciatis prouiſionem & ordines, quæ vobis videbuntur; quo-
niam hanc rem veſtræ diſcretioni remittimus. Papiæ primo Iulii, Milleſimo
quadringenteſimo octuageſimo-nono. Signatæ Marcus. A tergo: Reuerendo in
Chriſto Patri, Domino Commendatario Sancti Celſi. Supplicationis verò
tenor erat huiuſmodi: Illuſtriſsime & Clementiſsime Princeps. Non vo-
ghando la eterna Maeſtà ſuſtenere, che ſi glorioſa deuotione, quanta è ſtata nelli
tempi paſſati alla Chieſa patronale di Voſtra Eccellenza in Santo Celſo, ſia più
ſoffocata & derelitta; hà dimoſtrata da certo tempo in quà & dietim ſe di-
moſtra

moſtra de ſtupendiſsimi miraculi; ita & taliter ſono condutti & ſe conduceno A
alla giornata infinite perſone, ſi maſculi como femine, à conſtituire & ordinare
vna digniſsima Schola, ob reuerentiam prælibatæ Glorioſiſsimæ Virginis Mariæ,
frà li quali ſi è il Reuerendiſs. Monſignor Leonardo Viſconte perpetuo Commenda-
tario di eſſa Abbadia di Santo Celſo, & molti altri notabili Cittadini. Et do-
uendoſi fare detta Schola, ſarà neceſſario conſtituire Procuratori ad petendum li
legati ſono fatti & ſi faranno in futurum à detta Schola ouero Fabrica di eſſa
deuotione, & à fare conſeſsione & liberatione, & alcuna volta à fare com-
promeſſo patti & tranſattione, & anche ad vendendum & promittendum, &
molte altre coſe accadano in ſimili Congregationi, maſsime in conſtituire loro
Theſaurero, Sindici, & altri Officiali: le quali coſe ſaria quaſi impoſsibile à
poter fare che valide ſiano: però conueneria congregare tutti li predetti Schola- B
ri, & che la maiore parte di eſsi conſentiſſe, che ſaria vna confuſione. Per il
che è parſo ad alcuni di eſsi Scholari de remettere al prefato Reuerendiſsimo
Monſignore, che voglia eligere fra li predetti Scholari dodeci ſpeciale perſone da
bene & di buona conſcientia, che vna con lui habbino à regulare detta Schola,
& che ſi dimandano Fabriceri, & poſſano detti dodeci eligendi per il prefato
Monſignore, ò la maggior parte di eſsi, fare & diſponere circa negotia & oc-
currentia ipſius Scholæ ſeu Fabricæ quello poteua fare tutti li predetti Scholari,
ſe fuſſero congregati inſieme. Et non poſſendoſi fare le predette coſe ſenza ſpe-
ciale licentia & diſpenſatione della Voſtra Signoria; recorreno da quella, ſup-
plicando humilmente, ſi degni (à laude & gloria di eſſa Glorioſiſsima Vergine,
& acciò che tanta deuotione non ſi habbia à deſtrugere, anzi ſi habbia ad am- C
pliare) concedere & diſpenſare per ſue ample & patente Lettere, che detta
Schola ouero Fabrica di eſſa Intemerata Vergine ſe poſſa fare tutè liberè & im-
punè: & che il prefato Monſignore Leonardo poſſa elegere dodeci perſone da bene,
ſecondo la conſcientia ſua, le quali habbino auttoritade & poſſano diſponere circa
negotia ipſius Scholæ, prout ſupra dictum eſt, como poteuano fare tutti li pre-
detti Scholari, ſe fuſſeno vniti & congregati inſieme, ac etiam fare caduno or-
dine & capituli gli pareranno neceſſarii & ſpedienti à beneficio & conſeruatio-
ne di detta Schola, ouero Fabrica: le quali coſe, poſſache ſaranno fatte & ordi-
nate, vagliano & tengano perpetuis temporibus, aliquibus in contrarium facien-
tibus non attentis, quibus omnibus derogare dignetur de gratia ſpeciali.

Cùmquè paulò poſt Inſtrumentum præfatæ Deputationis Fabriceriorum, factæ D
vigore dictæ Commiſsionis Ducalis, ipſi Reuerendiſsimus Dominus Commenda-
tarius & Fabricerii deuenerint ad Inſtrumentum Conuentionum his pactis:
Quòd ſibi liceat, quoties voluerit, videre rationes facultatum ſiue redditum
& expenſarum dictæ Scholæ: eligere Scholarem in locum defuncti intra men-
ſem; quo elapſo, in tali caſu ipſi Scholares eligant: Quòd paramenta & alia
iocalia oblata reponantur in Sacriſtia Abbatiæ Sancti Celſi penes Cuſtodem Sa-
criſtiæ dictæ Abbatiæ, & vſus eorum ſit communis Monaſterio & Eccleſiæ
Sanctæ Mariæ: Quòd Scholares miniſtrabunt oblationes cum participatione Do-
mini Commendatarii in rebus magni momenti: Quòd Dominus Commendatarius
poſsit expellere Scholarem doloſè adminiſtrantem: Quòd Scholares faciant ſuas

 delibera-

deliberationes ſtatutis diebus, & in ſcriptis: Et quòd præfatus Commendatarius non intendit in reliquis derogare iuribus Abbatiæ; vt ex prædictis Inſtrumentis Deputationis & Conuentionum die quarto Septembris, Anni Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi; rogatis, vt dixerunt, per nunc quondàm Dominum Ioannem de Galarate, olim Mediolani Notarium, ſeu Annis & diebus in eis contentis, quibus digna habeatur relatio. Quas tamen conditiones aſſerebant cæteri Scolares eſſe præter & contra Commiſsionem ſibi factam ab Illuſtriſsimo Duce, & ideò non obſeruandas. A

XVII. *Cùmque Anno Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-primo die vigeſima Iulij præfata electio decem & octo Fabriceriorum, & nonnulli ordines per dictos Fabricerios conditi, ab Illuſtriſsimo Ioanne Galeatio tunc Duce Mediolani confirmati fuerint; vt ex eius Confirmatione apparet. Datum Papiæ dicto Anno & die.* B

XVIII. *Cùmque Anno Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-tertio, orta inter Dominos Commendatarium & Fabricerios diſſenſione, Illuſtriſsimus Dux tunc temporis, auditis partibus, ordinauerit, curam oblationum Scholarium eſſe debere, nec in eis Dominum Commendatarium ingerere ſe poſſe: qui vt præeminentiæ dignitatis ſuæ gratia poſſet ad eius libitum voluntatis ſæpiùs in Anno rationem adminiſtrationis exquirere: quòd paramentorum vſus communis ſit, eaquè per Cuſtodem ipſius Abbatiæ ſeruari liceat: pecuniæ verò oblatæ pro Miſſarum celebratione per Scholares recipiantur, & per eoſdem Miſſæ omnes & alia Diuina Officia celebrari curentur: hocquè ſine præiudicio iurium Abbatiæ: quæ ſi reperiantur, vt ſeruari poſsint, per Iacobum Antiquarium videri debeant. Fabricerijs autem, rationem librorum Commendatario oſtendere recuſantibus, ipſe ſuis Litteris reclamauit ad Ducem, vt patet ex Litteris Ducalibus, & Commendatarij, datis die quinto Martij dicti Anni, & die vndecimo Februarij, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-quarto.* C

XIX. *Cùmque ad preces poſtea & petitionem Dominorum Fabriceriorum Alexander Sextus felicis recordationis, Anno Milleſimo quingenteſimo ſecundo confirmauerit inſtitutionem cum omnibus contentis, vt in porrecta Supplicatione. Datum Romæ die ſeptimo Iulii dicti Anni, tenoris huiuſmodi; videlicet:* ALEXANDER PAPA SEXTVS. *Beatiſsime Pater. Aliàs cùm tempore bonæ memoriæ Philippi Mariæ Angli Ducis Mediolanenſis in ſuburbiis Ciuitatis Mediolanenſis extra & propè Eccleſiam Monaſterii Sancti Celſi, Ordinis Sancti Benedicti, extra muros Mediolanenſes, quædam Imago Beatæ Mariæ Virginis in certo muro depicta foret, & interceſsione eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis Altiſsimus quamplura miracula operaretur, vt ad ipſam Imaginem deuotionis cauſa conflueret Chriſti-fidelium multitudo; dictus Philippus Maria Dux, pia deuotione ductus, ad Dei & eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis gloriam & laudem, inibi quandam Capellam de licentia Ordinarij, ac etiam tunc Abbatis & Conuentus dicti Monaſterii inibi, conſtrui fecit; ac quinque Capellanias perpetuas pro totidem Capellanis, qui inibi Miſſas celebrarent, fundauit & dotauit; ac ſibi & eius ſucceſſoribus ſub certo tunc expreſſo iurepatronatus reſeruauit; ac voluit, quòd nullus, qui in dicto Monaſterio ſeruiret, vel cum illius Abbate* D *reſideret,*

reſideret, ad aliquam ex dictis Capellaniis eligeretur ſeu præſentaretur: & demùm poſt longum tempus cùm propter multitudinem deuotionis Chriſti-fidelium ad eandem Capellam deuotionis cauſa huiuſmodi confluentium neceſſarium ſeu ſaltem ſalubre videretur aliquas perſonas deputare, tam circa curam fabricæ dictæ Capellæ, quàm diſponendi oblationes, quæ per Chriſti-fideles ibidem in dies erogabantur; Reuerendus Pater Dominus Leonardus de Vicecomitibus, Sanctitatis Veſtræ Notarius, & dicti Monaſterii Commendatarius, tunc Ducis Mediolani & nonnullorum aliorum proborum virorum perſuaſionibus excitatus & inductus, vnam Confratriam, Scholam nuncupatam, nonnullorum Confratrum, Scholarium nuncupatorum, in dicta Capella inſtituit, ſeu ad curam fabricæ dictæ Capellæ deputauit, & cum certis Capitulis & ordinibus, rationibus & honeſtis, fabricam dictæ Capellæ, ac in ea diuini cultus augmentum & conſeruationem concernentibus. Et deinde cùm inter ipſos Leonardum Commendatarium, & deuotos Oratores Veſtros, vniuerſos Confratres ſeu Scholares, vel eorum Syndicos dictæ fabricæ deputatos, ſuper dictis Capitulis & ordinibus, ac diſpenſationibus oblationum prædictarum, & celebrationibus Miſſarum, & aliorum Diuinorum Officiorum in ipſa Capella, quædam contentio ſeu controuerſia exorta fuiſſet; nonnullæ aliæ ordinationes cum interuentione Ducum Mediolanenſium inter eos factæ & ordinatæ fuerint; & inter cætera, quòd adminiſtratio & cura eleemoſinarum & oblationum apud ipſos Scholares remaneret, neque ſuper hac ab ipſo Commendatario impedirentur; ipſe tamen Commendatarius, vt præmiſſa diligentiùs curarentur, & eius ſuperioritas ſeruaretur, ſemel aut ſæpiùs quolibet anno, ſi voluerit videre adminiſtrationem dictorum Scholarium; ipſi Scholares redditionem huiuſmodi ſeu computum adminiſtrationis ſibi oſtendere teneantur: & quòd paramentorum, quæ ad ipſius Capellæ cultum donata ſint, communis vſus Scholaribus & Commendatario prædicto remaneret; vt, ſi dictus Commendatarius ea ſub vna claue per Cuſtodem ſacrorum ſuorum ſeruare voluerit, id ſibi agere permittatur; modò ſemper Scholaribus prædictis liceat ea habere ſine vllo impedimento, cùm illis vti voluerint: & quòd pecunia, quæ pro celebratione Miſſarum offeretur, etiam apud ipſos Scholares permaneat, ipſique onus habeant curandi celebrationem quotidianam decem & octo Miſſarum, computatis illis per quinque Capellanos, per ipſum Philippum Mariam Ducem in ipſa Capella inſtitutos, & per tres alios qui eidem Capellæ inſeruiunt celebrationi: & pro ſingulis Capellanis prædictis vltra quatuor libras monetæ Mediolanenſis quolibet menſe perſoluere non poſſint, & reliquam pecuniam, ſi qua ſuperfuerit, in fabricam dictæ Capellæ & alias res, ad diuinum cultum in ipſa Capella verſas, conuertere poſſint: & quòd dicti Scholares Miſſas & alia Diuina Officia ſolemniter celebrari facere poſſint ad ipſius Beatæ Mariæ laudem & cultum: & hoc ſine præiudicio iurium dicti Monaſterii, ſi quæ in ipſa Capella habet: de quo per certam tunc expreſſam perſonam mandauit cognoſci, prout in eiſdem Ordinationibus deſuper confectis, quarum tenores &c. pleniùs continetur. Cùm autem, Pater Sancte, poſtquàm dicta Confraternitas ſeu Schola in ipſa Capella inſtituta fuit, Capella prædicta in illius ædificiis & ornamentis ad diuinum

A B C D

cultum neceſſarijs ac ad cultum & decorem eiuſdem Capellæ, non parùm aucta A
fuerit: Miſſæquè & alia Diuina Officia in ea frequentiùs celebrentur: concur-
ratquè frequentiùs Chriſti-fidelium multitudo ad ipſam Capellam pro huiuſmo-
di Diuinis Officijs audiendis, tum etiam pro miraculis, quæ interceſſione eiuſ-
dem Beatæ Mariæ Virginis in dies inibi operetur Altiſſimus: & vt ipſa Ca-
pella in huiuſmodi bono ſtatu conſeruetur, immò etiam in dies in ſtatu feliciori
augeatur: & ne ipſi Scholares ſuper pijs & laudabilibus operibus moleſtentur
vllo vnquàm futuro tempore, cupiant ipſi Scholares, inſtitutionem Confrater-
nitatis ſiue Scholæ ac ſtatuta & ordinationes huiuſmodi per Sanctitatem Veſ-
tram Apoſtolica auctoritate approbari & confirmari; Supplicant humiliter
Sanctitati Veſtræ Oratores præfati, quatenùs dictæ Confraternitatis inſtitutio-
nem, necnon prædicta quàm rationabilia & honeſta ac ſacris Canonibus non B
contraria, per ipſos Scholares pro directione & conſeruatione dictæ Confrater-
nitatis & augmento ædificiorum dictæ Capellæ ac diuini cultus in ea augmento
ac fideli diſpenſatione oblationum prædictarum facta ſtatuta & ordinata, Apoſ-
tolica auctoritate approbare & confirmare, ac ſingulos defectus, ſi qui inter-
uenerint in eiſdem, ſupplere dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus Con-
ſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterij & ordinum prædic-
torum iuramento roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſquè contrarijs
quibuſcumque, Cum clauſulis conſuetis & opportunis conceſſum, vt petitur,
in præſentia Domini noſtri Papæ: A. Cardinalis Sanctæ Praxedis, & cum ab-
ſolutione à cenſuris ad effectum & cætera, & cum approbatione ſuppletione de
& pro omnibus prædictis, & quòd Litteræ in forma gratioſa expediantur; C
attento, quòd Confraternitas, de conſenſu dicti Commendatarii inſtituta, &
vltimò ſtatuta & ordinata huiuſmodi etiam de eius conſenſu facta & ordinata
fuerint; & quòd maior ſpecificatio ſingulorum &c. prædictorum, & circa ea
inſerendum fieri; tenoreſquè dictorum Capitulorum & ordinationum exprimi
poſſint in Litteris, conceſſum. A. Cardinalis Sanctæ Praxedis. Dat. Romæ apud
Sanctum Petrum ſeptimo Idus Iunij Anno decimo. Sumptum ex Regiſtro Sup-
plicationum Apoſtolico, collationatum per me Andream Pelluchinum, eiuſdem
Regiſtri Magiſtrum: & ſigillatum &c. in Libro decimo-ſexto, folio ducenteſimo
octuageſimo-quinto.

XX. Cumquè aucta in dies deuotione, ac in formam decentem redacta conſtructione
dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ex Chriſti-fidelium eleemoſinis, Reuerendiſſimo D
Domino Commendatario id permittente, ſolum ac ſitum concedente, ordinemquè
fabricæ vnà cum Scholaribus decernente, idem Reuerendiſſimus Dominus
Commendatarius ſuo ac totius Capituli dictæ Abbatiæ nominibus, ad inſtantiam
ipſorum Scholarium, Anno Milleſimo quingenteſimo-quarto eiſdem aliàs per ip-
ſum in Fabricerios deputatis & electis conceſſerit poſſe per eos quædam ædi-
ficia, tunc exiſtentia ante faciem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, deſtrui, ibiquè por-
tam clauſtrum vnum & alia ædificia conſtrui; pacto, quòd arcus, verſùs Ci-
miterium Eccleſiæ Sancti Celſi conſtruendi, nunquàm claudi ſed ſemper patere
debeant; quòd ſuper ipſis aliqualiter ædificari non poſſit; & quòd materia deſ-
tructionis faciendæ per ipſos Scholares Reuerendiſſimo Domino Commendatario
ſolui,

ſolui, porta alia, murus intermedians dictas portas, aliaquè ædificia ante Eccleſiam Sancti Celſi conſtrui, Capellaquè Sancti Bartholomæi expenſis Fabricæ Sanctæ Mariæ reædificari debeat; cum reſeruatione tamen & ſine præiudicio iurium Abbatiæ; vt ex Inſtrumento die tertio Decembris dicti Anni, rogato per nunc quondàm Dominum Coſmam de Brena, olim Mediolani Notarium. A

XXI. Cùmquè etiam præfatus Reuerendiſsimus Dominus Commendatarius, cum interuentu & conſenſu totius Capituli dictæ Eccleſiæ, concesſerit iure liuellario Dominis Fabricerijs Anno Milleſimo quingenteſimo vndecimo ſitum perticarum ſeptem, tabularum trium, pedum vndecim, & vnciarum duarum, cum quibuſdam ædificijs, contiguum Eccleſiæ Sanctæ Mariæ & alijs bonis Abbatiæ prædictæ, pro conſtruendis in eo habitationibus ad vſum & commodum dictorum Fabriceriorum, & aliorum Officialium, & præſertim aula pro congregando in ea Capitulo; pacto, quòd ſingulo Anno teneantur ſoluere Abbati libras octo, & ſolidos duodecim, pro qualibet pertica, conſtituentes ſummam librarum ſexaginta vnius Imperialium in Anno; quòd non poſsint in dictis bonis Sacellum neque Campanile, ſub pœna caducitatis, ædificare; non ſe congregare in dicta aula ſiue capitulo, niſi priùs vocato Domino Commendatario, aut Priore, aut Procuratore, aut aliquo ex Monachis in dicto Monaſterio degentibus; quòd teneantur ſuis expenſis ſupplicare Sanctiſsimo pro confirmatione huiuſce locationis; & quòd valeant dicta bona affrancare dato æquiualente, in vna vel duabus vicibus; cum alijs pactis; ſine tamen præiudicio iurium Abbatiæ; vt in Inſtrumento, die tertio-decimo Maii dicti Anni rogato per prædictum Dominum Coſmam de Brena, die tertio decimo Maii Milleſimi quingenteſimi vndecimi, ſeu Anno & die in eo contentis, cui digna habeatur relatio. B C

XXII. Cùmquè eodem Anno Milleſimo quingenteſimo vndecimo ſupplicatum fuerit per Dominos Fabricerios pro confirmatione dicti contractus, & per Legatum Apoſtolicum conceſſa fuerit confirmatio; vt in Inſtrumentis, die vigeſimo-tertio Iunii & tertio Iulii rogatis per dictum Dominum Brenam, ſeu Annis & diebus in eis contentis, quibus digna habeatur relatio.

XXIII. Cùmquè nunc quondàm Reuerendiſsimus Dominus Traianus Alicornus, tunc Sanctiſsimi Domini Noſtri Clementis Papæ VII. felicis recordationis Cubiculariùs à ſecretis, cui in Commendam de dicta Abbatia ſub titulo Sanctorum Nazarii & Celſi à Sede Apoſtolica prouiſum fuerat Anno Milleſimo quingenteſimo trigeſimo-quarto, vt aſſeritur, præfatarum ambarum Eccleſiarum Sanctæ Mariæ & Sancti Celſi poſſeſsionem apprehenderit; ipſis tamen Illuſtribus Dominis Deputatis inſcijs; vt in Inſtrumento, die vigeſimo-ſexto Iunii dicti Anni rogato per nunc quondàm D. Franciſcum Boſsium, olim Curiæ Archiepiſcopalis Mediolanenſis Notarium, ſeu Anno & die in eo contentis, cui digna habeatur relatio. D

XXIV. Cùmquè Monachi dictæ Abbatiæ, tanquàm mercenarii, in Eccleſia Sanctæ Mariæ Miſſas ac alia Diuina Officia aliquando celebrarent; vt dicitur apparere ex Proceſſu, confecto die tertio decimo Iulii eiuſdem Anni Milleſimi quingenteſimi trigeſimi-quarti.

XXV. Cumquè præfatus Reuerendiſsimus Traianus Alicornus Abbatiam renunciauerit,

rit, fructus ſibi tamen reſeruando, Illuſtri & Reuerendiſſimo Domino Bartho- A
lomæo Capranicæ, qui ipſius Abbatiæ poſſeſſionem cepit Anno Milleſimo quin-
genteſimo trigeſimo-nono, die prima Ianuarii dicti Anni; vt Inſtrumento rogato
per dictum Dominum Franciſcum Boſſium.

XXVI. *Cùmquè Anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo paramenta dictarum*
Eccleſiarum conſignata fuerint Domino Celſo de Ghiringhellis, Monacho in dicta
Abbatia, tanquàm tunc Cuſtodi Sacriſtiæ Sanctæ Mariæ; vt dicitur apparere
Inſtrumento Inuentarii, die tertio Auguſti dicti Anni, rogato per nunc quondàm
Dominum Nicolaum Vinearcam, olim Mediolani Notarium, ſeu Anno & die
in eo contentis, cui digna habeatur relatis.

XXVII. *Cumquè Anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo-octauo Sanctiſſimus*
Dominus noſter Paulus Papa III. felicis recordationis, de conſenſu & voluntate B
præfati Reuerendiſſimi Traiani Alicorni & Bartholomæi Capranicæ, deputaue-
rit in dicta Abbatia ſeu Monaſterio Canonicos Regulares Ordinis Sancti Auguſ-
tini, Congregationis Sancti Saluatoris, ad perpetuò in eo degendum, & eidem
Eccleſiæ ſeruiendum; ita quòd, decedentibus Monachis præfatis, Canonici ipſi
ſuccederent, cum quadam Menſæ aſſignatione, eiſdem per Commendatarium ex
redditibus ipſius Abbatiæ quotannis ſoluenda; vt in Bulla ſub Dat. Romæ die
tertio-decimo Martii dicti Anni.

XXVIII. *Cùmquè in dubium verteretur, an in præfata conceſſione Eccleſia Sanctæ*
Mariæ comprehenſa intelligeretur; Sanctiſſimus Dominus noſter Iulius Papa
III. felicis recordationis Anno Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo declara-
uit per præfatas Litteras Pauli III. non ſolùm Eccleſiam & ædes Monaſterii C
Sancti Celſi ad præfatos Canonicos Regulares Sancti Celſi, ſed etiam iura ſpi-
ritualia in eodem Monaſterio, & in Eccleſia Sanctæ Mariæ contigua, & in aliis
Eccleſiis & Capellis ab eo dependentibus, pertinere; vt in Bulla ſub Dat. Romæ
die xxij. Ianuarii dicti Anni.

XXIX. *Cùmquè ſuper prætenſo ſpolio Reuerendiſſimus Commendatarius Capranica*
litem contra dictos Dominos Fabricerios intentauerit coram Reuerendo Domino
Ioanne Franciſco Sormanno, Conſeruatore Apoſtolico, ſuper qua nonnulla Acta
facta fuere, donec per Senatum Excellentiſſimum Mediolani ad relationem Il-
luſtris Senatoris Domini Galeatii Brugoræ ordinatum fuerit, dicendum eſſe dicto
Sormanno, quòd in hac cauſa vlteriùs non procederet, inconſulto Senatu, &
Fiſco monito; quia tractabatur de iurepatronatus Illuſtriſſimi Ducis Mediolani; D
vt conſtat in Supplicatione, per Dominos Fabricerios porrecta die decimo-ſepti-
mo Maii, Milleſimi quingenteſimi ſexageſimi primi, cui digna habeatur rela-
tio: quæ Cauſa poſtea remanſit deſerta.

XXX. *Cùmquè electio Illuſtr. Dominorum Fabriceriorum per ipſoſmet facta fuerit, &*
omnia per ipſos ſolos ſemper adminiſtrata fuerint quietè & pacificè, & abinde
citra adminiſtrentur, paramentaquè & iocalia penes ſe cuſtodierint.

XXXI. *Cumquè arcus verſùs Cimiterium Sancti Celſi clauſi fuerint: & omnia de-*
mùm in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ ad arbitrium & voluntatem tantùm
ipſorum Illuſtr. Dominorum Fabriceriorum diſpoſita fuerint, & diſponantur.

XXXII. *Cùmquè præfati Reuerendi Domini Canonici Regulares aliquot poſt Annos*

eaſdem

eaſdem prætenſiones, à Reuerendiſsimo Abbate aliàs vt ſupra motas, extra- A
iudicialiter renouarint: quibus ex parte Illuſtr. Fabriceriorum multa in contra-
rium allegabantur, & præſertim obſtare longiſsimam & fortè immemorabilem
poſſeſsionem, ipſoſquè Monachos ad Diuina exercenda in ipſa Eccleſia Sanctæ
Mariæ non iure proprio ſed mercenario introductos tunc fuiſſe, & ideò etiam
iam longo tempore remotos, poſſeſsioneſquè Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ab Abbate
clam apprehenſas, arcus publicè ac palam nemineque contradicente clauſos, præ-
tenſioneſquè & iura omnia, ſi qua dictæ Abbatiæ competere poſſent, iam præ-
ſcripta fuiſſe; tandem, ne inter partes lis ac immortalis diſcordia remaneret,
omnes ipſæ partes ſe remiſerint iudicio Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi tunc
Cardinalis Borromæi Tituli Sanctæ Praxedis, & Mediolani Archiepiſcopi,
ſanctæ memoriæ; qui, partibus pluries auditis, & earum iuribus viſis, eas B
compoſuit in ſequentem formam; & ideò pro executione iam ordinatorum per
ipſum Illuſtriſsimum Cardinalem decreuerunt ad infraſcripta deuenire.

XXXIII. *Hinc eſt, quòd Magnificus Dominus Ioannes Lucas de Meda, filius quon-*
dàm Nobilis Domini Iacobi, Portæ Ticinenſis, Parochiæ Sancti Michaelis ad Clu-
ſam Mediolani, Procurator ſpecialis, & eo nomine multùm Illuſtris & Re-
uerendiſsimi D. Pauli Capranicæ, Abbatis & Commendatarii præfatæ Commen-
dæ ſeu Abbatiæ Sancti Celſi Mediolani, ac ratione & nomine dictæ eius Com-
mendæ ſeu Abbatiæ, vt dixit conſtare Inſtrumento eius mandati ſpecialis, ro-
gato per Spectabilem Dominum Proſperum Campanum, Archiuii Romanæ Cu-
riæ Scriptorem, & Notarium Romanum, die vigeſimo-quarto Auguſti proximè
præteriti: Illuſtris Dominus Ioannes Baptiſta Puteobonellus, filius quondàm Il- C
luſtris Domini Camilli, Portæ Ticinenſis, Parochiæ Sancti Georgii in Palatio Me-
diolani, Prior dictæ Venerandæ Fabricæ: multùm Illuſtris Comes Ioannes Bap-
tiſta Borromæus, fil. quon. multùm Illuſt. Comitis ac Cæſarei Senatoris Domini
Camilli, Portæ Nouæ, Parochiæ Sancti Martini ad Nuxigiam Mediolani: &
Illuſt. Dominus Carolus Archintus, filius quondàm Illuſt. I. C. & Quæſtoris
Regij & Ducalis Domini Alexandri, Portæ Orientalis, Parochiæ Sancti Ra-
phaelis Mediolani: ex Illuſtribus Dominis Deputatis dictæ Fabricæ, & vti
Procuratores ſpeciales conſtituti per Venerandam Capitulum ipſius Fabricæ, vt
dixerunt, Inſtrumento rogato per me Notarium infraſcriptum die quarto-deci-
mo Octobris proximè præteriti. Item conuocatis & congregatis multùm Reue-
rendo Patre, & Reuerendis Canonicis Monaſterii Sancti Celſi Mediolani, in D
eorum loco Capitulari, ſito vt infra, de mandato & impoſitione multùm Re-
uerendi Domini Don Valentini Fini, Prioris præfati Monaſterii, ſono campa-
nellæ præmiſſo. In qua quidem conuocatione & congregatione aderant fuerunt
& ſunt præfatus Reuerendus *Prior, & cum eo & penes eum infraſcripti in-*
ferius nominati, videlicet: Reuerendus Don Coſmas Bononienſis Vicarius, Don
Apollonius Mantuanus, Don Auguſtinus Mantuanus, Don Lepidus Romanus,
Don Iulius Mantuanus, omnes Canonici dicti Monaſterii, facientes & repræ-
ſentantes maiorem & ſaniorem partem dictorum Reuerendorum Dominorum
Canonicorum, necnon & duas partes ex tribus ipſorum Reuerendorum Domi-
norum Canonicorum, prout dixerunt & proteſtati fuerunt, ac dicunt & præ-
teſtantur,

teſtantur, ſuis nominibus propriis, & item nomine aliorum Reuerendorum Dominorum Canonicorum prædicti eorum Monaſterii abſentium, vel infirmorum, ſi qui ſunt, pro quibus promiſerunt de rato, & de ratificari faciendo præſens Inſtrumentum; & omnia ac ſingula in eo contenta, ad omnem præfatorum Illuſt. Dominorum Deputatorum requiſitionem, renunciando promiſsioni facti alieni: & ſcientes promittere factum alienum; nihilominùs volunt de illorum proprio teneri, & obligatos eſſe, etiam ſub refectione omnium expenſarum, damnorum, & intereſſe litis, & extra parte alia, etiam in executione auctoritatis ſibi conceſſæ à Congregatione prædicta, & ipſis Superioribus tenoris huiuſmodi, videlicet. A

XXXIV. In Chriſti nomine, Amen. Anno Natiuitatis eiuſdem Milleſimo quingenteſimo octuageſimo-quarto, Indictione duodecima, die verò vigeſima-ſeptima menſis Aprilis, tempore Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini Gregorii Tertii-decimi, diuina prouidentia Summi Pontificis, conuocato & in vnum capitulariter legitimè congregato Reuer. Capitulo Generali Reueren. Patrum, Dominorum Prioris Generalis, Diffinitorum, Viſitatorum, Præpoſitorum, Abbatum, & Priorum, vnà cum eorum reſpectiuè Diſcretis, Venerabilium Dominorum Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini Congregationis Diui Saluatoris, in Ciuitate Bononiæ, in Monaſterio Sancti Saluatoris, in ſala magna veteri ſuperiori Monaſterii prædicti, loco ſolitæ Capitularis Congregationis Reuer. Capituli Generalis prædicti, pro tractando & expediendo Generale Capitulum prædictum, & illius negotia Capitularia, de mandato Reuerendiſsimi in Chriſto Patris & Domini Auguſtini Igubini, noui Prioris Generalis Ordinis & Congregationis prædictorum, ſono campanellæ de more præmiſſo, & ſeruatis ſeruandis de iure & ex forma Conſtitutionum Congregationis prædictæ. In qua Capitulari Congregatione Generali interuenerunt infraſcripti Reuer. Patres: videlicet prælibatus Reuerendiſsimus in Chriſto Pater Dominus Auguſtinus Igubinus nouus Prior Generalis meritiſsimus antedictus, Reuerendus Dominus Conſtantius Vrbeuetanus, Reuerendus Dominus Nicolaus Venetus, Reuerendus Dominus Bernardinus Mantuanus, Reuerendus Dominus Auguſtinus Mirandulanus, omnes quatuor Viſitatores & Diffinitores Capituli prædicti: Reuerendus Dominus Dionyſius Bononienſis, Reuerendus Dominus Lelius Brixius, Reuerendus Dominus Pius Mirandulanus, & Reuerendus Dominus Ioannes Baptiſta Ferrarienſis, omnes quatuor Viſitatores nouiter electi Congregationis prædictæ: Reuerendus Dominus Raphael Centanus Prior Generalis præceſſor, Dominus Blaſius Bononienſis, Diſcretus ſupraſcripti Reuerendi Domini Dionyſij Bononienſis, aliàs Prioris Sancti Saluatoris de Bononia, & nunc, vt ſupra Viſitatoris: Reuerendus Dominus Frigdianus Venetus Prior Sancti Saluatoris Venetiarum, Dominus Vincentius Venetus Diſcretus, Reuerendus Dominus Felix Igubinus Prior Sancti Ambroſii de Vgubio, Dominus Raphael Igubinus Diſcretus, Reuerendus Dominus Hieronymus Igubinus Prior Sancti Secundi de Vgubio, Dominus Chriſtophorus Igubinus Diſcretus, Reuerendus Dominus Fauſtinus Florentinus Prior Sancti Iacobi de Florentia, Dominus Sebaſtianus Florentinus Diſcretus, Reuerendus Dominus Federicus B C D

Mantuanus

Mantuanus Abbas Sancti Sebaſtiani de Mantua, Dominus Robertus Mantuanus A
Diſcretus, Reuerendus Dominus Ioannes Rauennatenſis Abbas Sancti Ioannis Euangeliſtæ de Chauena, Dominus Fabianus Rauennatenſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Romanus à Ciutella Prior Sanctæ Mariæ de Sens, Dominus Iacobus Antonius Fauenſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Theodorus Brixius Prior Sanctæ Mariæ de Taruiſio, Dominus Horatius Brixius Diſcretus, Reuerendus Dominus Gabriel Taruiſinus Prior Sanctæ Mariæ Inſularum, Dominus Gaudentius Brixius Diſcretus, Dominus Cornelius Brixius, Diſcretus Reuerendi Domini Lelij Brixii aliàs Abbatis Sancti Michaëlis de Candiana, & nunc vt ſupra Viſitatoris, Reuerendus Dominus Angelus Venetus Prior Sancti Antonii Venetiarum, Dominus Fauſtinus Venetus Diſcretus, Reuerendus Dominus Damianus Mirandulanus Prior Sanctæ Mariæ de Peruſio, Do- B
minus Fuluius Mirandulanus Diſcretus, Reuerendus Dominus Ioannes Albertus Filanenſis Præpoſitus Sancti Marci de Veggio, Dominus Marcilianus Bononienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Ioannes Iacobus Bononienſis Prior Sanctæ Agathæ de Vrbino, Dominus Aurelius Bononienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Ioannes Paulus Vrbinus Prior Sanctæ Mariæ de Ferraria, Dominus Georgius Ferrarienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Fabianus Bononienſis Prior Sanctæ Mariæ de Fornouio, Dominus Felix Bononienſis Diſcretus, Dominus Ludouicus Ferrarienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Ioannes Baptiſta Ferrarienſis aliàs Abbas Sancti Paterniani de Fano, & nunc vt ſupra Viſitator: Reuerendus Dominus Marcilianus Romanus Prior Sancti Ioannis Baptiſtæ à Sancto Archangelo, Dominus Paternianus à Ceraſia Diſcretus, Do- C
minus Bartholomæus Igubinus, Diſcretus Reuerendi Domini Pii Mirandulani aliàs Prioris Sancti Petri de Cerlio, & nunc vt ſupra Viſitatoris: Reuerendus Dominus Georgius Mantuanus, Prior Sanctæ Mariæ Incoronatæ de Ianua: Dominus Ioannes Griſoſtinus Mantuanus, Diſcretus: Reuerendus Dominus Patricius Brixius Præpoſitus Sancti Ioannis Euangeliſtæ de Brixia: Dominus Baſilius Brixius, Diſcretus: Reuerendus Dominus Angelus Igubinus, Prior Sanctæ Mariæ de Cortona: Dominus Vbaldus à Sigillo, Diſcretus: Dominus Angelicus Peruſinus, Diſcretus ſupraſcripti Reuerendiſsimi Domini Auguſtini Igubini, aliàs Prioris Sancti Petri ad Vincula de Vrbe, & nunc vt ſupra Prioris Generalis totius Congregationis prædictæ: Reuerendus Dominus Ioannes Paulus Bononienſis Præpoſitus Sanctæ Euſemiæ de Placentia, Dominus Cherubinus D
Bononienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Sebaſtianus à Cento Prior Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Mirandula, Dominus Ioannes Franciſcus Mirandulanus Diſcretus, Reuerendus Dominus Laurentius Vrbeuetanus Prior Sancti Ioannis Euangeliſtæ de Vrbe Veteri, Dominus Felix Caſtillionenſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Archangelus Placentinus Prior Sancti Ioannis in Gualdo, Dominus Ioannes Euangeliſta Vrbeuetanus Diſcretus, Reuerendus Dominus Alphonſus Ferrarienſis Prior Sancti Hieronymi de Mutina, Dominus Andreas Cento Diſcretus, Reuerendus Dominus Laurentius Bononienſis Prior Sanctæ Mariæ de Luca, Dominus Angelus Bononienſis Prior Sancti Laurentii extra muros Vrbis, Dominus Aluiſius Finalenſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Ioannes

Albertus Bononienſis Prior Sancti Angeli extra Lucam, Dominus Frigdianus Bononienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Conſtantinus Mirandulanus Prior Sancti Auguſtini de Nicoſia, Dominus Iulius Mirandulanus Diſcretus, Reuerendus Dominus Conſtantius Bononienſis Prior Sancti Annelli de Neapoli, Dominus Gabriel Mirandulanus Diſcretus, Reuerendus Dominus Ioannes Albertus Lucenſis Prior Sanctæ Mariæ de Capellis, Dominus Ioannes Griſoſtinus Regienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Marcus Antonius Bononienſis Prior Sancti Celſi de Mediolano, Dominus Coſmas Bononienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Thomas à Sabloneta Abbas Sanctæ Cæciliæ de Cornaria, Dominus Iulius Bononienſis Diſcretus, Reuerendus Dominus Saluator Venetus Prior Sancti Antonii de Patauio, Dominus Iulius Venetus Diſcretus, Reuerendus Dominus Auguſtinus Ferrarienſis Procurator in Romana Curia: omnes Canonici B *Regulares profeſſi Ordinis & Congregationis prædictorum, vocaleſquè & vocem habentes in dicto Capitulo Generali, & repræſentantes totum Capitulum Generale prædictum & ipſam eorum Congregationem, tam ex forma Sacrorum Canonum & Conſtitutionum eorum Congregationis prædictæ, quàm ex antiqua etiam diu inter eos & eorum in dicta Congregatione præceſſores inueterata obſeruata & præſcripta conſuetudine; cùm fuerint & ſint omnes Præpoſiti Abbates & Priores Monaſteriorum & aliorum Locorum Ordinis & Congregationis prædictorum, vnà cum eorum reſpectiuè Diſcretis. Quibus omnibus ſic Capitulariter congregatis, & totum Venerabile Capitulum Generale repræſentantibus, vt ſupra audientibus, & vt apparuit intelligentibus, audito, & per ſupraſcriptos Reueren. Patres D. Conſtantium Bononienſem, D. Fauſtinum Florentinum,* C *& D. Auguſtinum Ferrarien. ab ipſo Reuer. Capitulo Generali electos & deputatos in Iudices ſuper reuiſione Contractuum & Inſtrumentorum, in Capitulo præſentatorum, & ab ipſo Capitulo approbandorum, expoſito & deducto totali tenore effectu & continentia Inſtrumenti tertij, & vltimi Tractatus facti & expediti per Reuer. Dominos Priorem & Canonicos Monaſterij Sancti Celſi de Mediolano ſuper Tranſactione & Compoſitione fienda inter ipſos Dominos Canonicos & eorum Monaſterium prædictum Sancti Celſi ex vna, & res bona & iura Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Sancti Celſi ſiue eiuſdem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Dominos Agentes & Deputatos partibus ex alia, ſuper eo quòd (accedente tamen beneplacito Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, atque conſenſu & voluntate Capituli Generalis Congregationis prædictæ) fiat diuiſio & ſegregatio ab omni* D *vnione & vinculo corporatione & nexu, quam & quem ipſi D. Canonici habuerunt, vel quoquomodo habere prætendunt cum dicta Eccleſia S. Mariæ, non ſecùs ac ſi vnquàm inter ipſas Eccleſias vel inter ipſos Dominos Canonicos & Dominos Deputatos & Agentes vt ſupra nulla vnio ius nec aliquid aliud dependens quoquomodo in ea eſſet; his pactis & conditionibus; quòd dicta Eccleſia Sancta Mariæ, quòd Domini Agentes & Deputati illius pro ea teneantur de & ex bonis Fabricæ ſiue Eccleſiæ Sanctæ Mariæ prædictæ abdicare ſummam librarum mille ducentum Imperialium ſingulo Anno, ſoluendam dicto Monaſterio Sancti Celſi & Dominis Canonicis illius; & ſummam huiuſmodi taliter applicare Monaſterio & Canonicis prædictis, vt valeant, omni exceptione*

remota,

remota, in perpetuum annuatim illam exigere & conſequi; necnon & quòd A
dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ & illius Domini Agentes & Deputati pro ea te-
neantur tradere eidem Monaſterio & ſuis Canonicis prædictis de paramentis
exiſtentibus in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ illam quantitatem, quæ declarabi-
tur per Illuſtriſsimum D. Cardinalem & Archiepiſcopum dictæ Ciuitatis Me-
diolani; atque ſucceſsiuè quòd dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ & illius Domini
Agentes & Deputati non poſsint impediri à dictis Dominis Canonicis, quin
paries conſtruendus & iam cœptus circumcirca Capellam Maiorem dictæ Eccleſiæ
Sanctæ Mariæ pro ornatu & tuitione eiuſdem Capellæ liberè ad debitam per-
fectionem reducatur; eo tamen intellecto, & non aliter, quòd locus & ſitus
exiſtens poſt Capellam Maiorem ſuæ Eccleſiæ Sancti Celſi liber remaneat ipſis
Reuer. Dominis Canonicis, vt & ipſi dictam Capellam Maiorem ſuæ Eccleſiæ B
Sancti Celſi ampliare reædificare & conſtruere poſsint vnà cum Choro ad eo-
rum beneplacitum, omni exceptione remota; dicti verò Domini Agentes &
Deputati pro occupatione terreni circa dictam Capellam Maiorem Eccleſiæ Sanctæ
Mariæ pro conſtructione parietis, de quo ſupra, prædictis Dominis Canonicis
illam ſatisfactionem reddere teneantur, quæ præfato Illuſtriſsimo D. Cardinali
Archiepiſcopo viſa fuerit: quem Illuſtriſsimum D. Cardinalem præfati D. Canonici
deprecati fuerunt, vt dignetur in hac parte, quaſi eorum ſpecialis interceſſor,
ſupplicem libellum porrigi facere Sanctiſsimo Domino Noſtro ſuper Confirmatione
contentorum in huiuſmodi Inſtrumento: cui Illuſtriſ. D. Cardinali tribuerunt
omnimodam facultatem in prædictis taliter, quòd poſsit circa dictam Confir-
mationem obtinendam ea omnia fieri facere, prout ipſi Domini Canonici facere C
poſſent, ſi præſentes adeſſent, etiam quòd mandatum magis ſpeciale exigeretur,
& latius & plenius; prout in Inſtrumento tertii & vltimi Tractatus, inter
prædictos Dominos Canonicos Monaſterij prædicti Sancti Celſi expediti, ſcripto
& rogato, vt apparuit, per D. Cæſarem Guidam, Notarium Mediolanen. ſub
die nono præſentis menſis Aprilis conſtat & apparet. Viſo namque ipſo Inſtru-
mento, & ſuperinde inter eos habita diligenti informatione & cognitione, prout
aſſeruerunt, ſponte & ex certa eorum & cuiuslibet ipſorum ſcientia animoquè
deliberato, & nullo iuris vel facti errore ducti, per ſe & eorum in dicta
Congregatione ſucceſſores vnanimiter & concorditer, nemine eorum diſſentiente,
omni meliori modo, quo de iure fieri potuit & poteſt, ad petitionem & inſtan-
tiam, tam dictorum Reueren. Dominorum Canonicorum Monaſterii Sancti D
Celſi, quàm Dominorum Agentium & Deputatorum Eccleſiæ prædictæ Sanctæ
Mariæ abſentium, & ſupraſcripti Reuer. D. Marci Antonii Bononienſis Prioris
Monaſterii prædicti, ac mei Notarii infraſcripti vti publicæ perſonæ, præſen-
tium, & vice & nominibus dictorum Dominorum Canonicorum Monaſterij
prædicti, ac Dominorum Agentium & Aſſumptorum ac Deputatorum prædicto-
rum dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, & illorum ſucceſſorum, necnon omnium &
ſingulorum aliorum, quorum intereſt intererit aut intereſſe poterit quomodolibet
in futurum, ſtipulantium & acceptantium dictum Inſtrumentum Tractatus
prædicti, necnon & Inſtrumenta aliorum duorum præcedentium Tractatuum
inter dictos Dominos Canonicos, vt præmiſſum eſt, ſuper præmiſsis celebrato-

rum, & omnia & ſingula in ipſis contenta, auctoritate dicti eorum Capituli A
Generalis ratificarunt, approbarunt, & emologarunt, ac ratihabitione confir-
marunt: necnon vltra prædicta (accedente tamen aſſenſu & beneplacito Sanctæ
Sedis Apoſtolicæ, de quo ſupra, & non aliter nec alio modo, prout ſic expreſsè
declararunt & poteſtati fuerunt) licentiam & facultatem tribuerunt & con-
ceſſerunt prædictis Dominis, Dominis Priori et Canonicis Monaſterii prædicti Sancti
Celſi, deueniendi ad celebrationem Inſtrumenti Tranſactionis & Compoſitionis
ſuper diuiſione & ſegregatione, de quibus in dictis Tractatis, eo modo &
forma pactis conuentionibus, & aliis in eiſdem Tractatis enunciatis & ex-
preſsis: & ſuper iis omnibus, & ſingulis eorum, & dicti Capituli Generalis
auctoritatem, aſſenſum & confirmationem adhibuerunt & præſtiterunt: etiam
quòd in præmiſsis & circa ea non interueniſſent nec eſſent ſolemnitates de Iure B
requiſitæ: ſupplentes omnes & quoſcumquè defectus, ſi qui quomodolibet in
prædictis & circa ea interueniſſent & eſſent; hac tamen declaratione & con-
uentione adiecta in euentum, in quem, quòd, facta & ſubſecuta dicta Tran-
ſactione & Compoſitione ſuper ſeparatione & ſegregatione prædictis, dicta Ec-
cleſia Sanctæ Mariæ, ſeu illius Domini Agentes & Deputati, aut alii ad quos
ſpectat ſeu in futurum ſpectabit, ceſſarent in ſolutione annua dictarum libra-
rum mille ducentarum Imper. dicto Monaſterio S. Celſi, & ſeu Dominis Cano-
nicis illius, quòd præſens approbatio & licentia atquè Inſtrumentum Tranſac-
tionis & Compoſitionis huiuſmodi ſic ſuper dicta diuiſione & ſegregatione fien-
da corruant, & nullius effectus roboris vel emolumenti eſſe intelligantur, per-
inde ac ſi facta non eſſent: & quam præſe.tem declarationem & conuentionem C
prædicti Reuerendiſs. D. Prior Generalis & alii ſupranominati in prædicto In-
ſtrumento Tranſactionis ſic celebrando inſeri & deſcribi mandarunt: & præ-
dicta omnia omni meliori modo, vt ſupra. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta
promiſerunt prædicti Reuerendiſs. D. Prior Generalis, Reuer. D. Diſſinitores,
Viſitatores, & omnes alii ſupranominati per ſe & eorum in dicta Congrega-
tione ſucceſſores prædi.tis Reuer. D. Canonicis Monaſterij prædicti Sancti Celſi,
& Dominis Agentibus & Deputatis Eccleſiæ prædictæ S. Mariæ abſentibus, &
præſ. Reu. D. Marco Antonio Priori, & mihi Notario, vt ſupra, ſtipulantibus,
perpetuò firma & rata habere, tenere, attendere, obſeruare, & in nullo con-
trafacere, vel venire, in iudicio ſiue extra, ſub conſimili pœna, ſeu pœnis,
de quibus conuentum fuerit in prædicto Inſtrumento Tranſactionis, cum pro- D
miſsione refectionis damnorum expenſarum & intereſſe litis, & extra. In-
ſuperquè pro præmiſsis omnibus firmiter obſeruandis & efficaciter adimplendis
obligauerunt & hypothecauerunt prædictis Reueren. D. Canonicis, & D. Agen-
tibus & Deputatis, reſpectiuè, abſentibus, & præfato R. D. Marco Antonio
Priori, & mihi Notario prædicto, ſtipulantibus, vt ſupra, & acceptantibus,
ſe Reuer. Dominos Priorem Generalem, Diſſinitores, Viſitatores, Prælatos eo-
rum Diſcretos, & illorum in Congregatione prædicta ſucceſſores, ac dictam
Congregationem, & illius bona quæcumque præſentia & futura, cuiuſcumque
conditionis, & vbique poſita & confinata, cum pleno pacto & viribus pacti
precarij, in forma & ſecundùm formam iuris & prouiſionum Communis Bo-
noniæ:

Digitized by Google

noniæ. Renunciantes cuicumque exceptioni, atque omni legum iuris & vſus A
auxilio: iurantesquè in & ſuper eorum & cuiuslibet ipſorum pectus & con-
ſcientiam, manu pectori appoſita, prædicta omnia & ſingula vera fuiſſe &
eſſe, eaquè perpetuò obſeruare, & contra prædicta vel eorum aliquod non ve-
nire, in iudicio nec extra. Rogantes prædicti Reuer. D. Prior Generalis &
alij pranomiuati me Notarium infraſcriptum, vt de præmiſsis publicum confi-
ciam Inſtrumentum. Acta fuerunt prædicta Bononiæ in Monaſterio & loco, de
quibus ſupra; præſentibus ibidem Petro, filio Sanctis, detto Maſſuro, Diœceſis
Arimi.enſis: Vincentio, filio Ioannis Petri Gagliardi de Caglio: Santino quon-
dam Perutij de Tranonta, Diœceſis Lucenſis: Philippo, filio Federici de Romanis
de Foglia, Diœceſis Vrbini: & Laurentio quon. Andreæ de Peracinis de Pla-
centia: omnibus familiaribus reſpectiuè prædictorum Reuer. Dominorum Cano- B
nicorum, Teſtibus omnibus ad præmiſſa adhibitis, vocatis, & rogatis. Sub-
ſcriptum cum Signo Tabellionatus, Ego Achilles Panzachius, olim Egregii Viri
Domini Nicolai filius, Bononien. Ciuis, publicus Apoſtolica Imperiali & Com-
munis Bononiæ auctoritatibus Notarius, prædictis omnibus & ſingulis, dum ſic
vt præmittitur agerentur & fierent, vnà cum prænominatis Teſtibus interfui,
& de eis rogatus publicè ſcripſi, & in hanc publicam & autenticam formam
redegi. In quorum fidem hic me ſubſcripſi, & Signum meum ſolitum & con-
ſuetum appoſui. Cunctis atteſtamur nos Corrector & Conſules Collegij Nota-
riorum Ciuitatis Bononiæ, ſupraſcriptum D. Achillem fuiſſe & eſſe publicum
legalem ac fidedignum Notarium Bononienſem, in Collegioquè noſtro legitimè
aggregatum, eiuſquè rogitibus vbique plenam fidem adhiberi, harum teſti- C
monio Litterarum, Sigillo noſtro munitarum. Dat. Bononiæ die ſecunda menſis
Maii, Anni Milleſimi quingenteſimi octuageſimi-quarti. Subſcriptæ, Achilles
Mandinus, Collegij Notar. mandato &c. & ſigillatæ. 1584. trigeſimo Aprilis
præſentatum mihi ſocio domini Superſtitis Regiſtri Bononiæ. Ioannes Ioſeph de
Canonicis. Ego Iulius Cæſar Faſaninus, Notarius, Officio Regiſtri Bononiæ pro
præſenti Anno 1584. legitimè deputatus, ſupraſcriptum Inſtrumentum in meo
autentico Regiſtro ſcripſi, & regiſtraui, & cum dicto Regiſtro ſolemniter auſ-
cultaui cum recitato Notario, & concordare inueni: & in præmiſſorum fidem
me ſubſcripſi. Ita eſt: Aſtorgius Macinella, dicti Officii Regiſtri Notarius.
In quorum fidem &c.

XXXV. *Nos, Don Ambroſius Morandus Bononienſis, Prior Generalis Reuer. Con-* D
gregationis Canonicorum Regularium Sancti Saluatoris, Ordinis S. Auguſtini,
habita olim notitia, & ad plenum informati de differentiis & prætenſionibus,
vertentibus inter Reuer. D. Abbatem ſeu Commendatarium Abbatiæ SS. Na-
zarij & Celſi Mediolanen. & noſtros Canonicos Regulares, in Monaſterio dictæ
Eccleſiæ SS. Nazarij & Celſi reſidentes, ex vna: & Illuſt. Dominos Scho-
lares, Fabricerios ac Deputatos etiam appellatos Vener. Scholæ Eccleſiæ Beatiſs.
Mariæ, propè dictam Eccleſiam SS. Nazarij & Celſi exiſtentis, & ipſam
Scholam Nobilium nuncupatam, partibus ex altera, ex pluribus cauſis & ca-
pitibus prætenſis hinc inde: & qualiter per Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Car-
dinalem Borromeum nuncupatum, dum viueret, Archiepiſcopum Mediolani,

bona

bonæ memoriæ, dictæ differentiæ atque prætenſiones compoſita fuerunt: in cuius A
D. Cardinalis Compoſitionis Laudi ſeu Decreti executionem tractata & concluſa
fuit perpetua Concordia & Tranſactio inter ipſas partes: & habentes etiam
notitiam de Reſcripto Sanctiſs. D. N. Papæ, nuper emanato, in quo commiſſum
fuit Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Archiepiſcopo Mediolani, vt, ſumpta dili-
genti informatione, partibus ad Concordiam prædictam deueniendi & quæcum-
que Inſtrumenta celebrandi facultatem & licentiam impartiatur, & illa cum
inde ſecutis quibuſcumquè approbet & confirmet: ad quod Reſcriptum relatio
habeatur. Viſo etiam Inſtrumento publico mandati per Illuſt. & Reuerendiſs.
D. Paulum Capranicum, Abbatem ſeu Commendatarium dictæ Abbatiæ SS.
Celſi & Nazarii, die vigeſimo-quarto huius, facti in perſonam Magnif. D.
Ioannis Lucæ Medæ, ad concordandum & tranſigendum ſuper præmiſsis, cum B
inſertione formæ Inſtrumenti Concordiæ, vt latius patere vidi ex ipſo Inſtru-
mento per Magnif. D. Proſperum Campanum, Archiuii Roman. Curiæ Scriptorem,
Notarium publicum, celebrato: & denique de tota cauſa & toto negotio plenè
informati, cupientes amputare lites, controuerſiarum occaſionem, atque graui-
bus litium diſpendiis & incommodis obuiare, ac ſimul tranquillitati & quieti
Canonicorum, in dicto Monaſterio SS. Nazarii & Celſi nunc & pro tempore
commorantium, & ſucceſſorum illorum, quantam poſſumus Deo dante, proſpi-
cere, vt quieto animo Diuinis incumbere valeant: conſiderantes, qualiter
dictæ differentiæ ac lites per Illuſtriſs. D. Cardinalem Borromæum piè ac pru-
denter compoſitæ fuere; meritò perpetuam Concordiam, Tranſactionem, con-
uentiones tractatus & maturè concluſas inter ipſas partes, ad optatum finem C
deducendas eſſe cenſemus. Propterea dilectis noſtris in Chriſto, Priori & Ca-
nonicis dicti Monaſterij S. Celſi Mediolani, per has patentes Litteras, quan-
tum nobis licet, auctoritate noſtri officii liberam facultatem & plenam auctori-
tatem concedimus & impartimur dictam perpetuam Tranſactionem & Concor-
diam cum Illuſtribus Dominis Deputatis Fabricerijs & Scholaribus Vener.
Scholæ & Eccleſiæ Diuæ Mariæ, propè dictam Eccleſiam S. Celſi Mediolan. &
ipſa Eccleſia & Schola, & quibus opus fuerit, effectuandi, & Inſtrumenta
opportuna celebrandi, & celebrari faciendi, cum pactis & modis tractatis &
concluſis, vel prout ipſis Priori & Canonicis videbitur expedire; cum renun-
ciationibus, ceſsionibus iurium, obligationibus, & alijs opportunis cautelis de-
ſuper conuentis, ſeu conueniendis; ſaluo & reſeruato aſſenſu Apoſtolico, obtento D
ſeu obtinendo. Quam Concordiam Tranſactionem & Conuentiones ex nunc,
prout ex tunc, & è contra, quando factæ fuerint, omni meliori modo, quo
poſſumus & nobis licet, pleniſsimè confirmamus & approbamus. In quorum
fidem &c. Dat. Romæ in Monaſterio S. Petri ad Vincula, modò reſidentia
noſtra, die vigeſimo quinto menſis Auguſti, Milleſimo quingenteſimo nonageſi-
mo. Signatum D. Ambroſius Morandus, Prior Generalis: & ſigillat. &c.

XXXVI. *Et præcedentibus tribus Tractatibus, rogatis per Spect. D. Cæſarem de*
Guidis, Mediolani Notarium, tenoris huiuſmodi: videlicet. In Nomine Do-
mini, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem Milleſimo quingenteſimo octuageſi-
mo-quarto, Indictione duodecima, die Lunæ, nono menſis Aprilis, Pontificatus

Sanctiſsimi

Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D. N. Gregorii diuina prouidentia Papæ XIII. Anno duodecimo. Conuocatis & congregatis M. Reuer. DD. Priore & Canonicis Regularibus Congregationis S. Saluatoris, Ordinis S. Auguſtini, reſidentibus in eorum Canonicali Eccleſia Diui Celſi extra Portam Ludouicam Mediolani, & in loco capitulari, vbi ſolent ſe aggregare, ſito in dicto Monaſterio, de mandato & impoſitione M. Reueren. D. Don Marci Antonij de Bononia, Prioris dicti Monaſterii, ſono campanæ præmiſſo iuxta ſolitum, pro infraſcriptis negotijs peragendis: in qua quidem Congregatione aderant fuerunt & ſunt infraſcripti M. Reu. Canonici: videlicet dictus Don Marcus Antonius Bononienſis Prior, & cum eo & penes eum Domini, Don Ioannes Iacobus de Bononia Vicarius, Don Coſmas de Bononia, Don Florianus de Mirandola, Don Clemens de Placentia, Don Ioannes Maria de Brixia, & Don Octauianus de B *Bononia, omnes Canonici Regulares & Profeſsi, in dicto Monaſterio Conuentuali Sancti Celſi reſidentes, & totum Capitulum repræſentantes, vnanimes & concordes, & nemine eorum diſcrepante: & propoſito in hoc tertio Tractatu, prout in primo & ſecundo Tractatu, ſicuti ratione prætenſionis, quam dicti M. Reu. Canonici habuerunt & habent nomine dicti eorum Monaſterii contra bona res & iura Eccleſiæ Diuæ Mariæ Sancti Celſi, ſiue Illuſtres eius Eccleſiæ DD. Deputatos, pro qua prætenſione dubitabatur de immortali lite, ad quam euitandam pro parte dictorum Multùm Reuer. DD. Prioris & Monachorum S. Celſi ſupplicatum fuit Illuſtriſs. & Reuerendiſs. in Chriſto Patri & D. Carolo, Tituli Sanctæ Praxedis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Sanctæ Mediolanen. Eccleſiæ Archiepiſcopo, vt dictam prætenſionem componere* C *vellet. Idcircò auditis hinc inde prætenſionibus, viſiſquè etiam iuribus & Inſtrumentis per dictos M. R. Canonicos S. Celſi, & per dictos Ill. DD. Deputatos, Illuſtriſsimæ Dominationi ſuæ exhibitis in publica & authentica forma, ac etiam in contradictorio auditis M. Reuer. DD. Priore & Vicario dictorum DD. Canonicorum S. Celſi ex vna, & Illuſtre D. Guido Landriano Priore dictorum Ill. DD. Deputatorum, ac Ill. D. Iacobo Antonio della Turre Oratore Sereniſs. Ducis Sabaudiæ, & aliis quampluribus ex dictis Deputatis ex alia, & omnibus perpenſis; decreuit eadem Illuſtriſsima Dominatio ſua (accedente tamen beneplacito conſenſuquè ac confirmatione Sanctitatis ſuæ, & voluntate Capituli Generalis dictæ Congregationis, & Ill. ac M. R. D. Abbatis dictæ Abbatiæ S. Celſi) declarare dictam Eccleſiam, ſiue membrum à dicta Eccleſia* D *S. Celſi diuidere, & ſegregare ab omni vnione & vinculo corporatione & nexu, quam & quem habuit vel habere quoquomodo hactenùs prætendit dicta Eccleſia S. Celſi, vel pro ea dicti M. R. DD. Canonici, non ſecùs ac ſi vnquàm inter ipſas Eccleſias vel inter ipſos R. Canonicos & Ill. Deputatos, vt ſupra, nulla vnio ius nec aliquid aliud dependens vel emergens quoquomodo in ea eſſet; his pactis & conditionibus, quòd dicti Ill. Deputati teneantur & debeant ex & de bonis immobilibus & ſtabilibus ac redditibus annualibus ipſius Fabricæ ſiue Eccleſiæ Diuæ Mariæ abdicare ſummam librarum mille ducentum Imper. ſingulò Anno ſoluendam Menſæ & Conuentui dictorum Canonicorum S. Celſi, præſentium, & qui per tempora erunt; & eam ſummam exigendam*

in

in dictis bonis, vt ſupra, tradere aſsignare vnire & applicare dictæ Menſæ A
vt ſupra; ita vt liberè & omni prorsùs exceptione remota valeant dicti Canonici præſentes & futuri in perpetuum dictam ſummam librarum mille ducentum ſingulo Anno exigere; necnon &, quòd dicti Ill. D. Deputati teneantur tradere dictis Reuer. D. Canonicis, nomine dicti eorum Monaſterij, ex & de paramentis exiſtentibus in Eccleſia Sanctæ Mariæ eam paramentorum quantitatem, per dictam Illuſtriſsimam Dominationem ſuam ordinandam, ſemel tantùm; vltimò, quòd dicti Ill. Deputati, nomine dictæ Eccleſiæ S. Mariæ, ſiue Fabricæ eiuſdem, non poſsint impediri à dictis Reuer. Canonicis præſentibus & futuris, quin liberè paries conſtruendus & iam cœptus circumcirca Capellam Maiorem dictæ Eccleſiæ S. Mariæ, pro ornatu & tuitione eiuſdem Capellæ, ad debitam perfectionem reducatur; eo tamen intellecto, & non aliter, quòd locus B
& ſitus exiſtens poſt Capellam Maiorem Eccleſiæ S. Celſi liber & ipſe remaneat abſque vllo penitùs impedimento ipſis R. Canonicis; vt & ipſi dictam Capellam Maiorem ſuæ Eccleſiæ S. Celſi ampliare reædificare & conſtruere poſſint vnà cum Choro, iuxta eorum voluntatem & animum, remota omni exceptione contradictionequè; ipſi verò Ill. Deputati teneantur pro compenſatione ſiti ſiue terreni, per ipſos occupandi circa dictam Capellam Maiorem Eccleſiæ Diuæ Mariæ pro conſtructione & perfectione parietis, de quo ſupra, illam ſatisfactionem reddere, quæ præfato Illuſtriſs. Cardinali videbitur, & declarabitur. Quibus omnibus auditis & intellectis per dictos M. Reuer. D. Priorem & Canonicos, & maximè ipſo M. Reuer. Patre Priore perquirente, an ipſis Reuer. D. Canonicis placeat & videatur in dicto tertio Tractatu ad dictum C
Inſtrumentum Segregationis & Diuiſionis ac Tranſactionis, accedentibus conſenſibus, de quibus ſupra, & non aliter nec alio modo, deuenire; omnes vnanimes & concordes, & qui benè aduerterunt in primo ſecundo & iſto tertio Tractatu, & diligenter conſiderauerunt prædictam Diuiſionem ſeu Segregationem ſic, vt ſupra continetur, celebrandam, fuiſſe & eſſe ad vtilitatem dictæ Eccleſiæ S. Celſi; & ad quem effectum dicti M. Reuer. D. Prior & Canonici vnanimes & concordes, vt ſupra, deprecantur Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Cardinalem Carolum Archiepiſcopum, vt ſupra, vt dignetur in hac parte quaſi ſpecialis interceſſor dictorum Reueren. Fratrum Canonicorum opportunum ſupplicem libellum porrigi facere Beatitudini ſuæ pro Confirmatione contentorum in præſenti Inſtrumento; cui Illuſtriſs. Cardinali tenore præſentis Inſtrumenti tri- D
buunt dant & concedunt omnem facultatem poteſtatem & bailiam in ampla forma; ita quòd poſſit & valeat circa dictam Confirmationem obtinendam ea omnia fieri facere, prout facere poſſent præfati R. Canonici, ſi præſentes eſſent, vel quòd mandatum magis ſpeciale exigeretur; deprecantes M.R. Generalem Priorem & totum Capitulum dictæ Religionis dicti M. R. Prior & fratres Canonici, vt velint approbare confirmare & laudare dictum contractum, ſic vt ſupra, iuxta formam dictorum trium contractuum celebrandum, non ſecùs ac ſi per dictum M. Reuer. Generalem ac totum Capitulum dictus contractus his modo & forma cum conſenſibus, de quibus in dictis primo ſecundo & tertio Tractatibus, celebratus eſſet; & ad maiorem cautelam de dicta approba-

tione

tione laudatione & ratificatione faciendæ publicum confici debere Inſtrumentum A
exorant cum clauſulis & ſolemnitatibus, vinculis, promiſsionibus, & renun-
ciationibus opportunis, ſolitis & debitis, in ampla forma, renunciando excep-
tioni non facti & non celebrati huiuſmodi Inſtrumenti, & non ita & taliter
actorum, omniquè probationi in contrarium. Et de prædictis rogatum fuit per
me Cæſarem Guidum, publicum Mediolani Notarium Apoſtolica & Imperiali
auctoritatibus, vt de prædictis publicum conficerem Inſtrumentum, vnum vel
plura tenoris eiuſdem. Actum in Sacriſtia dictæ Eccleſiæ, ſita vt ſupra, præ-
ſentibus Dominis, Hortenſio Belingerio, filio nobilis D. Marci, Portæ Cumanæ,
Parochiæ Sancti Thomæ in Terra Amara Mediolan. Notario: Carolo Comino,
filio D. Franciſci, Portæ Vercellinæ, Parochiæ Sanctæ Mariæ Secretæ Mediolani:
& Io. Baptiſta de Ferrarijs, filio D. Gabrielis, Portæ Romanæ, Parochiæ Sancti B
Calimeri Mediolani: omnibus idoneis, ad præmiſſa vocatis atque rogatis. Sub-
ſcriptum cum Signo Tabellionatus: Ego Cæſar Guidus, fil. quon. nobilis D. Io-
annis, Portæ Romanæ, Parochiæ Sancti Ioannis ad Concham Mediolani, publicus
Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius Mediolanen. ſupraſcriptum In-
ſtrumentum rogatus confeci, & in fide ſubſcripſi, cum appoſitione mei conſueti
Signi Tabellionatus.

XXXVII. *Voluntariè ſponte & ex certa ſcientia, & non per aliquem errorem iuris*
nec facti, & omnibus modo iure via & forma, quibus meliùs potuerunt &
poſſunt, deuenerunt & deueniunt, etiam titulo & ex cauſa Tranſactionis, &
omni alio meliori modo iure via & forma, quibus meliùs potuerunt & poſſunt,
ad infraſcripta pacta & conuentiones, inuiolabiliter inter ipſas partes & earum C
ſucceſſores perpetuis temporibus obſeruandas, & obſeruanda. In primis nam-
que conuenerunt & conueniunt, quòd dicti Reuerendiſs. Commendatarius &
Abbas antedictus ratione & nomine eius Commendæ ſeu Abbatiæ, & R. Prior
& Canonici antedicti ratione & nomine præfati eorum Monaſterij, teneantur
renunciare, prout tenore præſentium renunciauerunt & renunciant ac penitùs
cedunt, omni iuri, quod ipſi habent aut prætendere poſſent in dicta adminiſtra-
tione, tam electionis Deputatorum, quàm reuiſionis computorum, ac interuen-
tionis Capitulis, poſſeſsionis, ſeu vſus paramentorum, participationis eleemo-
ſinarum rerumquè donatarum, adminiſtrationis cuiuslibet præfatæ Eccleſiæ
Sanctæ Mariæ, reædificationis dictæ Capellæ Sancti Bartholomæi, ac murorum &
portæ conſtruendæ: quòdquè porta lateralis inter Sanctæ Mariæ & Sancti Celſi D
Eccleſiam clauſa remaneat & murata, vt reliquus murus Eccleſiæ S. Mariæ
ex vno & altero latere pariter clauſus remaneat; & quòd reſpectu prætenſio-
nis aperiendi arcus, necnon officiandi & adminiſtrandi Sacramenta in dicta
Eccleſia Sanctæ Mariæ, & quarumuis aliarum rerum attentatarum, tam in
dictis Inſtrumentis & ſcripturis ac petitionibus eorum, quam cuiuſuis alte-
rius, Reuerendiſs. Commendatarius, ac Reueren. DD. Canonici quicquam in fu-
turum & perpetuò pretendere non poſsint, & in ſpecie præfatus Reuerendiſsimus
Commendatarius, qui omninò, etiam tenore præſentis Inſtrumenti, renuncia-
uit ac renunciat ceſsitquè & cedit præfatis Ill. DD. Deputatis dicto nomine
confirmationi & inſtitutioni dictæ Capellæ primò conſtructæ Reuerendiſsimo D.
Archiepiſcopo Mediolanen. ſicut & quatuor Capellaniarum ibi inſtitutarum,

Tyyy necnon

necnon & ſuperioritati & alijs quibuſcumque, vt ſupra, expreſsis & prætenſis per dictos Reuerendiſs. Commendatarium & R.DD.Canonicos, reſpectiuè referendo, declarando, prout ipſi Reuerendiſs. D. Commendatarius & R.DD. Canonici declararunt & declarant, ea omnia & ſingula, per eos, ſingulariter & debitè referendo, prætenſa, ſopita extincta & annullata fuiſſe & eſſe; ita vt in poſterùm ipſi Reuerendiſs. D. Commendatarius & R.DD.Canonici, nec eorum ſucceſſores, ius aliquod ſuperioritatis nec dominij quouis modo in petitorio vel poſſeſſorio in dicta Eccleſia S. Mariæ, nec in temporalibus, nec in ſpiritualibus, nec quicquam aliud penitùs habere vel prætendere poſsint. Ita & taliter, quòd dicta Eccleſia S. Mariæ penitùs ſit exempta immunis & abſoluta ac liberata cum eius Vener. Capitulo ab omnibus & quibuſcumque iuribus & prætenſionibus, prætenſis vt ſupra, & alijs prætendendis in futurum per præfatum Reuerendiſs. D. Commendatarium & R. DD. Canonicos, vel eorum ſucceſſores, vſque in infinitum. Item renunciando, ac renunciauerunt & renunciant ac penitùs cedunt iuribus & prætenſionibus omnibus, tam ſuperiùs nominatis, quam aliter, & quibuſcunque, quas habent vel habere poſſunt quacumque de cauſa in dicta Eccleſia S. Mariæ, ac Capitulo Venerandæ Fabricæ ipſius Eccleſiæ, & eorum ambitu: & hoc in manibus præfatorum Ill. DD. Deputatorum ſuperiùs electorum à dicto Capitulo Venerandæ Fabricæ, & mei Notarij infraſcripti, perſonæ publicæ, ſtipulantis & recipientis nomine & vice & ad partem & vtilitatem præfatæ Vener. Fabricæ S. Mariæ apud S. Celſum Mediolani, & eius Ill. DD. Deputatorum ſeu Fabriceriorum, præſentiam & futurorum, & aliorum, quorum intereſt intererit, vel intereſſe poteſt & poterit quomodolibet in futurum; ita vt cenſeatur & ſit facta totalis diſmembratio & ſeparatio vtriuſque Eccleſiæ prædictæ, ſeu vnius ab altera, caſu quo aliqua vnio vel dependentia allegari poſſet, ita ac ſi vnquàm vnitæ nec dependentes aut emergentes vel alio quouis modo inuicem incorporatæ fuiſſent, vel dici poſſent; non obſtante etiam eo, quòd forſan dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ ædificata ac dilatata fuit propè ac in ſolo dicti Monaſterij, ſeu bonorum Abbatiæ prædictæ, aut quauis alia ratione, ſeu prætextu etiamſi impenſato, à Reuerendiſs. Commendatario, & à R. D. Canonicis, vel alijs perſonis, dici, ſeu prætendi poſſet.

XXXVIII. *Item conuenerunt, & vt ſupra, quòd præfati R. D. Canonici eorum proprijs expenſis teneantur conſtrui facere dictam portam & murum ante Cimiterium dictæ Eccleſiæ S. Celſi, necnon readificari dictam Capellam S. Bartholomæi in prædicta Eccleſia S. Celſi, vel iam incœptam perficere, prout præfati Ill. D. Fabricerij virtute dicti Inſtrumenti Anni 1504. die tertio Decembris tenebantur, & eos Ill. D. Fabricerios & dictam eorum Fabricam ab ipſis oneribus ipſi R. Canonici teneantur releuare, prout promiſerunt eos & dictam eorum Fabricam cum bonis ſuis præſentibus & futuris releuare, & indemnes ac indemnia ſeruare & præſtare ab ipſis oneribus & à quacumque moleſtia, quæ eis vel eorum ſucceſſoribus ratione & nomine dictæ eorum Vener. Fabricæ inferri poſsit à quacumque perſona & perſonis, Communi, Collegio, Capitulo, Conſortio, & Vniuerſitate, etiam ſub refectione & reſtitutione omnium expenſarum damnorum & intereſſe litis, & extra.*

XXXIX. *Item*

XXXIX. *Item conuenerunt, & vt ſupra, quòd præfati Ill. D. Deputati dicto nomine teneantur pro huiuſmodi renunciatione ceſsione ſeu tranſactione dare & aſſignare ipſis Reu. Canonicis in tot redditibus annuis, conſequendis ex bonis ſtabilibus vel Cameralibus, per laycos dictæ Eccleſiæ S. Mariæ ſeu eius Fabricæ relictis, libras mille ducentum Imper. pro augmento Menſæ ipſorum Reuer. Canonicorum quolibet Anno in perpetuum, per eos exigendas modo & forma infraſcriptis: videlicet, quòd reſpectu temporis præteriti & decurſi ac decurrendi vſque ad Confirmationem obtentam & præſentatam, vt infra, dicti R. Prior & Canonici aliquid prætendere non poſsint vltra infraſcriptam ſummam ſcutorum mille de libris ſex Imper. pro ſingulo ſcuto, ſaluo id quod voluntariè & ſponte donabitur à præfatis Illuſt. D. Deputatis, & cum ea commoditate & tempore, prout eis benè videbitur, & non aliter, nec alio modo; hoc tamen declarato, quòd præfati Ill. D. Deputati habita & obtenta ac conſignata, vt infra, præſentis Inſtrumenti Apoſtolica Confirmatione, ſtatim & abſque vlla contradictione dictos mille aureos valoris prædicti præfato Reuerendiſsimo D. dictæ Abbatiæ Commendatario, ſeu eius legitimo Procuratori, in Ciuitate Mediolani, ſoluere teneantur ad effectum diſponendi, prout ipſi Reuerendiſs. D. Commendatario à Sanctiſs. D. Noſtro commiſſum fuerit; ita quòd poſt dictam Confirmationem obtentam & præſentatam, vt ſupra, tantùm incipiat ſolutio dictarum librarum mille ducentum Imper. ſingulo Anno in antea; & ab ea tamen præſtatione librarum mille ducentum Imperial. liceat præfatis Illuſt. D. Deputatis & eorum ſucceſſoribus vſque in infinitum, etiam vltra centum vel ducentum Annos, quia ita conuentum, ſe liberare & eximi, ſoluendo in vna duabus vel tribus ſeu quatuor vicibus, prout eis Illuſt. Deputatis, & vt ſupra, placuerit, ſcuta quatuor millia, librarum ſex Imper. pro ſingulo ſcuto, aut facta depoſitione in caſum renitentiæ, ſeu negligentiæ, ad formam infraſcripti pacti francandi; qua ſolutione tunc facta, vel depoſito, vt ſupra, liberati ſint ipſi Illuſt. D. Deputati & eorum ſucceſſores, nomine quo ſupra, à dicta præſtatione librarum mille ducentum, abſque alio iudicio, aut declaratione iudiciaria, quia ita conuentum; & vlteriùs teneantur conſignare præfatis Reuer. D. Priori & Canonicis illum numerum paramentorum & quantitatem ſemel tantùm, quam præfatus felicis recordationis Illuſtriſs. Cardinalis Borromæus de conſenſu partium ordinare decreuerat, & nunc ob illius ſecutam mortem partes ipſe concorditer conuenerunt; prout in cedula continetur tenoris huiuſmodi; videlicet. Vn Calice fornito di tutto ponto, del prezzo, che parerà alli predetti Ill. SS. Deputati; vno paramento ſolenne di broccato d'argento, ciò è pianeta, tonicella, pallio, & piuiale; duoi pallij vſati per Altari piccoli, in cambio d'amiti, cordoni, ſtole, & manipuli; vno paramento di damaſco bianco, ciò è due tonicelle & vna pianeta, & il piuiale con il pallio dell'iſteſſo paramento; vn paramento di raſo roſſo con le liſte di tocca d'oro fruſto, ciò è due tonicelle & vna pianeta & il piuiale di damaſco con il pallio di damaſco; vn paramento di raſo turchino con li fili d'oro fruſto, cioè due tonicelle, & vna pianeta, & il piuiale di raſo morello con il pallio di raſo morello; vna pianeta bianca di tela d'argento fruſta; duoi pallij di raſo bianco per Altari piccoli; vna pianeta di damaſco roſſo fruſta; vn pallio di veluto roſſo sbarrato in piede, & per trauerſo le liſte di brecato* A B C D

vecchio; vn pallio di tabì roſſo fruſto, & ſono per Altari piccoli; vna pianeta di damaſco turchino nuoua; vn pallio di damaſco turchino nuouo; vn pallio di ormeſino di colore cangiante fruſto; vn pallio di raſo verde fruſto per l' Altare grande; vna pianeta di veluto verde fruſta; vno pallio fruſto di damaſco verde; vno pallio di veluto verde con il frontale d' argento & ſeta turchina; vna ſtola & vno manipolo di teletta di ſeta bianca; vna ſtola & vn manipolo di veluto roſſo fruſto; vna ſtola & vno manipolo di damaſco morello; vna ſtola & vn manipolo di raſo verde; camiſi di tela di lino numero quattro; vna touaglia longa brazza ſei, & larga due, di renſo fruſta; vna touaglia longa brazza quattro & mezzo, & larga due, di renſo fruſta; vna touaglia longa brazza cinque & mezzo, & larga brazza due, di renſo fruſta; vna touaglia di lino longa brazza quattro, & larga brazza due. A

XXXX. *Item conuenerunt, & vt ſupra, quòd præfatis Ill. D. Deputatis dicto nomine liceat liberare & affrancare dictas perticas ſeptem, tabulas tres, pedes vndecim, & vncias duas, terreni libellarij librarum ſexaginta vnius Imper. in Anno, de quo ſupra: & hoc facere poſsint in pecunia numerata, ad rationem duorum cum dimidio pro quolibet centenario: vel poſsint etiam ipſi Ill. D. Deputati liuellum perpetuum, etiam laicale, librarum ſeptuaginta-quinque, ſingulo Anno ſoluendarum, pro affrancatione dicti terreni ipſi Reuerendiſs. Commendatario vel eius Procuratori aſsignare: per quod ipſi D. Deputati liberationem ſeu permutationem liuelli prædicti terreni librarum ſexaginta-vnius, prout magis ipſis placuerit, facere valeant: qua aſsignatione facta cenſeantur ipſo iure liberata præfata Fabrica ac præfata bona pariter liberata à dicta præſtatione, vt ſupra: & hoc ſemper & abſque determinatione temporis, etiam centenaria, & vt ſupra: & in caſu negligentiæ ſeu recuſationis, & vt ſupra, præfati Reuerendiſs. Commendatarij, vel cuiuslibet eius ſucceſſoris in dicta Commenda, pretium dicti ficti liuellarii accipiendi, & illud liberandi ad rationem & formam ſuperiùs conuentas, quòd, facta oblatione & ſucceſsiua depoſitione ipſius pretii penes perſonam idoneam, à Reuerendiſs. D. Archiepiſcopo Mediolanen. vel eius M. Reuer. D. Vicario Generali eligendam, citato tantùm Agente ſeu Procuratore præfati Reuerendiſs. D. Commendatarii, ſeu eius ſucceſſoris, in hac Mediolani Ciuitate commorante, quòd liberatio ſeu affrancatio præfati ficti liuellarij ipſis iure & facto cenſeatur & ſit facta, & quòd facta ſit & eſſe intelligatur, etiam abſque aliquo legis vel hominis miniſterio: & hoc etiam quibuslibet die & hora, vſque in infinitum, & abſque vlla determinatione temporis, vt ſupra, & prout ſupra, ac ſemper & quandocumque placuerit præfatis Ill. D. Deputatis, præſentibus & futuris, ratione & nomine dictæ Vener. Fabricæ; quia ſic omninò conuentum fuit & eſt. Et ea liberatione facta, poſsint ipſi Ill. D. Fabricerij in dicto terreno Campanile & Sacriſtiam, vbi opportunius iudicarint, ædificari, & quæcumque alia opportuna & neceſſaria facere: & quòd ipſi Ill. D. Fabricerij non impediantur nec impediri poſsint ab ipſo Reuerendiſs. D. Commendatario, & Reu. D. Canonicis, nec ab aliquo alio, eorum ſucceſſore vel dependente, mediatè vel immediatè, in conſtructione parietis per illos conſtruendi, etiam cœpti, ſuper bonis dictæ Abbatiæ & Menſæ dictorum Reueren. DD. Canonicorum, iuxta & circa Tribunam ſeu Capellam Maiorem Eccleſiæ S. Mariæ; ita tamen quòd*

B C D

relinquatur

relinquatur ſitus ſiue ſpatium tantæ quantitatis, vt prædicta Tribuna ſeu Capella Maior Eccleſiæ Monaſterij S. Celſi conſtrui denuò & augeri, ac in ea Chorus ad beneplacitum dictorum RR. DD. Canonicorum poni; & quòd ipſi Ill. DD. Deputati teneantur dicto nomine pro occupatione ſeu conceſsione dicti terreni, tam dictæ Abbatiæ, quàm Menſæ dictorum RR. DD. Canonicorum, in compenſationem ipſius terreni, reædificare partem illam collapſi parietis, hortum præſ. Monaſterij & terrenum ipſius Abbatiæ olim diuidentis; incipiendo ſcilicet ab ipſo pariete circum Tribunam dictæ Eccleſiæ S. Mariæ per ipſos DD. Deputatos, vt ſupra, conſtruendo, & ſequendo vſque ad parietem nunc extantem, & dictum hortum & terrenum pariter diuidentem, brachiorum quinquaginta vel circa. A

XLI. Item conuenerunt, & vt ſupra, quòd præſ. Ill. DD. Deputati dicto nomine non poſsint cogi, vt ſupra, ad ſolutionem prædictam lib. 1200. Imper. nec minùs dictorum ſcutorum mille, ipſi Ill. & Reuerendiſs. D. Commendatario exburſandorum, nec etiam ad aliquid aliud, quod donabitur, vt ſupra, à præſ. Ill. DD. Deputatis cauſa prædicta, & vltra prædicta, iuxta formam in præſenti Inſtrumento promiſſam, niſi priùs obtenta Pontificia Confirmatione omnium & ſingulorum præmiſſorum, ac præſentata in publicam formam ipſis Illuſt. DD. Deputatis, expenſis præſ. Reuerendiſs. Abbatis & Canonicorum; & quam Confirmationem ipſi Reuerendiſs. Commendatarius & R. DD. Canonici teneantur obtinere à Sanctiſs. D. Noſtro Papa & eius Sancta Sede Apoſtolica præſentis Inſtrumenti, ac omnium & ſingulorum in eo contentorum & conuentorum, cum facultate derogandi, ſi foret opus, voluntati teſtatorum, prohibentium forſan, ea legata aut leganda alienari non poſſe: & hoc pro aſsignatione dictorum redditum librarum 1200. Imper. præfatæ Menſæ, vt ſupra & prout ſupra, & pro ſolutione dictorum ſcutorum mille. B C

XLII. Item conuenerunt, & vt ſupra, quòd præſens Inſtrumentum poſsit pluries expleri: & licet reperiretur penes dictos debitores inciſum, quòd propter hoc non præſumatur debitum eſſe ſolutum, niſi de ſolutione appareat per publicum Inſtrumentum, vel aliter legitimè appareat.

XLIII. Quare dictæ partes modis & nominibus, quibus ſupra, viciſsim & ad inuicem promiſerunt, & vadiam dederunt & dant, obligando ſe ſe viciſsim & ad inuicem; vlz. præſ. Ill. D. Prior & Deputati bona quæcunque præfatæ Ven. Fabricæ, & citra obligationem perſonarum & bonorum ſuorum: & præſ. D. Meda dicto nomine obligando bona præfati Reuerendiſs. D. Commendatarij, eiuſquè Commendæ, ac perſonam propriam ipſius Reuerendiſs. D. Commendatarij & eius ſucceſſorum in dicta Commenda, & citra ipſius D. Medæ obligationem perſonæ & bonorum ſuorum: præſ. verò Prior & R. Canonici obligando perſonas ſuas & eorum ſucceſſorum in dicto Monaſterio S. Celſi, & bona prædicti eorum Monaſterij S. Celſi Mediolani, & quæcumque alia bona eorum Generalis Congregationis & Capituli: ſibi viciſsim & ad inuicem bona quidem mobilia & immobilia, res & iura præſentia & futura, & etiam ſupellectilia domus, & ea bona quæ aliàs veriſimiliter de iure non veniunt nec cadunt ſeu non comprehenduntur in obligatione generali, pignori ſibi viciſsim, & ad inuicem: videlicet vna pars alteri, & altera alteri, ibi præſentibus, ſtipulañ. & recipieñ. pro præmiſsis omnibus, & ſingulis attendendis & obſeruandis; D

nandis; & quòd in effectu ipſæ partes attendent obſeruabunt ac adimplebunt A *& executioni mandabunt, & ratum gratum & firmum & rata grata & firma habebunt & tenebunt præſens Inſtrumentum, & omnia & ſingula in eo contenta; & nullo tempore nulloquè modo contrafacient, nec contrauenient aliqua ratione vel cauſa, de iure nec de facto, in iudicio nec extra: & prædicta omnia facient ipſæ partes vicisſim, & ad inuicem: videlicet vna versùs alteram, & altera versùs alteram, debitè referendo vt ſupra ſub refectione omnium expenſarum damnorum & intereſſe, fiendarum & patiendarum ſeu ſuſtinendarum præmiſſorum omnium & ſingulorum cauſa & occaſione.*

XLIV. *Renunciando dictæ partes, etiam modis & nominibus quibus ſupra, exceptioni non facti & non celebrati huiuſmodi Inſtrumenti ſic & taliter vt ſupra, & prout ſupra, & prædictorum & infraſcriptorum omnium & ſingulorum* B *non ita & taliter actorum & factorum, omniquè probationi & defenſioni in contrarium.*

XLV. *Quæ omnia & ſingula fecerunt & faciunt dictæ partes etiam modis & nominibus, quibus ſupra; ita quòd ſi pro prædictis vel aliquo prædictorum aliquo tempore agi contigerit, quòd poſſit videlicet illa pars, contra quam agi contigerit, ad prædicta omnia & ſingula omni tempore vbique & ſub quolibet Iudice realiter & perſonaliter conueniri. Renunciando per pactum ſpeciale priuilegio ſui fori & omnibus infraſcriptis; videlicet, quòd non poſsint nec aliquis eorum poſsit aliquo futuro tempore dicere opponere nec allegare cauſas collocatas vel collocandas, nec ferias ordinarias ſolemnes vel repentinas, nec aliud cauſarum interdictum: & conſtituit illa pars, contra quam agi contigerit, modis & nominibus vt ſupra & prout ſupra omnia bona mobilia & im-* C *mobilia, res & iura præſentia & futura, nomine partis, cui caſus agendi venerit, & pro ea tenere & poſſidere, vel quaſi; ita quòd aduentente caſu petitionis fiendæ liceat & licitum ſit parti, cui caſus agendi euenerit, etiam ſua procuratoria auctoritate tantùm, & ſine auctoritate alicuius Iudicis vel Conſulis, & ſine aliquo ſeruitore banno vel nuncio, vbique accipere, robare, contextare, ſaxire, ſequeſtrari, corporalem poßeſsionem intrare, in ſolutum ſibi accipere & retinere, tenere & poſſidere, vendere & alienare de bonis & rebus dictæ partis vt ſupra, contra quam agi contigerit; & hoc vſque ad plenam & completam ſolutionem, & integram ſatisfactionem prædictorum omnium & ſingulorum, ſeu totius eius, pro quo agi contigerit, & expenſarum,* D *damnorum, & intereſſe litis, & extra; & ob hoc non intelligatur eis vim vel violentiam facta eſſe; ſed hoc factum ſit & intelligatur beneficio huius contractus, & pactorum in eo inſertorum.*

XLVI. *Et quæ omnia & ſingula facta fuerunt & fiunt per præſ. Ill. DD. Deputatos dicto nomine, citra ſemper eorum & bonorum ſuorum obligationem, ſed obligando tantùm bona præſ. Vener. Fabricæ, & non aliter, nec alio modo; cùm aliter & alio modo ad præſens Inſtrumentum non deueniſſent. Inſuper præſ. R. Prior & Canonici ponentes manum ad pectus more ſacerdotali, & prædictæ aliæ partes tactis ſcripturis in manibus mei Notarii infraſcripti, eiſdem iuramentum deferentis, iurauerunt & iurant ad Sancta Dei Euangelia, quòd ſemper & omni tempore ratum gratum & firmum ac rata grata & firma habebunt & tenebunt præſens Inſtrumentum, & omnia & ſingula in eo con-*

tenta:

tenta: & nullo tempore nulloquè modo contrafacient nec contrauenient aliqua A
ratione, nec aliqua ratione vel cauſa de iure nec de facto, in iudicio nec extra, nec aliquam huius iuramenti habilitationem impetrabunt nec obtinebunt, & ea impetrata non vtentur, etiam ſub refectione & reſtitutione omnium expenſarum damnorum & intereſſe litis, & extra. Et de prædictis rogatum fuit per me Iulium Cæſarem Confanonerium, publicum Mediolani Notarium, vt de prædictis publicum conficiam Inſtrumentum, vnum & plura, tenoris eiuſdem. Actum in Sacriſtia dictæ Eccleſiæ S. Celſi, præſentibus ibidem pro teſtibus M. R. Presbytero D. Alberto de Raſinis, fil. quon. Nob. D. Hieronymi, Canonico in Eccleſia S. Ambroſij Mediolani, & habitante in Canonica dictæ Eccleſiæ: D. Franciſco de Gattis, fil. quon. D. Petri Iacobi, Portæ Romanæ, Parochiæ Sanctæ Euſemiæ foris Mediolani: & D. Fabritio Turriano, fil. D. B
Philippi, Portæ Cumanæ, Parochiæ Sancti Protaſii in Campo foris Mediolani: idoneis, ſpecialiterquè vocatis, & rogatis. Ego Iulius Cæſar Confanonerius, Ciuis Mediolanen. fil. quon. Nob. D. Ioſephi, Portæ Nouæ eiuſdem Ciuitatis, Parochiæ Sancti Euſebij, publica Apoſtolica Imperialiquè auctoritatibus Notarius, atque Cauſidicus Collegiatus, & in Romanæ Curiæ Archiuio deſcriptus, præſens Inſtrumentum rogatum tradidi, confeci, & in fidem Signo Tabellionatus appoſito ſubſcripſi.

XLVII. *Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis, approbationis, adiectionis, ſuppletionis, decreti, commutationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit; indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli* C
Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. quarto Kalendas Iunij, Pontificatus noſtri Anno Primo.

XLVIII. *Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs vos, vel duo, aut vnus veſtrum, Litteras prædictas & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, ac quoties pro parte Pauli, & Prioris, ac Capituli, necnon Fabriceriorum, & aliorum ſupranominatorum, fueritis requiſiti, faciatis omnia & ſingula in illis contenta ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, contradictores quoſcumque per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compeſcendo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis. Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. quarto Kalendas Iunii,* D
Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sep. ✠ — *Io. A. Scappius.*
I. Bucca. — C. Pamphilius.
H. Cumyn. — *Alex. Miletus.*
Her. Carnaccia pro Magiſtris.

Tarq. Bon. de Vipera.
B. M. de Marcellinis.

F. Mugnyer.

Et ſigillat. ſub plumbo cum cordula. A tergo Regiſtr. Hier. Beger.
℘ Magiſt. Ioannes Barengus. A. Rocha.

CAPVT

CAPVT CLXI. A

Pauli Morigiæ teſtimonium de Sanctis Martyribus hiſce noſtris.

I. PER hæc tempora (ſicut ego ſuperiore item Capite 158.
Num. 2. dicebam) Paulus florebat Morigia, Mediolanen-
ſis, & hic in Cœnobio Sancti Hieronymi Religioſus ex
Ordine Ieſuatorum, à Beato Ioanne Columbino inſtitu-
torum: idemquè Anno 1592. *Hiſtoriam* Mediolanenſium
edidit Antiquitatum; ſicut & alios deinde Libros, qui profectò Ec-
cleſiæ Vrbiſquè noſtræ Hiſtoriam quàm maximè illuſtrant. Præci-
puam ego fidem illi tunc maximè adhibeo, quando Sacras Baſilica- B
rum noſtrarum Reliquias ſingillatim enumerat: & eas præſertim, de
quibus nulla eſt altercatio, vbinam potiùs exiſtant. Harum enim om-
nium notitiam diligenter ipſe perquirebat (vt ita loquar) Eccleſiaſtim
ab Eccleſiarum Rectoribus, & è propriis ipſarum tabulis accuratè col-
ligebat. Nunc igitur operæ pretium erit inquirere, quid ille de San-
ctis Martyribus hiſce noſtris iudicandum cenſuerit.

II. Hiſtoriæ autem illius Mediolanenſis Libro Secundo, Capite 19. de Ba-
ſilica ſcribens Ambroſiana, ſic etiam narrabat: *Non mi pare coſa diſ-
diceuole, ſe hora facciamo parlamento, come Geruaſio & Protaſio, figliuoli di
San' Vitale & Valeria, nobiliſsimi Milaneſi, furono ſino al tempo de gli Apoſ-
toli, & vendettero il lor'patrimonio, & fecero vita monachale; ſecondo il* C
teſtimonio di San' Gregorio. Sancto enim Gregorio Magno hic Auctor vi-
detur eum adſcripſiſſe Tractatum *De Conflictu vitiorum & virtutum*,
quem ſupra ego Capite 9. Numero 6. producebam. Sequitur ibidem
Auctor: *Et San' Pietro Damiano afferma, che Geruaſio & Protaſio non
hebbero altro maeſtro nella Religione Chriſtiana, che San' Paolo. Eſſendo dun-
que martirizati nel tempo del crudel'Nerone; furono ſepelti da Filippo de gli
Oldani e da ſuoi figliuoli nel ſuo horto, con vn' Libretto, che narraua la loro
vita & morte; & quiui ſtettero da trecento anni occulti. Nel tempo di Sant'
Ambrogio, ſtando egli vna notte all'oratione innanzi alli glorioſi Corpi di San'
Nabore & Felice, di Caſa Morigia* (hoc ego interim affirmare non auſim)
doue l'Huomo di Dio, Ambrogio, era diuoto; ecco, mentreche egli oraua, gli D
*apparuero due belliſsimi Giouani in veſtimenti bianchi, & calciati; & con le
mani ſteſe orauano con lui* &c. Et hæc quidem nobis è præſenti Morigiæ
Capite ſufficiant pro Sanctis Protaſio & Geruaſio.

III. Proſequitur ille Librum ſuum, & Capite 23. de Nazariana item Baſi-
lica diſſerens, in hunc etiam modum ſcribit: *Queſta adunque fù fabri-
cata dal noſtro Protettore Sant' Ambrogio: & fù dimandata da lui la Chieſa
Romana, per eſſerui quiui vicino la Porta della Città, detta Romana, la quale
era doue hora è la Crocetta, che ſi dice di Porta Romana; percioche queſta
Chieſa fù fabricata fuori della Città. Fù poſcia nominata la Chieſa de gli
Apoſtoli. Così la chiama Paolino, & molti Libri antichi, & Sant' Ambrogio
iſteſſo.*

Digitized by Google

iſteſſo. Fù chiamata la Chieſa de gli Apoſtoli ; perche San' Simpliciano arreccò da Roma molte Reliquie de Santi Apoſtoli, & furono collocate in queſta Chieſa per commiſsione di Sant' Ambrogio. Piacque poi al noſtro Santo Paſtore Ambrogio di traportare il Corpo del Martire San' Nazzaro à queſta Chieſa Romana de gli Apoſtoli, & collocollo ſotto l' Altare Maggiore ; e perciò è ſempre ſtata poi chiamata la Chieſa di San' Nazzaro. Et paucis interpoſitis: *San' Nazzaro fù di patria Romano, e diſcepolo de gli Apoſtoli: &, ſecondo il teſtimonio di Pietro Damiano, egli fù battezzato da San' Lino, che ſucceſſe nel Papato à San' Pietro: e San' Pietro fù quello, che battezzò ſua Madre: & riceuette egli il martirio in Milano, & fù ſepolto in San' Celſo (* ſiue in eo met horto, intra quem conſtructa manet Sancti Celſi Eccleſia*) fuori di Porta Romana. Laonde San' Paolino afferma, che, quando Sant' Ambrogio traportò queſto Santo Corpo, egli era intiero, & il Capo con i capelli & la barba & il ſangue così freſco & recente, come ſe in quel giorno quiui foſſe ſtato ripoſto. Et nondimeno erano di già traſcorſi dal martirio del Santo alla ſua tranſlatione più di trecento Anni.* Narrare verò ſubinde pergit Baſilicæ Nazarianæ reſtaurationem, ac Sacrarum eius Reliquiarum tranſlationem, Annis 1578. & 1579. factas: de quibus ego ſatis iam dixi Capite 150. Quamobrem ſine mora progredior ad eiuſdem Libri Secundi Caput 28. quo Mariana propè Sanctum Celſum Eccleſia deſcribitur. A B

IV. Eo igitur Capite luculentiùs etiam explicatur, quemadmodùm ſolius Nazarii Corpus ad Baſilicam fuerit Apoſtolorum translatum. Inquit enim: *Volendo adunque far' parlamento di queſta digniſsima Chieſa (* hoc eſt, de Mariana illa*) fù biſogno, che primieramente dica, come ella hebbe origine dal martirio di San' Nazzaro & Celſo: quali furono martirizati in Milano dal Giudice Annolino, per commiſsione del crudele Nerone: & ciò fù l' Anno del Naſcimento del vero Meſsia Cinquantaſette (* in hoc tamen errat Morigia*) che fù appunto doppo la morte di Christo Anni ventiquattro. Furono adunque queſti martirizati fuori di Porta Romana, ad vn' luogo detto* ALLI TRE MORI, *che è il luogo iſteſſo, doue hora ſi troua eſſere queſta benedetta & ſantiſsima Imagine di Noſtra Signora: & quiui vicino furono ſepolti da Ceratio, huomo ſanto, il quale collocò queſti Santi Corpi in Caſa ſua. Stettero poi queſti glorioſi Corpi più di trecento e trent' Anni naſcoſti, ſinoche à Dio benedetto piacque di manifeſtarli al ſuo diletto Ambrogio, all' hora Paſtore della noſtra Città. Il quale, trouatogli ſeparati l' vno dall' altro, laſciò il Corpo di San' Celſo nel ſuo luoco, & quel di San' Nazzaro lo traportò (come habbiamo anco detto altroue) alla Chieſa de gli Apoſtoli. Laonde fù poſcia fabricato vna picciola Capella, dedicandola à San' Celſo: & nel luogo iſteſſo, doue fù trouato il Corpo di San' Nazzaro, ci fù fabricata vna picciola Capelletta per commiſsione di Sant' Ambrogio (* hic item fallitur Morigia, dum Sancti Nazarii Eccleſiam IN CAMPO confundit cum ea Pila, cui Deiparæ Imago appicta fuit*) & quiui fù dipinta l' Imagine della Vergine Maria: & è quella medeſima, che hoggidì ſi riueriſce con gran' diuotione.* C D

V. *Piacque poſcia à Landolfo (* ſic enim proſequitur Morigia*) di queſto nome il*

Secondo, Arciueſcouo di Milano, del parentado de Carcani, di leuare la Chieſetta picciola di San' Celſo, & fabricare vna più honorata. Doue egli la fece di quella grandezza, che anco hoggi ella ſi vede. Fabricolli anco vn' alta & forte Torre per le Campane (quæ quidem Campanaria Turris in præſentem vſque diem incolumis perſeuerat) *& appreſſo ci edificò vn' degno Monaſtero, & dotolla di molte poſſeſſioni, & anco quiui volſe eſſer' ſepolto.* A

VI. *Non reſterò di dire, che per le guerre queſta Chieſa & Badia furono rouinate, & i Monaci andarono diſperſi, & la Badia andò in Commenda; di modoche l' Abbate daua certo ſalario à Monaci per la lor' menſa. Piacque poſcia alla Religione de' Canonici Regolari di San' Saluadore d' hauer' vn' Monaſtero in Milano: & accordatiſi con Monſignor' Troiano* (veriùs *Traiano*, vt iam vidimus Capite præcedenti, Num. 27.) *all' hora Commendatario di detta Badia, entrarono nella detta Badia in luoco de' Monaci: & ci cominciarono ad habitare l' Anno 1550. & la prima coſa diedero principio à riſtaurare la Chieſa, & la fecero voltare: & in ſomma quello abbellimento & miglioramento, che ſi vede nella Chieſa, il tutto è ſtato fatto da' i Scuolari quiui introdotti, & da' Reuerendi Padri Canonici: i quali ancora hanno fabricato le ſtanze & Monaſtero, come egli ſi vede; perche il tutto era in rouina. Et il Reuerendo Padre Don Coſmo Bologneſe molto s' è adoperato: per la cui diligenza la Chieſa e'l Monaſtero è aummentato grandemente.* B

VII. Talia ſunt, quæ Paulus Morigia eo Anno 1592. typis in publicum euulgauerat; cùm Anno rurſùs 1594. Hiſtoriolam ſeparatim edidit eiuſdem Marianæ propè Sanctum Celſum Eccleſiæ: cuius Capite primo ſic etiam de Sanctis Martyribus hiſce noſtris narrauit: *Fù adunque San' Nazzaro Gentil'huomo Romano, e diſcepolo di San' Pietro Apoſtolo: e fù battezzato da San' Lino Papa, che ſeguitò nel Papato San' Pietro. Queſto fù perfettiſſimo Chriſtiano, e per aummento della Fede di Chriſto diſpensò tutte le ſue ricchezze à poueri di Chriſto, & andò in diuerſe Città predicando la Santa Fede: & arriuando à Milano egli viſitò i Santi fratelli Geruaſio & Protaſio, che all' hora erano tenuti prigioni per la Fede di Chriſto: & hebbe con eſſi loro molti ragionamenti ſpirituali. Poi fù preſo per commiſſione d' Anolino, all' hora Preſidente e Gouernator di Milano, à nome di Nerone Imperatore: & hauendo inteſo, ch' egli era Nobile Romano; non gli fece dar' tormenti, ſaluoche lo fece battere nella faccia con molti pugni, e poi lo bandì dalla Città. Il che per riuelatione diuina paſsò in Francia: & in quella Prouincia fece molto frutto à Chriſto con la ſua predicatione, conuertendo le migliaia di perſone à Gieſù Chriſto. Trouandoſi poi in vna Città, chiamata Melia, doue conuertì molta gente; vna nobiliſſima Matrona andò à trouare il Santo di Dio, & era delle più illuſtri di quella Città. Queſta haueua vn' figliuolino di trè anni, & lo diede in braccio à San' Nazzaro: e diſſegli profeticamente, Queſto fanciullo ti ſeguirà in ogni luogo, doue anderai, ſinoche egli ſi preſeuerà in tua compagnia auanti al Tribunale di Dio: e detto queſto, ella ſi partì. Onde Nazzaro tutto lieto accettò queſto nobile preſente, & lo fece battezzare, e nominollo Celſo, e ſempre lo menò ſeco. Hebbe poi Nazzaro* C D

diuerſe

diuerſe perſecutioni, e patì molte pene per amor' di Chriſto: e finalmente (per non raccontar' il tutto del ſuo martirio, per non far' à propoſito della mia narratione) dirò, come egli ritornò à predicare il Vangelo nelle Città d'Italia, & fermosſi in Milano; onde dal medeſimo Gouernator' Anolino fù con Celſo meſſo nell'isteſſa prigione, doue erano ancora i glorioſi Geruaſio & Protaſio. Laonde non ſi può così facilmente raccontare la grande allegrezza, che ſentirono queſti Santi di Dio, & quanto ſi confortauano inſieme à patir' ogni ſorte di tormento per amor' di Chriſto. A

VIII. *Finalmente, per commiſsione di Nerone, Anolino gli fece tagliare la teſta, e ciò fù l'Anno del Naſcimento del vero Meſsia Settanta. E furono martirizati fuori di Porta Romana, ad vn'luogo detto* LI TRE MORI: *& è il proprio luogo, doue hora è poſto l'Altare della Santiſsima Imagine di Noſtra* B *Signora: e quiui furono ſepelsti da Ceratio, huomo Santo, il quale collocò queſti Santi Corpi in Caſa ſua, ciò è, nel ſuo horto.*

IX. *Stettero poi incogniti queſti Santi Corpi per lo ſpatio di trecento ventitrè Anni, ciò è, ſino all'Anno della Commune Salute 393. nel qual tempo piacque à Dio di riuelarli al noſtro potentiſsimo Protettore, Sant' Ambrogio; ſi come anco Iddio Glorioſo riuelò à queſto Santo Paſtore i Santi Corpi di Geruaſio & Protaſio, figliuoli di San' Vitale & di Santa Valeria. Trouò adunque queſto Santo di Dio queſti Santi Corpi, ſeparati l'vno dall'altro: & il Corpo di San' Celſo laſciò nel ſuo iſteſſo luogo: e quello di San' Nazzaro lo traportò ſolennemente alla Chieſa de gli Apoſtoli, nominata la Chieſa Romana; ſi come anco la Porta medeſima è nominata Romana. Della traslatione di queſto Martire alla Baſi-* C *lica de gli Apoſtoli ne ragiona San' Paolino, così dicendo* &c. *Il luogo, doue fù ritrouato queſto Corpo Santo, per alcun' tempo fù nominato San' Nazzaro* IN CAMPO.

X. Subinde verò refellit etiam Morigia opinionem illorum, qui Corpus Martyris noſtri Nazarii crediderunt à Grodegando, Metenſi Epiſcopo, translatum aliò circiter Annum 775. eoſquè falli contendit hac ratione: *Perche il Corpo del noſtro San' Nazzaro, che fù traportato da Sant' Ambrogio nella Chieſa de gli Apoſtoli, che hora è detta di San' Nazzaro, fù l'Anno 1579. con molti altri Corpi Santi di detta Chieſa riconoſciuto dalla Santa memoria di Carlo Borromeo, Arciueſcouo di Milano: & alli dieci di Maggio di detto Anno fù fatta vna ſolenniſsima Proceſsione, con la preſenza* D *di molti Veſcoui, & lo concorſo di più di cento cinquanta milla perſone, & fù fatta la traslatione de detti Corpi Santi: & eſſo Illuſtriſsimo Arciueſcouo volſe portare lui medeſimo il glorioſo Corpo di San' Nazaro.*

XI. *Mà, ritornando doue ci partimmo, dico, che in quel medeſimo luogo, doue il Santo di Dio, Ambrogio, ritrouò il Corpo di San' Nazzaro, ne fece fabricare vn' Pilaſtrello con vn' poco d'vn volto: e quiui per riuerenza di quel Santo Martire (accioche quel luogo non foſſe calpeſtato dalle beſtie). egli ci fece pingere vna bella figura della Vergine Maria, Madre di Dio: & è quella medeſima, che hoggidì ſi riueriſce con tanta diuotione, che ſtà riposta ſotto l'Altare, come più ampiamente ſi dirà. Et vi fece anco fabricare vna Capelletta*

(illam videlicet, quæ Sancti Nazarii IN CAMPO appellationem obtinuit) *& un'altra ne fece edificare in quel luogo, doue giaceua il Corpo di San' Celſo.* A

XII. *Piacque poi à Landolfo, di queſto nome Secondo, Arciueſcouo di Milano, che fù della nobile & antica famiglia Carcana, di leuar' la Chieſetta picciola di San' Celſo, e fabricarne una più honorata, fabricandogli anco un' alta e forte Torre per le Campane: & appreſſo ci fabricò un' Monaſtero, & miſſeui alquanti Monaci dell'Ordine di San' Benedetto; accioche quiui haueſſero d'eſſercitare il colto diuino: dotando detta Badia di molte poſſeſſioni: & anco quiui uolſe eſſer' ſepolto.* &c.

XIII. Sed Anno inſuper 1597. Morigia Italicum edidit etiam Calendarium, quo multa continentur ſcitu digna & vtilia: & hoc in primis, quòd vnicuique diei adſcribitur, quorum Sanctorum memoria recolatur; B nonnumquàm verò etiam commonſtratur, vbi multorum Corpora quieſcant; quod propterea Calendarium nobis etiam in præſenti cauſa lucem afferre aliquam poteſt. Die namque Iunii duodecima ſic ibi ſcriptum extat: *SS. Baſilido, Cirino, Nabore, e Nazaro, Martiri. Li Corpi de Santi Baſilido, Cirino, e Nabore, ſono nella Chieſa di San' Celſo à Porta Lodouica.* Mox eiuſdem menſis vndeuigeſima die: *SS. Geruaſio e Protaſio, Martiri, Nobiliſsimi Milaneſi: la cui feſta è di precetto à Milano, e ſua Dioceſi. Li ſuoi Corpi ſono ſotto l'Altare Maggiore di Sant'Ambrogio: la qual' Chieſa fù fabricata e dedicata da eſſo à detti Santi. E l'Illuſtriſsimo Arciueſcouo canta quiui Meſſa Pontificale: & li Signori Vicario e Dodici di Prouiſione con li Paratici ci uanno proceſsionalmente à fare l'offerta.* Denique verò die vigeſima-octaua Iulii: *SS. Nazario e Celſo, Martiri. Ci ſono due Chieſe di San' Nazaro: una in Porta Romana, Collegiata & Parochia, & una delle ſette, doue giace il ſuo Corpo; e ci uà il Capitolo del Duomo, e l'Illuſtriſsimo Arciueſcouo ci canta Meſſa Pontificale: e l'altra è in Porta Vercellina* (minimè verò, ſed intra Portam Cumanam; niſi fortè tunc ea intra Vercellinam computabatur) *detta San' Nazaro Pietra-Santa, doue ſono Scuolari con l'habito roſſo. Ci è ancora la Chieſa di San' Celſo, fuori di Porta Lodouica, doue giace il Corpo di detto Santo.* C

XIV. Denique verò legatur etiam Ciuitatis ac Diœceſis Mediolanenſis Sanctuarium, quod ab eodem Morigia typis editum fuit Anno 1603. D Etenim pleraque illorum, quæ iam ſupra per ipſum teſtata ſunt, illic etiam profectò inuenientur. Vbi de Baſilica Nazariana ſermo eſt, & ſacræ ipſius Reliquiæ recenſentur, ibidem videre quidem licet connumeratum Sancti Martyris Nazarii Corpus, at nihil vnquàm Sancti Celſi: & hoc quidem obſeruatu neceſſarium eſt, non in Morigia tantum, ſed in aliis etiam omnibus libris, aut tabulis, in quibus commemoratas adhuc legerim ſacras eius Baſilicæ Reliquias. Illud verò ſingulare, neque mihi prætermittendum, hic eſt, quod nominatim de Sancti Petri Reliquiis in hæc verba enunciatur: *Si uede un' pezzetto di carne, con parte della cotica con i ſuoi peli, della zuffa del Prencipe de gli Apoſtoli,*

Apoſtoli, San'Pietro: poſto in mezzo di due criſtalli, ligato à ſembianza de Agnus Dei, in argento adorato: coſa rara e miracoloſa da vedere. Quod ego fruſtulum Capite 37. Num. 15. cranii fragmentum appellaui. A

XV. Sed quid item Morigia, vbi ſermonem inſtituit de Celſiana Baſilica? *Nella Chieſa* (inquit) *della Badia di San'Celſo ci ſtanno ripoſti quattro Corpi Santi: ciò è, quel di San'Celſo, di San' Cirino, di San' Nabore, e quel di San'Baſilide, oltre ad altre Reliquie.* Ac paulò pòſt de Mariana illic Baſilica ſeparatim ſcribens: *Queſta Madonna* (loquitur autem de illa Deiparæ Imagine, lapideæ illic pilæ appicta) *la fece dipingere il Padre Sant' Ambrogio; perche in quel luogo trouò il Corpo di San' Nazaro; e per riuerenza ci fece pingere quella Imagine della Madre di Dio.* Sic enim erat Morigiæ perſuaſiſſimum. Sed ego illi aperta fronte me iam oppoſui Capite 159. Num. 2. ſecutus vtique traditionem, quam ex eius Diplomatis ac publici Documenti verbis colligebam. Quod ſi fortè magis propria requiritur adhuc ratio, cur in ea præcisè horti parte, non autem in alia quacumque, à duabus illis diuerſa Eccleſiolis, vna Sancti Nazarii IN CAMPO, altera Sancti Celſi, eumdem intra hortum conſtructis, Sanctus Ambroſius erigendam pingendamquè curauerit eiuſmodi pilam: ſi qua item coniectandi facultas hac in re mihi permittitur; ego quidem ob eam potiùs cauſam id eſſe factum arbitrarer; quia Sanctus Antiſtes ille noſter diuina pariter reuelatione didiciſſet, Martyres in ea præcisè horti parte decollatos, & ibidem protinus ſepultos fuiſſe; ac proinde quia hoc ipſum per eam pilam ita pictam indicare in omnem poſteritatis memoriam voluerit. Sanè quidem, quo in loco decollati fuerant, in eodem prorsùs ſepulti ſunt prima vice; ſicut iam vidimus Capite 19. Num. 1. Certè itidem ſecunda vice ſepulti quidem fuerunt alibi, ac ſeparatim vnus ab altero; ſed tamen intra eumdem hortum, qui AD TRES MOROS dicebatur; vt liquidò conſtat ex iis, quæ dicta ſunt Capite 18. Num. 7. & Cap. 48. Num. 5. ac 12. & alibi pluries. Si ergo binis illis poſterioribus, & à ſe inuicem diſiunctis, Martyrum ſepulchris ad eorum cultum & ad poſteritatis memoriam ſuperſtructæ ab initio fuerunt (ſicut iuſtum videtur) binæ illæ Cappellæ, ſiue paruæ Eccleſiæ; certè congruum etiam videbatur, vt indice item aliquo, ſiue pila illa, deſignaretur locus etiam ille certus ac definitus, in quo decollati ac primùm ſepulti fuiſſent. Non enim conſentaneum rationi; quinimmò diſſentaneum & importunum & ſuperfluum, videtur; ſi præter binas illas Eccleſias in eodem illo horto ſepulchris Martyrum ſuperſtructas, pila inſuper illa extrueretur ad eum ſolummodò finem, vt per ipſam in vniuerſum indicaretur, eorumdem Martyrum Corpora in eo fuiſſe horto tandem inuenta. Hoc enim ſatis ſuperquè videri poterat per binas illas Eccleſias indicatum teſtatumquè, ac penè tam diſertis expreſſum verbis, quàm publicè indita ſibi Martyrum ipſorum nomina præferebant. B C D

XVI. Sed hinc ad Baſilicam pergamus Ambroſianam, & ad Sanctos Martyres

tyres Protaſium ac Geruaſium, ſub eius Altari maximo quieſcentes vnà cum Ambroſio ipſo; ſicut in eodem Sanctuario ſuo Morigia pariter aſſirmat, vbi de Baſilica ipſa ſcribit Ambroſiana. Ibidem verò ſic etiam ſubdit: *Queſti Glorioſi Santi furono Nobiliſsimi Milaneſi, figli di San' Vitale e Santa Valeria: & ſi tiene, che foſſero di Caſa Souica. Furono ammaeſtrati nella Fede di Chriſto da San' Paolo Apoſtolo: e queſto conferma San' Pietro Damiano, dicendo, che non hebbero altro maeſtro nella Religione Chriſtiana, che San' Paolo. Et furono martirizati ſotto l'Imperio di Nerone, al tempo che San' Pietro e San' Paolo erano ancora viui* &c. A qua tamen temporis ſupputatione iam ego diſſenſi Capite 22. mihiquè adſtipulantur ea etiam, quæ iam ſupra diſſerueram Capite 17. 18. & 20. A

XVII. Sic etiam ne mihi quidem probatur ea loquendi formula, qua proximè (ſicut etiam ſupra Numero ſecundo) idem Morigia, & ante ipſum Carolus à Baſilica-Petri ſuperiore Capite 157. Num. 1. teſtimonium Petri Damiani explicabat. Verè ſiquidem, ſecundùm eius atteſtationem, Protaſius & Geruaſius magiſtrum habuere Paulum Apoſtolum, ſicut ego quoque Capite 9. diſſerebam; ſed non ſolum, ſicut interpretabantur Baſilica-Petri & Morigia, cùm dicerent, *che non hebbero altro maeſtro, che San' Paolo*. Etenim opinione mea (quam Capite 6. & alibi ſæpè comprobatam videre licet) magiſtrum iampridem habuerant Sanctum Caium, Sancti Antiſtitis noſtri Anathalonis eo tempore adminiſtrum, ac poſtea ſucceſſorem. Huic autem opinioni ne diſſentire quidem poſſunt Baſilica-Petri & Morigia; ſi modò conſtare ſibi velint. Illius verba iam ſupra recitauimus Capite 157. Num. 9. Morigia verò Euſtorgianam deſcribens Baſilicam, & Sancti Barnabæ Fontem ipſi proximum, ſic etiam fatetur: *Scriueſi coſtantemente, che San Caio, diſcepolo di San' Barnaba, ancora lui battezzò quiui grandiſsimo numero de Milaneſi, e Conſoli, e Senatori, & altri nobili Cittadini. Frà gli quali fù San' Vitale, e Santa Valeria ſua moglie, con Santi Geruaſio e Protaſio, ſuoi figliuoli.* B C

XVIII. In eiuſdem verò rei confirmationem legatur etiam idem Morigia Nobilitatis Mediolanenſis Libro 1. Capite 3. vbi ſic incipit: *Hauendo hora da fauellare di quei Santi, che furono di Patria Milaneſe; cominciaremo dà San' Vitale; per eſſer' egli ſtato il primo, che per l' immacolata Fede di Gieſù Chriſto riceueſſe il martirio. Queſto fù nobiliſsimo Milaneſe. Alcuni hanno detto, ch' egli fù di Caſa Souica: & queſto medeſimo diſſe più volte ſopra i pergami la ſanta memoria di Carlo Borromeo, Cardinale Ampliſsimo, & Arciueſcouo di Milano* &c. Et hic quidem nos iam ſiſtimus, & Morigiam noſtrum cum bona pace dimittimus. D

CAPVT CLXII. A

Ioannis Petri Gluſsiani teſtimonium.

I. SAcerdotis huius Ciuiſquè noſtri Mediolanenſis, vereque moribus ac litteratura & eruditione non minùs quàm genere nobilis, nomen eo præſertim apud nos inclytum eſt; quòd Sancti Caroli Cardinalis Archiepiſcopiquè noſtri Vitam Italico Sermone ſumma cum laude conſcripſerit, vſuiquè publico per typos tradiderit. Sed multa nihilominùs alia ille Opera litteraria edidit, Annoquè nominatim 1593. Librum de Septem Stationalibus & in vniuerſum & ſingillatim noſtræ Vrbis Eccleſiis. B

II. In hoc autem Libro, Stationem præſcribens ad Baſilicam Nazarianam, ſummatimquè Sanctorum Nazarii & Celſi Vitam enarrans, & ex ea quidem quam Mombritius quoque recitabat; Nazarium in primis aſſerit Sancti Petri Apoſtoli diſcipulum fuiſſe, necnon à Sancto Lino eius ſucceſſore baptizatum. Pauloquè pòſt ſic etiam inquit: *Finalmente arriuò à Milano: doue inteſe, che i Santi fratelli Geruaſio & Protaſio erano prigioni per la Fede di Gieſù Chriſto. Per il che gli volſe viſitare: & hauendo fatto con loro alcuni ragionamenti ſpirituali, gli conſolò; & confortò à ſopportare con buon'animo i diſaggi, & tormenti, & anco la morte, biſognando, per amore di Chriſto.* Et rursùs aliquantò pòſt: *Ritornò il Santo Martire à predicare l' Euangelio per le Città d' Italia, e finalmente ſi fermò in Milano. Inteſero la ſua venuta i Nimici del Nome Chriſtiano: &, per impedire il frutto ch' egli faceua, lo fecero pigliare, & lo diedero nelle mani d' Anolino, il Preſidente: il quale lo fece mettere nella prigione ſteſſa, doue erano ancora i glorioſi Martiri Geruaſio & Protaſio. Fù grande l' allegrezza de i Santi, quando ſi riuiddero inſieme* &c. C Sic etiam deinde, narrata Nazarii & Celſi cæde, concludit in hæc verba: *Furono ſepolti i ſuoi Santi Corpi da perſone timorate di Dio: i quali ſe ne ſtettero naſcoſti per molti Anni: & furono poi ritrouati dal glorioſo Arciueſcouo Sant' Ambroſio: il quale gli trasferì nella preſente Chieſa.* Loquitur autem de Nazariana & Apoſtolorum Eccleſia; ſed in eo certè fallitur (ſicut & à veteri eo declinat Auctore, quem Mombritius item ſequebatur) quod aſſerit, amborum Corpora in eam fuiſſe Baſilicam translata. D Non enim Celſi Corpus in eam translatum fuit. Quocirca etiam inter ſacras eiuſdem Baſilicæ Reliquias enumerat quidem Nazarij, ſed non Celſi Corpus, aut aliud quippiam ipſius. Eum, arbitror, errorem Gluſsianus è Breuiario Ambroſiano, per ea tempora vſitato, accepit, vel etiam è Romano,

CAPVT

CAPVT CLXIII. A

Ioannis Franciſci Beſutij teſtimonium.

I. NOnageſimus-ſextus ſupr Milleſimum quingenteſimum agebatur Annus, quando Ioannes Franciſcus Beſutius Pontificalem Mediolani Hiſtoriam, Italicè contextam, typis in lucem primò edidit: & hoc prima ipſa impreſsio luculenter in fronte teſtatum præfert; cùm alioqui ſecunda, & auctior, Annum præferat Sæculi poſterioris vigeſimum-tertium. Atqui nihilominùs ille de Sanctis non ſolùm Nazario & Celſo, ſed etiam Protaſio ac Geruaſio retinuit veterum Scriptorum ſententiam: B eoſquè pariter Martyres ſub Neronis Imperio necatos eſſe affirmauit.

II. In Sancto Caio, Antiſtite noſtro Tertio, ſic ille in primis: *Santo Gaio, Cittadino Romano, & diſcepolo anch'eſſo di San' Barnaba, ſucceſſo nel Veſcouato ad Anatalone. Battezzò alla Fonte, vicina à Sant'Euſtorgio, alcuni Senatori e Conſoli Milaneſi: Soffia parimente, con trè ſue figliuole, quali furono Sante, & chiamaronſi Fede Speranza & Charità: ſimilmente quel Filippo Oldano, ſi pio & deuoto, del quale più à baſſo ſi dirà. Fu il primo Gaio, quale ordinaſſe, che i Chierici nelle Chieſe à vicenda cantaſſero Hinni & Salmi di continouo in honor' di Dio.* Sed hoc ego quidem inuentum Sancto deberi Ambroſio, tunc oſtendam, quando, ſi Deus annuerit, propriam de Ritu Ambroſiano Diſſertationem conſcribam. Sequitur Beſutius: C *Patì con Clateo, Veſcouo di Breſcia, molte perſecutioni da Anolino, Prefetto di Nerone, facendolo publicamente fruſtare, e poi mandarlo in eſilio: facendo nell'iſteſſo tempo decapitare li glorioſi Santi Nazaro & Celſo. Fiorirono in oltre molti altri Santi Martiri Milaneſi: frà quali furono Vitale & Valeria: quali da queſto Santo Veſcouo furono battezzati. Vitale fù da Paulino, anteceſſore d'Anolino, condotto à Rauenna, & iui fatto decapitare* (Beſutius tamen in hoc etiam fallitur, vt iam vidimus Capite 8. Numero 2.) *& queſto fu il primo Martire Milaneſe. Valeria ſoſtenne il martirio in Milano: & nell'iſteſſo luogo, oue patì, fu anco ſepolta: & doppo qualche tempo fabricatogli in honor' ſuo vna Chieſa, quale anco hoggidì ſi vede. Nacquero di lei e di Vitale quei glorioſi Martiri Geruaſio e Protaſio, parimente da Gaio in-* D *ſtrutti nella Fede e battezzati, coronati poi della corona del martirio ſotto al Conte Aſtaſio, ſucceſſore d'Anolino.* Et paucis interpoſitis de itinere Caij ad Vrbem Romam, vt Sanctos Petrum & Paulum Apoſtolos inuiſeret, deque reditu ad Eccleſiæ Mediolanenſis regimen, ſic proſequitur Auctor: *Eraſene fuggito da tanta rabbia* (hoc eſt, Neronianæ perſecutionis) *il ſudetto Filippo Oldano: & eſſendo poi ſeguita la morte di Nerone, tornatoſene alla Patria fece vn' dono à Gaio del ſuo horto, nel quale già Filippo haueua di naſcoſto ſepolto molti Martiri. Gaio conſecrò detto horto, & fecelo Cemeterio: nel quale fu fabricata vna Chieſa d'ordine d'eſſo Gaio, & dedicata in honor' de tutti i Santi: quale poi in progreſſo di tempo fu detta*

in

in particolare de Santi Nabore & Felice, & à tempi noſtri di San' Franceſco. A
Quiui reſe Filippo l'anima al ſuo Creatore, & iui anco ſepolto con fama di ſantità &c. Hæc ibi Beſutius; ſicut & multa mox de Philippi filiis; in Sancto nimirùm Caſtritiano, Antiſtite Quarto.

III. Quæ verò poſtea in Sancto Ambroſio, Antiſtite Decimo-quarto, ille ſcripſit de Martyrum illorum inuentione ac translatione, ſunt huiuſmodi: *Nell'iſteſſo Anno apunto* (quo Ambroſius à Iuſtina Imperatrice grauiter vexatus fuerat) *nel meſe di Giugno, furono da queſto glorioſo Arciueſcouo ritrouati gli glorioſi Corpi di San' Geruaſio e Protaſio: quali ſino à quel tempo erano ſtati incogniti alla Città, e furono già martirizati ſotto Nerone. Hora per diuina reuelatione fù in ſonno auuiſato Ambroſio, che cauaſſe il terreno auanti alle ferrate dell'Altare di San' Nabore e Felice: e che iui ritrouerebbe i ſudetti Corpi de glorioſi Martiri. A gli tanti dunque di detto meſe di Giugno, hauendo congregato il Clero, e facendo cauare il terreno, ſubito apparuero queſte Sacre Reliquie* &c. Sic etiam, deſcripta poſtmodùm Theodoſij Senioris morte, quam contigiſſe Anno Salutis Humanæ Trecenteſimo nonageſimo-quinto, Calendis Februarii, aſſeruerat, hæc de ſolo Martyre Nazario (quem vtique ſolum narraturus erat ad Baſilicam translatum fuiſſe Apoſtolorum) adiecit: *Intorno à queſti tempi ritrouò il Corpo del glorioſo Martire San' Nazaro, fuori della Città, in vn' prato: & era in modo accommodato in quel ſepolcro, che parea che di freſco fuſſe ſtato martirizato, per il viuo ſangue, quale ancora vedeaſi: & traſportollo il giorno auanti della ſua ſolennità* (ſed hoc ego iam oſtendi factum, non ea die, quæ Iulii vigeſima-ſeptima deberet eſſe, ſed certè quidem Maii decima die) *nella Baſilica de gli Apoſtoli, quale fù poi chiamata dal nome del Santo: & iui lo riposè. Fù poi queſto glorioſo Corpo, inſieme con gli altri di queſta Chieſa, à dieci di Maggio del Mille cinquecento ſettanta-otto* (veriùs Septuageſimo-nono, vt iam ſupra dictum eſt) *dal Cardinale Borromeo di ſanta memoria portato in Proceſsione, & rinouata la ſua ſepoltura: alla quale interuennero gli Veſcoui della Prouincia, quali erano venuti al Concilio.*

CAPVT CLXIV.

Sancti Vlderici ope ad Baſilicam Nazarianam multa patrantur mirabilia.

I. DE hoc Sancto Vlderico recolantur ea, obſecro, quæ de ipſo dicta ſunt Capite 85. & 150. Quo quidem poſteriori Capite deſcripſimus, quemadmodùm eius Corpus, poſt publicam ſolemnemquè tranſlationem, Anno 1579. decima die Maii à Sancto Archiepiſcopo noſtro Carolo peractam, collocatum fuerit ſub Altari, recenter conſtructo in dextro Eccleſiæ latere, vbi priùs porta patens extiterat. Eam igitur portam

 tunc

tunc occluſerunt adſtructo pariete : ac ſicut intra Eccleſiam propè A
illum parietem iacebat Vlderici Corpus; ita eidem parieti extrinſecùs
appingendam curarunt eiuſdem Vlderici effigiem, ſed ſtantis; effi-
giem videlicet illam, quæ nunc exteriori tegitur porticu, lapideis in-
nixa columnis, & ferreis cancellis circumſepta.

II. De hoc igitur Vlderico & hac eius imagine loquens Paulus Morigia
in Vrbis & Diœceſis Mediolanenſis Sanctuario, cùm de Baſilica ſcri-
beret Nazariana, ſic tradebat : *Ancora vi giace il Corpo di Santo Vl-
derico, Veſcouo di Agoſta* (qua tamen in re nos illum falli iam credidi-
mus) *e la ſua imagine, pinta nel muro fuori della Chieſa, cominciò à far mi-
racoli l'Anno Mille cinquecento nouant'otto, il giorno de' Santi Geruaſio e Pro-
taſio, alli diecinoue di Giugno, con gran' concorſo del Popolo, e con offerte de* B
gran' voti: e tuttauia và perſeuerando. Et hæc quidem (ſicuti iam præ-
monui) Morigia tradebat Anno 1603.

III. Huc autem illa etiam profectò pertinent, quæ ſuperiore illo Capite
85. Num. 5. ego recitabam è Fragmentis Caroli à Baſilica-Petri, &
quæ Capite 150. Num. 15. è Sancti Caroli Vita, per Ioannem Petrum
Gluſsianum contexta.

IV. Sed & quàm frequens ætate item ac memoria mea illic fuerit Fidelium
concurſus : quam crebra inde beneficia mirabiliter reportata : quàm
ſalutaris hodieque ſit eiuſdem Sancti Annulus, ad ægros identidem
allatus: hæc ego ſatis iam indicaui Numero 472. in Ambroſianæ Ba-
ſilicæ Monumentis. C

CAPVT CLXV.

*Breuiarij Romani, Clementis Papæ Octaui iuſſu recogniti, & Anno
1602. euulgati, teſtimonium, de Sanctis Martyribus hiſce
noſtris, nonnihil ab anteriori Breuiario diuerſum.*

I. QVÆ Pius Papa Quintus conſtituerit pro Breuiarij Romani,
à ſe reformati, conſeruatione, ſatis hæc conſtant ex ipſius
Bulla, tunc temporis edita, ſcilicet Anno Domini Mille- D
ſimo quingenteſimo ſexageſimo-octauo, ſeptimo Idus Iu-
lii, & hodierno item Breuiario Romano præfigi ſolita.

II. *Cùm verò progreſſu temporis* (hæc autem cæteroqui verba ſunt Clementis
Papæ Octaui Anno Milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, die Maii deci-
mo, in altera ſua Bulla, pro eodem Breuiario data, eique pariter præ-
figi ſolita) *Typographorum negligentia & incuria, & nimia aliorum etiam
ea quæ ad ipſos non pertinent temerè ſibi aſſumentium audacia ac licentia,
multi errores in illud irrepſerint, ac tum in Sacra Scriptura & Lectionibus
Patrum, tum in Vitis Sanctorum & Rubricis aliiſque locis, ſine noſtra &
Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum auctoritate, pro cuiuſque
arbitrio*

arbitrio pleraque addita & immutata fuerint, itaut nulla iam reperiantur Breuiaria, quæ à prima editione eiuſdem Pij in multis non diſcrepent atque diſſentiant, & aliqua recognitione indigeant; Nos, qui pro Paſtorali noſtra ſolicitudine in eam curam præcipuè incumbimus, vt ea, quæ à Prædeceſſoribus noſtris ſanctè ac piè inſtituta ſunt, perpetuò integra & inuiolata conſeruentur; quæ verò hominum culpa immutata ſunt atque corrupta, & quæ recognitionem exigunt, in priſtinum ſtatum reſtituantur & reformentur; mandauimus nonnullis pijs & eruditis Viris, quorum conſultatione & opera in huiuſmodi rebus frequenter vtimur; vt idem Breuiarium noua adhibita diligentia accuratiùs inſpicerent atque examinarent; & ea, quæ deprauata eſſe, & recognitione indigere animaduerterent, pro ſua doctrina & pietate reſtituerent. Quod cùm ab ijs exactè ac profectò non mediocri cum emolumento præſtitum ſit, itaut ex ſuperiori illo incommodo per occaſionem non parum vtilitatis prouenerit; Nos illud in noſtra Typographia Vaticana quàm emendatiſsimè imprimi ac diuulgari iuſsimus &c.

III. Inter illos autem pios & eruditos Viros, quibus eiuſmodi curam Clemens Pontifex demandauerat, dubium profectò eſſe non poteſt (ac ſi quis fortè dubitat; Bartholomæum conſulat Gauantum ſtatim poſt finem Indicis rerum & verborum, quæ in Secundo eius Tomo Theſauri Sacrorum Rituum continentur, vbi eos ille omnes enumerat) dubium, inquam, eſſe non poteſt, quin præcipuum haberet locum verè piiſsimus & eruditiſsimus Baronius; quem ille propterea, tametſi reluctantem, nihilominùs Anno iam Domini Milleſimo quingenteſimo nonageſimo-ſexto, ætatis verò quinquageſimo-octauo, creauerat Eccleſiæ Romanæ Cardinalem, quiquè doctiſsimis Voluminibus ſuis auctoritatem in dies maiorem ſibi meritiſsimè conciliabat.

IV. Cùm igitur Sanctos Geruaſium & Protaſium Baronius tam diſertè iamdudùm & in aperto diſſeruiſſet paſſos non eſſe ſub Nerone; quid aliud reſtabat, quàm vt oppoſitum pronunciatum ipſe in primis contenderet è Breuiario Romano tollendum eſſe? ſiue quia falſum, ſiue quia falſi ſaltem ſuſpectum & controuerſum eſſet. Tunc nimirùm in hanc profectò ventum eſt ſententiam, vt illud ibi è medio tolleretur. Itaque ſuperiores illæ de Sanctis Nazario & Celſo ac Geruaſio & Protaſio Lectiones, quas ego fideliſsimè Capite 143. recitabam ex eo ſtatu, quem ab initio per Pij Quinti reformationem habuerant in Romano Breuiario, in hunc prorsùs modum reformatæ rursùs fuerunt.

V. Hoc enim Anno 1602. ad vigeſimam-octauam Iulii diem, ita legi cœptum eſt: *Nazarius, à Beato Lino Papa baptizatus, cùm in Galliam profectus eſſet; ibi Celſum puerum, à ſe Chriſtianis præceptis priùs inſtructum, baptizauit: qui vnà Treuirim euntes, Neronis perſecutione in mare vterque deijcitur, vnde mirabiliter euaſerunt. Poſtea Mediolanum venientes, cùm ibi Fidem Chriſti diſſeminarent; ab Anolino Præfecto, conſtantiſsimè Chriſtum Deum confitentes, capite plectuntur: quorum Corpora extra Portam Romanam ſepulta ſunt. Quæ cùm diu latuiſſent; Dei monitu à Beato Ambroſio*

conſperſa recenti ſanguine ſunt inuenta, tamquàm ſi paulò ante martyrium A
paſsi eſſent: vnde in Vrbem translata, honorifico ſepulchro contecta ſunt.
En igitur, quemadmodùm in præſenti editione reformauerint eam
ſuperioris editionis periodum: *Poſtea Mediolanum venientes, ibi primùm
Chriſti Fidem diſſeminarunt. Qui cùm Sanctis Martyribus Geruaſio & Pro-
taſio, in carcerem incluſis, inſeruirent, ab Analino Præfecto, conſtantiſsimè
Chriſtum Deum confitentes, capite plectuntur.* Certè autem ne Mediola-
nenſis quidem Eccleſia hoc admitteret, quod in ea priori editione ac
proximis eius verbis enunciabatur, Chriſti fidem hic primùm à Sanctis
Nazario & Celſo diſſeminatam fuiſſe. Primum enim Euangelicæ Fi-
dei ſibi diſſeminatæ miniſtrum ea non alium, quàm Sanctum Barna-
bam, agnoſcit; eumquè propterea quotannis hoc nomine peculiariter B
vt Apoſtolum ſuum veneratur. Quòd ſi etiam Nazarius & Celſus, ad
hanc Vrbem venientes, Geruaſium & Protaſium inuenerunt Chriſtia-
næ Fidei cauſa iam incluſos in carcerem; nonne ſequitur, vt alterius,
quàm ipſorum, miniſterio Chriſtiana Fides Vrbi noſtræ iam priùs in-
notuiſſet? Sed hinc ad Sanctorum Geruaſii & Protaſii Lectionem, nu-
perrimè in Romano Breuiario reformatam, progrediamur.

III. Ea quidem vndeuigeſimo Iunii die ſic ſe habet: *Geruaſius & Protaſius,
Vitalis & Valeriæ filij, quorum pater Rauennæ, mater Mediolani pro Chriſti
Domini Fide martyrium ſubierunt, diſtributo pauperibus patrimonio, domeſ-
ticos ſeruos libertate donarunt. Quo facto Gentilium Sacerdotes immane in
illos conceptum odium habebant. Quare cùm Aſtaſius Comes in bellum proſi-* C
*ciſci vellet, hanc occaſionem perdendi pios fratres ſe nactos eſſe putauerunt.
Itaque Aſtaſio perſuadent, ſe à Dijs admonitos eſſe, nullo modo eum in bello
victorem futurum, niſi, Geruaſio & Protaſio coactis Chriſtum negare, eoſdem
ad Sacra Dijs facienda compelleret. Quod cùm illi deteſtarentur; Aſtaſius
imperauit, Geruaſium tamdiu cædi, dum inter verbera expiraret; Protaſium,
fuſtibus contuſum, ſecuri percuti iubet. Quorum Corpora Philippus, Chriſti
ſeruus, clàm ſuſtulit, & in ſuis ædibus ſepeliuit: quæ poſtea Sanctus Ambro-
ſius, Dei monitu inuenta, in loco ſacro & inſigni collocanda curauit. Paſsi
ſunt Mediolani decimo-tertio Calendas Iulij.* Quamobrem hic etiam videre
licet, quemadmodùm prætermiſerint ea verba, *in Neronis perſecutione*, in
qua Vitalem ac Valeriam martyrium ſubiiſſe fuerat olim affirmatum: ea- D
què prætermiſerint, ne ſua ipſorum confeſsione cogerentur admittere,
Geruaſium itidem ac Protaſium in Neronis pariter perſecutione Martyres
effectos: neuè ſaltem negare cogerentur effectos tempore Marcoman-
nici eius belli, quod Baronius Anno Chriſti Centeſimo ſeptuageſimo-
primo excitatum aſſerebat; cùm alioqui Neronem in Annalibus tra-
didiſſet voluntariam ſibi mortem conſciuiſſe Anno Chriſti Septuageſi-
mo, quarto Idus Iunij. Sic igitur Eccleſia Romana Breuiarium ſuum
talibus hiſce quæſtionibus extraxit: eiquè tantùm, quod inter Viros
doctos certum eſſet omnibus & exploratum, inſiſtere voluit. Qua
tamen è claſſe mihi quidem non videtur dies ille, quo tandem paſsi

dicuntur

dicuntur hi Martyres. Vt enim Capite item 143. Num. 3. recolebam, non eo die, Iunii vndeuigeſimo, martyriu n illi conſummarunt, ſed à Sancto Ambroſio diuinitùs inuenti & in Ambroſianam translati Baſilicam fuerunt. A

CAPVT CLXVI.

Leuitæ Riſerræ à Nauero, Monachi Caſinenſis, teſtimonium.

I. HVius ego Auctoris, qui Sanctorum Vitalis & Valeriæ ac Geruaſii & Protaſii Acta proprio ſeparatim Libro, Italicè contexto, typis Papienſibus Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quarto ediderit: huius ego (inquam) Auctoris mentionem faciebam Capite 24. ibiquè nonnulla etiam eius pronunciata examinabam. Nunc de tempore præſertim, quo Martyres illos demùm necatos ipſe crediderit. B

II. Huc autem pertinet illud in primis, quod ipſe pagina 10. narrabat, Vitalem ac Valeriam (quos alioqui nobiles fatetur fuiſſe Mediolanenſes) in Vrbe Roma ſuaſu Sancti Petri, Euangelium ibi promulgantis, Chriſtianam Fidem ac Baptiſmum inter primos eius Apoſtoli diſcipulos ſuſcepiſſe: protinuſquè Geruaſium ac Protaſium, filios, ætate iam adultos, in eandem ſalutis viam induxiſſe.

III. Sic etiam eodem pariter illa pertinent, quæ ipſe narrando proſequebatur è pagina 13. vſque ad 76. Paulinum nempe Conſularem à Nerone poſt quintum eius Imperii Annum Rauennam miſſum eſſe cum poteſtate Iudicis in eos, quos Chriſto nomen dediſſe comperiſſet: atque tunc etiam Vitalem ac Valeriam illuc cum eo perrexiſſe: nec multo pòſt tempore Vrſicinum ibi medicum, cohortatione Vitalis in Fide confirmatum, martyrii coronam obtruncatione capitis reportaſſe: quam ob cauſam Vitalem quoque ipſum poſtea martyrio coronatum; ſicut & poſtmodùm Valeriam cum geminis infantulis, Diogenio & Aurelio. Etenim poſt hæc omnia ſic etiam ille ſubdit: *Li quali furono fatti degni di riceuere la corona del ſanto martirio dieci anni inanzi che gli Glorioſiſſimi Prencipi de gli Apoſtoli, Pietro & Paolo, ſantiſſimi, dall' empio Nerone foſſero fatti morire. Et queſto ſi può raccogliere da molti antichi & moderni Scrittori, & particolarmente da Alfonſo Villeguas, Theologo & Predicatore Spagnuolo* (cuius ego quoque teſtimonium iam recitaui Capite 148.) *il quale nel ſuo Legendario, ch' egli ſcriue della Vita de Santi (de quali celebra e recita l' Officio la Santa Catholica Chieſa conforme al nuouo riformato Breuiario Romano) minutamente và deſcriuendo il giorno, il meſe, & l' anno, nel quale non ſolamente i Santi Apoſtoli furono fatti morire; mà etiandio il giorno, l' anno, & il meſe, nel quale San' Vitale, è San' Geruaſio con Protaſio furono parimente vcciſi; e dice, che San' Vitale inſieme con la moglie Valeria furono martirizati il vigeſimt-ottauo giorno d'Aprile,* C D

d' Aprile, l' Anno di Chriſto Nato Seſſageſimo, vel circa; il quale fù apunto doppoche Nerone hebbe paſſato il quinto Anno del ſuo Imperio, il quale viene ad eſſere il vigeſimo-ſettimo doppo la morte di Chriſto Noſtro Signore; però noi trouiamo & prouiamo queſta eſſere la verità. Imperoche &c. Suam ergo mox conficit Annorum calculationem; indequè rursùs concludit, Sanctos Vitalem ac Valeriam necatos eſſe Anno Imperii Neroniani quinto, Dominicæ autem Natiuitatis Sexageſimo. A

IV. Pergit Riferra, Vitamquè Sanctorum Geruaſii & Protaſii narrare incipiens pagina 79. ſic inquit: *L' Anno antecedente che San' Vitale entraſſe in Rauenna, douendoſi egli partire da Roma con Paolino Proconſole, li due primogeniti del detto San' Vitale ſi ritirorono in Milano. Doue ſtettero dieci anni innanzìche fuſſero anch'eſsi coronati del ſanto martirio: il qual tempo viene ad eſſere il Seſſageſimo-nono Anno doppo la Natiuità di Noſtro Signore, & vn' anno inanzi che li Santi Apoſtoli Pietro & Paolo foſſero martirizati; come ſcriue & teſtifica Sant' Ambroſio, Dottore di Santa Chieſa, molto degno di fede; il quale, ſcriuendo à Fratelli d' Italia, in vna ſua Epiſtola* (cui nimirùm Libellus etiam Philippi confictus eſt) *racconta le infraſcritte coſe, in queſto modo dicendo: Ambroſio, ſeruo di Gieſù Chriſto* &c. Deinceps igitur è Latino Italicè reddit vniuerſam illam Sancti Ambroſii Epiſtolam & Philippi Libellum, qualem ſcilicet ego quoque iam ſupra recitaui. Sic etiam ſubinde adiicit eas in hanc hiſtoriam Obſeruationes, quas ego item Capite 140. ex Lippomano & Surio recenſui. B

V. Tum verò ſic etiam concludit pagina 87. *Come habbiamo detto di ſopra, furono figliuoli primogeniti di San' Vitale e di Santa Valeria: i quali fratelli furono martirizati il decimo-nono giorno del meſe di Giugno, Seſſanta-noue Anni doppo la Natiuità di Noſtro Signore Gieſù Chriſto, vel circa, al tempo di Domitio Nerone, Imperadore Romano, ciò è, l' Anno penultimo del ſuo Imperio, & vn' Anno inanzi de Santi Apoſtoli Pietro & Paolo: i quali egli fece vccidere l' vltimo Anno del ſuo Imperio; come ſcriuono molti, frà quali il Platina; il qual dice, che l' vltimo Anno di Nerone Pietro Apoſtolo fù poſto in Croce, e Paolo Santiſſimo fù decapitato l' Anno trigeſimo-ſettimo doppo la morte di Chriſto.* De quo tamen martyrii tempore, fratribus hiſce Sanctis per hunc Auctorem Riferram adſcripto, nos paulò aliter iam ſenſimus. Eos enim iam oſtendimus necatos vltimo Neronis Anno, quinetiam poſt Sanctorum Petri & Pauli, tum etiam deinde Nazarii & Celſi, necem. C D

VI. Sicut autem curæ mihi maximæ in præſenti etiam Diſſertatione hoc eſt, vt continenter argumentis confirmem, Corpora Sanctorum Protaſii & Geruaſii etiamnùm apud nos in Ambroſiana Baſilica conquieſcere; idcircò etiam operæ pretium erit hic referre, quid hac de re idem Riferra cenſuerit. Pagina ergo 94. ſic ille ſcribebat: *Queſti Glorioſi Santi al preſente ripoſano nella Città di Milano, nell' antica Chieſa dedicata à Sant' Ambroſio, come è vniuerſale opinione di tutti: e ſtanno ripoſti ſotto l' Altare Maggiore di detta Chieſa inſieme con il Corpo del detto Santo Arciueſcouo: e*

così

coſi da tutto il Popolo di Milano vien' creduto ; quantonque Giouanni Ludouico Viues nel Libro de ſuoi Commentarii , quali egli fà ſopra il Libro di Sant' Agoſtino , intitolato DE CIVITATE DEI , *dica queſte ſemplici parole, ſenza addurre altra ragione, ne autorità degna di fede : Martyrum Geruaſij & Protaſij Corpora (hi fuerunt filij Vitalis , Equitis Romani Martyris , & Valeriæ) Mediolano translata ſunt Briſacum Germaniæ à Federico Primo. Alle cui parole non ſi dee preſtar' fede alcuna. Perche hauendo il detto Giouanni Ludouico Viues dette molte altre coſe degne di correttione & di cenſura in quelli ſuoi Commentarij ; parimente ſi può credere , ch' egli habbia potuto dire coſa non vera , & per altrui relatione hauer' commeſſo queſto errore. Perche, quantonque in quel tempo da Federico Barbaroſſa Milano fuſſe ſtato diſtrutto & rouinato; nientedimeno la Baſilica Ambroſiana rimaſe in piedi , & molte altre Chieſe ; l' antichità delle quali rende teſtimonio à queſta verità . Percioche l' Imperadore fece (più toſto per ſdegno , che haueua concetto contro à Cittadini di Milano) ſpianar' le mura della Città , che per hauer' ouero portare via le Reliquie de Santi, che in quella ripoſano . Eſſendoche egli era huomo ſciſmatico , poco amico di Santa Chieſa , & più deſideroſo della gloria mondana , che di quella de Santi, & della Chieſa Santa , il cui Paſtore (Aleſſandro Terzo di queſto nome) egli perſeguitò grandemente . Et quantonque il Platina nella Vita del ſopradetto Pontefice Aleſſandro dica , che in quel tempo Rodolfo, Arciueſcouo Coloniefe, leuaſſe da Milano i Corpi de' trè Magi , & che li portaſſe in Alamagna , nella ſua Città di Colonia ; nientedimeno , non facendo egli altra mentione , che da Federico foſſero portati in Germania i Corpi de Santi (il quale per eſſer' huomo più toſto crudele , & che poco ſi curaua de ſimili coſe), li laſciò , & rimaſero in Milano* &c. Et rurſus paulò pòſt: *Mà ritornando al filo dell' hiſtoria noſtra ; dico , che ritrouandoſi al preſente il Corpo del Santo Dottore in Milano , nel proprio luoco , doue egli fù ſepolto , frà Corpi de Santi Geruaſio & Protaſio : & non eſſendo ſtato leuato da detto luoco quello del Santo Dottore ; conſeguentemente ſi può credere , che non ſiano ſtati leuati quelli de gli Santi Martiri. Percioche coloro , che haueſſero leuato l' vno , hauerebbero parimente leuato l' altro ; e coſi per conſequenza , eſſendo in detta Chieſa il Corpo del Santo Paſtore , vi ſono parimente quelli de detti Santi, venerati & honorati da tutto il Popolo Milaneſe per loro Difenſori & Protettori* . Tales igitur erant coniecturæ , quibus Riſerra inueteratam & communem confirmabat Populi Mediolanenſis hac de re opinionem ac fidem : pro qua ego item pluribus iam in locis abundè diſſerui.

VII. Cæterùm de annua horum Martyrum celebritate idem Auctor quædam mox narrare pergit , quibus ego aſſentiri non poſſum . Narrat enim: *Et quantunque nella Città di Milano , per cauſa della lunghezza del tempo paſſato , & che dall' età di Sant' Ambroſio ſino à giorni noſtri ſi foſſe raffreddata quella diuotione & il modo di celebrare la ſolenne feſtiuità di detti Santi , come per il paſſato era ſolito farſi , cauſata ancora dalle molte riuolutioni & rouine di detta Città (& che però ſe ne faceſſe qualche poco di memoria , quantonque non foſſero honorati vniuerſalmente da tutto il Popolo con*

quella

quella diuotione di prima) nientedimeno nuouamente è ſtata rinouata la ſolenne A
feſtiuità loro dalla felice memoria del Beato Carlo Borromeo, Cardinale di Santa
Chieſa, & Arciueſcouo di detta Città, viuendo; & queſto fù, quandoche,
per leuare la dapocagine & la negligenza verſo i ſuoi Santi, per il paſſato
tempo commeſſa dal Popolo Milaneſe; il Signore inſpirò detto Beato Carlo, che,
per rimediare al grauiſſimo contagio, che la ſua Città haueua patito l' Anno
1576. & l' Anno ſeguente ancora, faceſſe voto di rinouare la ſolenne memo-
ria de ſuoi Santi; acciochè foſſe liberata dal peſtifero male. La qual coſa ha-
uendo egli ottenuta; nel publico Sinodo Metropolitano, quale egli fece doppo la
liberatione dal contagio, ordinò con conſiglio de Padri per publico decreto, che
in tutta la Città di Milano, & ſua Dioceſi, per l' auuenire con ogni diuotio-
ne & ſanta oſſeruanza ſi doueſſe celebrare feſtegiare & riuerire il giorno na- B
tale di queſti Santi Martiri, ſuoi Cittadini & Protettori, à perpetua memo-
ria del voto fatto, per ottenere la liberatione del tanto ſpauentoſo contagio, la
quale per l' interceſſione di detti Santi egli ſupplicando haueua già ottenuta.
Onde per queſto ſanto decreto hoggidì la feſtiuità di queſti Santi da tutto il
Popolo con allegrezza e ſanta diuotione vien' oſſeruata. Errat igitur hoc loco
Riferra, Sanctiſquè Protaſio & Geruaſio perperàm id adſcribit, quod
Sancto Martyri Ciuiquè pariter noſtro Sebaſtiano tribuendum re vera
eſt. Sic enim apertè conſtat è primo Diœceſanæ decreto Synodi, quam
Sanctus ille noſter Antiſtes Carolus Anno 1578. celebrauit; ac præ-
terea ſimiliter conſtat ex eius Vitæ Scriptoribus, Carolo à *Baſilica-*
Petri, & Ioanne Petro Gluſsiano, ambobuſquè Libro 4. Capite 5. C
Sanctus ergo Carolus non ex voto, nec eo peſtilentiæ tempore, ſed
alio titulo ac tempore anniuerſariam illorum Martyrum celebritatem
in vſum reuocauit, verequè reuocauit. Hoc enim diſertè teſtatur iti-
dem Carolus à Baſilica-Petri, in Hiſtoria Mediolanenſi, ſeu in Sancto
Caio, Antiſtite Tertio, propè finem, his verbis, *Qua de re Carolus Ar-*
chiepiſcopus nuper etiam conſtituit: & in eiuſdem Sancti Caroli Vita, Li-
bro 7. Cap. 27. necnon etiam Petrus Gluſsianus Libro 8. Cap. 2. *Licet*
enim eorum Martyrum feſtiuitas Anno 1539. communiter à Clero
Populoquè celebraretur, & propterea in eius Anni Calendario, quod
Breuiario præfixum fuit, rubris eſſet litteris, è more aliarum celebri-
tatum, conſignata; nihilominus non multo pôſt intermitti cœpta eſt. D
Itaque nonniſi atris characteribus notata conſpicitur in Calendario,
quod Anno poſtea 1549. & 1557. præfixum fuit Breuiario, quodquè
Anno 1560. præfixum fuit Miſſali noſtro Ambroſiano. Quinetiam in
huius Miſſalis Calendario id ego inſuper obſeruaui, quod pridie diei
vndeuigeſimæ Iunij, quæ dies ijs Martyribus deſtinata eſt, hanc quo-
què prætermiſerunt clauſulam, quæ in anterioribus illis editionibus
extabat: *Vigilia per Sanctum Ambroſium*. Quam Vigiliæ non quidem
omiſsionem, ſed tamen atrum illum colorem poſtea ego etiam obſer-
uaui in alio, quod mihi eſt, Calendario, quod ſeparatim eiuſdem
Sancti Caroli iuſſu editum fuit Anno 1570. Certè autem in Breuiarij,
per

per eumdem Sanctum Antiſtitem Anno 1582. reformati, Calendario A
prætermiſſa quidem fuit eius Vigiliæ mentio; ſed non rubeus ille color, communium Clero Populoquè feſtiuitatum index indubitatus.

VIII. Riferram porrò illum, quo hactenùs teſte vſus fui, Monachum fuiſſe Caſinenſem, Capitis huius initio præmonebam. Ipſe nimirùm talem ſe prodidit pag. 92. & è pag. 121. vſque ad finem Operis; è quo tandem condiſcimus, eum etiam fuiſſe Alumnum nobiliſsimi Monaſterij Rauennatis, quod Sancto Vitali noſtro nuncupatum eſt, & in cuius Eccleſia ſacrum illius Corpus requieſcit. Quam quidem ob cauſam pluribus etiam ipſe agit de illa eadem Eccleſia, ſequè tandem ipſum profitetur quinquaginta iam annos ſub Sancti Vitalis vexillo militaſſe; quia ſcilicet totidem annos Monachus eius Monaſterij iam tum vi- B
xiſſet, quando ſuum id Opus concludebat.

IX. Sicut autem viciſsim ego me glorior Laurentianæ huius Eccleſiæ Miniſtrum eſſe, necnon etiam Monumentorum eius Collectorem ſtudioſum; ſic etiam mihi tandem id liceat recitare, quo ſui Monaſterii Eccleſiam his etiam verbis Riferra commendabat: *Queſto antico e nobiliſſimo Tempio è fatto di forma rotonda, à ſimilitudine della fabrica che era l'antico Tempio di San' Lorenzo di Milano.* Certè autem cùm veterem deſcribit eius muſiuo ex opere ornatum, hac ego in parte ſimillimum illi viciſsim nuper etiam fuiſſe video alterum apud nos Templum, Laurentiano contiguum, quod antiquitùs Reginæ Cappella vocabatur,
ac Sancto Geneſio Martyri ſacrum erat, quodquè nunc Sancti Mar- C
tyris Aquilini nomen habet ex eius Corpore, quod adhuc incorruptum tumuloquè conditum nobiliſsimo conſeruat.

CAPVT CLXVII.

Corpora Sanctorum Martyrum, Baſilidis Cyrini & Naboris, honorificè Anno 1608. collocantur in Cappella, eis à Cæſare Marino exornata.

I. IVſtum profectò, nedùm conueniens, iam erat, vt Cor- D
pora Sanctorum Baſilidis Cyrini ac Naboris, Martyrum, ſuo è tumulo in Eccleſiæ Celſianæ Sacrarium Anno iam 1581. priuatim translata, ibiquè clauibus ac ſigillis occluſa, quoadvſque nouum illis & condecens Altare alibi apto in loco intra eamdem Eccleſiam (ſicut Capite 151. narrabam) extrueretur: iuſtum profectò iam erat (inquam) vt Anno tandem 1608. tumulum ſortirentur honeſtiorem, atque in Cappella ſibimet ipſis propriè deſtinata conuenienter cuſtodirentur.

II. Propè Marianam ergo Cappellam illam, de qua ego Capite 151. &

155. ſcribebam, conſtructa eſt altera: eaquè ſumptibus Cæſaris Marini, Patricii Genuenſis, aucta demùm & ornata, decorum aptumquè A illis Martyrum exuuiis conditorium fore viſa eſt. Quocirca marmoream quoque Tabulam in ſiniſtro eiuſdem Cappellæ latere inſeruerunt parieti, & his quidem litterarum inſculptam monimentis:

D O M

Nemur Baſilides Romanæ robora pubis
Cæde ter in ſocia terquè Cyrine cadis
Vna tergemini cineres ſeruantur in vrna
Cæſaris hæc pietas Cæſaris ille furor.
Aucto ornatoquè Sacello
cibariis Sacerdoti decretis B
Cæſar Marinus
Pat. Gen.
Corpora trium Martyrum
qui ſub Maximiliano Cæſ.
ſingulari conſtantia vitam perfuderunt
hoc in loco ſeruanda colendaquè
curauit
Anno Domini MDCVIII.

C

CAPVT CLXVIII.

Philippi Ferrarij teſtimonium.

I. Quàm optimè quidem Ferrarius ſciebat, quæ de Sanctis Geruaſio & Protaſio doctiſsimus Cardinalis Baronius tandem ſenſiſſet, quinetiam ſentiret adhuc, ſuperſtes, & omnium rectè ſentientium voce prædicatus Eccleſiaſticæ Parens Hiſtoriæ. Sic etiam ignorare vel diſsimulare non poterat, quæ tandem iuſſu Clementis Papæ Octaui mutata fuerant D in eorum Lectionibus, à Romano Breuiario præſcriptis. Et eos nihilominùs ore rotundo aſſerere non dubitauit paſſos eſſe ſub Nerone, poſtremamquè illam Baronii opinionem minùs eſſe veriſimilem. Itaque tam ipſos, quàm ipſorum parentes Vitalem ac Valeriam, necnon etiam Vrſicinum Medicum, ſicut etiam Nazarium & Celſum, Neronianæ omnes perſecutioni Martyres accenſuit in ſuo Sanctorum Italiæ Catalogo, primùm edito Mediolani Anno 1613.

II. Ab Vrſicino ipſo ſecundùm temporis ſeriem ordiamur. Sic enim vndeuigeſima Iunii die teſtatum reliquit: *Vrſicinus Medicus, genere Ligur, Rauennæ à Sancto Apollinare cum aliiſquè Chriſti Domini Fidem perdoctus, Nerone*

Nerone Imperatore, apud Paulinum Conſularem, quòd Chriſtianus eſſet, ac- A
*cuſatur. A quo, poſt multa tormenta fortiter ſuperata, damnatus ad mortem,
cùm ad ſupplicium duceretur, nonnihil mortem reformidans titubare videba-
tur. Sed Vitalis, Militis Prætoriani, qui clàm Chriſtum colebat, cohortatio-
ne roboratus, intrepidè capitalem pœnam excepit, decimo-tertio Calendas
Quinctilis capite truncatus &c. Ex Hieronymo Rubeo, Lib.* 1. *Hiſtor. Rauenn.
qui ex eiuſdem Eccleſiæ Monumentis accepit: Petro in Catalogo, Lib.* 5.
Cap. 127.

III. Vrſicinum Martyrem ſubſecutus eſt poſtea Vitalis, ac Vitalem Valeria.
De Vitali ergo Ferrarius in eodem Catalogo, vigeſima-octaua die
Aprilis hæc tradebat: *Vitalis, Miles, Sanctorum Geruaſij & Protaſij
pater, cum Paulino Iudice Conſulari Rauennam veniens, cùm Vrſicinum,* B
*Medicum Ligurem, ob Fidem Chriſti ad ſupplicium ductum, paululùm in tor-
mentis titubare vidiſſet; contineri non potuit, quin (cùm iam Chriſtum cole-
ret) exclamaret: Vrſicine Medice, qui alios curare conſueuiſti, caue, ne te
mortis æternæ iaculo confodias. Qua voce Vrſicinus vehementer confirmatus,
martyrium fortiter ſubiit* &c. Hinc igitur, eiuſdem Paulini iuſſu, Vita-
lis etiam ipſe necatus ad martyrii palmam peruenit. Qua narrata Fer-
rarius cæde, ſic ſubdit: *Ex Breuiario Romano, & ex Actis Sanctorum
Geruaſij & Protaſij.* Ex iis nimirum Actis, quæ Sanctus Ambroſius,
è Philippi Libello exſcripta, in ſuam illam Epiſtolam tranſtulit. Se-
quitur Ferrarius: rurſumquè ſic annotat: *Etſi, quo Imperatore Sanctus
Vitalis paſſus ſit, ex Breuiario* (videlicet Romano) *non apparet, neque ex* C
*Martyrologio; ex Paſſione tamen Sancti Vrſicini Martyris, de qua inter alios
Hieronymus Rubeus Libro Primo Hiſtoriarum Rauennatum, colligitur, illum
circa Neronis Imperatoris tempora martyrium ſubiiſſe; cùm Vrſicinus ex eo-
rum numero ſit, qui à Sancto Apollinari, Primo Epiſcopo Rauennatum, ad
Fidem conuerſus eſt. Petrus in Catalogo, Libro* 4. *Cap.* 95. *Sanctum Vita-
lem, patria Mediolanenſem, fuiſſe ſcribit ſub Nerone Anno Salutis Quinqua-
geſimo-ſexto* (in meo tamen exemplari, ſicut in fine Libri Vndecimi
habetur, Venetijs impreſſo Anno Domini 1516. legitur *circa Annum
Domini Quinquageſimum-ſeptimum*: & ita exſcribebam ego quoque ſupe-
riori Capite 117. Num. 4.) *quod rationi temporum repugnat. Nam Anno
Quadrageſimo-ſexto Sanctus Apollinaris Primus Epiſcopus Rauennatum à* D
*Sancto Petro Apoſtolo ordinatus traditur. Nero autem, Anno Quinquageſi-
mo-ſexto Imperium adeptus, nondùm perſecutionem in Chriſtianos excitarat.
Id enim Anno Sexageſimo-quinto factum eſt.* Sed hoc quidem à me nega-
tur, ſatiſquè confutatum iam manet per ipſamet Sanctorum Protaſii
& Geruaſii Acta, è Philippi Libello recitata, & à Sancto Ambroſio
tamquè multis aliis Rerum Scriptoribus & ab ipſomet etiam Ferrario
comprobata; quibus traditum eſt, Sanctos illos Fratres nonniſi vnde-
cimo poſt Parentum ſuorum necem Anno necatos eſſe. Proſequitur
ibidem Ferrarius: *Meminit Sancti Vitalis Martyris Venantius Fortuna-
tus Libro 4. Vitæ Diui Martini:*

Inde Rauennatum placitam pete dulcius Vrbem, A
Pulpita Sanctorum per relligioſa recurrens,
Martyris egregii tumulum Vitalis adora.

Nec vlterius Venantii carmina recitare Ferrarius pergit. Atqui pergit
Baronius in Notationibus ad Sanctum Vrſicinum in Martyrologio
Romano, die 19. Iunii: & hæc item carmina ſubdit, quorum pri-
mum nonnihil me tenuit ancipitem:

Mitis & Vrſicini, Pauli ſub ſorte beati,
Rursus Apollinaris pretioſi limina lambe,
Fuſus humi ſupplex, & Templa per omnia curre.

Curioſus ergo inueſtigare cœpi, quo ſenſu Venantius Vrſicinum ap-
pellauerit beatum *Pauli ſub ſorte*: quiſuè Paulus ille fuerit. An fortè B
Paulus Apoſtolus: & an fortè ſub eius ſorte beatus, quia ſub eius fue-
rit magiſterio. Qua quidem admiſſa interpretatione, protinus ego
Venantii quoque teſtimonio poſtremam illam Baronii opinionem re-
fellere potuiſſem. Si enim Pauli Apoſtoli diſcipulus fuiſſet Vrſicinus;
quid vetabat, quominus tam ipſe, quàm Vitalis & Valeria, quamquè
Protaſius & Geruaſius necati ſub Neronis Imperio fuiſſent? quid ex
aduerſo Baronianæ illi opinioni de Sanctis Protaſio ac Geruaſio, pro-
indequè de Sanctis eorum Genitoribus Vrſicinoquè, non obſtabat?
Irrequietus igitur conſulere cœpi quaſcumque poſſem Carminum Ve-
nantii editiones, & eorum Interpretes; neque tamen adhuc inuenire,
quod optabam, datum eſt. Non apud Baronium modò, ſed etiam in C
Veneta editione Anni 1570. apud Hæredes Iacobi Simbenii, & in
Moguntina Anni 1603. per Balthaſarum Lippium, cum Notis Chriſ-
tophori Brouueri, necnon etiam in Secunda Tomi Sexti Parte Biblio-
thecæ Veterum Patrum, ſecundum editionem Anno 1618. Coloniæ
Agrippinæ elaboratam, legitur *Pauli ſub ſorte beati*. Verumtamen in
Bibliothecæ Veterum Patrum editione Secunda Pariſienſi Anni 1589.
Tomo Octauo (nimirum propè finem Vitæ Sancti Martini, quæ illic
tota ex eodem Venantio recitatur) hunc in modum ſe habet: *purili*
ſub ſorte beati. Quæ quidem dictio *purili* quid ſignificet, mihi profectò
tam ignotum eſt, quàm quid dictio illa *blictri*, quam Dialectici pro-
ferre ſolent in exemplum dictionis, quæ nihil prorsus ſignificet. Hinc D
ergo tandem ſuſpicari cœpi, ſecundum Venantij voluntatem ac ſen-
ſum, non *Pauli*, non *purili*, ſed potius *parili* legendum eſſe. Sicut au-
tem in Latinæ Linguæ Theſauro habetur (non enim dedignetur Lec-
tor hæc item minutiora mecum è Grammaticis recolere) *Parilis, &*
hoc parile, penultima correpta, ſignificat æquale. Lucretius Lib. 2. 76. Con-
charumquè genus parili ratione videmus pingere telluris gremium. Aetate
parili, Ouid. 8. Metamorphoſeon 127. Ratione parili, Lucretius Lib. 2. 75.
Accipere, & parili reddere voce Vale, Ouidius Primo Triſtium Eleg. 7. 6.
Sic etiam *Parilitas, penultima correpta, parilitatis, Aequalitas. Gellius Lib.*
14. Cap. 3. Parilitas virtutum inter ſe conſimilium. Secundum hanc ergo

dictionem

Digitized by Google

diſtionem atque ſignificationem facillima eſſet eius verſiculi expoſitio; A
quia ſcilicet tam Vrſicinus quàm Vitalis beatam in Cælo vitam ex
æquo per martyrium ſortiri fuiſſent; Vrſicinus quidem mitis Medicus
ac timidus, Vitalis autem Miles egregius & interritus. Quòd ſi quis
nihilominùs legendum eſſe *Pauli* contendat; non ego quidem valde
repugnabo; ſi tamen interpretationem cæteroqui non repugnantem
adiiciat.

IV. Cæterùm Ferrarius, ad quem reuertor, eadem pariter illic die Aprilis vigeſima-octaua ſeparatim deſcripſit Sanctæ itidem Valeriæ Vitam: & hanc *Ex Paſsione Sancti Vitalis, apud Surium Tomo Secundo relata* (nimirùm ex eo Sancti Petri Damiani Sermone, cuius partem recitabam ego quoque Capite 8. Num. 4.) *& Petro in Catalogo, Libro 4. Cap. 96.* B
In Annotatione autem proxima ſic etiam obſeruauit: *Non hac die paſſa eſt* (Valeria) *cùm inter Viri paſsionem & ſuam tempus menſtruum plus minus interceſſerit. Hac tamen die eius Natalis, qua & Vitalis eius viri, recolitur; cùm dies paſsionis illius ignoretur.*

V. Sicut autem Nazarium & Celſum iam diximus necatos poſt Vitalis & Valeriæ, itemquè poſt Apoſtolorum Petri & Pauli, ſed ante Geruaſii ac Protaſii necem; ſic etiam conſequens iam eſt, vt ea videamus, quæ ipſe ſcripſerit de illorum Vita. *Nazarius* (verba ſunt ipſius vigeſima-octaua Iulii die) *Romæ Africano patre, viro clariſsimo, licet à Chriſtiana Religione alieno, Perpetua verò matre, à Sancto Petro Chriſtianæ Fidei præceptis imbuta, natus: matris pietatem ac religionem ſecutus, à Sancto Lino* C
Papa lauacro expiatus eſt. Illum pater à Fide auertere fruſtra conatus, vt Roma, ob perſecutionem in Chriſtianos excitatam, excederet, perſuaſit. Quare Beatus Iuuenis, diuitijs oneratus diſcedens, aurum & argentum largè pauperibus cœpit diſtribuere: decimoquè egreſsionis Anno Placentiam, vbi Fidem prædicauit, & Mediolanum venit. Vbi Sanctos Geruaſium & Protaſium vinctos (ſiue potiùs ſuo illo Cœnaculo ſponte incluſos) *cum frequens viſitaret, ad conſtantiamquè hortaretur; Præfecti Anolini iuſſu comprehenſus, fuſtibus crudeliter cæſus, Vrbe eijcitur. In Gallias profectus, Celſum puerum, Camelæ Vrbe, Chriſtianis præceptis à ſe inſtitutum, baptizauit. Qui vnà Treuiros euntes, vterque in Neroniana perſecutione in mare deiicitur; ſed ab Angelo erepti Genuam, vbi Chriſtum annunciant, Mediolanum deinde. Vbi cùm Chriſti Domini Fidem diſſeminarent; iuſſu Anolini Præfecti,* D
dum conſtantiſsimè Chriſtum Deum verum confitentur, poſt longum carcerem capite plectuntur quinto Calendas Auguſti. Quorum Corpora, extra Portam Romanam ſepulta, cùm diu latuiſſent; à Sancto Ambroſio, recenti ſanguine conſperſa, ac ſi paulò ante martyrium paſsi eſſent, inuenta, in Vrbem tranſlata (ſatis hac de re nos alibi iam diximus) *honorifico ſepulchro condita ſunt; illiſquè Templa auguſta poſtea excitata fuere. Ex Breuiario Romano, & Paſsione, à Surio Tomo Quarto* (immò verò Tertio, & è Simeone quidem Metaphraſte) *relata, & à Mombritio Tomo Secundo.* Sed rursùs etiam in Annotatione ſic obſeruat: *Variè Hiſtoria hæc apud Surium &*

Mombritium

Mombritium referri videtur. Vtrobique autem quædam parùm veriſimilia, A
quæ corrigenda eſſent (quid ſi fortè tacitus ea prorsùs innuat , quæ per
nos quidem vtrobique correcta iam fuerunt?) *continentur. Nomina loco-*
rum apud Surium deprauata ſunt. Quòd in mare deiecti dicuntur ; id non
apud Treuiros, vnde mare longiſsimè abeſt, ſed apud Romam contigiſſe apud
Mombritium legitur. Cùm enim Nazarius Treuirenſes Ciues ad Chriſtum
conuerteret; à Cornelio Præfecto Romam ad Neronem, vt is præceperat,
vinctum illum cum Celſo miſit (ſed legendum potiùs videtur, *vinctus*
ille cum Celſo miſſus eſt) vt apud eumdem Mombritium. His verò Ferra-
rius Hymnum etiam de Sancto Nazario perelegantem ſuperaddit è
Iacobo Sannazario, ab his incipientem verbis, *Matris heu vulnus gra-*
ue, ac deſinentem in hæc, *notus & Indis*. Sed hic ipſe tam in prin- B
cipio quàm in fine auctior legi poteſt apud Auctorem ipſum Libro 2.
Epigrammatum, propè finem. Breuiter eo quidem præcipua Nazarii
& Celſi Acta recenſentur, quemadmodùm apud Mombritium explicatè
narrata fuerunt: neque tamen interim tacetur, eos ſub Nerone paſſos
eſſe. Paulo autem Iouio teſte, Sannazarius Neapoli quidem fuit edu-
catus; atqui vetuſtæ ſtirpis originem traxit è Sancto Nazario, Lau-
mellini Agri Oppido, inter Padum & Ticinum amnes non ignobili.

VI. Ad Geruaſium & Protaſium nunc progredior. De quibus hæc quidem
Ferrarius vndeuigeſima Iunii die: *Geruaſius & Protaſius, fratres, San-*
ctorum Vitalis & Valeriæ filij, quorum pater Rauennæ, mater Mediolani
pro Chriſto martyrium ſubijt, cùm Rauenna Mediolanum profecti fuiſſent; C
poſt matris necem diſtributo pauperibus matrimonio (*patrimonium enim Ra-*
uennæ illis fuerat) domeſticos ſeruos libertate donarunt. Cùm verò orationi
& rerum diuinarum lectioni ieiunantes vacarent (nonne verò per decem
annos poſt Vitalis & Valeriæ necem, ſicut in Libello Philippi teſtatum
eſt? nonne poſt necem illis etiam ſub Nerone illatam, ſicut ipſe-
met etiam Ferrarius contendit?) *immane in ſe odium Sacerdotum Idolo-*
rum concitarunt. Qui Aſtaſio Comiti, in bellum aduersùs Barbaros proficiſ-
centi, perſuadent, ſe à Dijs admonitos, nullo modo eum victorem in bello
futurum, niſi Geruaſio & Protaſio Chriſtum negare & ſacra Dijs facere co-
actis. Itaque Aſtaſius Sanctos fratres, comprehenſos, Dijs immolare iubet.
Illis verò rem maximè hanc deteſtantibus; Geruaſium tamdiu cædi imperat, D
donec inter verbera expiraret; Protaſium verò, fuſtibus contuſum, ſecuri
percuti mandat. Quorum Corpora Philippus, Dei ſeruus, clàm ſublata, in
ſuis ædibus ſepeliuit. Quæ poſtea Sanctus Ambroſius, inuenta Dei admonitu,
in loco ſacro & inſigni collocauit. Paſſi ſunt Mediolani decimo-tertio Calendas
Iulij, ſub Nerone, circa Annum Salutis Septuageſimum. Ex Breuiario Ro-
mano, & Paſſione Sancti Vitalis Martyris, à Surio relata Tomo Secundo.
Videamus verò nunc, quid ille protinùs in Annotatione, quidquè iu-
dicii ferre non timeat de poſtrema illa Baronii ſententia. *Græci* (ait)
in Menologio & Symeon Metaphraſtes de his pridie Idus Octobris ſimul cum
Sanctis Celſo & Nazario agunt. Metaphraſtes enim illos ſimul Mediolani paſſos
fuiſſe

fuiſſe ſcribit. Sed licet eodem Anno, quo Celſus & Nazarius (ego ne hoc quidem adhuc admiſi) *ac ſub eodem Imperatore coronati fuerint; non tamen eodem die*. Age verò: quid hic tandem, Ferrari, de opinione illa Baronii? *Baronius* (ecce liberam hominis vocem, nobiſquè planè conſentaneam) *in Annalibus Eccleſiaſticis, ad Annum Centeſimum Septuageſimum-ſecundum, hos ſub Marco Aurelio & Lucio Vero Imperatoribus paſſos opinatur. Quod minùs veriſimile eſt; cùm Vitalis, horum pater, à Sancto Apollinare conuerſus ſit; hos verò in iuuentute coronatos, ex Actis appareat.* A

VII. Apollinarem porrò ipſum Ferrarius vigeſima-tertia Iulii die annotat coronatum martyrio fuiſſe Anno Domini Septuageſimo-quinto, poſteaquàm Eccleſiæ Rauennati primus Epiſcopus præfuiſſet annos vndetriginta. B

VIII. De Sancto autem Caio, Antiſtite noſtro, vigeſima-ſeptima Septembris die, ſic ille: *Caius Sergius, Romanus, Barnabæ Apoſtoli diſcipulus, vitæ ſanctitate & charitate in pauperes conſpicuus, Sancto Anathalone in Epiſcopatu ſubrogatur. Is vnà cum Clateo, Epiſcopo Brixienſi, multa, Nerone Imperatore, Chriſtianæ Fidei cauſa, ſub Anolino Præfecto perpeſſus eſt. Geruaſium & Protaſium, Ciues Mediolanenſes, Ordinis Senatorij, erudiuit in Fide, & Baptiſmo regenerauit.* &c. His autem conſentanea ſunt etiam illa, quæ deinde primo Decembris die tradidit de Sancto Caſtritiano, Caii eiuſdem ſucceſſore.

IX. Denique verò de Sancto Syro, Ticinenſis Vrbis Epiſcopo Primo, ſic item Ferrarius nona Decembris die: *Syrus, Beati Petri Apoſtoli diſcipulus, ab eo &c. Epiſcopus ordinatus circa Annum Salutis noſtræ Quadrageſimum-ſextum, Ticinum venit vnà cum Iauentio, Pompeio, Chryſanto, & Fortunato.* Et paulò pòſt: *Mediolanum, ad Præſidem, cui quòd nouam religionem & doctrinam prædicaret delatus fuerat, euocatus, eas ſuæ religionis cauſas attulit, vt, liber dimiſſus, ad Euangelii prædicationem, licet ſibi interdictam, redierit. Ticini Templum Sanctis Martyribus Geruaſio & Protaſio, qui ſuo tempore martyrium Mediolani paſsi fuerant, ædificauit.* Et rurſùs aliquantò pòſt: *His alijſquè compluribus geſtis clarus, cùm Ticinenſem Eccleſiam inſiſtens, optimè à ſe inſtitutam, Annos circiter Sexaginta adminiſtraſſet; aſsiduis laboribus pro Chriſto, ſenioquè confectus migrauit ad Dominum quinto Idus Decembris Anno poſt Chriſtum natum Centeſimo-ſexto, Anacleto Pontifice Maximo, & Traiano Imperatore. Cuius Corpus in Aede Sanctorum Geruaſij & Protaſij, à ſe conſtructa, ſummo Ciuium mœrore ſepultum, poſt Annos ſeptingentos in Eccleſiam Cathedralem decimo-ſeptimo Calendas Iunij translatum, ibi ante Aram Maiorem intra Templi columnam honorificentiſsimè conditum eſt. Ex Monumentis Eccleſiæ Papienſis. De eo Breuiarium Aquileienſe, Monumenta antiqua Eccleſiæ Veronenſis, Petrus in Catalogo Libro 1. Cap. 50. Boninus Mombritius Tomo Secundo, Surius Tomo Septimo, præter Scriptores Papienſes, Luitprandum, Guallam, Breuentanum, & Speltam.* Qui quidem Scriptores item Papienſes velut vno omnes ore conſentiunt, & Geruaſium ac Protaſium tempore Neronis necatos, & à C D

Sancto

Sancto Syro Eccleſiam illis conſtructam eſſe, in qua ſepultus etiam A
fuit. Antiqua verò illa Veronenſis Eccleſiæ Monumenta typis Venetis Anno Domini 1576. ab Auguſtino Valerio, eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, edita fuerunt: atque pagina 69. ſic ad verbum habent de Sancto Syro: *Magna & multa miracula per aliquas Reliquias Sanctorum Geruaſii & Protaſii, qui eo tempore Mediolani paſsi ſunt, à quodam Liberio delatas, & ab eo deuotè ſuſceptas, operatus eſt: ac deinde extra mœnia Papiæ Baſilicam in eorumdem Martyrum honorem extruxit.*

X. Quòd ſi fortè quiſpiam pro præſenti cauſa ſuffragium Ferrarii ex iis etiam colligere velit, quæ ipſe ſcripſit de Sancto Inuentio, ſiue Iuuentio, Papienſi pariter Epiſcopo, Sanctiquè Syri antea diſcipulo; hæc quidem in eodem Sanctorum Catalogo extant octauo Februarii die; ibi- B
demquè Inuentius memoratur Sanctis etiam Nazario & Celſo Eccleſiam conſtruxiſſe, in qua tandem ſepultus eſt. Neceſſe igitur omninò eſt, vt illi iam ante coronati martyrio ad Superos euolaſſent. Sed è Philippo Ferrario ſatis adhuc ſuperquè.

CAPVT CLXIX.

Ioſephi Ripamontij teſtimonium.

I. TAM celebris & recens eſt Ioſephi Ripamontii, Anno tantùm 1643. die 14. Auguſti ex hac vita ſublati, memoria, C
vt ſuperuacaneum penitùs ſit, me de ipſo, dequè Hiſtoricis eius Operibus, citra dubium politiſsimis, quicquam præfari; cùm præſertim diſertiſsimus & celeberrimus Hieronymus Legnanus, Patricius Mediolanenſis, & è Sexaginta Decurionibus Vrbis, abundè munus id condigno peregerit Elogio, quod eius Decadi Quartæ Hiſtoriarum ab Metropoli condita præfixum circumfertur.

II. Cùm Ripamontius ergo ex Ambroſiani eſſet Collegii Doctoribus, & à Collegii Conditore, Federico Cardinali Archiepiſcopo Borromæo, prouinciam conſcribendæ accepiſſet Eccleſiaſticæ Mediolani Hiſtoriæ; Primam eius Decadem hac in Vrbe typis edidit Anno 1617. Cùm D
præterea Libro Primo mentionem intuliſſet inſectationis & cladis, quam in Chriſtianos ex Vrbe Roma Nero Mediolanum extenderat; ſic inquit illius editionis pagina 37. *Multi igitur & multæ tunc perhibuere ſuo ſanguine teſtimonium Euangelio: quorum veluti principes & anteſignani Romæ Petrus & Paulus, Mediolani Nazarius & Celſus fuere. De illis alij Scriptores retulerunt; hos exequi pertinet ad noſtrum inſtitutum; quippe quia martyrio ſuo nobilitauere Vrbem, haud minùs profectò, quàm ſi Ciues fuiſſent. Nazarius Romæ natus eſt honeſto loco: Petrus eum abluit lauacro cæleſti* (per Linum videlicet, adiutorem ſuum; ſic enim ego Amici ſenſum amicè interpretabor, vt eum cum rei veritate conciliem) *parentes Africanus*

&

Digitized by Google

& Perpetua: ille cultui Deorum inanium addictus (vt ego tamen alibi iam A
probaui, Iudaiſmum ille profitebatur) *hæc ſecuta Chriſti Fidem, memorantur.* Nazarii ergo Celſiquè Acta Ripamontius ſolita ſua facundia narrare pergit: &, vt liquidò apparet, ex iis, quæ Mombritius etiam recitauit; excepto quòd aliquando ab iis etiam deflectit, ſermonis nitori potiùs, quàm hiſtoriæ veritati, intentus; & hoc apertè Lector tunc intelliget, quando Ripamontii narrationem hanc contulerit cum ea, quam ego in ſuperioribus è Mombritio exſcribebam. Quod magis ad inſtituti præſentis rationem pertinet, illud eſt, quod ipſe ad extremum pagina 44. ſubtexit his verbis: *Nazario & Celſo Geruaſium & Protaſium diuerſi Annales nectunt: explicantquè mutuæ charitatis officia, queis alteri alteros adiuuerint, cùm iiſdem vinculis attinerentur. Ea fama* B *nimium quantum aberret à vero, confundatquè tempora & ordinem rerum. Conſtat enim certiſsima litterarum atque monumentorum fide, Geruaſium & Protaſium poſt aliquot ab hoc ipſo tempore annos extitiſſe.* Væ mihi, ni tam graue magnificumquè Ripamontii pronunciatum, velut inane ſpectrum ac terriamentum, leuem in auram euaneſcat; vt mihi polliceor. Hoc ipſum incunctanter examinemus.

III. Pagina ille 17. Sanctum Barnabam dixerat ad Vrbem veniſſe noſtram Quinquageſimo-primo poſt Chriſtum natum Anno: pagina 30. eumdem Anno ſeptimo, quàm venerat, rediiſſe Cyprum; cùm priùs Anatholonem (ſic enim eum ipſe nominat) qui Brixiæ curabat, ad cuſtodiam inſtituti Gregis euocaſſet, eumquè ipſi præfeciſſet: pagina porrò C
44. Anatholonem Mediolanenſi Eccleſiæ præfuiſſe tredecim Annos: pagina 47. eumdem mortali hac vita deſunctum Anno Chriſti Septuageſimo altero, ſiue Septuageſimo-ſecundo; atque mox ei ſuffectum fuiſſe Sanctum Caium; cùm Nero Imperator iam obiiſſet, eiquè poſt breue Othonis Imperium ſucceſsiſſet Veſpaſianus: pagina 48. Caium igitur, vt Sanctos Apoſtolos inuiſeret, profectum eſſe Romam, cùm nondùm creatus eſſet Mediolani Epiſcopus; ſed inde poſtea reuerſum, Chriſtianis myſteriis inſtituiſſe multos, & in his præſertim Philippum Oldanum, & ad Sancti Barnabæ Fontem. Poſt hæc igitur pagina tandem 51. ſic proſequitur: *Secuta Philippum eſt familia, deinde Ciuium multitudo, vt quiſque cliens, aut amicus, aliouè quouis vinculo an-* D *nexus domui, exemplum admiraretur.. Portius & Fauſtus, digna parente proles, ante alios enituere: quorum nomina magnis Baſilicarum appellationibus immiſta æternùm manent, moxquè fuſiùs dicentur. Nulla interim quies dabatur ab carnifice Anolino: & quoſcumque ſacros attigiſſe latices compererat, horum ipſe ſanguinem libabat extincto iam Neroni, cuius crudelitati ac monſtro cadebant quotidie Sanctorum agmina, Baptiſmuſquè martyrij prælud ium erat.* Et paulò pòſt: *Martyrum Corpora Philippus ipſe, quà nocturno & clandeſtino per Vrbem egreſſu, quà ſpreto palam periculo matutinus aut meridianus, adſportabat in ſuos hortos, & gratiſsimo erga ſacros artus munere mandabat humi. Hortos eos poſtea donauit Caio: & acceptos ille conſecrauit, vt*

puri ab humano cultu in eum ſepulturæ vſum vacarent. Fuerant in illa Vrbis parte, vbi nunc Diuo Ambroſio, & Diuo Franciſco, & Diuæ Valeriæ vota Templa celebrantur. A Dehinc verò pagina 59. *Ac Philippi quidem Oldani Baptiſmus hæc decora & incrementa tulit Eccleſiæ Mediolanenſi. Vitalis & Valeria coniuges, ab eodem Pontifice luſtrale beneficium adſecuti, minus opum ac diuitiarum habebant; ideò non perinde in publicum claruere. Sed martyrij palma, quæ faſtigium æquare quodlibet paſſet, haud dubiè maiores facit. Vitalem Rauennæ Paulinus mactauit infami ſupplicio; vt Neroni ſuo nihil abſimilis videretur; atque vt in ſuperſtitis miniſtri ſæuitia & furore perempti iam Principis ingenium emineret.* Subinde igitur martyrium & Vrſicini, & Vitalis, & Valeriæ narrando proſequitur: & in eam quidem ſententiam, qua Philippus in ſuo illo Libello memorabat. De B geminis tamen illis infantulis, Vitalis & Valeriæ filiis, nonnihil dubitat Ripamontius. Pagina enim 54. ſic addit: *Planè abhorret animus mihi ab ea ſeueritate & rigore, qui communem & inueteratam Gentium Vrbiumquè retractare famam & opinionem amat. Sed tamen vix capio fidem illius gemini partus, quem maturo nondùm vtero Valeria dicitur inter ea tormenta & pœnas edidiſſe. Infantum nomina Diogenes & Aurelius feruntur: atque adeò, maternæ veluti conſortes palmæ, ſuum in Eccleſia Mediolanenſi cultum obtinuere; cùm tamen alioqui de hiſce Aurelio ac Diogene nulla in veterum Annalibus extet memoria.* Mihi tamen aliter iam ſupra viſum eſt; nec eorum memoria mihi defuit è veterum Annalibus, qui proinde rursùs commodè conſuli poſſunt. C

IV. His præmiſsis, ad quæſtionem præcipuam, hoc nobis loco ad obſeruandum propoſitam, progreditur Ripamontius, & ab his incipit verbis: *At Geruaſium & Protaſium, alteros ex eodem matrimonio* (Vitalis & Valeriæ) *geminos, qui vel ſeueritate vitæ, vel mortis genere, fraternum illud vinculum nobilitauère, non ambigua tantùm ſed contraria etiam inuoluit atque habet fama. Et parentibus natos illis, & exitu non diſsimili mortalem hanc liquiſſe vitam, conſtat. Cæterùm Annus ipſe martyrij, nulli non Scriptori talium rerum attentè ac ſolicitè veſtigatus, in obſcuro adhuc latet; miraquè contentionum ambage ac varietate tota res in hanc illamuè partem trahitur, prout quiſque tempus & Annos repræſentat, aut differt.*

V. *Neque erat controuerſiæ locus ac variationi, ſi non Annalibus immiſta mentio* D *Marcomanici belli occaſionem præbuiſſet. Id bellum, iſuè motus quia non reperitur inter hæc tempora: & quia non meruerat in hanc diem ea Gens, cur arma Romana in ipſam mouerentur; ideò laborant, qui martyrium eiuſmodi conferunt in hanc ætatem. Aſtaſius quoque Comes, haud ambiguum Præfecti nomen, quo Præfecto certamen ſubiere, veluti contentionis totius non parua eſt acceſsio. Nam quia is honoris titulus hac ætate nondùm increbuerat; inde ſcilicet efficiunt, in huius memoriæ monumenta mendum irrepſiſſe; reijciendoſquè Martyres vſque in illud æuum, quo nomen id dignitatis foret in vſu. Neque mouentur columellæ veteris auctoritate, quæ iuxta Iouis Arcem effoſſa, & erecta publicam in lucem, præfert nomina, & Annos, & martyrij ſummam.*

mam. Id adulterinum eſſe monumentum dicunt, litterarum argumento, quæ recentioris formæ notas & ductus malè nimirùm tegant. Prorsùs his alijſquè coniecturis vſque in Aureliani tempora Geruaſius & Protaſius ex vna parte conijciuntur. A

VI. *In altera, quæ ſcilicet aſſerit eos æuo priori, ſunt ipſius Philippi Litteræ, fama conſtans Eccleſiæ Mediolanenſis, & graue teſtimonium Ambroſii: qui cùm, Aureliano centum haud ampliùs poſterior annis, diuino munere inueniſſet ea Martyrum Corpora; ſcripſit ad Sororem, vſus ijs fermè verbis, quæ, ab omni temporum & hominum illorum memoria longiſſimè ſemotos fuiſſe Geruaſium & Protaſium, declarant.*

VII. Sed quid, obſecro, in tali contentionum ambage ac varietate (quæ quidem, ſicut è Diſſertatione præſenti conſtat adhuc, longè maior eſt B etiam, quàm Ripamontius expreſſerit) quid hic, inquam, Ripamontius? quem profectò par erat attentè ac ſolicitè veſtigare verum martyrii eius Annum. Num reſpondet argumentis, opinioni etiam ſuæ ac temporum & Annorum ſupputationi repugnantibus? An illas ſaltem depromit Litteras & monumenta, quorum certiſſima fide conſtare iactabat, Geruaſium & Protaſium poſt aliquot ab eo Nazarii & Celſi tempore annos extitiſſe? Nihil minus. *Hæc* (inquit ille) *inter ſe contraria & diuerſa, noſtra non poſſunt authoritate componi. Certè conſtat, poſteriores fuiſſe Nazario & Celſo, contraquàm nonnulli Scriptores prodidere. Itaque omiſſa obſcura iam diligentia, quæ tenebras potiùs offundit huic loco, quàm partem lucis adfert; Martyrum ipſorum initia & finem expediemus.* C Exinde igitur, tantam eluctatus contentionum varietatem, ad ipſamet eorum Martyrum Acta progreditur; & quæ narrat, è Philippi quidem accipit Libello; quem proinde, non adulterinum & ſuppoſititium, ſed germanum ac legitimum fateatur neceſſe eſt.

VIII. Cæterùm Protaſium ac Geruaſium ego quoque fateor Nazario & Celſo fuiſſe poſteriores, hoc eſt poſteriùs necatos; ſed ita tamen, vt alteri alteros mutuæ charitatis officiis iuuare potuerint, reque vera iuuauerint; vtque præterea omnes ſub eiuſdem Imperio Neronis per martyrium ad beatæ vitæ palmam peruenerint; ſicut abundè iam ſupra ſuo loco ac tempore commonſtraui.

IX. Ripamontius ex aduerſo (ſi tamen ſibi ſimul & Auctoribus, quos interim narrando ſequebatur, & quibus alioqui nihil in contrarium opponebat, conſtare velit) hæc admittat, neceſſe eſt. Nazarium in primis & Celſum ſub Neronis Imperio necatos eſſe poſt Apoſtolos Petrum & Paulum; atque adeò necatos eſſe Anno Chriſti Sexageſimo-nono, die vigeſima-octaua Iulii; cum alioqui eodem Anno, vigeſima-nona Iunii die, Petrus & Paulus iam necati fuiſſent; cumquè præterea Nero, ſubſequentem ſiue Septuageſimum Chriſti Annum ingreſſus, nonniſi ad Iunii diem decimam ſuperuixerit. Sic etiam Vitalem ac Valeriam circiter Annum Chriſti Septuageſimum-primum à Sancto Caio baptizatos eſſe; nec multò poſt Vitalem profectum eſſe D

 Rauennam,

Rauennam, ibidemquè Vrſicino ſtimulos & ſpiritus ad martyrium A
addidiſſe, poſteroquè ipſum etiam Anno, diequè Aprilis vigeſima octaua, necatum eſſe. Hinc igitur Vitalem Ripamontio nos concedamus, necatum eſſe Anno Chriſti Septuageſimo-quinto; certè vndecimo circiter pòſt Anno cæſi ſunt etiam eius filii, Geruaſius ac Protaſius. Itaque, ſecundùm Annorum ſupputationem à Ripamontio diſpoſitam, circiter Annum cæſi ſunt Octuageſimum-ſextum, atque adeò ſeptemdecim circiter Annos poſt Nazarii & Celſi cædem.

X. Sed quid hinc tandem Ripamontius aſſequitur? Primùm quidem omnibus oppugnatur argumentis, tam eorum, qui Geruaſium ac Protaſium ſub Nerone paſſos eſſe negant, quàm qui affirmant. Si quid enim ea probant; certè probant, ne tempore quidem illo paſſos eſſe, quod B
Ripamontius inſinuat. Quòd ſi nihil ea probant; cur ergo Ripamontius eadem inter ſe non conciliat? quomodo item ſuam ipſe opinionem probaſſe cenſendus erit? Ipſe ſiquidem nullum penitùs producit argumentum; nullum penitùs vel alicuius famæ, vel mediocris, Scriptoribus patronum habet; atque pro ratione id vnum tandem afferre poteſt: Sic ego cenſui: ſic ego arbitratu meo ſeriem Annorum diſpoſui. Sua ille auctoritate componi non poſſe tam contraria & diuerſa fatebatur. Quomodo ergo ſua vnius auctoritate omnibus illis omniquaque præualebit? Sed illud etiam huc accedit, quòd Ripamontius in ea tempora non ita facilè poterit Imperatorem aſsignare, quo auctore Vitalis & Geruaſius ac Protaſius ob Chriſtianam Fidem necati C
fuerint. Ab Anno enim Chriſti Septuageſimo-primo vſque ad Octuageſimum-primum imperauit Veſpaſianus, ab Anno autem Octuageſimo-primo vſque ad Octuageſimum-tertium Titus, eius filius: qui quidem ambo (præcipueque Titus, *Amor & deliciæ generis humani* communiter appellatus) placidi moribus & humani admodùm fuerunt, nec vllam in Chriſtianos excitarunt perſecutionem, vt benè Baronius obſeruauit ad Annos 71. 75. 80. 83. Tito deinde Domitianus Octuageſimo-quarto Anno ſucceſsit, efferus quidem Imperator & immanis; ſed ille tamen nonniſi Nonageſimo-ſecundo Anno (vt benè itidem Baronius in eumdem narrat Annum) perſecutionem in Chriſtianos cruentam excitauit; cùm alioqui ſub eius antehac Imperio ea D
nondùm eſſet vſque ad gladium progreſſa. Quòd enim Ripamontius, perinde ac ſi tacitus huic occurrere argumento voluiſſet, non tantùm Anolino (quem alioqui ego Neroni præmortuum monſtrabam Capite 21.) ſed etiam Paulino id adſcribebat, vt Neroni ſuo iam extincto ſanguinem Chriſtianorum libare vellent, eiquè nihil abſimiles videri; hoc quidem gratis & ſine fundamento dicitur; ſed inſuper etiam planè commentitium & incredibile videtur; cùm præſertim Nero tam execrandam & deteſtabilem ſui memoriam omnibus reliquiſſet.

XI. Ad finem proximi Numeri 7. Ripamontium ego dicebam proſecutum ſubinde Geruaſii ac Protaſii Acta, & è Philippi Libello; quem proinde

inde legitimum exiſtimaſſet, ac fide dignum . Sed & ſubinde illic ex A
Ambroſii Epiſtola, qua Libellus ipſe comprehenſus eſt, deſcribere ſta-
tuit eorumdem Martyrum, tot iam annos infoſſo humi ſepulchro oc-
cultatorum, inuentionem atque translationem, ab ipſomet Ambroſio
ſolemniter peractam. Itaque Ripamontii pariter iudicio legitima no-
bis item ſupponatur in præſenti eadem ipſa Ambroſii Epiſtola.

XII. Ex ea porrò Prima Ripamontii Decade nobis illud ſupereſt vnum è
pagina 346. cùm in Baſilicæ Ambroſianæ deſcriptione ſic item habet:
*Deſinit autem ipſa (*Baſilicæ*) longitudo crucis in modum: & Cruci apicem
præbet Ara Maxima cum Odæo; pretioſum ſanè opus, & viſendum. Qua-
tuor ſplendoris eximij porphyreticæ columnæ cingunt eam, ac tegunt: neque
ambigitur, quin ipſius Ambroſij mortales exſuuiæ ſub ipſa ſint conditæ.* B

XIII. Quæ ſequuntur, ex altera erunt Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis
Parte, quam; octodecim comprehenſam Libris, Ripamontius Anno
edidit vigeſimo-quinto ſupra Milleſimum ſexcenteſimum: eademquè
ad Sanctos pertinent Nazarium & Celſum. *Deiparæ* (inquit ille Libro
18. pag. 1190.) *Virginis Aedes, quæ dicitur ad Diui Celſi, illa complexa
breui compendio quicquid prædiues aliquis & eximius in Superum cultu conari
Populus queat, originem duxit ab Nazarij Celſiquè martyrio: quos, Anolini
ſæuitia ſub Nerone laceratos, diuquè ignobili tumulo apud Ceratium quendam
occultatos, Diuinus Paſtor Ambroſius vt reperit diuerſa in latebra; Naza-
rium quidem tranſtulit in Baſilicam Apoſtolorum; Celſum verò ibidem, vbi
erat inuentus, reliquit. Et extructa ſuper tumulum vtrumque cella, quà* C
Nazarij Corpus ſteterat (qua de re ſatis iam ego dixi Capite 159. Num.
2. & Cap. 161. Num. 15.) *pingi Sanctiſſimæ Virginis imaginem iuſſit:
quæ deinde imago, tamquàm transfuſo in colores & lineamenta cæleſti ſpiritu,
perculit & obſtupefecit ſæpè miraculis Vrbem; & manet adhuc. Atque cùm
creſceret quotidie dignitas ac frequentia loco, & ſalutarium beneficiorum mo-
numenta certatim ibi ſtatuerentur; motus eſt vltimi Vicecomitis animus, vt
pro magnitudine Diuæ & Ciuium concurſu faciendum ibi Templum locaret.
Addita eſt Principis eius munere ac pietate pecunia Sacris faciendis: & Sa-
crorum eorum iura ſunt aſſignata Vicecomitum Genti; vt diſpenſatio arbi-
triumquè in domo eſſet. Poſt aliquot inde annos, tempore quo pupillum Sfor-
ciam Ludouicus patruus tyrannica tutela opprimebat, die quodam, cùm eo in* D
*Templo ad Aram imagini appoſitam Res Diuina fieret; beatiſſimo lumine cir-
cumfuſa Deipara, Populo qui aderat inſpectante, effulſit, dimouitquè ſua ma-
nu velum, quo pictura tegebatur; & excitato ad rei miraculum omnium cla-
more, ſtetit in iiſdem veſtigiis aliquandiu, deinde inenarrabiliter eſt repentè
ſubducta. Ea incrementa maieſtati, quæ concitos illuc admiratione rei Populos
præfert, & fit ipſa propè miraculum artis. Tabella, quæ viſionem narrat,
pendet Templo: & leguntur eorum nomina, qui adfuere.*

XIV. *Conterminum huic Aedi Templum, diruta humiliore Cella, extruxit Diuo
Celſo Landulſus Carcanus, Archiepiſcopus Vrbis: addiditquè Monaſterium, &
Monaſterio opes, quæ ſupra Monachorum alimenta pars hodie Romani ſplen-*

doris

doris ſiunt: ampliſsimumquè Sacerdotium nouit Aula. Hactenùs Ripamontius, eiuſquè mihi teſtimonium, quale quale illud fuerit. Doleo equidem; quia illud à me omni ex parte comprobari non potuerit; dum ſpineta cæteroqui hæc mea floribus eius eloquentiæ lubentiſsimus vtcumque variarem. A

CAPVT CLXX.

Breuiarij Ambroſiani, Anno 1625. recuſi, teſtimonium, aliquatenùs à ſuperiori diuerſum, ſed re vera nihilominùs nobis conſentiens. B

I. ANno Domini 1605. Breuiarium noſtrum Ambroſianum, iuſſu Federici Cardinalis & Archiepiſcopi Federici recens recognitum, ac typis recuſum, & duas in Partes diuiſum, Aeſtiuam & Hyemalem, prodiit; neque tamen in eo quicquam mutatum fuit ex iis Lectionibus, quas ego Capite 152. recitabam è priori ea editione, quam Sanctus Cardinalis & Archiepiſcopus Carolus elaborandam curauerat. Dubium verò nullum mihi eſt, quin doctiſsimus ipſe Archiepiſcopus Federicus, iiquè Sacerdotes, quorum ille opera in recognoſcendo tunc Breuiario vſus fuit, quàm optimè iam noſſent, quæ de Sanctis Geruaſio & Protaſio Baronius in ſuis ad Martyrologium Notationibus necnon etiam in Annalibus iamdudùm docuerat, & inter hominum litteratorum manus iamdudùm verſabantur, quæquè in Breuiario Romano mutata denique fuerant Anno 1602. C

II. Verumtamen eiuſdem poſtea Federici iuſſu Breuiarium pariter noſtrum, poſtremò recognitum, cùm prodiret Anno Domini 1625. in eo quidem Lectiones de Sanctis Nazario & Celſo ac Protaſio & Geruaſio ita fermè mutatæ apparuerunt, quemadmodùm Capite 165. mutatas denique videbamus in Breuiario Romano.

III. Sic enim tunc temporis, in diem Iulii vigeſimam-octauam, concinnata fuit propria eius Lectio: *Nazarius, Ciuis Romanus, à Beato Lino Pontifice Fidei myſteriis imbutus, baptizatur. Diuinæ autem pietatis ardore incenſus, vt alios Chriſto adiungeret, multas peragrauit Prouincias, & Galliam in primis: vbi puerum Celſum, Chriſtiana Religione à ſe inſtructum, baptizauit. Et cùm vbique pro Fide Chriſti ſupplicia varia ſuperaſſet; in mare etiam deiectus, inde mirabiliter ope diuina euaſit. Mediolanum verò vnà cum Celſo veniens, cùm in propaganda Fide vterque verſaretur; Anolini Præfecti iuſſu ambo comprehenſi, præclaris Fidei confeſſionibus nobiles, ſecuri feriuntur. Eorum Corpora, extra Portam Romanam in ſepulturam illata, diu cùm latuiſſent; demùm Dei admonitu ab Sancto Ambroſio inuenta, in Vrbem tranſlata, piè honorificeque in Baſilica Apoſtolorum recondita ſunt.* D

IV. In

IV. In decimam-nonam verò Iunii diem ſic item: *Protaſius & Geruaſius, fratres, Vitalis & Valeriæ Martyrum filij, Ciues Mediolanenſes, à Caio Epiſcopo baptizati, parentum exemplo ad pietatis ſtudium eruditi: poſt illorum martyrium, & domum in qua nati ſunt, & facultates pauperibus diſtribuerunt; ſeruos verò libertate donarunt. Ieiuniis autem, orationibus, diuinæque charitatis officiis dediti, cùm eorum ſanctitas eluceret; in odium venerunt Gentilium Sacerdotibus; qui propterea Anaſtaſio, ad quem ſumma rei militaris delata erat, ad bellum profecturo, perſuadent, ſe à Diis monitos eſſe, eum nullo modo victorem futurum, niſi Protaſium & Geruaſium à Chriſti Fide ad Deorum cultum auocaret. Quod ille cum neque carcere neque minis aſſequi potuiſſet; Protaſium, fuſtibus contuſum, ſecuri percuti; Geruaſium tamdiu cædi iubet, quoad inter verbera expiraret. Eorum martyrii memoria vbique terrarum in omni Eccleſia perpetuò celebris fuit. Corpora autem illorum Philippus clàm ſuſtulit, in ædibuſquè ſuis ſepeliuit: quæ poſtea Sanctus Ambroſius, diuino admonitu inuenta, ſummo Populi Clerique Mediolanenſis & incredibili finitimarum gentium concurſu celebritateque, in Baſilica Ambroſiana recondidit. Cui actioni Beatus Auguſtinus præſens miracula narrat, quæ diuinitùs facta ſunt.* A B

V. Ambæ igitur hæ Lectiones iam conferantur cum iis ex anteriori Breuiario Lectionibus, quas ego Capite 152. Num. 5. & 7. recitabam; ſanè quidem inueniemus in his ex æquo intermiſſa ea verba, quæ Protaſium & Geruaſium coæuos Nazario & Celſo fuiſſe, necnon etiam tempore Neronis paſſos eſſe teſtabantur expreſſè, quæquè iam in Breuiario tandem Romano fuerant intermiſſa. C

VI. De Romanis porrò ſatis iam conſtat, hæc ab ipſis intermiſſa, ne Geruaſium & Protaſium aſſererent Neronis tempore paſſos eſſe (id quod Baronius & alii iam negabant) & ne certam ſolidamquè Breuiarii ſui doctrinam talibus hiſce quæſtionum tricis immiſtam eſſe paterentur. Cur autem Ambroſiani quoque noſtri ea in præſenti editione prætermiſerint; ego quidem fateor me neſcire. Pauculis enim ea verbis continebantur; itaque ſolius breuitatis ſtudio prætermiſſa videri mihi non poſſunt. Ex altera verò parte ſi noſtri eamdem ob cauſam prætermiſiſſent, ob quam Romani; certè alia item multa prætermiſiſſent; ne turpiſsimè ſibimetipſis in eodem huius editionis Breuiario contradicerent. Tale profectò in primis illud eſt, quo Protaſius & Geruaſius in propria Lectione nihilominùs interim dicebantur *à Caio Epiſcopo baptizati*: quod item in propria ipſius Caii Lectione repetebatur. Tale itidem illud eſt, quo Philippus, nobilis ille Vir & Fauſti Portiique pater, dicebatur ædes ſuas Caſtritiano donaſſe, quas ille poſtea Deo in Eccleſiam dicauit; non enim eas donaſſe dicendus eſſet Caſtritiano, ſed alteri poſt ipſum Epiſcopo, qui Mediolanenſi Eccleſiæ circiter Annum Chriſti ad minus Centeſimum Septuageſimum (quo circiter Anno necatos eos Martyres Baronius exiſtimat) præfuerit. Tale poſtremò illud eſt, quo Sanctus Syrus dicebatur, poſt acceptas quaſdam D

eorum

eorum Martyrum Reliquias, Eccleſiam ipſis ad Vrbem Papiam ex- A
truxiſſe. Non enim hæc conciliari vllo modo poſſunt cum poſtrema
illa Baronii opinione; ſed quàm optimè quidem aptiſsimequè cohæ-
rent cum noſtra, qua illos aſſerimus ſub Nerone paſſos eſſe. Quocir-
ca talia ego quoque in eamdem ſententiam ſingillatim proſequebar
Capite 152. Num. 8. 9. ac 10. Quamobrem talium rerum, in Am-
broſiano adhuc Breuiario extantium, ſumma hæc ſit, vt eius teſtimo-
nium re ipſa nihilominùs opinioni etiamnùm patrocinetur noſtræ; ta-
metſi verbis non ita luculentum ſit, quale antea erat.

VII. In hac tamen editione, ſicut omiſſum eſt integrum Sanctæ Perpetuæ
Officium, quod antehac ab vniuerſo Clero Mediolanenſi quotannis
celebrari conſueuerat; ſic etiam eius Lectio illa, quam ego Capite B
152. Num. XI. ex anteriori Breuiario recitabam, omiſſa eſt. Eiuſmo-
diquè nouitatis non alia fuit cauſa & ratio, quàm quia quartus Au-
guſti dies ei Matronæ addictus erat, quintus autem Sancto Confeſſori
Dominico. Cùm igitur eodem quinto die celebrari deinceps vellent
Officium Dedicationis Baſilicæ Sanctæ Mariæ AD NIVES; propte-
rea Dominici Officium è quinto Auguſti die retrotraxerunt ad quar-
tum; eidemquè quarto ſolam Perpetuæ Commemorationem adſcrip-
ſerunt. Baſilicæ tamen Nazarianæ Clerus ob ſingularem ſuam obſer-
uantiam & religionem, Genitrici Patroni ac Tutelaris ſui iuſtiſsimè
debitam, hoc nihilominùs in præſentem vſque diem inuiolabiliter ſer-
uat, vt anniuerſarium ei Officium integrè quinetiam ſolemniter per- C
ſoluat.

CAPVT CLXXI.

Ioannis Baptiſtæ Villæ teſtimonium.

I. LEctorem nunc precabor, ne grauetur ea contueri, quæ
pro præſenti cauſa Ioannes Baptiſta Villa ſuppeditauit
Anno 1627. in eo Libro, quem typis tunc edidit, inſcrip-
tum: *Le Sette Chieſe ò ſiano Baſiliche Stationali della Città
di Milano, Seconda Roma.* Erat autem tunc temporis Ca- D
nonicus in Collegiata Sancti Babylæ Eccleſia; ſed poſtea euectus ad
Chori Metropolitani Magiſterium, in eo tandem occubuit.

II. Inter Eccleſias eiuſmodi Stationales quinto loco Nazarianam enumera-
bat: dequè ipſa copioſiſsimè agens, hæc etiam interſeruit, quæ nobis
obſeruatu magis digna videntur. Indicato quippe loco, per Pauli-
num in Ambroſii Vita deſcripto, in quo Sancti Nazarii Corpus in-
uentum fuit, & è quo ad Baſilicam translatum Apoſtolorum; ſic ille:
*Fù ritrouato quel Sagrato Corpo in quel Campo, ò ſia Horto; perche fù deca-
pitato inſieme con San' Celſo, di Natione Franceſe, in vn' Campo fuori di Por-
ta Romana, doue al preſente è il Monaſtero di Sant' Apollinare; & quel Campo*

è dentro

è dentro al Monaſtero, doue dicono eſſerui vna fontana. Decapitato che fù queſto glorioſo Martire, fù poi ſepolto in vn' altro Campo iui vicino, che era doue al preſente è la Chieſa della Madonna miracoloſa preſſo San' Celſo. Sed hic tamen errat Villa. Sicut enim ego proximè Capite 161. Numero 15. Morigiæ obiiciebam, in eodem prorsus Campo Martyres illi decollati fuerunt, ac tam prima quàm ſecunda vice ſepulti: Campuſquè ille rè vera ibi fuit, vbi nunc Mariana illa & Celſiana Eccleſia conſpiciuntur. Non igitur ille nunc intra Monaſterii Monialium Sancti Apollinaris ſepta continetur. Sed ne Moniales quidem illæ, diligenter à me interrogatæ, fontem aliquem affirmant intra Monaſterii ſui ambitum prorumpere, quinimmò diſertiſsimè negant. A

III. Sequitur illicò Villa, & hic rursùs refellendi ſui occaſionem nobis præbet. Subdit enim: *Nel qual Campo, doue egli fù ritrouato, i Fedeli vi fabricarono vna Chieſetta col titolo di San' Nazaro, detto in Campo. In queſta Chieſetta ſopra il muro, in certa parte, vi era vna pittura della Madonna, la quale poi fece molti miracoli; ſi che quella Chieſetta col tempo poi fù demolita; & ſi è fabricata quella nobiliſsima Chieſa, che non più San' Nazaro in Campo, mà Chieſa della Madonna di San' Celſo, ciò è preſſo San' Celſo, è nomata. Et queſta ſappi ogn'vno, che di bellezza, vaghezza, & pretioſità non inuidia la Santa Caſa di Loreto: e ciò ſia detto à gloria de Milaneſi.* Villa igitur hoc item loco à nobis refellitur in eo, quod aiebat, eam Deiparæ imaginem, quæ poſtea multis illuſtrata miraculis fuit, appictam fuiſſe parieti, qui ſtaret intra Eccleſiam illam Sancti Nazarii *in Campo*. Hoc enim falſum eſſe iam probauimus Capite 159. Num. 2. iterumquè commeminimus Capite 161. Num. 15. B C

IV. Sacras deinde numeraturus Reliquias, in eadem Apoſtolorum Baſilica conditas, ſic enarrat Villa: *In queſta Baſilica ſono ſepolti molti Corpi de Santi, & ſono in numero otto: ciò è, quello di San' Nazaro Martire, Titolare & Padrone di queſta Baſilica; & è nell' Altare Maggiore: di San' Glicerio Landriano, Arciueſcouo; & è nell' Altare Maggiore: di San' Venerio Oldrado, Arciueſcouo; & è nell' Altare Maggiore: di San' Lazaro Cotta (ò, come altri vogliono, de Lazari) Arciueſcouo; & è nell' Altare Maggiore: di San' Marolo . . . . Arciueſcouo; & è nell' Altare Maggiore: di Sant' Olderico, Veſcouo di Auguſta in Germania* (nos tamen, hunc à noſtro diuerſum eſſe, iam credidimus) *& è nel ſuo Altare: di San' Matroniano, Romito & Confeſſore; & è nel ſuo Altare: vn' Corpo di vn' Innocentino; & è dentro vna Caſſettina: di Santa Perpetua* (hoc ego magis opto, quàm credo) *Madre di San' Nazaro, che alcuni vogliono ſia ſepolta in queſta Baſilica. Queſti tutti ſopranominati Corpi de Santi* (excepto tamen Perpetuæ Corpore) *furono riconoſciuti da San' Carlo: & ne fece ſolenniſsima traslatione inſieme con Veſcoui ſuoi Prouinciali: e furono collocati ne luoghi ſoprascritti.* D

V. Minutiores poſtea Reliquias enumerando ille proſequitur, & ita demùm congruenter ad illud, quod item Morigia nobis ſuperiore Capite 161. Num. 14. affirmabat, concludit: *Mà frà tutte le Reliquie di queſta Sagra*

Baſilica, vna ce n'è inſigne: la quale è la cotica, ò ſia zuffo, di San Pietro: che è vna delle belle Reliquie, che ſiano in Milano; mà da pochi ſaputo. Sed & inſuper addit: *Vna Tauoletta, appeſa in queſta Baſilica, dice, eſſer quiui vn braccio del Prencipe delli Apoſtoli. Che ſe ciò è vero; è vna gran gioia.* Cuius quidem Tabulæ brachiique mentionem faciebam ego quoque Capite 37. Num. 15. & Cap. 84. Num. 7. Temperare me tamen hoc loco non poſſum, quin obiter aperiam ſuſpicionem quandam, quæ me ſæpenumerò inceſſit. Sicut enim particulæ vel etiam minimæ ſacri Corporis nomen ipſum abſolutum Corporis ex antiqua pariter ac recepta Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine, quam ego quoque alibi luculentis teſtimoniis confirmaui, adaptari ſolet; ſic etiam particulæ brachii ego ſuſpicor abſolutum brachij nomen aliquando accommodatum & adſcriptum fuiſſe. Sed non hic ſuſpicandi finis. Quid, ſi præterea nomen ipſum brachij cuilibet etiam, non modò brachii, ſed etiam vniuerſi Corporis particulæ nonnunquàm inditum per emphaſim fuit; vt abſolutam eius potentiam, quanta toto reſideret in Corpore, nedùm in brachiis, indicarent? Vt enim benè Ioannes Maldonatus in Euangelium Lucæ, ſiue in eius Caput primum, & in ea Mariani Cantici verba, *Fecit potentiam in brachio ſuo*, explicauit, necnon etiam multis è Vate Regio exemplis comprobauit, *brachium, Hebræorum idiomate, potentiam ſignificat; quòd in brachijs ac lacertis virorum robur & vires eſſe ſoleant.* Hoc autem dixiſſe volui ad eum ſolummodò finem, vt à Viris Sapientibus diiudicetur. A B C

VI. Quoniam verò inter hæc Sanctorum Corpora, vel Reliquias, quas Villa in Baſilica Nazariana cuſtodiri affirmauit, nuſquàm vidimus connumeratum Sancti Celſi Corpus, immò verò ne aliquam quidem ipſius particulam; propterea concludendum nobis hoc item loco illud eſt, quod Capite 161. Num. 14. in Paulo Morigia obſeruabamus; videlicet ſolum Nazarii Corpus, non autem Celſi, à Sancto Ambroſio translatum ad eam Baſilicam fuiſſe.

CAPVT CLXXII.

Franciſci Biuarij & Lucij Flauij Dextri teſtimonium. D

I. DE quo Auctore, deque cuius Auctoris Opere citra omnem dubitationem conſtat; ex eo ſeriem temporis Diſſertationi huic meæ admetior; ac propterea, non è Dextro, ſed ex Biuario.

II. Eodem hoc nimirùm Anno 1627. typis Lugdunenſibus impreſſum circumfertur Flaui Lucii Dextri, Barcinonenſis, ac Sancto Hieronymo amiciſsimi Chronicum, & vnà cum eo Commentaria Franciſci Biuarii, Ciſtercienſis Monachi, & è Sancti Bernardi Obſeruantia. Hoc ipſum verò Chronicum quàm optimè ſcio grauibus etiam

eruditiſquè

eruditiſquè Viris viſum eſſe fidei ſuſpectæ; ſiue quia ſpurium illud & ſuppoſititium fortaſsè ſit; ſiue ſaltem quia contra veri Auctoris ſui ſenſa ſubdolè poſtea deprauatum. A

III. Biuarius quidem prolixam ipſius Apologiam contexuit. Atqui Gabriel Pennottus, peramicus meus (cuius mentionem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 255. faciebam) mecumquè ſæpè de hoc Chronico & Biuarii conatu locutus, non modò in contrarium iam ſcripſerat Anno 1624. Libro 1. Hiſtoriæ ſuæ Tripartitæ, Capite 52. & 53. (quippe Chronicum illud typis iam ante prodierat impreſſum) ſed etiam deinde Anno 1630. neruoſam edidit Refutationem Libelli Apologetici, pro eodem Chronico per eumdem Biuarium conſcripti: eamquè adiecit Defenſioni, quam ipſe tunc Venetiis imprimendam curauit, impreſſamquè mihi donauit, & hoc argumento prænotatam: B *Defenſio Cenſuræ Illuſtriſsimorum Dominorum Cardinalium Baronij & Bellarmini, Theologorum Louanienſium, & aliorum Doctorum, in Sermones ad Eremitas, Diuo Auguſtino ſuppoſitos. Cum Refutatione Libelli Apologetici, recèns editi pro aſſerto Chronico Lucii Dextri.*

IV. Porrò peramicus alter meus, mihiquè propter ſingularem in primis eruditionem (multis etiam teſtatam Libris, in lucem iam editis) tum etiam propter humanitatem, ac religioſam pietatem, ſemper amandus & celebrandus, è Societate Ieſu, Melchior Inchofer, Auſtriacus, oppoſitum ſenſit. Anno autem 1648. in Vigilia Sancti Michaelis Archangeli, hac in Vrbe mortuus eſt in Domo ad Sanctum Fidelem Profeſſa; cùm ille ab Vrbe Roma (è qua per litteras ipſum ego cognoueram, ipſequè me viciſsim) huc veniſſet, multoſquè moraturus hic eſſet menſes; nec ego ipſum alloqui, niſi ſemel ad binas circiter horas, potuiſſem; qua profectò de re ſummopere tunc ego dolui, ſemperquè dolebo. Ille igitur, poſteaquàm Pennotti Tripartitam Hiſtoriam, eiuſquè de Chronico Dextri ſenſum vidiſset; Volumen Anno 1630. edidit inſcriptum: *Epiſtolæ Beatæ Virginis Mariæ ad Meſſanenſes Veritas vindicata, ac plurimis grauiſsimorum Scriptorum teſtimonijs & rationibus eruditè illuſtrata.* Cùm autem Capite 42. pro eadem Epiſtola Chronicum illud Flauii Dextri produxiſset in teſtimonium; multis deinde Capitibus patrocinium eiuſdem Chronici ſuſcepit. Vtinam verò poſteriorem quoque illam Refutationem, à Pennotto elaboratam, vidiſset: dequè illa tuliſset iudicium, quod mihi pariter innotuiſset! C D

V. Ego quidem, velut inter Amicos inter ſe diſcrepantes ambiguus, nec in præſenti rationes in vtramque partem allatas diſcutere valens ac volens, neutri nunc parti conſtanter adhærebo: eaquè rantummodò proferam, quæ pro præſentis inſtituti ratione tam in eodem Chronico quàm in Biuarii Commentariis continentur. Benè autem auſpicatoquè ſe res habet, quòd nihil eorum ſingillatim à Pennotto carpitur; cùm alioqui alia ſingillatim multa erroris inſimulauerit, indequè pariter vniuerſum illud Flauii Dextri Opus in ſuſpicionem adduxerit.

VI. Chronicum ergo illud Anno Chriſti 64. Num. 4. ſic habet: *Sanctus* A
Paulus, ad Hiſpanias veniens, fert ſecum Philemonem, Timotheum, alioſquè
diſcipulos. Tum Num. 5. *Libyſoſcæ Laminijquè, Vrbibus Prouinciæ Are-*
uacum, prædicat: Philippum, cognomento Philotheum, Probum Xantippamquè
eius vxorem ad Fidem conuertit. Presbyteros ibi relinquit. Biuarius autem
in Commentario ad eum Numerum 4. & 5. multa diſſerit de Sancti
Pauli aduentu in Hiſpaniam, & de Chriſtiana ibi prædicatione. Cum-
què demùm in eamdem ſententiam recitaſſet Simeonis Metaphraſtis
verba, in eiuſdem Sancti Pauli Actis extantia; tum ſubdit: *Ex eiuſ-*
modi aurea Hiſtoria non ſolùm ſtabilitur aduentus Pauli in Hiſpaniam; ſed
etiam ad Fidem conuerſiones Sanctorum Probi & Xantippes, coniugum no-
bilium; & Philippi, cognomento Philothei, quos hoc loco refert Auctor. Hunc B
verò Philippum Metaphraſtes ibi appellauerat eius Regionis Præfec-
tum, & ab ipſomet Paulo Baptiſmum ſuſcepiſſe aſſeruerat; ſicut etiam
legi poteſt apud Surium die Iunii vigeſima-nona.

VII. Rursùs autem idem Chronicum Anno Chriſti 91. Num. 6. *Philippus,*
cognomento Philotheus, qui priùs Corpora Sanctorum Martyrum Geruaſii &
Protaſij, Ciuium ſuorum Mediolanenſium, Mediolani ſepelierat, conuerſuſquè in
Campo Laminitano à Sancto Paulo, illum ſecutus, adhæſit Clementi: à quo
Legatus miſſus in Hiſpanias, Toleti, Barcinone, Cæſarauguſtæ, Hiſpali, Va-
lentiæ, & in multis alijs Vrbibus prædicat. Videamus nunc, quid Biua-
rius ad eum Numerum 6. in Commentario. *Erat* (inquit) *magnus hic*
Amator Dei (hoc enim Philothei nomen pro meritis ſibi impoſitum indicat) C
Mediolanenſis Ciuis. Eum verò, adhuc Ethnicum, Nero Prouinciæ Areua-
tum præſidere fecit. Quo in munere à Diuo Paulo repertus, & ad Fidem
conuerſus fuit. De conuerſione ipſius egerat Dexter ad Annum 64. Poſt
Apoſtolorum necem, cui interfuit, rediit Mediolanum, vbi amicorum & con-
ciuium ſuorum Geruaſij & Protaſij martyrio adfuit, funus exercuit, hiſto-
riam ſcripſit: quæ à Diuo Ambroſio cum Sanctorum Reliquijs inuenta eſt: ex-
tatquè inter eius Opera, & apud Surium Tomo Tertio, die 19. Iunij. Cuius
initium eſt: Ego Seruus Chriſti Philippus intra domum meam Sanctorum
Corpora cum filio meo rapui, & ſepeliui: quorum mater Valeria & pater Vi-
talis dicti ſunt &c. Terminatur verò: Quod cùm factum fuiſſet; ego ſer-
uus Chriſti Philippus abſtuli cum filio meo furtim Corpora Sancta; & in do- D
mo mea, Deo ſolo teſte, in iſta arca marmorea ſepeliui; credens, me orationi-
bus eorum conſequi miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre
& Spiritu Sancto &c. Trucidatos autem ſub Nerone, teſtatur Metaphraſtes
in Vita ipſorum; vt videas, omnia conſtare; nec alium credas Philippum à
Philotheo, Pauli diſcipulo.

VIII. Nec his contentus Biuarius, ad controuerſiam & difficultatem illicò
progrediens à Baronio excitatam, ſic addit: *Baronius in Notis ad diem*
19. Iu ij ſuſpicatur, nequaquàm ſub Nerone (quod Metaphraſtes contendit)
ſed ſub Marco Aurelio & Lucio Vero, Geruaſium & fratrem occiſos. Quo
dato, temporum diſſonantia Philippos quoque diſtinctos redarguet. Mouetur

eo,

eo, quòd Aſtaſius Iudex, qui eos occidit, dicitur à Philippo illo Mediolanenſi A
tunc temporis proficiſci ad bellum, quod à Marcomanis fuerat excitatum. Bellum autem Marcomanicum temporibus M. Aurelij & L. Veri geſtum eſt Anno 171. *vt ex Chronico Euſebii habemus. Inter hunc verò Annum & Neronis mortem pluſquàm centum Anni intercedunt. Adde, ad Aſtaſium dixiſſe Sacerdotes Idolorum: Si vis lætus ad Auguſtos noſtros reuerti & victor; Geruaſium & Protaſium ſacrificare compelle. Hæc autem Auguſtorum multitudo non facilè Neroni qui ſolus regnauit, facillimè L. Vero & M. Aurelio conuenire poteſt.* Hactenùs Baronii argumenta Biuarius.

IX. Sed his profectò non concutitur, non flectitur, ne tantillùm quidem. *Certè* (reſpondet) *ſi non haberemus tam manifeſtum Metaphraſtis teſtimonium, coniecturiſquè agendum eſſet; ijs non difficulter in Baronij ſententiam* B
adduceremur. Sed habemus firmiorem coniecturis ſermonem: &, quod in contrarium obiicit, non conuincit. Potuit enim Neronis tempore ad Marcomanos aliquod bellum moueri; eo præſertim, quo contra Neronem rebellabant Nationes nobiliores, Gallia & Hiſpania. Quis hoc queat inſimulare mendacii? Quòd enim Anno 171. *geſtum ſit contra eos præcipuum bellum; non tollit, quin à multis antea annis cœpiſſent rebellare. Immò verò plerumque ita contigiſſe videmus: præſertim quando ſolus Comes Aſtaſius legitur ad eos reprimendos proficiſci. Auguſtos autem vocare potuit (ſi Codex incorruptus eſt, quod non facilè admiſerim) totam Neronis familiam, aut Senatum & Imperatorem, aut Neronem & Galbam, qui iam in Hiſpania imperabat, aut ipſum ſolum Neronem figurata locutione: qua, amplificandæ orationis gratia, dicimus Cicerones, Antonios, Iulios, Scæuolas &c.* C

X. Ad ea Baronii argumenta hunc in modum reſponſo, Biuarius reliqua proſequitur de Philippo illo noſtro Mediolanenſi: & his proſequitur verbis: *Tranſlatis deinde in cælum Petro & Paulo, Philippus adhæſit Clementi: à quo in Hiſpaniam miſſus fuit Apoſtolicæ Sedis Legatus initio ſui Pontificatus, Anno videlicet* 93. *Eius rei extat celebre Methodii teſtimonium, Auctoris Græci & Vetuſtiſsimi, in Vita Sancti Dionyſii, vbi ſic legimus: Porrò Sanctus Clemens ſub id tempus Philippum quemdam Hiſpanis Epiſcopum præfecerat: eamdemquè poteſtatem, quam ipſe Diuinus Clemens à Petro accepit, ipſi dederat, dicens: Profectus in Occidentales plagas, Euangelium Regni Cælorum prædicato: ligandi etiam ſoluendiquè poteſtas tibi eſto; vt Chriſti* D
Euangelium per te quoque longè latequè diffundatur; quò à Domino inſtar fidelis ſerui audire merearis, Euge ſerue bone &c. Ambroſius Morales & Ioannes Mariana eiuſdem Philippi Philothei meminerunt; niſi quòd Morales, eum cum Hierothea coincidere, non benè ſuſpicatus eſt. Nonnulla etiam, eaquè etiam memoria digna, Sanctus Braulio in Additionibus ad M. Maximum ſcripſit, quæ huius loci propria indicaui. Memoria (ait) celebris habetur & in Gallia & in Hiſpania Sancti Philippi, quem præmiſit Sanctus Clemens ante Eugenium in Hiſpanias & Gallias. Venit Rothomagum cum Leone Epiſcopo Rothomagenſi, poſtea verò Vaſconenſi, & Geruaſio. Ad cuius nomen Biuarius concludit: *En Sanctus quoque Geruaſius Hiſpanias inuiſit ante martyrium.*

martyrium. Sequitur Biuarius vnà cum eodem Auctore : *Prædicat in* A
Gallia, Cantabria, Vaſconibus, & per Hiſpaniam: dictus eſt cognomento Phi-
lotheus. Qui Prouinciam Areuacum ſub Nerone Ethnicus in Hiſpania guber-
nauit. Hic Sanctus Philippus, qui Diaconus erat (Biuarius addit *tunc*)
comeſquè Leonis, reuerſus eſt Romam, adhuc viuente Petro, Anno 67. &
interfuit eius Pauliquè martyrio. Sequutus Sanctum Clementem vt magiſ-
trum, ab illo effectus eſt Epiſcopus, & poſtea miſſus eſt Legatus in Hiſpanias.
Ter proinde Hiſpanias adiit: primò Ethnicus, officium gerens Præſidentis
Areuatium: ſecundò Diaconus Leonis, Rothomagenſis Epiſcopi & Vaſconenſis:
& tandem Clementis Legatus. Inſuper Iulianus, initio ſui Chronici, auctor
eſt, Philippum aliquandiu Toleti (cùm ibi prædicauit) ſediſſe Epiſcopum (quod
ego credo accidiſſe poſt martyrium Sancti Iuliani) & quòd paulò pòſt ſucceſsit B
Sancto Eugenio.

XI. Sequitur Biuarius: *De eo iterùm hoc Anno, Num. 9.* Eodem quippe An-
no Chriſti 91. Num. 9. ſic item in eo Dextri Chronico legitur : *M.*
Mancino, Duumuiro Barcinonenſi, idem Philippus Barcinonem adiit, ibidem-
què per aliquot menſes manſit. Hinc Biuarius in Commentario ad eum
Numerum inquit: *Dixerat, Philippum Philotheum prædicaſſe, non ſolùm*
Toleti, Cæſarauguſtæ, Hiſpali, Valentiæ, ſed etiam Barcinone. Nunc in ſpe-
ciali Barcinonenſis Auctor aperit conciuibus ſuis, ſub cuius Duumuiratu Bar-
cinone Philippus prædicauerat, & quòd inibi aliquot menſes egerit. Extant
Martialis ad Mancinum duo Epigrammata. Alterum Libro 1. cuius initium
eſt: Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati. Alterum in Libro 4. quod in-
cipit Num. 61. Donaſſe amicum tibi ducenta, Mancine. Nil aliud, quàm C
ioca & ſales, continent, amicitiæ non vulgaris ſigna. Hæc igitur illa ſunt,
quæ tam in prædicto Flauii Dextri Chronico quàm in Biuarii Com-
mentariis mihi viſa ſunt ad præſentis Operis inſtitutum pertinentia.

XII. Dexter itaque (qualiſcumque Auctor ille fuerit) noſtræ de tempore,
quo Protaſius & Geruaſius martyrium conſummarint, opinioni non
aduerſatur; cùm alioqui opinionibus aduerſetur aliorum, quos hac-
tenùs nominauimus; excepto tamen Ripamontio. Huic enim adcon-
ciliandum ſibi Dextrum ſatis eſſet dicere, Martyres quidem illos fuiſ-
ſe necatos ante Annum Chriſti Nonageſimum-primum; at non tempo-
re Neronis; ſed aliquantò pòſt; itaut ante illum Chriſti Annum ſepe- D
liri à Philippo potuerint. Certè autem Biuarius Ripamontio item to-
tus aduerſatur, nobiſquè totus luculentiſsimè patrocinatur; ac tum
præſertim, cùm Baronii rationes tam multis elidere modis conatur.
Quos magis lubet, eligat ſibi prudens Lector: ego quidem conſtanter
iis potiſsimùm inſiſto, quos antea ex inſtituto iam probaui.

XIII. Quòd verò Dexter Anno Chriſti Sexageſimo-quarto ad Fidem con-
uerſum à Sancto Paulo in Hiſpania narrabat Philippum illum, à quo
ſepultos poſtea Martyres Geruaſium ac Protaſium aſſeruit; ab hoc qui-
dem omnes Rerum Mediolanenſium Scriptores communiter diſſen-
tiunt; iiquè nominatim, quos ego Capite 6. Numero 4. indicabam.

Eorum

Digitized by Google

Eorum enim conſtans eſt aſſertio, Philippum illum cum filiis ſuis Mediolani conuerſum ad Fidem atque à Sancto Caio baptizatum fuiſſe inter primos illos & primarios Vrbis noſtræ Ciues, qui Chriſto ſua nomina dederunt; cum quibus etiam ego illic Sanctum Vitalem ipſiuſquè filios numerabam, eoſdemquè præterea ſupputabam baptizatos ante Annum Chriſti Quinquageſimum-ſeptimum. Si ergo Philippus ille noſter à Sancto Paulo in Hiſpania conuerſus fuit; eum potiùs ego crederem conuerſum, non ad Chriſtianam Fidem, ad quam vtique Mediolani conuerſus iamdudùm fuerat; ſed è Chriſtiano ſtatu ſæculari ad Eccleſiaſticum, & ad Sacros Ordines; itaut propterea creatus etiam poſtea fuerit Diaconus, & demùm Epiſcopus; ſi tamen hoc ipſum mihi Scriptores itidem noſtri permittunt, contraquàm permittere cæteroqui videantur. Non enim vnquàm Philippum illum noſtrum Epiſcopis adſcribunt; ſed ſimplici tantùm ac nudo Beati Philippi nomine, tamquam hominem ſæcularem, at verè pium, ac velut alterum Tobiam, concelebrant. Certè autem in id etiam conſentiunt omnes, vt eius Corpus hodiequè requieſcat in Baſilica, in quam conuerſa fuit eius domus, quæque primùm Baſilica Philippi & Philippea vocitata fuit, deinde verò Sanctorum Naboris & Felicis, ac denique Sancti Franciſci, vbi nunc Conuentuales eius Fratres magno numero degunt. Hæc autem cùm ſecundùm Scriptores noſtros ita ſe habeant inde profectò conſequens videtur, vt Philippum quoque hunc noſtrum; cenſuerint ab eo diuerſum, quem Sanctus Paulus ad Chriſtianam conuertiſſe Fidem in Hiſpania memoratur. A B C

XIV. In eadem verò ſententia ſunt etiam ii Rerum Hiſpanicarum Scriptores, quos nobis proximè Numero 10. Biuarius indicabat: qui videlicet Philippum illum Philotheum, à Sancto Paulo in Hiſpania conuerſum, crediderunt eſſe virum eundemque cum Hierotheo Athenienſi: de quo quidē legi poſſunt Ioannes Mariana De Rebus Hiſpaniæ Libro 4. Cap. 3. & Thomas Maſſutius in Sancti Pauli Apoſtoli Vita, Libro 13. Cap. 7. Si enim Philippus ille Philotheus ſimul ac Hierotheus, Ciuitate fuit Athenienſis vel ſi potius fuit Hiſpanus, vt contendebat Gaſpar Sanctius in Diſputatione de Prædicatione Sancti Pauli in Hiſpania (hæc autem Diſputatio ſuperaddita eſt ipſius Commentariis in Actus Apoſtolorum) Tractatu 4. Cap. 1. Num. 19. & ante ipſum Alphonſus Salmeron Tomo 12. Tractatu 59. non igitur ille fuit Mediolanenſis; neque vnus idemquè cum noſtro, qui Corpora Sanctorum illorum Martyrum ſua in domo ſepeliuit. D

XV. Philotheum porrò illum Biuarius vnum eumdemquè fuiſſe cum Philippo illo noſtro non aliunde probabat, quàm ex eo Chronici textu, quem initio Numeri 7. produximus. Atqui textum illum ego magnoperè ſuſpicor, ſecundùm eam partem qua idipſum probatur, adulterinum ac ſuppoſititium & ab alio Auctore textui primæuo ſuperadditum eſſe; ſecundùm ea nempè verba, *qui priùs Corpora Sanctorum*

Martyrum

Martyrum Geruaſii & Protaſii Ciuium ſuorum Mediolanenſium Mediolani A
ſepelierat. Non enim hæc verba reliquo hinc inde textui aptè cohæ-
rent. Sicut enim Philippus Martyres illos non ante ſepelierat, quàm
fuiſſet ad Fidem conuerſus; ita etiam congrua eius textus diſpoſitio
requirebat, vt conuerſio prius quàm ſepultura illa narraretur. Quòd
ſi verba illa penitùs è medio inde tollas; reliquus profectò textus hinc
inde ſibi quàm optimè per omnes partes cohæret. Congruenter autem
ad hanc ſuſpicionem meam hic accipe, quæ doctiſsimus Cornelius à
Lapide ad finem Chronotaxeos Actuum Apoſtolorum &c. de Chro-
nico illo Dextri exiſtimarit. Hæc vtique ſunt ipſius verba: *Multi Viri
docti, præſertim Hiſpani, illud auide arripiunt, citantque. Nonnulli tamen
eruditi, quibus acris eſt criſis, ſpurium cenſent, vel certè aliorum laciniis aſ-* B
*ſutum & vitiatum; tum quia varia eius circumferuntur exemplaria, quæ
inter ſe euariant & diſſonant; tum quia ſtylus rudior, Dextri ſtylum non
æquat; tum quia paradoxis & parachroniſmis inſperſum videtur; tum quia,
vbi, quando, & à quo poſt tot ſæcula primò repertum ſit, ignoratur. Sanè
Fuldæ* (quippe illud dicebatur in Bibliotheca repertum Fuldenſi) *illud
ſtudioſè perquiſiui; nec inueni. Nolim ego in hac lite ſedere arbiter, nec tanti
Auctoris iudicium mihi vendicare, vt fidem illi derogem, vel arrogem. Au-
dio, eſſe in Hiſpania, qui illud recuſuri, & limaturi, eique fidem arrogaturi
ſint. Subinde, ſed parcè, illud citabo, præſertim vbi veriſimiliora & rario-
ra narrans, aliorum grauium Auctorum teſtimonio fulcitur & roboratur.* Hæc
ibi Cornelius à Lapide.

XVI. Quòd verò idem Biuarius Numero 10. è Sancti Braulionis Additio- C
nibus colligebat, Sanctum quoque Geruaſium noſtrum Hiſpanias ante
martyrium inuiſiſſe; hoc ego quidem nullatenùs admiſerim; atque,
Braulionem propterea de alio loquutum Geruaſio, præfractè conten-
derim. Etenim ſi Geruaſius ille noſter Hiſpanias inuiſit; certè inuiſit,
non modò ante martyrium, ſicut Biuarius vltrò admittebat, ſed etiam
ante decennium illud, martyrio anterius, quod cœnaculo incluſus
vnà cum Protaſio fratre lectionibus & orationibus (vt in Libello Phi-
lippi noſtri legitur) tranſegerat. Si ergo mactatus fuit poſt Petri &
Pauli Apoſtolorum necem, ac ſuperſtite adhuc Nerone; certè ſequi-
tur, vt Hiſpanias iam inuiſiſſet ante Annum Chriſti Quinquageſimum- D
nonum. Etenim ſecundùm Dextri Chronicum Petrus & Paulus ne-
cati fuerunt Anno Chriſti Sexageſimo-octauo, tertio Calendas Iulii;
Nero autem voluntariam ſibi mortem conſciuit Anno pariter Chriſti
Sexageſimo nono, quarto Idus Iunii: ſic etiam Philippus ad Fidem
conuerſus iam fuerat Anno Chriſti Sexageſimo-quarto. Quomodo
igitur Geruaſius noſter ante Annum Chriſti Quinquageſimum-nonum
Hiſpanias iam inuiſerat vnà cum Philippo, eoque non tantùm ad Fi-
dem iam conuerſo, ſed etiam Clementis iam Papæ Legato? Sed &
rursùs ex altera parte, ſi Geruaſius necatus fuit ante Neronis interi-
tum, & ante decimam Iunii diem, quæ intra Sexageſimum-nonum

Chriſti

Chriſti Annum excurrit; quomodo ergò ſecundùm Biuarium ille poſtea potuit poſt Clementis Pontificatum, Anno Chriſti Nonageſimo-tertio inchoatum, in Hiſpanias proficiſci? Non igitur Martyr fuit noſter, & Protaſii frater, Geruaſius ille, qui Philippum illum, itemquè Leonem Rothomagenſium Epiſcopum, in Hiſpaniam & in Galliam proficiſcentes, ad prædicandum Chriſti Euangelium, comitatus fuit. Mihi quidem tam noſter ac Mediolanenſis videtur Geruaſius ille, quàm Philippus item ille; quocirca mihi neuter eorum videtur noſter, ſed vterque quidem à noſtris diuerſus. A

XVII. Licet autem Philippus ipſe noſter opinione mea Euangelium Chriſtianum non prædicauerit in Vrbe Toleto, non ibi aliquandiu ſederit Epiſcopus; illud tamen nihilominùs mihi ſummoperè placet, atque hic propterea in memoriam reuocare iubet, quod poſtea Luitprandus, Toletanus Subdiaconus, Ticinenſis Diaconus, ac demùm Epiſcopus Cremonenſis, teſtatum in hæc verba reliquit: *A temporibus Apoſtolorum maxima conſuetudo & quædam fraterna ſocietas inter Eccleſiam Toletanam & Mediolanenſem.* Sic enim ille affirmauit in ſuis Aduerſariis, Numero 166. poſteaquàm de geſtis Anni 356. loquutus proximè fuiſſet. Quæ quidem Aduerſaria primam in lucem, typis Antuerpienſibus impreſſa, prodierunt Anno tantùm 1640. cum Notis Domini Laurentii Ramirez de Prado, Conſiliarii Regii. B

CAPVT CLXXIII. C

Martyrologij Romani, typis Anno 1632. impreſſi, teſtimonium de Sancto Caio Archiepiſcopo noſtro, dequè Sanctis Martyribus Geruaſio & Protaſio, aliquatenùs ab editionum proximè ſuperiorum Martyrologijs diuerſum.

I. QVemadmodùm Martyrologium Romanum quinto Calendas Octobris, de Sancto Caio Epiſcopo noſtro loquens, à Baronii diſcreparet opinione de tempore, quo Sancti Geruaſius & Protaſius occiſi fuerint: atque adeò ne tunc quidem ſatis conſentire videretur cum Breuiario Romano, D Clementis Octaui auctoritate poſtea recognito; hæc ſatis iam conſtant ex iis, quæ ſupra diximus Capite 156. Num. 4. & alibi ſæpè.

II. Illud ipſum tamen Martyrologium, Anno Domini 1632. ſecundùm recognitionem, Vrbani Papæ Octaui iuſſu factam, ſic inuenio hac in parte reformatum, vt ab ipſis nihil prorsùs diſſentiat. In hac enim editione contractius ita ſolummodò ſe habet: *Mediolani, Sancti Caij Epiſcopi, diſcipuli Beati Barnabæ Apoſtoli: qui multa in perſecutione Neronis paſſus, in pace quieuit:* Mentionem itaque prætermitti placuit Baptiſmi, quem Caius antea dicebatur Sanctis Geruaſio & Protaſio miniſtraſſe;

 atque

atque per hanc omiſsionem Romana Eccleſia ſuum, non modò Breuiarium, ſed etiam Martyrologium pariter extrahendum cenſuit ei controuerſiæ de tempore, quo Sancti duo illi Martyres occubuerint: ac proinde illa itidem ambo voluit inter ſe pariter conſentire. A

CAPVT CLXXIV.

Celſianum Monaſterium eiuſquè Abbatia Theodoro Principi Triultio, Sancti Cæſarei Diacono Cardinali, commendatur ab Vrbano Papa Octauo. Quantus ille Cardinalis & Princeps. B

I. OPtatiſsimum ego iam tandem hic progredior ad Annum, quo Celſiani Monaſterii Abbatia Eminentiſsimo Cardinali Principi Theodoro Triuultio, Tutelari etiam meo beneficentiſsimo, commendata fuit. Cùm enim ea per obitum Eminentiſsimi Cardinalis Ludouici Ludouiſii vacaſſet; Summus Pontifex Vrbanus Octauus Triuultium illicò ei ſponte ſua ſubſtituit; quinetiam priùs, quàm Litteræ Apoſtolicæ ſub plumbo, ſicut aſſolet, expedirentur, Breue ipſi conceſsit Apoſtolicum, vigore cuius poſſeſsionem quantocyùs capeſſeret. Illud autem datum eſt Romæ, duodecima Ianuarii die, Annoquè Domini Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo-tertio: nec in eo quidquam eſt, quod obſeruetur, niſi titulus Abbatiæ ipſius. Ipſa ſiquidem in eo nuncupatur *Sanctorum Nazarij & Celſi*. Quod vtique ſine dubio eam ob cauſam factum eſt; quia C eidem Abbatiæ ſubiecta olim eſſet etiam proxima Sancti Nazarii IN CAMPO Eccleſia, quæ nunc Deiparæ Virginis Mariæ appellatur, vt ſupra iam vidimus.

II. Quamobrem de Theodoro potiùs ipſo Cardinali carptim & breuiter aliqua congruenter ad inſtituti præſentis rationem perſtringam: & hæc, non quia lucis aliquid tanti Præſulis ac Principis ſplendori afferre me poſſe confidam; ſed vt ſummus eius ſplendor immenſa luce ſua Lucubrationem hanc meam illuſtret hoc etiam loco, velut intra penetralia, neque ſolùm ab vniuerſi Operis fronte vniuerſim affulgeat. D

III. Genitores ei quidem fuere Carolus Emmanuel Theodorus Triuultius, & Catherina Gonzaga. Hæc è Mantuæ Ducum ſtirpe, tot ac tantis Principibus adnexa. Patrem verò, inter innumeras eius laudes, ob hanc Hiſtoriæ præſertim Belgicæ in perpetuum celebrabunt; quia in iis regionibus diutiſsimè fortiſsimequè pro Catholico Rege noſtro militauerit, ac tandem in prælio vitam profuderit victor, cùm Regio Equitatui Gubernator vniuerſo præeſſet.

IV. Adoleſcens honeſtis artibus excultus eſt illis, quibus ingenia Principum ad magnæ fortunæ cultum excitari ſolent: ac Litteras ille quidem, ſed Militiam præſertim adamauit. Equitum ergo Tribunus, &

multis

Digitized by Google

multis aliis eiuſdem generis muneribus præclarè geſtis inclytus, ſuam A
egregiè fidem operamquè quo primùm ex tempore per ætatem potuit, Catholicæ præſtitit Maieſtati, probauitquè.

V. Vigeſimum-primum agebat ætatis annum; cùm Ioannam, Monoeci Principis ſororem, matrimonio ſibi copulauit; ſed illud tamen vltra quadriennium nun proceſsit; Ioanna nempe Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo è viuis ſublata.

VI. Theodorus interim à patruo ſuo, Caſtellioni Principe, Cæſareæ tunc Maieſtatis Commiſſario in Italia Generali, inſtitutus pupilli eius filij Tutor, Principatum illum & omnia eius iura tutatus eſt; nec aliter quàm per ſemetipſum. Illuc itaque perrexit, requè ſic etiam vera fæliciter ipſe tutatus eſt aduerſùs eos omnes, qui per vim apertam perquè B varias artes & dolos infenſa tentare auſi ſunt.

VII. Tametſi autem non aliam ex eo matrimonio ſortitus fuerat ſexus virilis prolem, non aliud tantarum opum tantæ familiæ ac Procerum germen, atque ſucceſsionis columen, quàm Herculem Theodorum, tenellæquè adhuc eum ætatis puerum: tametſi prætereà Principum etiam Virorum ſuaſionibus quinetiam precibus ſolicitabatur, vt nouas nuptias contraheret, nec oblatas ſperneret maximi momenti opportunitates; eas tamen omnes animo excelſiore, quàm plerique crederent, repudiauit; & caſtimoniæ lauream matrimonio in poſterum prælegit. Ad Sapientiæ igitur ſtudia & præſertim ad Iuriſprudentiam reuerſus, Anno tandem Sæculi eiuſdem vigeſimo-ſexto Clericalem habitum ſuſcepir, eodemquè quinetiam Anno in Apoſtolicæ Cameræ Clericum ac C Protonotarium Participantem ab Vrbano Papa Octauo aſſumptus eſt; perinde fermè ac ſi prouidentiſsimus ille Pontifex inde vellet initia ſimul & auſpicia deſumi Cardinalitiæ dignitatis, qua eum poſtea inſigniuit.

VIII. Hac ipſa quippe dignitate illum ipſe inſigniuit Anno poſtea vigeſimo-nono, die Nouembris decima-nona. Quo quidem ſimul factum eſt etiam, vt ille iam eſſet quintus Cardinalium, quos intra proximos centum & triginta annos Triuultia Familia celeberrimos habuiſſet. Ea ſiquidem antehac habuerat Antonium, Scaramuciam, Auguſtinum, & alterum Antonium: de quorum laudibus admirandis legi poteſt præ D multis aliis Alfonſus Ciaconius in Vitis Romanorum Pontificum & Cardinalium, prout ex recenſentur in Anni 1630. editione Romana, eademquè locupletiori: cui quidem ad calcem additamentum quoque ineſt breuiſsimè contextum de Cardinalibus ab Vrbano Octauo creatis, atque adeò de Theodoro quoque noſtro. Illic enim Num. 34. creatum itidem legimus *Theodorum Principem Triuultium, Mediolanenſem*, hoc elogio commendatum: *Hic, adoleſcens bellicam Auorum gloriam in caſtris æmulatus, maturior, vxore immaturè extincta, ad auitam Cardinalium ſuæ Gentis laudem adſpirans; ex Protonotario Apoſtolico, & Cameræ Apoſtolicæ Clerico peruenit ad Purpuram Anno ætatis trigeſimo-ſecundo.*

Eeeee 2 IX. Quot

IX. Quot verò & quantas lætitiæ gratulationiſquè ſignificationes ob eam A
Theodori promotionem vniuerſa Mediolani Ciuitas, & præſertim nobiliſsimum Iuriſperitorum Collegium (è quo nimirùm Collegio ille item erat) publicè tunc ediderit, Februario nempe ſubſequenti, nimis profectò longum eſſet commemorare; ſatiſquè propterea ſit, ſi Lectorem ad ea cohorter inſpicienda, quæ tunc temporis impreſſa protinùs typis in publicum prodiere.

X. Nec mora Theodorus eodem ipſo Anno trigeſimo Pontificius Piceno præficitur Legatus; ſed interea nihilominùs aliis in Vrbe negotiis diſtinetur. Poſtquàm verò Mediolanum reuerti poſſe datum eſt, vbi flagrantiſsimis expetebatur votis; nullæ profectò litteræ ſatis vnquàm celebrabunt, quantum ex eo emolumenti ad hanc ipſius Patriam, & B
ad hoc Maieſtatis Catholicæ Imperium redundarit: ac tum præſertim, cùm Catholica Res aduersùs infenſiſsimos Prouinciæ Mediolanenſis inuaſores Gallos, alioſquè Principes cum ipſis coniuratos, ageretur ad Valentiam Arcem, ad Pagum Tornauentum, ad Vrbes Placentiam Vercellas Caſalem ac Eporediam. Quorum quidem Cardinalis officiorum pleraque iam indicarunt, nobiliſsimus Ciuis, & ex Abbate Oliuetano Epiſcopus Derthonenſis, Franciſcus Foſſatus, in ſuis Bellorum in Italia hoc Sæculo geſtorum Monimentis Hiſtoricis, Italicè conſcriptis, typiſquè Mediolanenſibus Anno quadrageſimo editis: Ioſephus item Ripamontius intra eos octo Hiſtoriæ Patriæ Libros, qui demùm Anno quadrageſimo-octauo euulgati fuerunt: ſicut autem audio, quò C
poterit plura, vberiùs etiam enarrabit nouus alter idemquè politiſsimus eiuſdem Vrbis Chroniſta, Opus ſuum iam exorſus. Quamobrem nihil eſt, cur ego iis in præſenti recenſeodis immorer; ſed potiùs aliquid eſt, quo curioſitati ac Rerum Mediolanenſium notitiæ obiter indulgeam, ſicut & aliàs quandoque feci.

XI. Non enim ſatis probo, quod Ripamontius ſeptimo ex iis octo Libris, pag. 229. de Gallis, ad Tornauentum caſtrametatis, ſcribebat: *Habebant ab læuo latere foſſam, cui Panis Perditi vocabulum militaris fortaſsè laſciuia olim indiderat ex eo, quòd in nullum vſum magno Legionum labore excauata eſſet.* Talia ipſe de foſſa illa, perinde ac ſi pro militaribus olim caſtris excauata fuiſſet. Atqui inueterata & communis accolarum tra- D
ditio (cui hodierna etiam figura ipſa foſſæ, mihi ſæpè conſpecta, adſtipulatur) hæc eſt, vt illac Mediolanenſes olim alueum è Ticino amne nauigabilem deducere ad Vrbem tentauerint, ſed irrito conatu: & quia panem foſſoribus quotidie in alimenta ſubminiſtrabant; idcircò eam denique Panis Perditi foſſam nuncuparint; velut ad eius imitationem prouerbii, quod in omnium verſatur ore: *Oleum & operam perdo.* Antequàm enim regius hic fluuius ex eo velociſsimus deflueret colle, quem hodiequè LA COSTA nuncupamus, ipſius partem, quanta nauium patiens eſſet, moliti ſunt in eius flectere Collis planiciem lateralis, cui pagus ipſe Tornauentum ſuperſtructus eſt. Hoc autem ſub ea

ego

ego tempora tentatum crediderim, quibus veterem illam foſſam, è A
Ticino iam multò ante deriuatam, & Ticinelli nomine Papienſium agros irrigantem, nouo denique alueo, iuxta Oppidum Abbiatum-Craſſum effoſſo, ad Villas Gazanum & Corſicum deduxerunt, ac nauigabilem vſque ad Vrbem reddiderunt. Quia enim vanus & irritus euaſiſſet prior ille conatus; propterea ſe tandem poſteriori huic conſilio Mediolanenſes addixiſſe. Quod quidem factum eſt circiter Annum Domini Septuageſimum-octauum ſupra Milleſimum centeſimum; ſicut ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis commemini Num. 576. Sed illud præterea tunc ita factum ego interpretor, vt Mediolanenſes vniuerſum eius aluei tam veteris quàm noui tractum conuehendis aptauerint nauibus. Ad eas enim conuehendas tantò minùs B
neceſſarium erat vt aptus antehac eſſet vetus ille alueus, qui ſupponitur ad irrigandos præſertim Papienſium agros ab initio effoſſus, quantò aptior Ticinus ipſe vnà cum potiore ſuarum aquarum parte per ampliorem ac natiuum ſui alueum ad ipſammet Papienſium Vrbem vltrò iam ante decurrebat. Quocirca Donatus etiam Boſsius in Chronico ſuo Mediolanenſi, ad Annum Chriſti 1482. inter cætera eius Anni geſta hoc etiam narrauit: *Principio Octobris nauigabilis foſſa ex Abiate-Graſſo Papiam cœpta eſt duci;* quippecùm illa priùs non eſſet inde versùs eam Vrbem nauigabilis. Sed hinc ad noſtrum de Cardinali Principe Triuultio inſtitutum reuertamur.

XII. Annus iam erat Chriſti Milleſimus ſexcenteſimus quadrageſimus-ſecundus, cùm Cardinalis, ad Regiam in Hiſpanias inuitatus, eò demùm ſe contulit: ibiquè perhonorificè à Potentiſsimo illo Monarcha noſtro excipitur, in Supremi Status ac Belli Conſilia cooptatur, Annoquè poſtero Prorex Aragoniæ conſtituitur. Nec ille porrò quicquam ibi defuit expectationi de ſe conceptæ. Regnum quippe illud ſumma cum dignitate ac moderatione adminiſtrauit: quinetiam turbulentiſsima ſeditione per ſummam dexteritatem quamceſerrimè ſedata, Regnum ipſum Catholicæ Maieſtati penè diuinitùs conſeruaſſe viſus eſt prudentibus Viris, æquiſquè rerum æſtimatoribus. C

XIII. Relatus inde Cardinalis cum Sobole ſua inter Hiſpaniarum Magnates, in Italiam reuertitur: cumquè poſt Vrbani Papæ Octaui obitum Anno Sæculi eiuſdem quadrageſimo-quarto ſubſtituendus ei nouus eſſet Succeſſor; in id congregato Cardinalium Collegio (à quo tandem quinta-decima Septembris die Innocentius huius nominis Decimus eſt electus) ſic ille affuit, ita ſe geſsit, vt ſummam inde laudem admirationemquè ſui, non apud reliquos modò Collegas, ſed apud Regem quoque Catholicum reportarit. D

XIV. Quocirca Rex ipſe denuò illum Siciliæ præficit Proregem. Fortè autem fortuna contigit, vt, priuſquàm illuc proficiſceretur, Neapolitano quoque Regno, periculoſiſsima tunc laboranti ſeditione, non parum adiumenti opiſquè attulerit per id omne tempus, quo illic moratus eſt.

Panormi

Panormi verò poſtea (quò tandem Anno quadrageſimo-ſeptimo peruenit) & in vniuerſo Siciliæ Regno, quàm fœliciter alias item ſeditiones, iterùm ac tertiò renouatas, extinxit? A

XV. Sed ne tanta quidem regiminis fœlicitate fraudatum poſtea fuit Sardiniæ Regnum, ſtatimac eidem Cardinali pariter ac Proregi demandatum fuit Anno quadrageſimo-nono. Qualecumque nimirùm opus, tametſi arduum, ille aggrederetur, eidem perficiendo magnanimus Heros conſtanter inſiſtebat: animoſquè vel etiam efferatos & refractarios tanta demulcebat humanitate, vt eos facilè flecteret, quò ratio bonumquè publicum depoſcebat. Si quando autem acribus etiam remediis vti cogeretur; hæc item interritus opportunè admouebat. Sed hæc item, atque alia generis eiuſdem quamplurima, par eſt, vt propriis eorum Regnorum Annalibus narranda reſeruentur, quæ ſibi Volumina depoſcunt integra, nec vlla cæteroqui obliuione deleri vnquàm poterunt. B

XVI. Quod à me taceri nullatenus debet, eodem quidem Anno quadrageſimo-nono Hercules item ille Theodorus, Princeps, quem ſupra nominabam, digniſsimus eiuſdem Cardinalis vnigenitus, & paternarum itidem virtutum tenaciſsimus hæres, præclariſſimum earumdem ſpecimen edidit in Vrbe Roma, cùm Regii apud Summum Pontificem Legati munere illic fungeretur. Ad eiuſmodi enim Legationem præ cæteris omnibus ipſum (& quidem Aurei præterea Velleris Equitem, iam inde à pueritia meritiſsimè creatum: necnon etiam deinde propter operam in bello egregiè nauatam Prouincialium Ditionis huius Mediolanenſis Legionum Generalem multos iam per annos Præfectum) Sereniſsima delegerat Philippi Quarti Monarchæ noſtri Potentiſsimi Sponſa, Maria videlicet Anna Auſtriaca, Imperatoris Ferdinandi filia. Cùm enim hæc, è Germania in Hiſpanias ad Sponſum ſuum tendens, Mediolanum veniſſet; huc etiam Legatus à Latere Pontificius ad ipſam venit Eminentiſsimus Cardinalis Ludouiſius, Bononienſis Archiepiſcopus, à Summo Pontifice Innocentio, ad ſolita generis huius obſequia miſſus; quemadmodùm prægrandi etiam Volumine, typis non multò pòſt Mediolanenſibus impreſſò, explicatum manet. Viciſsim ergo Reginæ item noſtræ miſſu Triuultius Princeps ad eumdem Supremum Pontificem officii cauſa perrexit, & eo quidem magnificentiæ apparatu, qui tantam omni ex parte Legationem deceret: diuquè illic moratus, tam Pontifici, quàm Cardinalibus, aliiſquè Principibus Viris, & vniuerſæ Curiæ acceptiſsimus fuit. C D

XVII. Reliquum videbatur, vt Maximus etiam ipſe Rex noſter tam egregia, & tam inſigniter iam experta, tanti Cardinalis opera Romæ item frueretur in tractanda ſuſtinendaquè grauiſsimorum Monarchiæ ſuæ negotiorum mole. Hanc igitur ei molem concredidit Anno Sæculi huius Quinquageſimo-primo: ex eoquè tempore ad illud vſque, quo tandem obtinuit, vt liber ab eiuſmodi curis in Patriam redire poſſet,

continuatis

continuatis experimentis liquidò conſtitit, eiuſdem operam eidem ipſi Monarchæ gratiſsimam fuiſſe. A

XVIII. Quinquageſimi-quinti Anni Iulius tunc agebatur menſis, quando tandem ab Vrbe Roma Genuam transfretauit. Cùm ergo protinùs illic certò comperiſſet, Papiam recenter ab ingenti hoſtium numero arctè obſeſſam teneri; tum verò ſumma celeritate opequè ſimul cum Theodoro filio, illuc itidem hinc profectò, nihil non egit, vt è Regia etiam Claſſe Neapolitana quantocyùs conueherentur auxilia, nobiliſsimæ illi Vrbi in libertatem vindicandæ neceſſaria. Quibus quidem maturè conuectis, & reliquo in hac Prouincia Exercitui Catholico ſociatis, & hoſtem aggredi molientibus, ille ſtatim nocte intempeſta obſidionem ſoluit, ſatis habens inoffenſa fuga diſceſsiſſe. B

XIX. Itineribus poſtmodùm ab hoſte liberis, Mediolanum denique Cardinalis peruenit, & ſicut nouus Patriæ Pater ab vniuerſis Ciuibus receptus eſt. Quocirca etiam ille moram hic deinde trahens, hoc item nomine ſingulariter amabatur, omniquè honore colebatur. Cæterùm lætitiam eiuſmodi amoremquè omnem in immenſum deinde auxit nuncius, Anno ſequenti ex Hiſpania huc allatus, quo ille nouus Prouinciæ huius Gubernator à Rege noſtro creatus denunciabatur: communiſquè profectò ſenſus hominum, vera ritè ac ſincerè æſtimantium, hic fuit, vt hic ipſe Cardinalis expreſſam præferat imaginem Maiorum ſuorum, quibus paterno pariter ac materno conſanguinitatis affinitatiſuè vinculo nexus eſt; quos vtique rebus tam præclarè geſtis tam fæliciter imitatur, ac veluti rediuiuos vnus omnes iam exhibet. C

XX. Deus Optimus Maximus tam eumdem Cardinalem, quàm filium Herculem Theodorum & vniuerſam ipſius ſobolem, diutiſsimè ſeruet incolumes, ac bonis affluenter omnibus in perpetuum locupletet. Inter Cælites verò hæc eadem illis præcipui etiam exorent Sancti Martyres noſtri Nazarius & Celſus, quorum Abbatialis Baſilica reſtaurationis etiam ſuæ, recenter factæ, monimentum in fronte hoc præfert: THEODORVS CARDINALIS PRINCEPS TRIVVLTIVS. MDCLI. eiuſquè gentilitium inſigne. Quinetiam Sanctis iis accedat Oratrix potentiſsima, Deipara Virgo Maria: quæ ad veterem ſuimetipſius imaginem, in eadem illa Baſilica parieti appictam, & ſtatim ab ingreſſu Baſilicæ in latere dextro conſpicuam, quamplurima mirabiliter beneficia ſupplicibus in præſentem vſque diem largiri perſeuerat ex Anno circiter trigeſimo huius Sæculi octauo. D

XXI. Quam ego quidem imaginem credidi non aliam eſſe, quàm illam, è qua miracula multa prodierunt Anno Milleſimo trecenteſimo nonageſimonono; ſicut in pergamena quadam & veteri tabula teſtatum eſt, quæ in Eccleſia Deiparæ pariter Virginis ad vrbanam Sancti Satyri Eccleſiam cuſtoditur, appenſa parieti propè Cappellæ primariæ Cancellos; necnon etiam in altera vetuſtiori, quæ in eiuſdem Sacrario Eccleſiæ. In extremo enim vtriuſque illius tabulæ ita denique legitur:

Eodem

Eodem die; videlicet Anno Domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono; die ſeptimo Auguſti, accidit, quòd quidam vir iſtius Parochiæ, nomine Girardus, dictus Ratus, de Caſtoldis de Meda, dum ablueret dictam imaginem Beatæ Mariæ (quæ ſcilicet imago iam inde ab Anno Chriſti Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo-ſecundo miraculis erat perinſignis) *continuò de manu dextera exiuit ſanguis: & ſtatim dictus Girardus cum Presbytero dictæ Eccleſiæ iuerunt ad Mediolanenſem Archiepiſcopum. Et dictus Dominus Archiepiſcopus fecit eum incarcerare, donec miſiſſet per omnes depinctores iſtius Ciuitatis ad videndum probandumquè rei veritatem; ſi alicuius color fuiſſet ſimilis dicti ſanguinis; & non inuenerunt. Et cùm dictus Dominus Archiepiſcopus ante imaginem Beatæ Mariæ ſtetiſſet, & non credidiſſet de dicta manu dextera; iterùm exiuit ſanguis. Tunc dictus Archiepiſcopus obſtupefactus fuit, & firmiter credidit, & Beatam in ſui deuotè auxilio ſupplicauit: cùm plurimos ac diuerſos languores ipſa curauit. Sed ſciendum eſt, quòd iſta imago, & illa quæ eſt in Sancto Celſo, & illa quæ eſt in Sancto Simpliciano, & in Sancta Cruce, & in Sancto Ambroſio; depicta ſunt in vna eadem ſimilitudine: & dictæ imagines ſiue figuræ ipſa die* (illa nimirùm Auguſti ſeptima, intra vndequadringenteſimum Chriſti Annum ſupra Milleſimum comprehenſa) *& hora cœperunt coruſcare multis miraculis. In ſequenti Anno in partibus iſtis, & per totum Mundum magna peſtilentia fuit.* Hæc in vtraque illa tabula: & ſatis quidem veraciter quoad eam quoque peſtilentiam, poſtero illo Anno ſubſecutam. Itaque Donatus etiam noſter Boſsius in Chronico Mediolanenſi diſertè ſic etiam tradebat in eumdem Annum: *Hoc Anno Mediolani, circumſtantibuſquè locis, peſtilentia laboratum.* Bernardinus quoque Corius ſic item ad Annum præcedentem: *L'Anno ſeguente in tutta l'Italia venne grandiſsima peſte, nuoua elettione d'Imperatore, guerre, tumulti, & infinite eſtorſioni.* Et rurſus ad ipſummet Annum ſubſequentem: *In tutta queſta ſtate ſucceſſe grandiſsima peſte per la maggior parte di Lombardia. Et più feruente fù in Toſcana, in Roma, nella Marca, in Romagna, in Campagna, nel Reame di Puglia, & in molte Città d'Alemagna.* Et hæc quidem pro præſenti Capite ſatis ſint.

CAPVT CLXXV.

Innocentij Eccleſiæ teſtimonium de Martyribus hiſce noſtris.

I. INnocentius hic, cognomento Eccleſia, ille eſt, quem Capite 157. Num. 2. nominabam: idemquè fuit Clericus Regularis, vt communiter vocant, Barnabita, & peramicus meus. Sancti verò etiam Syri, Ticinenſium Epiſcopi Primi, Vitam ille ſermone Italico ſcripſit, ac typis impreſſam Mediolanenſibus Anno 1634. edidit: eademquè occaſione prolixam inſtituit quæſtionem de tempore, quo Sancti Geruaſius & Protaſius martyrium ſubierint.

II. Libro 2. Capite 10. è veteri Sanctorum Syri & Iuuentii Vita narrauerat A
eadem fermè, quæ indidem iam ego Capite 20. à Numero 2. vſque ad 7. & Capite 31. Num. 2. ac nominatim etiam de Baſilica, Sanctis Geruaſio & Protaſio per Sanctum Syrum conſtructa & conſecrata, ſic affirmarat: *Et queſto fù il primo Tempio, di nuouo edificato in Pauia*; hæc, inquam, ille ibi narrauerat; cùm deinde vniuerſum Caput vndecimum ei quæſtioni examinandæ impendit. Dubitandi ergo cauſas in primis proponit: eaſquè fuiſſe aſſerit talem illam Sancti Ambroſii ad Epiſcopos per omnem Italiam conſtitutos Epiſtolam, eiquè conſitum illum Philippi Libellum. Quocirca etiam vtrique multa opponit argumenta pro parte negatiua: Libellumquè præcipuè ipſum Latinitatis coarguit impurioris, quàm quæ nobilem illum Virum deceret, Phi- B
lippum, cui tribuitur auctori. Poſt hæc autem affirmatiuam propugnare partem aggreditur his verbis:

III. *Mà laſciando hora da parte tutto il rimanente, per venir' à ciò che al noſtro caſo più importa, & che mette difficultà nella iſtoria di San' Siro, mentre da queſta Scrittura* (hoc eſt, è Philippi Libello) *ſi fà argomento, che la morte di queſti Santi, non ſotto l' Imperio di Nerone, mà de' due fratelli Auguſti, Marco e Vero, ſuccedeſſe; habbiamo noi ancora molte buone auttorità e ragioni in contrario.*

IV. *Perciòche il Breuiario Ambroſiano, alla cui Chieſa pur' più d'ogni altra pare tocchi la verità di queſto fatto, diſtintamente dice, ch'eſſi patirono ſotto Nerone: e ch'eſſi furono batteʒʒati da San' Caio, Veſcouo di Milano: il quale non v'hà* C
dubbio che fù al tempo di Nerone; come dalla Vita ſua, ſcritta frà gli altri diligentemente dal noſtro Venerabile Carlo Baſgapè, ſi vede.

V. *Il medeſimo confermano poi il ſopradetto Giouanni Coſteri nella Vita di Santo Ambroſio, Luigi Lipomani & il Surio nella Vita loro, cauata da Simeon Metafraſte, la qual'è la medeſima con quella de Santi Naʒʒaro e Celſo, i quali furono contemporanei loro: e tutti i moderni, che dopo lui hanno ſcritto; auuengache alcun' di loro non ſenʒa qualche dubitatione per cagione di queſta Scrittura, & il medeſimo Surio nella Vita de' Santi Siro & Inuentio, da graue Auttore, com'egli atteſta, ſcritta. Alcun'antico manuſcritto ancora, da me veduto, contra quello che il Cardinal Baronio afferma, non ve n'eſſer' alcuno. Anʒi pure egli medeſimo nella Vita di Sant' Ambroſio aſſai chiaramente il conferma con* D
queſte parole: Qui in ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ fuerunt coronati martyrio: le quali al tempo de' due narrati Imperatori al ſicuro non s' addatterebbono. San' Carlo in vna Lettera Paſtorale, pubblicata per cagione della traslatione di San' Simpliciano & altri Corpi Santi, dell'Anno 1582. *regiſtrata negli Atti della Chieſa Milaneſe: Bernardino Corio nella Hiſtoria di Milano.*

VI. *Si vede di più inſino al giorno d'oggi in piedi vn'antico colonello, dirimpetto al Caſtello di Milano, verſo la Chieſa di San' Protaſio* (de qua columella ego diſſerebam Capite 24.) *nel quale queſte parole, omai dal tempo roſe, che pure, ſe ben' malageuolmente, legger' ſi poſſono, ſtanno ſcritte, da me oſſeruate: In hoc loco, vbi fixa eſt hæc columpna, decapitatus fuit Sanctus Protaſius Anno*

ab Incarnatione Domini LIIII. die XVIIII. *Iunii, ſub Comite Aſtaxiò. E ſe* A
*bene il noſtro Triſtan Calci dice, non preſtar molta fede à quella memoria: ſi
per le parole, e ſi per gli caratteri ſteſsi, i quali molto tempo dapoi moſtrano
eſſer' ſtati intagliati: & anche per hauer in certo luogo, com'egli dice, oſſeruato
(che per auuentura de' eſſere la preſente Scritta) che la morte de' Santi Fratelli
ſuccedeſſe, mentre Aſtaſio andaua alla guerra de' Marcomani: Onde pare, ch'e'
riſferiſca ciò al tempo di Aureliano; nel cui primo Anno (che fù intorno gli Anni
di noſtra Salute dugento ſettanta) eſsi, come narra Vopiſco, tumultuando aſſa-
lirono l'Italia; egli nondimeno, per commun' ſentimento, troppo ritarda il mar-
tirio di queſti Santi; oltreche di Aureliano, il quale ſolo imperò, non ſi può ve-
rificare la parola Auguſtos noſtros; & io penſo, che, s' egli haueſſe hauuto ri-
guardo alle coſe da noi riferite, ò almeno alla prima guerra Marcomana, ch'egli* B
ſarebbe ſtato di altro parere.

VII. *Aggiungo, che San' Vitale, come oſſerua il medeſimo Carlo Baſgapè nella Vita
Latina di San' Caio, & in vn' altra, da lui volgarmente ſcritta di eſſo San'
Vitale, che ſi conſerua preſſo di noi à penna, militò ſotto Nerone. Dal che ben'
poſsiamo argomentare, che i figliuoli altresi ſotto di lui foſſero martirizati, &
non cento Anni dopo; che troppo più ſarebbe durata la vita loro di quello, che
generalmente ſi tiene, ch'egli non molti Anni ſopravuiueſſero al padre loro; come
anche dalla narratione della iſtoria loro ſi può comprendere: e nella ſopranarra-
ta Piſtola ſi dice, eſſer' appariti à Santo Ambroſio in età giouanile, e (come ſi
dice) di prima barba.*

VIII. *Finalmente San' Nazzaro (quantunque Paolino nella Vita di Sant' Ambroſio* C
*dica, non hauer' potuto ſapere il tempo del martirio ſuo) communemente ſi sà
ch'è fù diſcepolo di San' Pietro, battezzato da San' Lino, e col fanciullo Celſo
patì ſotto Nerone: & amendue per più Autori ſi dice, ch' è furono, come è det-
to, al tempo di San' Geruaſio e Protaſio.*

IX. *E ſenza altri teſtimonij, nella medeſima Piſtola à Veſcoui ſi ſcriue, che San'
Paolo in viſione diceſſe à Santo Ambroſio, ch' eſsi per le ſue monitioni, ſprez-
zate le richezze, hauean' ſeguito Criſto; onde ſi vede, ch'è furono diſcepoli di
San' Paolo. Ciò che San' Pietro Damiano nell' Operetta Actus Mediolani, ouero
De priuilegio Eccleſiæ Romanæ, chiaramente afferma, che Protaſio & Geruaſio
hebbero per maeſtro San' Paolo. Nel che quaſi manifeſta ſi ſcuopre la contra-
dittione frà la detta Piſtola & il Libello di Filippo; perche ciò ſarebbe à dire* D
*impoſsibile, ſe eſsi ben' cento Anni dalla morte di San' Paolo al tempo de' detti
Auguſti, giouani di primo pelo foſſero, come per eſſo Libello male ſi argomenta,
ſtati fatti morire. Dalle quà coſe tutte troppo chiaro ſi può vedere, ſe eſsi à
tempi di Nerone, ò de' due narrati Imperadori, terminarono le vite loro.*

X. *Mà voglio oltre ciò pur anche auuertire, che contra i Marcomani non fù alcuno
Aſtaſio mandato, mà Aufidio, ò, come altri ſcriuono, Furio Vittorino; ſi come
in Giulio Capitolino, da cui ſi hà tutto il ſucceſſo di quella guerra, ſi legge.
Nel che pare manchi di verità il Libello di Filippo. Il quale Vittorino hauen-
do per alcun' tempo ſoſtenuto quella guerra, fù poi neceſſario, che gl' Imperadori
medeſimi amendue vi andaſſero in perſona, i quali vi poſero fine.*

XI. *Per*

XI. *Per tutte le quali ragioni ben' potrebbe venir' omai in penſiero ad alcuno di non far grande ſtima di quella Scrittura, ò pur anche tenerla per apocrifa, e da alcuno per auuentura dopo Santo Ambroſio di gran' tempo inſieme con la Lettera di eſſo Santo, come di molte altre ſimiglianti è auuenuto, compoſta, quando già la Lingua Latina molto doueua eſſere dicaduta; auanti però al tempo di Beda e di San' Pietro Damiani: ò forſe da alcuno de' ſucceſſori della famiglia di quel Filippo, che ſi dice de gli Oldani, la quale inſino all' età preſente dura nella Città di Milano.* A

XII. *E nondimeno poiche ella pure (tale quale ella è) pare ſia accettata da huomini di molta autorità, quali poco fà habbiam' riferito: i quali non per tanto mi ſi dà à credere, che quella (ſe già ella dapoi non foſſe ſtata alterata; come anche tronca aſſai & in più parti ſuariata da queſta ſi può veder quella, che in Santo Ambrogio di Milano dicemmo conſeruarſi) in ogni ſua parte approuaſſero, mà bene di eſſa, in quanto al lor propoſito faceua, ſi valeſſero; come del Venerabil Beda e di San' Pietro Damiani ſi può credere; i quali nondimeno di eſſa ne di loro autore non fanno alcuna mentione.* B

XIII. *Mà ſenza queſto, poiche altrettanto degno di riprenſione pare che ſia chiunque, ſcriuendo iſtorie, à tutto ciò che troua, ſenza differenza ò giudicio s' appiglia, quanto chi per alcuna imperfettione, ò anche mancamento, che ſcorſo vi ſia, di verità ciò, che per altro da dotti e ſaputi huomini vien' approuato, rifiuta; io ſon' andato frà me ſteſſo conſiderando, ſe trouar' ſi poteſſe modo, onde quella Scritta di Filippo ſi poteſſe, quale altri la ſtima, non altro che vera e legitima riputare; per tal' modo però, che li Autori della Vita di San' Siro, i quali noi altresì veri e legittimi crediamo, difficultà ò contradittione alcuna non ne ſentiſſero; e per queſta via m'è caduto in penſiero ch'è ſi poſſa fare.* C

XIV. *Già s'è per ſufficiente proua conoſciuto, come niun' Aſtaſio Conte fù nella ſpeditione contra de' Marcomani deputato, & all' incontro niuna cotal' guerra ſi moſſe al tempo di Nerone. Ben' ſi à tempo ſuo fù guerra co' Brettoni: contra i quali mandò Nerone Paolino, detto Suetonio Paolino, come narra Cornelio Tacito nel Libro decimo-quarto, & altri Autori delle coſe di Brettagna. Si troua oltre à ciò, che Paolino, da Filippo nella Scrittura ſua chiamato Conſolare, fù, come dice il Corio, mandato da Nerone Vicario ò Preſidente à Milano: e di là partendo per Rauenna, conduſſe ſeco Vitale, il quale quiui fece martirizzare; reſtando in Milano ſucceſſor ſuo Anolino, il quale, come ſi è veduto, vcciſe i Santi Nazzaro e Celſo, e fece imprigionar' Geruaſio e Protaſio. Dietro ad Anolino ſeguì Aſtaſio, di cui ora ſi fauella: in cui quaſi tutti conuengono, ch'è foſſe l' autor della morte de' detti due Santi Fratelli. M' auuiſo dunque, che con poca cenſura il tutto ſi potrebbe aſſai pianamente acconciare; ſe, doue nella Scrittura di Filippo ſi legge, Qui proficiſcebatur ad bellum, quod à Marcomannis fuerat excitatum, noi in vece della parola Marcomannis riponeſſimo Britannis; che così poſſiam' credere ſcriueſſe Filippo, e per errore foſſe poi l' vna parola per l' altra, per la loro ſimiglianza, da chi quella traſcriſſe preſa; hauendo ſpecialmente Marcomannis con due nn deſcritto, la doue con vna baſtaua. E ſimilmente, doue noi habbiamo Auguſtos noſtros, egli ſcriueſſe Auguſtum noſtrum;* D

le quali voci altresì m' auuiſò ſaranno ſtate alterate: e forſe il tempo e la humidità della terra n' hauerà alcun carattere conſumato. A

XV. *Mà perche contra Brettoni già s'è detto hauer Paolino, e non Aſtaſio, militato: il quale altri pare non poſſa eſſer ſtato, che quel medeſimo Paolino, che prima in Milano e poi in Rauenna fù Preſidente; queſto per parere del Lipomani non dee rileuar molto. Poiche ſi sà, che i miniſtri de' Demonij (dice egli) molti ſuoi operarij haueuano: i quali, mentre l'vno in altri affari veniua occupato, ouero quando egli ſi ſaziaua ò ſtancaua di ſtraziare i Corpi de Santi Martiri, ò pure auuiſaua altri douer' eſſere più di ſe atto à fargli diſdire, ouerò à tormentarli, quelli ſoſtituiua in luogo ſuo: di che molti e molti eſempi (dice il Lipomani) potrebbonſi allegare. Che perciò può eſſere, che à Paolino, come già vſato à incrudelire ne Martiri, foſſe quella inſtanza fatta, che dice la Scritta di Filippo, dà Sacerdoti de gl'Idoli, mentr' egli paſſaua per Milano; douendo alla impreſa ſua procedere contra i Brettoni; & egli perciò ad Aſtaſio, che in luogo ſuo dopo Anolino erà ſucceduto, ne laſciaſſe la commiſsione; e così fuſſe, come auuiene, l'vn per l'altro preſo. E così pare ceſsi ogni difficultà.* B

XVI. *E ſe pur' alcuno, non acquetandoſi, à tuttociò replicaſſe, che la guerra Britannica ſuccedeſſe alcuni Anni dauanti che Nerone moueſſe la perſecutione, e per conſeguente innanzi alla morte di queſti Santi Fratelli; ſi può riſpondere; che non ripugna, eſſere ſtata fatta la inſtanza à Paolino per titolo di religione & di pubblica vtilità auanti, e che perciò eſsi foſſero anche poſti prigioni: e che poi ſi differiſſe la lor' morte fino all' Editto dell' Imperadore, con hauer' Filippo tutto queſto fatto come in compendio narrato.* C

XVII. *La qual' opinione eſſendo accettata; reſterebbe ſolo à riſoluer' ciò, che per noi fù contra la Piſtola, che ſi dice di Sant' Ambroſio à Veſcoui, oppoſto. E breuemente, quantò allo ſtile, ſi può dire, che ſouente ad altri vien' fatto di cangiarlo; il che in molti Autori, e per auuentura in Sant' Ambroſio medeſimo (maſsimamente nelle Orationi e Preci, che di lui ſi leggono) ſi può oſſeruare. Che non ſiá ſtato dato luogo à quella Piſtola frà le altre Opere ſue, e che Paolino non ne moſtri cognitione, non paiono ragioni conuincenti. Le varietà del fatto, che frà deſſa e quella della Sorella ſi ſcorgono; ciò ſi fà taluolta à bella poſta da gli Scrittori; e ſi può dire, che l'vna ſuppliſca à ciò, che manca nell' altra. Del conuocare i Veſcoui dauantiche egli ſi foſſe aſsicurato; ſi può riſpondere, che il medeſimo Dio, à cui ſi compiace manifeſtare alcun ſegreto per via di riuelatione, ben' può anche togliere ogni dubbietà dal cuore à douergli preſtar fede: & anche ſenz' altra proua à perſuaderlo ad altrui; come dalla ſtoria della manifeſtatione de' Corpi di Santo Steffano Protomartire e d' altri Santi, fatta à Luciano Prete, accioche ne auuiſaſſe Giouanni Veſcouo di Gieruſalemme, perche in più degno & orreuole depoſito ſi riponeſſero, ſi può raccogliere. Il qual Giouanni parimente, ſenza prima far proua di cercarne, ſi legge, che conuocò à quel diſcoprimento i Veſcoui e Sacerdoti delle circonuicine Città. E ſe finalmente in vna racconta, ch' egli cominciaſſe à cauare, e gli altri ſeguiſſero: e nell' altra, che ſolo comandò ſi cauaſſe; ſi può anche riſpondere, che, chi per altrui fà, per ſe ſteſſo ſi dice di fare. E queſto in quanto alla ſopradetta Piſtola.* D

XVIII. *Mà*

XVIII. *Mà alle imperfettioni del Libello di Filippo quai ragioni potremo noi allegare, che vagliano ad iſcuſarle? Certamente io confeſſo, non hauerne alcuna, che mi ſodisfaccia; ſe già altri non voleſſe, per preſtamente sbrigarſene, & anche ſenza obbligarſi à douer prouarlo, dire, che per auuentura quello douette eſſere il volgar' idioma di que' tempi in Milano: e che idiota e ſemplice, ancorche pio e nobile, huomo doueſſe eſſer quel Filippo. Le quai coſe quanto mostro volontieri rimetto al diſcreto Lettore.* A

XIX. Talis ergo Lectoris partes iam tandem hoc loco, tamquàm ex Auctoris huius voluntate, nos agemus: & hæc quidem, quæ demum pro Sancti Ambroſii Epiſtola & pro Philippi Libello ille diſſeruit, non improbabimus; ſed ea ſanè, quæ ſuperiùs in contrariam partem diſſeruerat. In primis itaque tam eam Epiſtolam, quàm eum Libellum, nos quidem legitimis & fide dignis connumeramus Scriptis; meritiſſimeque propterea (licet id ab Auctore hoc noſtro animaduerſum non fuerit) inter legitima computabantur in poſtrema etiam Operum Sancti Ambroſii emendatione ſimul ac editione typographica; ſicut ex iis conſtat, quæ iam diximus Capite 7. Num. 3. & Cap. 37. Numero 15. itemquè Cap. 50. Num. 3. Hinc igitur ne ſibi quidem viciſsim vllatenùs contradicere contendimus Epiſtolam illam & Libellum: ac ſimiliter ne ipſi quidem Libello falſum ineſſe aliquid, vel cenſura & emendatione dignum illa, quam hic Auctor abſque ratione congrua & ſufficienti comminiſcebatur; cùm alioqui nihil tale vnquàm in vllo exemplari compertum ſit; quemadmodùm nos quoque innuebamus Capite 22. Num. 6. Sic etiam ne nobis quidem hoc loco neceſſariam eſſe aſſerimus ſuperiorem illam Lippomani doctrinam; de qua quidem ſatis iam diximus Capite 140. Sed quibuſnam inſuper probationibus eidem Innocentio exploratum erat, nullum Neronis tempore bellum ei fuiſſe contra Marcomannos, nec Aſtaſium ad eam expeditionem miſſum eſſe? Nemo quidem veterum Scriptorum nobis hoc negat: contra verò Philippus, eius Libelli verus auctor & fidelis, & à Sancto Ambroſio iamquè multis aliis Doctoribus commendatus, hoc ipſum diſertiſsimè affirmat in illud tempus, quo Martyres illi necati ſunt, quodquè nos tam multis aliunde argumentis iam collegimus Neronis itidem fuiſſe tempus. Idouè nobis ad fidem ſatis ita eſt, vt hac in parte ne Amicum quidem hunc noſtrum audire debeamus.

B, C, D

CAPVT CLXXVI.

Andreæ Sauſſaij teſtimonium.

I. AVctoris huius teſtimonio vſi fuimus etiam Capite 11. Num. 10. cùm de Sancti Celſi patria: & Capite 75. Numero 6. cùm de Sanctis Baſilide, Cyrino, Nabore, ac Nazario, Romæ paſsis: ac prætcrea Capite 102. Num. 4. & 6. cùm de Sancta Sancti Bernardi Claræuallenſis Abbatis Genitrice ageremus.

ageremus. Eius autem Martyrologium Gallicanum, multis aliis locupletatum additamentis, duobus Voluminibus continetur, Annoquè Chriſti 1637. typis Pariſienſibus impreſſum eſt. A

II. De Sanctis autem Geruaſio & Protaſio hæc in primis in eodem Martyrologio habentur Martii die vigeſima-ſeptima: *Sueſſione celebritas Inuentionis Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij, Matricis Eccleſiæ Patronorum.* Certè autem ibi ſermo non eſt de Sanctorum illorum Inuentione per Sanctum Ambroſium peracta: quam vtique ſatis iam conſtat peractam fuiſſe vndeuigeſima Iunii die. De aliqua ergo alia Inuentione, atque etiam fortaſsè in Galliis, vel etiam in Vrbe ipſa Sueſſionenſi, facta ſermo eſt. Niſi fortè Inuentionis nomen indiderunt eorum Natali, ſiue Martyrio: & hoc à vigeſima-quinta Martii die tranſ- B tulerunt ad vigeſimam-ſeptimam; quemadmodùm & vice verſa Inuentioni, per Sanctum Ambroſium peractæ, nomen Natalis adſcripſerunt; vt mox videbimus. Etenim vndeuigeſima Iunii die ſic item illic legitur: NATALIS *Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii: quorum venerandis coronis cùm permultæ Baſilicæ vbique, tum maximè in Gallia tres Cathedrales Eccleſiæ, Sueſſionenſis, Sagienſis, ac Lectorenſis, conſecratæ ſunt. Lutetiæ etiam dedicata Aedes inſignis: quam cùm ob Sanctorum ipſorum memoriam Beatus Germanus, glorioſiſſimus Regiæ ipſius Vrbis Antiſtes, orandi ſtudio frequentaret; eius fores (vt, qui aderat, teſtatus eſt Fortunatus) ſibi occluſas, Crucis ſignaculo reſerauit. Permultæ inſuper Eccleſiæ Sacellaquè toto in Regno iiſdem Sanctiſsimis Chriſti Teſtibus ex maiorum pio affectu cenſen-* C *tur nuncupatæ, pignoribuſquè etiam eorumdem pretioſis ditatæ: quæ tamdiu Deo propitio per totum Galliæ ambitum, vt ſcripſit ante mille Annos Sanctus Gregorius Turonenſis, delata ſunt.* Eoſdem verò Martyres ſub Nerone paſſos eſſe, vel ex his colligi facilè poteſt, quæ poſtea in Sanctorum Nazarii & Celſi mentione commemorantur.

III. Vigeſima-octaua ſiquidem Iulii die poſt alia ſubtexuntur hæc item: *Natalis Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi, Vienenſis Galliæ ac Alpinæ Regionis Apoſtolorum. Nazarius nobiliſsima Romanorum familia, patre Africano, illuſtriſsimo, ſed Iudaicis cæremonijs dedito, matre verò Perpetua, Chriſtianis Sacris ab Apoſtolorum Vertice, Petro, initiata, ortus fuit. Annoquè ætatis ſuæ nono cùm cerneret, parentes admodùm in Religionis negotio con-* D *flictantes; animo vehementer angi cœpit, cuius in re adeò graui, è qua æterna ſalus pendebat, ſententiæ concederet. At motus matris pientiſsimæ monitis, & diuinæ gratiæ adiutus lumine, ad Sanctum Linum ſe contulit: à quo ſalutaribus diſciplinis pleniùs imbutus, cæleſti etiam lauacro expiatus eſt. Qua de re pater exacerbatus, filium vt à pietatis propoſito deterreret, ſupplicia ei expoſuit, quæ Chriſti cultoribus ex principali decreto ſubeunda erant. Sed puer, Chriſti Spiritu mirificè confirmatus, nullatenùs à Fidei potuit profeſsione auelli: quinimmò perceptam Chriſti gratiam & Religionis Chriſtianæ præſtantiam coætaneis ſuis referens, ad eamdem hos alioſquè allicere toto anniſu intendebat. Veriti idcircò parentes, ne zelus eiuſmodi filio extremum periculum concieret; inſtructum*

inſtructum copioſis ſubſidijs, Vrbe vt excederet, ſuaſerunt. Quas opes, Chriſ- A
tianæ pietatis æmulator, continuò in pauperes diſtraxit: veniensque Mediola-
num, Sanctos Martyres Geruaſium & Protaſium in carcere inuiſit, atque
alios Chriſti pugiles ſuauiſsimis verbis ad conſtantiam hortatus eſt. Quamobrem
comprehenſus à Præfecto, direquè cæſus, pulſus etiam Vrbe, in Gallias ve-
nit, matris ſanctiſsimæ, quæ nuper functa ſibi apparuerat, admonitione com-
motus. Gebennam itaquè ingreſſus, Chriſti gratiam primus Ciuibus prædica-
uit: ex quibus Celſum, adhuc puerum, ſalutaribus præceptis inſtructum, bap-
tizauit: vnaquè cum eo Treuirim progreſſus, Fidem cùm diſſeminare ſatage-
ret; vterque, furente Neronis perſequutione, in mare deijcitur, vnde mira-
biliter euaſerunt. Poſtea Mediolanum venientes, cùm ibi Chriſti gloriam omni
ſtudio propagarent; Anolini Præfecti iuſſu, diro in carcere concluſi, ac penè cru- B
ciatibus confecti, tandem, quòd Chriſti diuinitatem conſtantiſsimè tuerentur,
capitis ſententiam læti exceperunt, datiſquè fortiter ceruicibus glorioſum trium-
phum magna conſtantia ambo peregerunt. Corpora eorum fuere à fideli quodam
& inſigni Viro priuata in domo ſepulta: quæ multo pòſt tempore Ambroſius,
diuina admonitus reuelatione, ad Baſilicam Apoſtolorum tranſtulit: eorumquè
Reliquias, admiranda ſignorum virtute coruſcantes, magnis, vt par erat, ho-
noribus affecit. Horum venerandorum pignorum partes, per Orbem diuiſæ,
Martyrum ipſorum claram memoriam apud Græcos & Latinos iam inde red-
diderunt. At potiores in Gallias delatæ, Ebreduni & Lutetiæ Pariſiorum ali-
biquè magnam eiſdem conciliauere honorificentiam. Cuius rei monimentum in-
ſigne eſt moneta Aeduenſis, cuſa ſub Sancti Nazarij effigie. C

IV. Hactenùs Sauſſayus. De quo tamen poſtremo ipſius teſtimonio multa
iam diximus Capite XI. Numero 10. & ſeqq. De carcere autem, vel
potiùs cænaculo, in quo Nazarius Geruaſium & Protaſium inuiſiſſe
dicebatur, recoli ea poſſunt, quæ nos item Capite 9. & 10. Quemad-
modùm item Sanctus Ambroſius Nazarii ſolius, non autem Celſi, Cor-
pus ad Baſilicam tranſtulerit Apoſtolorum: hoc itidem nos iam ſupra
oſtendimus Capite 48. De ſacris porrò Nazarii & Celſi Reliquiis,
Ebreduni exiſtentibus, nos quidem Capite 49. Num. 7. hæſitauimus,
an eæ ſint Nazarii & Celſi noſtrorum, an aliorum. Atqui non ita du-
bitauimus de collocatis Lutetiæ Pariſiorum; ſicut è Capite liquet 69.

CAPVT CLXXVII. D

Pauli Britij, Albenſis Epiſcopi, teſtimonium.

I. REcentioribus eiuſmodi teſtimoniis eò lubentiùs ego vtor,
quò euidentiùs hinc apparet, quàm parui eſſe momenti
viſa deinde fuerint grauibus etiam doctiſquè Scriptoribus
argumenta illa, quibus à Baronio præſertim & ab aliis
contendebatur, Protaſium & Geruaſium longè poſt Ne-
ronis Imperatoris tempora martyrium paſſos eſſe.

II. Eadem

II. Eadem profectò argumenta Paulo Britio, Albenſi Epiſcopo meritiſsimo, A
& in Hiſtoria Eccleſiaſtica verſatiſsimo, nihil obſtiterunt, quominùs
Tomo ſuo Primo de Occidentalis Eccleſiæ Progreſsibus, in ſexdecim
Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti Sæcula diſtributis, conſcripto, ac typis
impreſſo Carmagnolæ Anno 1650. à Baronio liberè aperteque diſſen-
ſerit. Sæculo enim Primo, ac pag. 73. Num. 30. poſteaquàm Sancti
Petri Apoſtolorum Principis martyrium, ſub Nerone conſummatum,
narraſſet, hæc item tradebat: *Frà le Matrone, che in Roma fruttificarono
à marauiglia nella dottrina e veſtigii di San'Pietro, ammirabile fù Perpetua,
moglie di Africano, huomo illuſtre. Queſta internoſſi talmente nelle viſcere
feruentiſsime di Chriſto, che fù vna fiamma lucidiſsima di Vita Apoſtolica.
Operò il batteſimo nel figliuolo Nazaro per mano di San' Lino, à San' Pietro* B
*ſucceſſo nel Ponteficato Romano: e per redimerlo dalle importune luſinghe del
Padre, oſtinatiſsimo nel Paganiſmo* (ſed nobis veriùs in Iudaiſmo) *eſſor-
tollo all'abbandono della Patria. Vbidiſce Nazaro alla ſanta pietà materna. Si
parte da Roma: vanne à Milano, doue erano i due fratelli Geruaſio e Prota-
ſio per la Fede incarcerati* (qua de re nos item ſenſimus aliter) *Nella vi-
ſita gli corrobora in far fronte alle perſecutioni: è detenuto prigione, è flagella-
to. Bandito dalla Città, paſſa per il Piemonte: vi predica con efferueſcenza
di ſpirito i trofei della Religione. Trapaſſa l'Alpi: entra in Geneua, ed iui il
primo pianta la Fede di Chriſto.*

CAPVT CLXXVIII. C

Petri Mariæ Campi teſtimonium.

I. PEtrus hic Maria Campus Cathedralis Eccleſiæ Placentinæ
Canonicus fuit, & Anno tantùm ſuperiore 1652. vita
functus. In conquirendis autem illuſtrandiſquè illius Ec-
cleſiæ monumentis quàm ſolicitus fuerit & accuratus, bina
eius Volumina, ſiue Partes, quæ primam in lucem Anno
1651. prodierunt, ſatis ſuperquè teſtantur. Talem ille Hiſtoriam Ec-
cleſiaſticam Italicè conſcripſit, eamdemquè Anno 1616. exorſus eſt;
ſicut ex ipſius aſſertione conſtat Primæ Partis pagina 8. col. 1. D
II. Quemadmodùm autem Sanctum Nazarium Eccleſiæ Placentinæ Apoſto-
lum ac Fundatorem appellare non dedignatur; ita etiam ipſius itera-
tam profectionem ad eam Vrbem, itemquè martyrium Mediolani con-
ſummatum, ac præterea inuentionem, necnon etiam cultum ei à ſuis
Placentinis exhibitum, perquàm diligenter narrando proſequitur. Sed
& de Sanctis Geruaſio ac Protaſio ita ſcribit, vt hac etiam in parte
nobis percommodum & peraccommodatum ſit ipſius teſtimonium.
III. De Sancto in primis Nazario eumdem audiamus. *Haueua* (inquit ille
ad Annum Chriſti 44.) *il medeſimo Apoſtolo Pietro conuertito in Roma al
Signore, e battezzato due perſone pie, marito e moglie, l'vno Africano, l'altra*

Romana,

Romana, ricchi di robba e di virtù: i quali hauendo vn' figliuolo, chiamato Nazario; ancor'eſſo da Lino, ſucceſſor' di Pietro, fù battezzato. Queſti, creſcendo in età, ſalì à tanta perfettion' di virtù, che da gli altri Fedeli era del continuo ſeguitato, e frequentata molto la caſa ſua. Perloche, volendo ei fuggir quel concorſo, & il gran' nome che ne riceueua, e per potere maggiormente attendere all'oratione, e predicare ad altri la Chriſtiana Pietà; di laſciar' la Patria del tutto ſi diſpoſe; & hauuta da' genitori ſuoi quella parte di patrimonio che gli toccaua, ſe n'vſcì di Roma; & andando di Città in Città, da per tutto dou' egli paſſaua, faceua prima à' biſognoſi di què Popoli larghe limoſine; e poi, non contento di hauer' ſouuenuto à' corpi, con aiuto aſſai maggiore all'anime ſoccorreua. Percioche, predicando loro, gli traeua alla vera notitia della Santiſsima Trinità: e ciò vuol dire, che battezzaua. E così di luogo in luogo facendo, giunſe à Piacenza, e poi ſe n'andò à Milano. Tuttociò da Simeone Metafraſte nella Vita de' Santi Nazario e Celſo ci vien' riferito &c. Ex his tamen multa ſunt, quæ cenſuram merentur; vt ſupra iam vidimus; nec inde rurſus eadem mihi nunc refellere vacat. Proſequitur deinde Campus inueſtigare, quandonam Nazarius Placentiam peruenerit, quid illic egerit, & quamdiu moratus illic ſit: & inter hæc eum pro certo & explorato ſupponit ſub Nerone Imperatore necatum eſſe vnà cum Celſo puero, quem per Galliam tranſiens ab eius matre in curam & diſciplinam ſuſceperat. Sic etiam eum denique concludit Placentiam perueniſſe circiter Annum Chriſti Sexageſimum, Sexageſimo autem nono necatum eſſe paulò ante, vel paulò pòſt (vt probabilius exiſtimat) quàm Sancti Petrus & Paulus Apoſtoli necati eſſent in Vrbe Roma. Progreſſus inde ad Annum Chriſti Trecenteſimum nonageſimum-quintum: dequè Theodoſii Senioris Imperatoris obitu, ac de Sacrorum Nazarii & Celſi Corporum inuentione diuinitùs facta, locutus, hæc de Sancto Ambroſio noſtro, eorum inuentore, addit: *Traſferì quel Santo Paſtore il Sacratiſsimo Corpo di Nazario con ſolennità conueneuole, e con ſucceſſo di molti e vari miracoli, in vna Chieſa, ch'egli parimente haueua à Santi Apoſtoli (à guiſa che Sauino la ſua) poco fuori della Città dedicata, la quale dipoi dal nome del Martire, di San' Nazario appellosſi: e quello di San' Celſo con pari honore collocò non molto lungi dal luogo, doue i Sacri Pegni giaceuano: facendo poi quiui per riuerenza dipingere vn' Imagine diuotiſsima della Madre di Dio: la quale ſi dice eſſer' quella, che tutt' hora hà così gran' concorſo di Popolo in Milano nella richiſsima Chieſa della Madonna cognominata di San' Celſo.* Et in harum quidem rerum confirmationem teſtes in ora marginali producit Campus Paulum Morigiam in Sanctuario Mediolani, & Hieronymum Mengh. in Theſauro Cæl. Beatæ Mariæ Virginis, Lib. 2. Cap. 17.

IV. Sed quid item Campus de Sanctis Geruaſio & Protaſio? Ad Annum Chriſti 387. ſic item ille habet: *I Sacri Corpi de quali in queſti medeſimi giorni dell' Anno corrente ottanteſimo-ſettimo ſi ſcoperſero in Milano per vna riuelatione hauuta dall'iſteſſo Ambrogio, mentre oraua in quel luogo, doue i pre-*

tioſi Regni, più di trecento e quindeci Anni erano (en vt Campus illos tacitè A
innuat Neronis Imperatoris tempore necatos) *ſtauano ſotterrati, & incogniti, e conſeruati incorrotti (dice Agoſtino) nel teſoro del diuino ſecreto conſiglio.* Et hæc nobis in præſenti ſufficiant ex huius Hiſtoriographi pronunciatis; niſi fortè ſuperaddere hoc velimus; legitimam ipſi quoque viſam eſſe illam Sancti Ambroſii Epiſtolam, qua Libellus Philippi ad verbum recitatur; Libellumquè propterea ipſum ne illi quidem fuiſſe vllatenus ſuſpectum.

V. Ad res porrò extra controuerſiam poſitas illud pertinet, ſcituquè dignum eſt, quod idem Campus paulò pòſt de vnius digiti Nodo inter ſacras horum Martyrum Reliquias, Placentia in Vrbe cuſtoditas, narrat. E
Sancti Ambroſii ad Marcellinam ſororem Epiſtola, quam ego quoque B
Capite 41. recitabam, obſeruauerat ea verba: *Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt priſca ætas ferebat*; cùm deinde ſubdit; *Egli è degna di conſideratione la molta riuerenza, & il pio affetto, che inſino à giorni noſtri da Piacentini ſi và tuttauia conſeruando verſo vn Sacrato Nodo d'vn deto del Martire San Geruaſio, dentro la ſua Chieſa con diligente cuſtodia aſſeruato.* Et paulò pòſt de prædicto Nodo animaduertendum eſſe aſſerit, *Che per la molta longhezza, à proportione della mentionata ſtatura del Corpo, ſembra da per ſe vn deto intiero.*

CAPVT CLXXIX.

C

Columna, indicando Protaſiani martyrij loco aliàs erecta, in alterum transfertur ſitum.

I. QVam ſuperiori Capite 24. videbamus Columnam, indicando Protaſiani martyrii loco aliàs erectam: eadem poſtea, ſimul cum lapidea tabula ipſi ſubiecta, in alterum ſitum, viginti-quinque circiter cubitos inde diſtantem, translata fuit.

II. Quandonam verò, quam ob cauſam, & quo Arcis Præfecto, id tandem actum fuerit, non aliunde profectò fideliùs conſtare poteſt, quàm è
ſubſequenti Inſcriptione, alteri illi vetuſtiori ſtatim ſubſtituta, & mar- D
moreæ pariter illic Tabulæ inſculpta.

D. O. M.
PHILIPPO III. HISPANIARVM REGE
AC MEDIOLANI DVCE
D. IOSEPH VAZQVEZ DE ACVNA
HVIVS ARCIS PRÆFECTVS
HANC COLVMNAM ET SVBIECTVM IPSI LAPIDEM
IN QVO SANCTVS MARTYR PROTASIVS
HVIVS CIVITATIS ET ARCIS DEFENSOR

SECVRI

SECVRI PERCVSSVS CREDITVR A
E TENEBRIS IN QVIBVS DIV IACVERANT
IN LVCEM REVOCAVIT
ANNO DOMINI MDCII. XIV. KAL. IVLII.

REGNANTE POSTEA PHILIPPO IV.
CVM NOVA EIDEM ARCI PROPVGNACVLA
EXTRINSECVS ADSTRVERENTVR
CVMQVE PROXIMI FOSSA HVC OBVERSA
PRIMÆVVM EIVSDEM LAPIDIS ET COLVMNÆ SITVM
ARREPTVRA SIBI ESSET
D. IOANNES VAZQVEZ CORONADO B
INTIMVS EIVSDEM REGIS CONSILIARIVS
ET E REGII HAC IN PROVINCIA EXERCITVS
MAGISTRO GENERALI
PRÆFECTVS HVIVS ARCIS PROBATISSIMVS
ALTERIQVE ILLI PIETATE NON IMPAR
EAMDEM COLVMNAM ET LAPIDEM
ANNO MDCLVI. XVII. KAL. IVLII
HVC TRANSFERRI IVSSIT
VT PERPETVVM HIC ESSENT
TANTI MARTYRIS ET PATRONI
MONIMENTVM C

CAPVT CLXXX.

Sancti Matroniani Cappella nobiliori ſimul & ampliore ſtructura in Baſilica Nazariana renouatur.

I. ANtequàm typographica Diſſertationis huius impreſsio abſoluatur, à fundamentis renouatam, & ampliore pariter ac nobiliore ſtructura ædificatam, iamquè concameratam, videre licet in Baſilica Nazariana eam Sancti Matroniani Cappellam, quam ſuperiori Capite 38. deſcribebamus; D at ea quidem nondùm eſt exornata & abſoluta; quantum ſcilicet nobiliſsimum illud ac generoſiſsimum Præpoſiti & Canonicorum Collegium pro Sancti eiuſdem cultu, non tantùm conſeruando, ſed etiam magis in dies augendo meditatur.

II. Id ergo ſaltem vnum à me commemorari hoc tandem oportebat loco; vt intelligeretur, quam ob cauſam Cappella illa vetus aliter olim deſcripta ſit, quàm in præſenti ſe habeat, & in poſterum ſe habitura ſperetur.

DISSERTATIONIS HVIVS NAZARIANÆ FINIS.

Errata typographica Benigne Lector hic accipe correcta.

Paginæ,	Lineæ,	Errata,	Correcta.
4.	39.	quoſquè	quaſquè
13.	34.	ador ea	adorea
81.	40.	quem	quam
87.	42.	Popularium	Populorum
100.	7.	ET PAROCHIA	EA PAROCHIA
100.	38.	Nunc	Tunc
117.	38.	SANCI	SANCTI
119.	40.	*aſtas*	*aeſtas*
134.	40.	*iubebat*	*iubebant*
169.	44.	*intr*	*inter*
188.	28.	die 16. menſis Martij	die 6. menſis Octobris
189.	15.	TAMET,	TAMEN
189.	42.	TAMEM	TAMEN
194.	31.	opporteat	oporteat
202.	37.	eius	ſuis
206.	32.	*clarirate*	*claritate*
239.	10.	Feſtos	Faſtos
245.	44.	Baro ni	Baronij
259.	25.	Eccleſiæ.	Eccleſijs
269.	19.	cum	eum
282.	9.	*Peri*	*Petri*
288.	11.	*andirentur*	*audirentur*
289.	3.	POSITAS	POSITVS
317.	18.	IIG. ualuaneus	II. Gualuaneus
321.	39.	*ille*	*ille*
341.	15.	*Vrbm*	*Vrbem*
413.	31.	*Awoſtichidem,*	*Acroſtichidem*
419.	41.	illo	ille
440.	8.	*non*	*nono*
509.	39.	*ardinale*	*Cardinale*
533.	17.	Eccleſia	Eccleſiæ
640.	3.	Philalphi	Phulelphi
656.	39.	*per*	*pro*
667.	11.	quidam	quidem
669.	20.	*Omna*	*Omnia*
736.	5.	ſupr	ſupra

Laus

Laus Deo Optimo Maximo,
ac Deiparæ Virgini Mariæ,
Sanctiſquè omnibus,
ac nominatim Nazario & Celſo,
ac Protaſio & Geruaſio,
ad perpetuam Prouinciæ huius
ac Triuultiæ Gentis
Tutelam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google